Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/srecardinalissbo14bona

OPERA OMNIA

SANCTI BONAVENTURÆ

BESANÇON. — IMPRIMERIE D'OUTHENIN CHALANDRE FILS.

S. R. E. CARDINALIS

S. BONAVENTURÆ

EX ORDINE MINORUM

EPISCOPI ALBANENSIS, DOCTORIS ECCLESIÆ SERAPHICI

OPERA OMNIA

SIXTI V, PONTIFICIS MAXIMI JUSSU DILIGENTISSIME EMENDATA

ACCEDUNT

SELECTA MULTA TUM EX POSTREMA VENETA EDITIONE, TUM EX PRODROMO ERUDITISSIMO FR. BENEDICTI A CAVALESIO ORDINIS MINORUM REFORMATI

EDITIO ACCURATE RECOGNITA

AD PURAM ET VERIOREM TESTIMONIORUM BIBLICORUM EMENDATIONEM DENUO REDUCTA

CURA ET STUDIO

A. C. PELTIER

CANONICI ECCLESIÆ REMENSIS

TOMUS DECIMUS QUARTUS

PARISIIS

LUDOVICUS VIVES, BIBLIOPOLA EDITOR

VIA DELAMBRE, 9

M DCCC LXVIII

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
10 ELMSLEY PLACE
TORONTO 5, CANADA.

NOV 28 1931

1563

PRÆFATIONIS LOCO

EXAMEN OPERUM QUÆ HOC ULTIMO TOMO CONTINENTUR.

NOTA. — Ad Sermones de Sanctis in communi quod attinet, recollige dicta in antecessum tomi XIII, præsertim pag. VII.

---

§ I. — DE QUINQUE FESTIVITATIBUS PUERI JESU. (*Prodrom.*, col. 574.)

Ad hujus opusculi testificationem, præter Marianum Florentinum, Trithemium, Forestum, Anonymum Pistoriensem, Gulielmum Eysengrenium, Ludovicum Granatensem, etc., præter editiones ab anno saltem 1486, atque manuscriptos codices Bibl. monast. Pollingani Ord. Can. Reg. S. Aug. in Bavaria, et Bibl. S. Mar. Gratiarum Minorum Observ. apud Mantuam, illud etiam facit, quod ipsius auctor præbeat sese nedum *contemplativum*, sed etiam *de sæculo ad vitam religiosam* vocatum, nec quærentem *Prælationis laudem*, sed *Dei honorem*, cujus unius intuitu *diei pondus et æstus sustinebat* : quodque de occupatione familiari ita doleat, ut tamen fateatur *a caritate dilecti non recessisse* : quæ quidem omnia D. Bonaventuræ apprime conveniunt. Accedit in Præfatione Auctoris modestia, simillima ejus, quam Bonaventura noster in suorum Opusculorum Prologis significare consueverat.

Decet quoque Seraphici Doctoris sapientiam, quod dein sequitur, saluberrimum monitum : « O anima devota, quando novis illustrationibus et revelationibus illustraris, etc. [1] » Item illud : « Esto domina sensuum, carnalium concupiscentiarum, [2] » etc. Tum illud maxime : « In ipsum (Deum) igitur refunde omnia opera tua, » [3] etc.

Repetitio vocum superlativarum, ac similiter cadentium, uti etiam adverbium *mundialiter* (vel ab ipso Tertulliano usurpatum), a Bonaventuræ stylo nihil abludit; eique plurimum congruit phrasis illa : « Flecte humiliter mentis genua in supernæ civitatis palatia. Ibi ante thronum æternitatis, » etc., cum in Prologo etiam *Soliloquii* dixerit : « Flectat igitur anima devota... genua mentis ante thronum [4], » etc. Nequidem insolens Doctori nostro citatio Gregorii ac Isidori. Quisquis demum animo præjudiciis vacuo perlegerit hoc Opusculum, et cum aliis certis contulerit, clare perspiciet vanissima esse ea omnia, quæ contra illud objectantur.

§ II. — PASSIO CHRISTI BREVITER COLLECTA. (*Prodrom.*, col. 567.)

Vid. ea quæ retulimus, tom. XII, § 10, pag. XII.

§ III. — DE PASSIONE DOMINICA OFFICIUM. (*Prodrom.*, col. 586.)

Præter Jacobum Perusinum, Franciscum Samsonem, Octavianum de Martinis, Alexandrum Ariostum, Marianum Florentinum, et alios, fidenter afferimus Chronica manuscripta nedum viginti quatuor, sed etiam vetustiora et fere coæva quindecim primorum Generalium Ministrorum, quæ hujuscemodi Officium a nostro Bonaventura in gratiam S. Ludovici

[1] Vid. pag. 142, col. 1. — [2] Vid. ibid., col. 2. — [3] Vid. pag. 150, col. 2. — [4] Vid. tom. XII, pag. 83.

Francorum regis concinnatum fuisse testantur, ac extra dubium ponunt. Horum auctoritatem positivam negativæ Joannis Stiltingi in *Vita* ejusdem *S. Ludovici* [1], longe prævalere, nemo non videt. Habetur in collectione Argentinensi an. 1495, ac subsequentibus, necnon inter manuscriptos codices Bibl. Bodleianæ Oxoniæ, Bibl. Gothanæ in Thuringia, et in Tabellario Benedictinorum Lunælaci in Austria. Scribit Oudinus « in utrisque Vesperis hujus Officii de Passione Domini fieri rhythmicam commemorationem Compassionis B. M. V. [2]; » sed errat : Officium enim istud caret primis Vesperis, incipitque a Matutino. Itaque *Commemoratio de B. Virgine* fit duntaxat post Laudes, et in secundis Vesperis. Non errat tamen Oudinus, dum fatetur præfatum Officium *ex propriis Scripturæ verbis compositum.* Qua ex confessione, prono veluti alveo fluit, nihil abjectum, censuraque dignum præ se ferre, ac Bonaventuriano calamo, divinæ Scripturæ verbis admiscendis assueto, prorsus convenire.

§ IV. — Philomela. (*Prodrom.*, col. 660.)

Suffragantur manuscripti codices Bibl. Corsendoncanæ Canonicorum Regularium, monast. Lovaniensis Canonicor. Regular. in Valle S. Martini, et monast. Alnensis Ord. Cisterc. prope Leod. in Belgio; Bibl. S. Spiritus Minor. Reform. Feltriæ; Bibl.-Regis Gall. (nunc imperialis) cod. 5663 membr. olim Philiberti de la Mare, sæculi, ut videtur, XV; Bibl. S. Apollinaris Minor. Observ. Ravennæ; Bibl. S. Joseph, Minor. Discalceat. Salmanticæ in Hispania, et Bibl. Cæsareæ Viennæ in Austria; editiones quoque ab anno 1495, ac inter nomenclatores antiquos Pavinus, inter recentiores vero Franciscus Xaverius Quadrius societatis Jesu [3]. *Perperam* id scriptum a Quadrio censent novissimi editores, *cum id genus poesim Scriptori sæculi* XIII, *et quod pejus est, gravissimo Doctori nostro adtribuit* [4]. Sed *perperam* ipsi potius sic arbitrantur. Cum enim verum habeant, quod refert Joannes Albertus Fabricius, nempe *a Baleo tribui Joanni nescio cui Hovedano dicto, natione Anglo* [5], jam non *perperam*, sed vere *Scriptori sæculi* XIII adtribuitur. Quippe Oudinus, cujus testimonium prædictis Editoribus minime potest esse suspectum, inquit: « Joannes de Oveden, natione Anglus, anno 1260 mihi claruisse videtur; sacellanus enim extitit Eleonoræ Reginæ, matris Eduardi I, qui regnum Angliæ anno 1274 non sine contentione obtinuit [6]. » Neque *perperam gravissimo Doctori nostro adtribuitur*; ubi enim *Philomela Ovedana* apud citatum Oudinum est quædam *meditatio de nativitate, passione et resurrectione Domini Salvatoris*, eaque *ad Alionoram Reginam Angliæ, matrem regis Eduardi* directa, *Philomela Bonaventuriana* est *aptata passioni Domini per septem horas canonicas*, uti præfert titulus manuscriptorum codicum monast. Alnensis et Ravennatensis, eaque secundum Pavinum directa non ad *reginam*, sed ad *suam sororem*. Profecto in ipsa ne verbum quidem est de *Regina*, sed de *fratre* et *sorore*. Hinc Oudinus loquens de Philomela Bonaventuriana, ipsam Hovedeno prædicto adscribere non est ausus.

§ V.— Opus Contemplationis. — § VI. Laudismus de Sancta Cruce. (*Prodrom.*, col. 661-662, et 177.)

De his æque, ac de præfata *Philomela*, necnon de *Laude B. Mariæ Virginis*, et de *Psal-*

[1] Vid. Bolland. *Act. Sanctor.*, tom. V, Aug. — [2] Tom. III, col. 408. — [3] In Opere inscripto : *Della Storia, della Ragione d'ogni Poesia,* vol. II, lib. I, dist. I, c. VI, pag. 101, edit. Mediolan., 1741, in-4. — [4] *Diatrib.*, pag. 134, hujus vero nostræ edit. tom. I, pag. LXXXI.— [5] Ibid. Joannes Baleus apud Fabricium habet *Hovedenum.* — [6] Tom. III, col. 498.

terio minori ejusdem, inquit Oudinus : « Rhythmica hæc quinque opuscula defectus suos habent, nec certum est, ad quem pertinere possint, cum nullus veterum illa spectare ad D. Bonaventuram dicat, in cujus opusculo fortuito a Fratribus Franciscanis nihil distinguentibus conjecta sunt [1]. » Sed *Fratres Franciscanos* per summam injuriam traduci tanquam *nihil distinguentes*, quasi vero in Bonaventuriana opera *fortuito conjecta sint* ab ipsis hujuscemodi Rhythmica, satis per se patet. In iisdem Rhythmicis alios non deprehendi defectus, quam sæculi, ad cujus gustum concinnata sunt, perinde compertum est. Veteres inter Bonaventuræ scripta recensuisse *Philomelam* constat ex iis quæ supra diximus, § IV. *Laus beatæ Virginis*, *Psalterium minus*, *Opus Contemplationis*, et *Laudismus Crucis*, referuntur a Mariano Florentino, cui quoad tria posteriora suffragatur Anonymus Pistoriensis. Favent *Psalterio minori* Codices Bibl. monast. Pollingani Ord. Can. Reg. S. Aug. in Bavaria, et Bibl. regiæ Taurinensis, ac forte alii, de quibus non constat, num *majus*, vel *minus* contineant ; *Operi Contemplationis* codex Bibl. S. Mariæ Gratiarum Minor. Observ. apud Mantuam, ac *Laudismo sanctæ Crucis* codex Bibl. S. Apollinaris Minor. Observ. apud Ravennam ; omnibus autem hisce opusculis editiones plurimæ, et quidem vetustissimæ, inter quas una absque nota temporis et loci, ac nomine typographi, cujus exstabat volumen gothici characteris in Biblioth. Rebdorffensi S. Joannis Baptistæ Can. Reg. S. Aug., prope Eystadium, pro *Laudismo de sancta Cruce ;* altera an. 1484, quæ servabatur in canonia S. Nicolai prope Passavium, gothicis litteris similiter impressa, pro eodem ; editio Coloniensis an. 1486, etiam pro eodem ; editio Argentinensis an. 1405, tum pro *Laudismo,* tum pro *Laude B. Mariæ Virginis*, et *Psalterio minori ;* editio Parisiensis an. 1499, iterum pro *Laudismo de Sancta Cruce ;* editio Veneta an. 1504, pro *Laudismo Crucis, Opere Contemplationis, Laude B. Virginis* et *Psalterio minori*, etc.

Rhythmica de *Jesu* contenta in *Opere Contemplationis* non absimilia sunt Rhythmicis, quæ in *Ligno vitæ* leguntur. Neque obstat, quod inibi legere sit *Mariæ mirabilem conceptionem absque inquinatione*, tum quia id non satis declarat fuisse in primo instanti ab omni labe præservatam, tum quia probavimus [2] celebrationem festi Conceptionis B. M. V. a Bonaventura fuisse adoptatam, atque statutam.

Quid de *Laudismo sanctæ Crucis* senserit P. Sbaralea, discere quisque potest ex scriptis ipsius. Scripsit enim : « Dignus est S. Doctore, siquidem rhythmus est bonis sensibus, aptisque verbis compactus, ac simillimus illi de corpore Domini : *Lauda Sion Salvatorem* (*a*), etc., ut non sit mirum exstitisse qui traderent et hunc rhythmum ad S. Bonaventuram pertinere. » Audire pariter lubet Franciscum Lamatam, Doctorem Theologum, et unum ex Vaticanis Editoribus, de eodem *Laudismo* in hæc verba loquentem : « Laus ista de Cruce, » etc. (uti legere poteris in argumento, huj. tom. pag. 172).

§ VII. — De septem verbis Domini in cruce. (*Prodrom.*, col. 662-663.)

Si teste Oudino ferendum *idem judicium, quod de præcedentibus* [3], hoc quoque rhythmicum Opusculum ab incertis ac suppositiis eximendum, et vindicandum. Certe P. Sbaralea *Opusculum Bonaventura dignum* existimat. Facile quidem fuit novissimis Editoribus in

[1] Tom. III, col. 409. — [2] Hujus edit. tom. III, col. 408. — [3] Tom. III, col. 409.

(*a*) Verius videtur dicendum, rhythmum eumdem esse ac prosæ *Stabat Mater dolorosa*, cujus etiam plures versus *Laudismus Crucis* vel imitatur, vel potius offert posteris imitandos.

BQ
6464
1867

eodem Opusculo perinde ac in præcedentibus contenta *carmina* abjicere tanquam *insulsa, hiulca, frigida, incompta* [1]; sed hoc opus, hic labor, talia habita eo sæculo, quo scripta sunt, demonstrare. Quot enim recentiori sæculo exolevere, quæ antiquiori in deliciis fuerunt! Igitur quæ nunc judicantur *insulsa, hiulca, frigida, incompta*, potuerunt aliis vetustioris ætatis sapere, ac perplacere. Adde in rhythmicis nostri Bonaventuræ Opusculis magis devotionem, quam concinnitatem esse spectandam.

Laudatus P. Sbaralea de hoc Opusculo disserens ait, quod in eo « solum in quibusdam versiculis error amanuensium deprehenditur, qui facile tamen dilui potest, nempe : in primo verbo *tutum refugium*, corrigatur : *tutum nostrum refugium*. In secundo verbo : *hodie mecum eris in Paradiso*, corrigatur : *hodie mecum eris lætus in Paradiso*. In tertio verbo : *dicens Matri : Mulier, ecce Filius tuus; deinde discipulo : ecce Mater tua*, corrigatur : *Dicens hæc Matri : Mulier, ecce nunc Filius tuus; et deinde discipulo : ecce nunc hæc Mater tua*. In quarto verbo : *nec dictam potentiam*, corrigatur : *nec prædictam potentiam*. Illud etiam : *Hely, Hely, lamasabactani, hoc est Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me*, corrigatur : *ad Patrem tuum Heloi, Heloi, lamasabactani*, etc. Illud insuper : *qui mihi præmialis*, corrigatur : *qui mihi præmiabilis*. In quinto verbo : *dicens : Pater in manus tuas*, corrigatur sic : *Pater mi, in manus tuas*. Forsan hoc est illud opusculum, quod Franciscus Pavinus vocavit *Enchiridion*, seu *Cumulum orationum*, cum septem *verbis*, ac totidem *orationibus* constet. »

Prodiit cum aliis sancti Doctoris Opusculis in editione Argentinensi an. 1995, laudaturque ab Anonymo Pistoriensi.

§ VIII. — Officium de corona beatæ Mariæ Virginis. (*Prodrom.*, col. 587-588.)

Hoc Officium ad D. Bonaventuram pertinere testantur Marianus Florentinus, et Anonymus Pistoriensis. Idipsum firmant editiones plures, quas inter Argentinensis an. 1495. Neque ut illud abjiciamus, cogit Oudini, novissimorumque Editorum censura. Ait quidem Oudinus : « Hæ preces Coronarum, etc., temporum novissimorum sunt, nempe sæculi XV inchoantis, unde ad D. Bonaventuram nullatenus spectant [2]. » Concinunt prædicti Editores : « In hoc plane conveniunt eruditi, ut generis hujus preces incœperint sæculo ineunte XV. Peritiores viderint, ad quos Corona ista pertineat [3]. » Sed Romani Editores, viri certe eruditi, præmonuere : « Modus iste recitandi coronam, » etc. (uti legere poteris in argumento, huj. tom. pag. 179). Insuper a P. Jacobo Echardo, qui utique *peritior* habendus, inter opera B. Jordani refertur : « *Corona B. Virginis*, ex his constans, primo hymno *Ave Maris stella*, tum quinque psalmis *Magnificat*, *Ad te Domine levavi*, *Retribue*, *In convertendo*, *Ad te levavi*, adjecta singulis *Salutatione Angelica*. Quam in usu ei fuisse legitur in *Vit. Fratr.*, part. III, cap. 23. Sub ejus nomine, sed antiphonis et orationibus auctam, editam Placentiæ Joan. Bazachii 1599, in-12, testatur Altamura. Sed hujus erga B. Virginem cultus Jordanum primum non esse auctorem ferunt. Vid. Cantimpratanum, *De Apibus*, lib. II, c. 29, § 15, et notas ibidem Colvenerii, et Malvendam, pag. 562, *a* [4]. »

Accedit vir plane eruditus, oppidoque peritus P. Sbaralea, de hac *Corona* partim prosa,

[1] *Diatrib.*, pag. 134, hujus vero editionis tom. I, pag. LXXXI. — [2] Tom. III, col. 408. — [3] *Diatrib.*, pag. 135, nostræ vero editionis tom. I, pag. LXXXI. — [4] *Scrip. Ord. Præd.*, tom. I, pag. 98 et seq., n. 5.

partimque versu composita, inquiens : « Nequaquam indigna est sancto Bonaventura, ut ut repugnet Oudinus. Nam primum falsum est, preces *Coronarum* temporum novissimorum, sive sæculi XV, esse, quoniam, ut omittam Rosarium, et ea, quæ de eo dicuntur, Mabillonius in Præfatione Sæculi quinti Benedictini, n. 125, ostendit initium *Coronæ B. V.* ab ineunte sæculo XII repetendum esse. Deinde titulum *Coronæ* huic opusculo non Auctor indidit, sed Collectores. Auctor enim in fine ait, *se laudum pia precamina ad honorem quinque vulnerum Filii Virginis, et laudum sancti nominis V. M. decantasse :* quinque scilicet psalmis, orationibus et rhythmis, antiphonisque. Rhythmus incipit : *Gaude Virgo mater Christi, quæ per aurem concepisti, Gabriele nuntio :* eodem quidem versus modulamine, quo *Laudismus S. Crucis.* Potius dici debet *Officium de quinque gaudiis B. M. V.,* nempe in *conceptione* filii, in *partu* filii, in *resurrectione* filii, in *ascensione* filii, et in sua ad cœlum *assumptione*, juxta quinque litteras nominis Mariæ : quibus duobus aliis rhythmis, seu gaudiis additis in *adventu*, ac *adoratione Magorum*, et in *descensu Spiritus Sancti,* sine tamen antiphonis, psalmis et precibus, quibus alia gaudia concinnantur, inditoque titulo *de septem gaudiis B. V.* Opusculum vulgatum est in libello piarum precum Venetiis an. 1592, in-16. *Nostra precamina* dixit etiam Urbanus IV in Epistola data principi Achaiæ an. 1263, et Clemens IV in Bulla *Damnabili perfidia* an. 1267. »

Ecce an *in hoc Eruditi plane conveniant, ut generis hujus preces incœperint* sæculo XV. Antiquiorem S. Bonaventura B. Jordanum nego negaverit. Si ergo *peritiores* consulamus, sicut una ex illis *Coronis* B. Jordano attribuenda, ita altera, de qua in præsentia loquimur, S. Bonaventuræ. Coronam etiam conflatam ex *Pater noster* fuisse usitatam tempore S. Bonaventuræ, patet ex Vita coœva S. Claræ Assisiensis apud Bollandianos [1].

§ IX. — Laus beatæ Mariæ Virginis. (*Prodrom.*, col. 661-662.)

Laus beatæ Virginis sic inscribitur *dictata a sancto Bonaventura, secundum litteras Salutationis Angelicæ*, sicque *multis sacræ Scripturæ locis figurata* ostenditur, ut ipsam devote legenti, Doctorem Seraphicum dedecere non videatur. Certe contra eam nihil opponendum habuere novissimi Editores, ut mirum sit, absque ulla adjecta censura illam ad suppositiorum quisquilias abjecisse [2]. Quod Maria in hoc opusculo semel iterumque vocatur *Deitatis triclinium,* elogium est simile illi, quo a Bonaventura celebratur *Trinitatis triclinium* lib. tertio *Sententiarum* [3], et in *Commentario Apocalypsis* [4]. *In Scripturis figurata* ostenditur ab eodem Bonaventura etiam in *Ecclesiastica Hierarchia* [5].

Cætera require in § V et VI.

§ X. — Psalterium minus beatæ Mariæ Virginis. (*Prodrom.*, col. 662.)

Psalterio minori non officit, quod *Psalterium majus* infra dicturi sumus incertum Bonaventuræ fœtum, quanquam pro eo stent monumenta similia eorum, quibus idem *Psalterium minus* fulcitur. Plus enim exigitur, ut probabile fiat difficilius (quale est Psalterium majus), quam creditu facilius. Quod utriusque auctor unus non sit, inde quoque argui posse videtur,

[1] Cap. I, n. 4. — [2] *Diatrib.*, pag. 135, nostræ vero editionis, tom. I, pag. LXXXII. — [3] Dist. III, part. I, art. 2, q. I, tom. IV, pag. 69, col. 1. — [4] Cap. V. Vid. *Supplementum* sub Clemente Papa XIV editum Tridenti, 1774. — [5] Vid. tom. VII, pag. 493 et seq.

quia in editionibus alterum ab altero longius separatur, neque ullam inter se affinitatem præferunt.

Cætera item require § V et VI.

§ XI. — Carmina in canticum Salve Regina. (*Prodrom.*, col. 663-664.)

Cum nihil solidi contra hæc protulerint post Oudinum sæpe dicti Editores, voxque *Draconina* in eisdem Carminibus usurpata, neque inaudita sit, neque *homine bardo* digna (*a*), nihil profecto est, quod cogat hoc opusculum ceu *mole quidem exiguum, sed ineptiis maximum* [1] repudiare. Nec video quei catholico ulli, et maxime religioso viro efficere queant, ut *bilem effundant* [1], metra illa :

Salve lux fidelium fulgens ut aurora,
Quæ es super lilium pulchra et decora,
Omne quod est noxium tolle sine mora,
Et Dei auxilium pro nobis implora.

Nequidem viro orthodoxo *bilem* movere possunt illa metra :

Et spes nostra solida es Virgo Maria,
Virga Jesse florida ut in Isaia,
Rore cœli madida dicit prophetia,
Pulchra ut nix candida Mater Dei pia.

In hujusmodi metris (iterum dico) non tam quærendus est concentus et elegantia, quam unctio et devotio. Quo vero ad *spem nostram solidam* in Virgine Maria ponendam, facit illud ejusdem D. Bonaventuræ : « De beata Virgine cantatur *vita, dulcedo, et spes,* ab Ecclesia quæ non errat [2]. » Tandem ne hujusmodi carminum auctorem Bonaventura recentiorem existimes, animadverto, in principio hujus Cantici *Salve Regina misericordiæ* deesse ly *Mater,* et in fine dici : *O dulcis Maria,* sine ly *Virgo,* quæ absunt ab antiquis codicibus manuscriptis, teste Jac. Echardo [3]. Præfata Carmina Bonaventuræ nostro attribuuntur ab Editoribus Argentinensibus an. 1495, ab Anonymo Pistoriensi, et a manuscripto codice Ravennatensi Bibl. S. Apollinaris Min. Observantium.

[1] *Diatrib.*, pag. 135, nostræ vero edit. tom. I, pag. LXXXII. — [2] In I *Sent.*, dist. I, dub. 9, tom. I, pag. 32, col. 1. — [3] *Scriptor. Ord. Præd.*, tom. I, pag. 97, col. 1.

(*a*) *Diatrib.*, pag. 135, nostræ vero edit., tom. I, pag. LXXXII. Quod ita refellit noster : « Ego tamen *bardum hominem* nequidem dixerim eum censorem, qui ignoraverit exstare hortensem herbam quamdam medicam, quæ sicut apud Plinium *dracunculus* dicitur [1], apud Isidorum *dracontea* [2], et apud Papiam *draconeta* [3], ita vocari potuit *draconina*, a poeta præsertim. Eam pharmacopolæ post Apuleium [4] *Serpentariam* appellant, cujus imago exhibetur in *Herbario novo* Castoris Durantis, de eaque cantatur :

Siccat et incidit, resecat dracunculus, inde
Calfacit hortensis, mulcet dentumque dolores,
Digerit, atque ciet lotium, viresque coquendi
Adjuvat, etc. [5].

De eadem videri quoque potest Petrus Andreas Matthiolus [6] : adeo vox *draconina inaudita* non est, neque *homine bardo digna,* censuraque ejus, qui tale in ipsam judicium tulit, haud videtur erudito homine digna. Nequidem Oudino videatur insolens sæculo XIII, vox *peccaminum;* namque Gregorius IX, in Bulla : *Quoniam ut ait Apostolus*, data an. 1230, die 17 martii, ac Innocentius IV, aliique Romani Pontifices in similibus bullis dixerunt *peccamina* pro *peccata. Prodrom.,* col. 176.

[1] Lib. XXIV, c. XVI, et lib. XXV, c. II. — [2] *Etymol.*, lib. XVII, c. IX. — [3] In *Elementario doctrinæ Erudimento,* seu Glossario, edit. Venet. 1485, verbo *Draconites.* — [4] *De virt. herb.*, c. V. — [5] Pag. 149, edit. Ven. 1667, apud Jac. Hertz. — [6] *Dioscorid.* lib. II, pag. 363, edit. Ven. 1621, apud Marcum Ginamium.

§ XII. — Psalterium majus beatæ Mariæ Virginis. (*Prodrom.*, col. 681 et seq.)

Habet rationes, ut credatur Bonaventurianum; habet e contrario alias, ne tale credatur. Habet, ut credatur Bonaventurianum, quia sub Bonaventuræ nomine illi suffragantur etiam *antiquæ editiones*, inter quas nedum Argentinensis an. 1495, sed et Veneta an. 1476. Non caret manuscriptis codicibus, quos inter videri possunt codices Bibl. Monast. Pollingani Ord. Can. Reg. S. Aug. in Bavaria, Parisienses Bibl. reg. (nunc imper.), distincti n. 458 et KK, 7, et Taurinensis Bibl. reg. n. 757. Hujusmodi Psalterium ex Prologo apud citatam editionem Argentinensem directum fuisse videtur ad sacras virgines. In eo enim Auctor sic ait : « Igitur, charissimæ, » etc.[1]. In corpore autem ejusdem Psalterii sic inquit : « Imitamini eam, sanctæ virgines Dei, ut imitatæ sunt Agnes, Barbara, Dorothea et Catharina. »

Neque officit Doctoris Seraphici modestiæ ly *o carissimæ*, quandoquidem *prædilectam, dilectissimam,* ac etiam *charissimam* appellaverat idem Bonaventura sanctæ Claræ Sororem in opusculo indubio *de Perfectione vitæ*[2]. Modestiam tamen desiderari putat Oudinus in dicti Prologi verbis : « Assignat autem vobis assecutura quatuor dona mirifica, si tam præclara puella nexu spirituali vobis fuerit conjuncta, et brachiis desideriorum ferventium a vobis cum magna reverentia et devotione fuerit amplexata, » etc. « Unde rogo, charissimæ, et desideratissimæ, ne tam nobilem, et speciosissimam Virginem repellatis, ne tam admirandam reverendissimam Reginam Virginem Mariam vilipendatis. » Ad hæc enim infert Oudinus : « Voces istæ hominem gravem et pudicum non præ se ferunt, qui ad pulchritudinem corporis nullatenus attendere debet. »

Sed numquid, dixerim ego, *vir gravis et pudicus* Oudinus, qui *ad pulchritudinem corporis attendit*, vel ubi mentio est apertissima *nexus spiritualis ?* Vis nosse in laudato Prologo *virum gravem et pudicum ad pulchritudinem corporis nullatenus attendentem?* redde verba ejus, quæ mox subjungit, et evanescet calumnia tua. Audi ergo quam subnectit præfatorum verborum, in quæ censoriam virgam distringis, causam viro gravi et pudico plane dignam : « Constat enim (ait), quod ex ipsius accessu remanebitis devotiores, ex ipsius tactu mundiores, ex ipsius amplexu virtute et gratia profusiores, et nitidiores. » Ne vero aliud, quam spiritualem amplexum suspiceris, noveris Mariæ Virgini aptari verba a Salomone, *Proverb.* iv, de sapientia prolata : « Arripe illam, et exaltabit te, et glorificaberis ab ea, cum illam fueris amplexatus. Dabit capiti tuo augmenta gratiarum, et corona inclyta proteget te. » Consuevisse Bonaventuram a divinæ Scripturæ textibus sua Opuscula pluries exordiri, certum est. Nemo etiam non agnoscat modestiam Bonaventurianæ similem in eo quod auctor inquit : « Mitto vobis ipsius Virginis sacratissimæ Psalterium ex scintillula meæ pauculæ intelligentiæ, gratia illius conditum et compactum. »

Neque objectet Oudinus tanquam *voces maxime barbaras, epitheta infantilia, Doctoreque gravi et seraphico indigna, puta periclitationem* pro *periculo, cruciamen* pro *cruciatu*, necnon *sancta Maria fluvius sapientialis, sancta Maria cœli fenestra crystallina*, etc. Quippe *cruciamen* pro *cruciatu* habet Prudentius[3], *periclitatio* pro *periculo* accipitur ab ipso Tullio[4]. Epitheton quoque *sapientialis* audivimus a Bonaventura usurpatum in *Breviloquio*,

[1] Vid. pag. 200, col. 2. — [2] Vid. tom. XII, pag. 214, 215, 225, 226.— [3] Hymn. Exeq., v. 9.— [4] *De Nat. Deor.*, lib. II, c. 64.

crystallina in *Ecclesiastica Hierarchia*. Non etiam repetat : « Multa garrit Arturus du Monstier, ut hoc opusculum sancto Doctori asserat, ex nube modernorum auctorum allata, qui rem nunquam discusserunt, imo forsitan Opusculum nunquam legerunt, ut legitime de illo pronuntiare possent; » alioquin uti mihi licebit ejus amarulenta phrasi, quam alias non probo, ac retorquere, Oudinum potius *multa garrire*; nam Coiffetelus, Massiliensis episcopus, et cardinalis Bellarminus ab eodem Arturo laudati[1], quibus addiderim ego Petrum Canisium[2], et Scipionem Agnellum Maffeium episcopum Casalensem[3], certe non fuerunt ejusmodi, *qui aut rem nunquam discusserint, imo forsitan Opusculum nunquam legerint, ut legitime de illo pronuntiare possent*. Fortene nunquam legerit vel ipse vir præclarissimus P. Gabriel Gerberonius, qui tom. I Operum S. Anselmi, in censura *Psalterii B. Virginis*, inter eadem opera, post abs se relata duo manuscripta, pronuntiavit : « Sed duo hæc prorsus alia sunt ab eo, quod hic editum est, et ab eo quod sanctus Bonaventura composuit? » Aut itidem *forsitan nunquam legerit* Januarius de Mata, qui in Expositione mystica de B. Maria in versum primum psalmi CIII, fatetur ex Psalterio Seraphici D. Bonaventuræ de beatissima Dei Genitrice mutuatum fuisse initium primi sui versus illius Marianæ paraphrasis : *Benedic, anima mea, Dominæ?*

Nulla quoque sunt, quæ novissimi Editores post eumdem Oudinum urgent adversus illud : *Quicumque vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat de Maria firmam fidem.* Cum enim Symbolum hujusmodi concinnatum dicatur *instar illius*, quod inscribitur *Athanasio*, vel hinc facile intelligitur, quod post catholicam fidem sanctissimæ Trinitatis expressam in eodem Symbolo Athanasiano incipiente : *Quicumque vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat catholicam fidem*, requiritur *ante omnia* et *de Maria firma fides* : siquidem ipsa, eodem Bonaventura auctore[4], *mediatrix est inter nos et Christum, sicut Christus inter nos et Deum*, ipsaque est, in qua B. Franciscus[5] *post Christum præcipue fidens, eam constituerat sui et suorum advocatam*. Certe piissimus hujusce Psalterii Auctor per *ante omnia* tam longe fuit, ut *eas laudes Virgini Mariæ tribueret, quæ uni et soli Deo referendæ sunt*, ut satis explicuerit suam orthodoxam mentem circa Dei Matrem omnibus infra Deum, Deique Filium, vel ipsis angelis atque archangelis præferendam, dum de ipsa inquit : « Universas fœminas vincis pulchritudine carnis, superas angelos atque archangelos excellentia sanctitatis. » Post hanc præmissam declarationem, ab omni erroris suspicione oppido alienam, quis adeo delicatus fuerit, ut adhuc ejus aures per ly *ante omnia* nimis aspere feriantur, cum tamen alium sensum non reddat, quam eum, quo idem Bonaventura dixit ad finem libri primi *Sententiarum* : « Hæc ergo præcipue est amanda et veneranda post Trinitatem summam, et ejus prolem beatissimam Dominum nostrum Jesum Christum[6]? » Quo etiam sensu ex Bernardo idem sanctus Doctor in *Soliloquio* dixit : « Jam nunc secure prophetas et reges imploro : jam nunc apostolos et martyres invocabo : confessores, et virgines, et viduas constanter interpello. Sed tamen præ omnibus his Dei genitricem sacratissimam Virginem Mariam confidentius adorabo[7]. » Accedit, quod in hujusmodi Psalterio appropriantur B. Virgini Psalmorum orationes, alioqui ad Deum directæ, in sensu duntaxat catholico per modum intercessionis; nam dicitur : « Propter honorem

[1] In Martyr. Franc., 14 Jul., § 10 et seq., edit. II. — [2] De Beat. Virg., lib. V, c. XXVI. — [3] In *Mariali*. — [4] III *Sent.*, dist. III, part. I, art. 1, q. II, tom. IV, pag. 63-64. — [5] In *Legenda S. Francisci*, c. IX. — [6] Tom. II, pag. 230, col. 2. — [7] Tom. XII, pag. 96, col. 2.

nominis tui, Domina, propitietur nobis fructus ventris tui. De porta inferi, et de ventre abyssi, tuis sanctis precibus libera nos... Deus, repulisti nos propter peccata nostra, et misertus es nobis propter Virginem Mariam. Intercede pro nobis, salutifera Mater Dei... Deus misereatur nostri, et benedicat nobis per illam, quæ eum genuit. Miserere nostri, Domina, et ora pro nobis... Intercede pro me, Domina, apud Christum tuum, » etc.

Jam præstat Arturum ipsum, non garrientem, sed erudite ac scite de hoc *Psalterio* disserentem audire : « Cum ipse sanctus Bonaventura prius Joannes vocatus fuerit, et B. Alexandri Alensis nonnunquam discipulus creditus sit; de eo Simlerus in Epitom. Biblioth. Gnesneri impune locutus est : « Joannes de Ales scripsit Psalterium Virginis, in » quo omnes Psalmos corrupit, et ad Virginem Mariam convertit : impressum nuper cum » Præfatione Joannis Brentii [1]. » Hinc scio Jacobum Magnæ Britanniæ regem, in libro cui titulus est : *Triplici nodo triplex cuneus*, id opus multa indignatione condemnasse, et tanquam quid nefandum reprobasse : quem postea secuti sunt eodem invidiæ livore frementes nonnulli hæretici ; quibus tamen strenue obviarunt illustrissimus cardinalis Perronus, Senonensis archiepiscopus, in Replicatione ad Responsionem Magnæ Britanniæ Regis : Coiffetelus Marsiliensis episcopus in Responsione ad eumdem Regem : et R. P. Ignatius de Gault, nunc vicarius generalis et commissarius apostolicus omnium Recollectorum Galliæ, libro *de Sanctis Eccl. Rom.*, cap. 2, sect. 7, versus fin. Nusquam enim depravatum est Psalterium Davidicum per D. Bonaventuram, nec hujusmodi Psalterium Mariale a S. Bonaventura editum, inter libros sacræ Scripturæ canonicos recensitum est, aut pro canonico a fidelibus acceptum, uti adversarii perperam autumant. Nam neque Trithemius, neque Gnesnerus, illius unquam meminere. At quam futilis sit hæc ratio, exinde perspicuum erit intueri, quod nec rejicere teneamur, quæ a Trithemio et Gnesnero omissa, seu intacta sunt, cum ab aliis præstantissimis viris fuerint commemorata. Quapropter illustrissimus Cardinalis Bellarminus ingenue fatetur, id Opus esse ipsius sanctissimi Doctoris Seraphici, dum in sua erudita Apologia pro responsione ad librum supradicti Angliæ Regis, cap. XI, tom. VII, sic ait : « Quarto, dicit a S. Bonaventura sacrilege corruptum esse Psalterium, cum Dominam » pro *Domino* in toto Psalterio posuerit : at S. Bonaventura Psalterium Davidis, quod ad » Scripturam canonicam pertinet, omnino non tetigit, sed ad similitudinem Psalterii Da» vidis, aliud Psalterium ipse composuit, ex pio ad B. Virginem affectu. » Cui consentit Coiffetelus, loc. supra citato [2]. Hoccine est ergo aut *garrire*, aut *nubem modernorum auctorum afferre, qui rem nunquam discusserunt, imo forsitan opusculum nunquam legerunt, ut legitime de illo pronuntiare possent ?*

Censent quidem Editores novissimi ad retundendas hæreticorum calumnias satius esse respondere, hujusmodi Psalterium *ad simplicem hominem potius, quam ad egregium Doctorem pertinere*. Unde *reprehensione dignos* aiunt *Editores Romanos*, quod *obloquendi ansam præbuerint Martino Kemnitio*, etc., putantque in hanc rem consulendum *Joannem cognomento Wogt*. Sed ut ab hoc ultimo occipiam, haud æquiorem ipse præbuit animum cæteris heterodoxis, quos minime audiendos catholicus quisque facile intelligit. Quod si

[1] Non scriptor, sive auctor, sed impressor hujus Psalterii fuit quidem *Joannes de Hallis*, Venetiis, an. 1476, ut fidem faciunt Lucas Osiander in *Enchiridio controv. religionis*, p. 234, edit. Witebergæ, 1607, in-8, Hermannus Empsychovius in sua *Apologia*, pag. 65, edit. Tremoniæ 1610, ac Joannes Jacobus Becks, *Lutherthumb von Luthero*, pag. 219, Francof. 1658. — [2] Artur., loc. cit.

ratio eorum habenda sit, audiendus potius Gulielmus Cave, ut qui inter Bonaventuriana retulit nedum *Psalterium B. Mariæ minus*, sed et *Psalterium B. Mariæ majus*, absque ulla censura, et solitis heterodoxorum maledictis[1]: Neque video, quo jure sint reprehendendi Romani Editores, cum longe ante illos sub D. Bonaventuræ nomine idem Psalterium pluries in vulgus exierit. Certe Martinus Kemnitius respicere non potuit ad Romanam editionem, sed ad antiquiores, nempe Parisiensem, Venetam et Lipsicam[2], cum Romana, in qua *Psalterium* continetur, prodierit an. 1596, Kemnitius autem mortuus fuerit die 8 April. an. 1586[3]. Adeoque falsissimum est, quod confidenter aiunt præfati Editores contra Editores Romanos, hos videlicet esse *eo dignos reprehensione, quod obloquendi ansam præbuerint Martino Kemnitio.* Non etiam capio, quei omnino solvatur nodus, illud *simplici homini tribuendo,* cum negari minime possit, inter catholicos dignum fuisse habitum, quod *egregio Doctori* adscriberetur. Cumque iidem novissimi Editores victas dederint manus Oudino heterodoxo, ipsi viderint, num rite per hoc catholicorum cum heterodoxis causæ prospexerint.

Hactenus de rationibus faventibus Psalterio Mariano, prout sub Bonaventuræ nomine inter edita continetur. Contrariæ rationes sunt istæ : 1. quia manuscripti codices, si sermo sit de Bavaricis, haud satis antiqui sunt, ut prævalere possint objectis difficultatibus ; de Taurinensibus non constat, quod prima manu Bonaventuræ nomen in fronte gerant ; Parisienses autem certe non præferunt manu prima Bonaventuræ nomen, carent Prologo illo, qui exstat in editis, et in altero ex dictis codicibus substituitur alius Prologus, qui credi potest alterius a Bonaventura auctoris, necnon in plerisque aliis ab impressis differunt. Marianus quoque Florentinus memorat idem Psalterium absque ullo Prologo, incipiendo a *Beatus vir*, quod ipsum fit in uno ex prædictis Codicibus Parisiensibus. Prologus vero editionis Lipsiensis an. 1509, ut pote sic incipiens : « Cum juxta altiloqui Jesu Christi sententiam, in luce ambulare jubemur, ut altivolus cœlestium ille contemplator beatus Joannes XXII ipsius capitulo atramentarizavit, » etc., a Bonaventuriano stylo prorsus videtur abludere. Secunda ratio est, quia auctoritati Bellarmini, Canisii, Coiffetelli, Maffeii, etc., putantium id Opus vere Bonaventurianum, opponitur auctoritas secus sentientium Perronii, P. Le Gault, P. Sbaraleæ, pluriumque recentiorum illud supposititicium existimantium. Tertia : quia bulla Sixti IV, ad preces Francisci ducis Britanniæ Armoricæ, ac Margaritæ conjugis ejus, conferentis an. 1479 indulgentias recitantibus Marianum Psalterium, prout legere est apud Waddingum ad an. 1479, et apud Emmanuelem Rodericum, Bullarii tom. I, non loquitur, uti censet Arturus, de Psalterio Bonaventuriano, sed de alio : nec desunt Psalteria Mariana aliorum Scriptorum, puta Joannis Anglici *Psalterium in laudem Deiparæ semper Virginis* laudatum a Petro de Alva apud Joannem Suarez, Bibliothecæ Franciscanæ tom. III, in appendice; *Psalterium B. Mariæ Virginis* editum a Mag. Nicolao Tornacensi inter manuscriptos Codices Biblioth. Monast. S. Martini Tornacensis, apud Sanderum; *Psalterium Meditationum* B. M. Joannis Pechami O. M. Archiep. Cantuar., inter manuscriptos codices Biblioth. Vatic., forsan idem cum *Psalterio* Joannis Anglici laudati; *Psalterium Marianum* per Fr. Michaelem Franciscanum compositum, inter mss. codices monas-

[1] *Hist. litt. sæc. schol.*, pag. m. 637.— [2] In Exam. Conc. Trid., part. III, lib. III, pag. 828, edit. Francof. 1707, in-fol. — [3] In *Diction.* Lud. Morerii, edit. Paris. 1732 ac 1744, et in alio Diction. histor. portatili edit. Neapol. 1754.

terii Novæ Cellæ in Bavaria, etc. Quarta ratio est, quia suspicari licet ex stylo unum eumdemque esse auctorem sæpe dicti *Psalterii B. M. Virg.* inter Bonaventuriana, ac *Speculi B. M. V.* inter eadem Bonaventuriana, videlicet Conradum Saxonem Minoritam. Hinc sicut hic auctor in eodem *Speculo*, capite primo, Mariam nuncupat *reverendissimam*, ita eadem Maria vocatur *reverendissima* in edito Prologo Psalterii ; et sicut dictum *Speculum* totum versetur circa *Salutationem Angelicam*, ita circa eamdem totus Prologus *Psalterii* apud codicem Victorino-Parisiensem. Quapropter etsi concedere Oudino nequeamus *Speculi* auctorem esse Bonaventuram Baduarium, admittere tamen possumus hoc Opusculum, nempe *Psalterium majus B. M. V., ejusdem temporis esse posse, cujus præcedens*, videlicet *Speculum B. M. V.*, de quo infra.

§ XIII. — Officium de Compassione beatæ Mariæ Virginis. (*Prodrom.*, col. 686-688.)

Oudinus loquens nedum de hoc *Officio*, sed etiam de alio, quod inscribitur : *Officium de Dominica Passione*, consentientibus novissimis Editoribus asseverat : « Utrumque Officium unius atque ejusdem auctoris est [1], » etc. Quamvis autem ipsi inde colligant « neutrum spectare ad sanctum Bonaventuram ; » qua tamen facilitate id ab eis adseritur, eadem ad hominem inferri contrarium potest. Profecto nihil ex primo producere potuerunt, quod D. Bonaventuram dedeceat, nosque eodem Seraphico Doctore dignum evicimus [2]. Cum igitur unus sit, si ipsos audiamus, utriusque Officii auctor, quis credat hunc adeo versatilis ingenii, ut primum quidem ediderit ab omni censura eximium, secundum e contrario *indignum prorsus, quod viro gravi et prudenti tribuatur?*

Ex prima lectione secundi Officii afferunt quidem præfati Editores hæc verba : *Prolem in cruce pendentem mœsta mater aspiciens, lacrymatur incessanter*, etc., eaque absurda vocant, ac ita respuunt : « Quis credat Bonaventuram in Scripturis tam peregrinum, tamque leviter versatum fuisse, ut hæc de Virgine legi duntaxat nescierit : *Stabat juxta crucem Jesu mater ejus* [3]? » Sed repono ego : Ecclesia, quæ canit : *Stabat mater dolorosa, juxta crucem lacrymosa*, etc., nesciane est divinæ Scripturæ duntaxat dicentis : *Stabat juxta crucem Jesu mater ejus?* Addunt : « Sed et nihil sane videtur absurdius, quam quod in Responsorio primæ ejusdem lectionis subnectit Auctor : *Consolari mater non potuit, sic tractatum videns quem genuit. Hæc dolorem majorem habuit, quam Salvator, qui tot sustinuit.* Dictum certe extra modum absonum, ineptum, a Scripturis, a Patribus prorsus alienum. » Ita quidem visum ipsis, sed animum non adverterunt suum, sive ad illa quæ præcedunt, sive ad ea, quæ sequuntur. Hæc præcedunt : *Sic dum plorat mortem prolis*, etc. Sequuntur autem : *Mortem Dei videns, quem aluit*, etc. Eatenus ergo *dolorem majorem habuit, quam Salvator*, quatenus dolor ipsius fuit productior, quatenus scilicet perduravit etiam posteaquam per mortem desierat in Salvatore : in quo dicto hocce sensu accepto nihil plane, quod rejici mereatur tanquam *extra modum absonum, ineptum, a Scripturis, a Patribus alienum*, deprehendi potest, nisi ab eo, qui nodum in scirpo quærens vitilitigare amat. Quapropter illud ipsissimum laudavit Thomas Antonius Barbarus, habuitque tanquam

[1] Tom. III, col. 407. — [2] Supra, §. III, pag. I-II. — [3] *Diatrib.*, pag. 130, nostræ vero edit. tom. I, pag. LXXVIII.

verum dictum Seraphici Doctoris S. Bonaventuræ, nihil veritus Editorum novissimorum censuram [1].

Pergunt iidem Editores : « Nec vero minus inepta sunt ea, quæ cum in secunda, tum in tertia Lectione simplex comminiscitur Scriptor. Sibi haud constat bonus homo, sed uno eodemque loco in contraria abit. Legito Responsorium Lectionis tertiæ : *Cum videret Mater, quod clauso tumulo privaretur tam dulci speculo, prædilecto stans cum discipulo, corde plorat magis quam oculo.* Tum sui oblitus statim subdit : *Lacrymarum fluente rivulo, fletum movit astanti populo.* Modo ait, modo negat. Nunc infixus animo hæret dolor, nunc lamentis muliebribus et lacrymis se dat Virgo. » Ad hæc multa verba hoc breve clarumque esto responsum : vel grammaticæ tyrunculum non ignorare ly : *Corde plorat magis, quam oculo*, non lacrymas negare foras erumpentes, sed majorem duntaxat cordis ploratum significari, adeo ut vehementior sit dolor intus latens, quam per lacrymas foris apparens. Haud moror prosopopœias ejusdem Officii, quas *puériles* ac *ridiculas* dicit Oudinus, cum hujusmodi argumentum ita neglectui habendum prædicti Editores crediderint, ut eidem minime institerint.

Sane hujuscemodi objectiunculas præoccuparunt Editores Vaticani dicentes in argumento istius secundi Officii : « Dum sanctus Bonaventura B. Virginis matris, etc. (Vid. argumentum ipsum, pag. 226).

Hæc quidem satis esse crediderim, ne dictum Officium, tanquam *prorsus indignum*, velutque *a Scripturis, a Patribus prorsus alienum* habeatur; non vero ut certum credatur haud secus quam *Officium de Passione Dominica*. Enimvero longe dispar est inter utrumque ratio, quum ipso Oudino fatente, « *Officium de Passione Christi Domini* non sit equidem tantæ abjectionis, aut censuræ, quia nimirum ex propriis sacræ Scripturæ verbis compositum. » Itaque incertum ac dubium habemus hoc *de Compassione Virginis Officium*, tum quia Nomenclatores antiqui ipsum non referunt, tum quia exaggerationes, sive hyperbolicæ locutiones in eo adhibitæ, nequaquam in altero *de Passione Domini*, ansam præbere videntur dubitandi, quod diversus sit illorum auctor; tum quia plures difficultates patitur hoc secundum *de Compassione*, quam primum *de Passione*. Hinc P. Sbaralea primum uti legitimum admittit, non vero secundum.

§ XIV. — Speculum beatæ Mariæ Virginis. (*Prodrom.*, col. 706-707.)

Si alia non obessent, quam quæ opponit Oudinus, aliique censores, genuinum Bonaventuræ nostri Opus nullo negotio defenderemus. Nam Oudinus inquit : « Sub nomine Bonaventuræ Baduarii de Peraga Ord. Eremit. D. Augustini, qui anno 1380 floruit, impressum dicitur Norimbergæ et Argentorati an. 1476 [2]. » Rursus, prætermissa Norimbergensi, illud ipsum adscribit Baduario secundum editiones Augustæ Vindelicorum 1476, et Argentorati 1476 [3]. Gulielmus quoque Cave pro eodem Bonaventura Baduario refert editionem Augustanam 1476 [4]; ac Joannes Albertus Fabricius editiones Augustanam et Argentinensem an. 1476 [5]. Novissimi Editores Oudinum sequuntur quoad utramque editionem Norim-

[1] In Tractatu inscripto : *Litanie della Beata Vergine Maria esposte*, edit. Venet. 1757, in-8, pag. 539. — [2] Tom. III, col. 409. — [3] Ibid., col. 467. — [4] *Hist. litt. sæc.* Wickl. pag. m. 50, col. 1. Sed et pro Bonaventura Franciscano laudat editionem Argentinensem anni 1476, pag. 637, Sæc. Schol. — [5] *Bibl. Lat. med. et inf. ætatis*, lib. II, pag. m. 694.

bergæ et Argentorati [1]. Hos tamen omnes vehementer errare, ac ea testari quæ minime viderunt, certum est, 1. quia [2] exemplar unum editionis Augustanæ an. 1476, in-fol. parv. goth. charact., labente sæculo XVIII, adhuc servabatur in Biblioth. Novacellensi apud Brixinam Can. Reg. Lateran. S. Aug., cum hoc titulo : *Speculum beatæ Mariæ Virginis compilatum ab humili Fratre Bonaventura ;* et in fine libri legebatur : « Devotissimi ac præstantissimi Doctoris fr. Bonaventuræ Tractatus super gaudiosa ambasiata per archangelum Gabrielem ad excellentissimam, atque gloriosissimam Virginem Mariam annuntiata, *Speculum Mariæ* vocitatus, explicit feliciter. Non quidem cyrographatus (*a*), sed per fide dignum virum Anthonium Sorg concivem Augustensem, quam diligenter impressus. Anno salutiferæ Incarnat. Christi MCCCCLXXVI, pridie kalendis Marciis. » Exemplar illud ad Fr. Benedictum a Cavalesio, per A. R. D. Philippum Nerium Puellium ibidem Canonicum, ut cum editis aliis conferret, suo tempore transmissum est. Porro tituli illi *devotissimi ac præstantissimi Doctoris* ea ipsa tempestate tribui consueverunt non Bonaventuræ de Peraga, sed Bonaventuræ de Balneoregio. Per ly etiam *ab humili Fratre Bonaventura* satis indicatur fuisse humilis instituti minoritici.

2. In veteri ms. catalogo librorum Episcopi et Cardinalis Tridentini Bernardi Clesii, sub n. 96, Theologicorum, refertur ceu typis excusum *Speculum B. M. V. sancti Bonaventuræ.*

3. [3] In Pollingana etiam Canonia servabatur exemplar, cui titulus : *Speculum B. V. Mariæ compilatum ab humili Fratre Bonaventura,* Augustæ per Antonium Sorg 1477 in-fol. charact. goth. In hujus fine legebatur : « Devotissimi ac præstantissimi Doctoris Fratris Bonaventuræ Tractatus super gaudiosa, » etc. ut supra, usque : « Anno salutiferæ incarnationis Christi MCCCCLXXVII, vigesima die mensis septembris. » Circa editionem hanc accepit Fr. Benedictus a Cavalesio longe locupletissimum sequens testimonium ab Ill^mo et Rev^mo D^no Francisco Tœpselio Can. Reg. Later. Abbate, ac Præposito Pollingæ in Bavaria, per humanissimas litteras ad se datas ex Pollinga, XXIV Januar. MDCCLXIV : « Quod attinet *Speculum B. M. V.* compilatum *ab humili Fratre Bonaventura,* et Augustæ Vindelicorum an. 1477, in-fol., ut vocant, minore per Antonium Sorg editum, rem ita se habere nullus dubita. Ipse propriis oculis inspexi omnia, et dum hæc scribo, librum præ manibus habeo. Editionem hanc una cum titulo *humilis Fratris* pugnare potius pro auctore Bonaventura Balneoregio Ord. Min., quam pro Patavino Ord. Eremitarum, iterum tecum totus consentio, » etc. « Cæterum hoc *Speculum B. M. V.* non esset opus indignum, quantum mihi videtur, Divo Bonaventura, » etc. Ita doctissimus ille Præpositus. Laudatam editionem haberi quoque Bulsani in Bibliotheca PP. Dominicanorum, testis Auctori *Prodromi* hujus oculatus erat Rev. P. Jo. Ignatius Tudeschius de Roboreto Lector Theologus O. M. Ref. provinciæ Tirolensis.

[4] Favent itaque soli Bonaventuræ nostro vel antiquiores editiones. Decet quoque potius vetustiora ejusdem Bonaventuræ tempora, quam recentiora Bonaventuræ Baduarii, doctrina illa undecimæ lectionis hujuscemodi *Speculi* de Virgine Maria, *non solum ab origi-*

[1] *Diatrib.*, pag. 133, nostræ vero edit. tom. I, pag. LXXX. — [2] *Prodrom.*, col. 338-339. — [3] *Prodrom.*, col. 358-559. — [4] Ibid., col. 707-708.

(*a*) *Leg.* chirographatus.

nali, sed etiam a fomitis miseria liberata per ejus sanctificationem ab utero [1]. Clarius patet ex Lectione XIV, ejusdem Speculi auctorem vixisse tertiodecimo sæculo; in ea quippe dicitur : « Prior Mariæ misericordia fuit, quam exhibuit, dum adhuc viveret in mundo; posterior ejus misericordia est, quam *jam amplius, quam per mille ducentos annos* exhibuit de cœlo [2]. » Profecto si ejusdem Speculi auctor fuisset Bonaventura Baduarius, quem obiisse ferunt non procul a fine quartidecimi sæculi [3], dixissetne ipsam de cœlo exhibuisse misericordiam *jam amplius, quam per mille ducentos annos*, et non potius *jam amplius, quam per mille trecentos annos?* Mirum ad id animum non advertisse suum vel ipsos Editores novissimos, quamlibet oculatiores. Quæ etiam dicuntur Lectione XVIII [4], suspicari potius faciunt auctorem *Ligni Vitæ* [5], id est Bonaventuram nostrum, quam Baduarium : uti et titulus *Speculi,* quum Bonaventura noster Mariam appellaverit *virtutum Speculum* in Opusculo *de Perfectione vitæ*, capite IV [6]. Si ratio insuper habenda sit eorum, qui citantur in eodem Speculo, nempe Ambrosii, Joannis Chrysostomi, Hieronymi, Augustini, Bedæ, Joannis Damasceni, Haymonis, Anselmi, Bernardi, Hugonis de S. Victore, ac etiam Josephi, ii ipsi sunt, quorum testimoniis noster Bonaventura in suis operibus uti consuevit. Præterea superlativorum in ipso, ac similiter cadentium repetitio, eidem Seraphico Doctori non infrequens est, neque vocum plerarumque illatinarum et barbararum usus, qui in eodem Opusculo deprehenditur, laudato nostro Bonaventuræ insolens, quemadmodum jam satis ostendimus : tamque non dedecet Bonaventuram usurpare adverbia illa *conjugaliter, vidualiter, virginaliter,* quam adverbium *conjugaliter* pro conjugum more adhibuit magnus Augustinus [7]. Idem dixerim de voce *judicialis,* quæ idem sonat ac *judiciaria* penes Ciceronem [8]. Nihil etiam supervacaneum exstare in ejusdem Speculi Lectionibus IV, et XV, probatum, et solide in eo Mariæ temperantiam esse deductam, et comprobatam, confiteatur necessum est quisquis alteram cum altera lectione contulerit, integrumque textum perlegerit. Quicumque autem fuerit illius auctor, habendus certe *homo valde zelosus erga cultum et honorem B. Mariæ Virginis,* neque ambigendum hujusmodi Speculum continere *multam unctionem, et multam doctrinam.* Ex his omnia Oudini, aliorumque Censorum objecta sicut fumus evanescunt.

Quod si teste Oudino, *Scriptor hujusmodi Opusculi fuerit Germanus aliquis,* cur, rogo, illud ipsemet affinxit Bonaventuræ Baduario, neutiquam Germano, sed Italo? Ast et ego ejusdem Scriptorem Germanum puto, non quidem ob ea, quibus Oudinus in Germanorum contemptum nugari (*a*) mihi videtur, sed ob gravissimum testimonium Joannis de Turrecremata Ordinis Prædicatorum, quæ in suo *Tractatu de veritate Conceptionis B. V. pro facienda relatione coram Patribus Concilii Basileensis,* an. 1437, *mense Julio, de mandato Sedis Apostolicæ Legatorum eidem sacro Concilio præsidentium compilato,* ipsum cum eodem initio tribuit Fratri Conrado Saxoni Minoritæ, dicens : « Frater Conradus Saxon., cognomento Holxingarius, in Opusculo notabili et devotissimo *super Salutatione Angelica,* cujus principium est : *Quoniam, ut ait Hieronymus, nulli dubium est,* etc., dicit sic :

[1] Vid. pag. 236, col. 1. — [2] Vid. pag. 275, col. 1. — [3] Vid. tom. XIII, *Præf.*, pag. III, n. 5. — [4] Vid. hujus tomi, pag. 288-292. — [5] Vid. tom. XII, pag. 68, col. 1. — [6] Vid. ibid., pag. 217, col. 1. — [7] August., *ad Hilarium, Epist.* LXXXIX, al. CLVII, c. IV, n. 39. — [8] Cic., *pro Cluentio;* item, III et VI *Verr.;* necnon *De Invent.*, lib. I, n. 17; *de Divin.*, lib. II, et *in Pison.; ad Attic.*, epist. I.

(*a*) *Prodrom.* negari.

Nox cui maledixit Job, nox est, in qua conceptus est homo contrahens peccatum originale, in quo omnes concipiuntur [1], » etc. Quæ quidem verba habentur Lectione undecima ejus *Speculi* [2]. Testimonio hujusmodi magis magisque firmando accedit Fr. Petrus de Alva apud Echardum, ut nihil dicam de Francisco Gonzaga, Luca Waddingo, Joanne Suaresio, et aliis, qui tradunt Conradum de Saxonia Minoritam scripsisse *super Salutatione Angelica*. Unde et P. Sbaralea eidem Conrado tale Speculum attribuendum putavit. Exstabat sane idem Speculum in mss. codicibus Bibl. monast. Dunensis in Belgio, Ord. Cisterciensis, tit. *S. Bonaventuræ Speculum B. V.*; Bibl. monast. Alnensis, olim ditionis Leod., Ord. Cisterc., et Bibl. Halberstadii in Saxonia, Min. Recollect. absque nomine auctoris; sed de eorum antiquitate, deque Bonaventuræ nomine manu prima scripto nobis non constat. Vid. dicta § XII, quibus etiam addi potest [3], in hoc Opusculo legi, Lectione XIII [4] : « Vere Regina est Maria, testante B. Augustino, qui ait, » etc. Sequitur : « Sed de hac regina disserui in Sermone : *Astitit Regina.* » Porro Sermo ille non reperitur nisi inter Sermones desumptos ex manuscripto Codice Dunensi, in quo nomen præ se ferunt nostri Bonaventuræ, quique sub eodem nomine prodierunt typis Parisiensibus an. 1521, atque Brixiensibus an. 1596 et 1597. Atqui Sermones illi videntur potius Fr. Conradi de Saxonia Ordinis Minorum, nedum Auctori Prodromi, sed et Auberto Miræo [5], et Lucæ Waddingo [6], ac Petro de Alva apud Joannem Suarez de S. Antonio [7]. Imo, teste Maraccio, Joannes Trithemius eidem Conrado adscribit Sermones de Tempore, ac alios de Sanctis, quales in dictis editionibus et codice exhibentur [8]. Diximus *teste Maraccio;* nam in Trithemiano libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis* editionis, qua utebatur Auctor Prodromi, a Joanne Alberto Fabricio procuratæ, nihil prorsus inveniri potuit de laudato Conrado. De auctoris tamen fide nihil dubitans, id a Maraccio ex alio Trithemii libro *de illustribus Germaniæ viris*, *seu Scriptoribus* desumptum conjicit. His adde, quod cum in allegatis editionibus Parisiensi, et Brixiensi nedum ponantur Sermones de Sanctissima Trinitate in Octava Pentecostes, sed etiam *viginti septem Dominicæ sequentes* prænotentur *post Trinitatem*, videntur iidem Sermones spectare ad tempora, in quibus Joannes XXII speciale festum sanctissimæ Trinitatis statuit celebrandum; quam quidem solemnem festivitatem *plures Alemanni cœperunt sequi*, uti habet Meratus [9]. Porro hæc non Divo Bonaventuræ, sed Conrado Germano convenire possunt, qui usque ad laudati Joannis XXII tempora vitam producere potuit. Sed quidquid sit de ejus ætate, auctor Prodromi hoc pro certo habet, ipsi restituendos omnino esse hos Sermones. Laudata enim testimonia Suaresii, Alvæ, Waddingi, Miræi, ac Trithemii, roborantur, inquit, confessione ipsiusmet Conradi, qui unum ex his Sermonibus, primum scilicet de *Assumptione B. Mariæ Virginis*, incipientem : *Astitit Regina*, et hæc circa initium verba continentem : *Vere regina est Maria, Augustinus : Hanc vere fatemur reginam esse pro eo, quod Regem peperit angelorum*, tanquam suum allegat in *Speculo B. Mariæ Virginis*. Hucusque Fr. Benedictus.

[1] Part. VI, c. XXXII, pag. 123, edit. Rom. 1547, typis Ant. Bladii (*de Asula*), in 4. — [2] Huj. tomi pag. 263, col. 1. — [3] *Prodrom.*, col. 718. — [4] Huj., tom. pag. 270, col. 1. — [5] *De Scriptor. sæc.* XVI, cap. 28, edit. Fabricii. — [6] *De Scriptor. O. M.*, pag. 93, verbo *Conradus de Saxonia.* — [7] *Bibl. Francisc.*, tom. I, pag. 276. — [8] Apud cit. Suarez, ibid.— [9] In *Observ. et Addition. ad Thesaurum Sacrorum rituum*, Barth. Gavanti, part. IV, tit. 12, *de fest. Trinit.*, n. 1, edit. Venet., 1740.

In tres præmissos paragraphos XII, XIII *et* XIV, *animadversio una.*

Rationes a Cavalesio mox allatæ pro nostro Bonaventura adeo graves, contrariæ vero tam leves nobis videntur, ut consentire ipsi nequeamus, dum duo ex tribus, de quibus sermo est, opusculis, pro dubiis et incertis, tertium vero etiam pro supposititio, ex sola fere Sbaraleæ sui auctoritate habenda esse decernit. Quod enim spectat ad primum illud, quod *Psalterium majus B. M.* inscribitur, ex rationibus in contrariam partem allatis inferri tantum potest Prologum Opusculi non esse sancti Bonaventuræ, sicut de quibusdam aliis jam concessimus. Sed concedi nullo modo debet auctoritatem nonnullorum recentium, Perronii, verbi gratia, P. Legault et Sbaraleæ, auctoritati Bellarmini, Canisii, Coiffeteli, Maffeii, etc., ut ne dicam tot codicum et editionum veterum, præferri aut æquiparari oportere.

Quo vero ad secundum, scilicet *Officium*, sive *Cursum de Compassione B. V.*, reperitur inter Bonaventuriana in plerisque editionibus vel antiquissimis, ut annotavimus initio libri, pag. 226.

Tertium denique, scilicet *Speculum B. Mariæ Virginis*, ideo a Cavalesio Conrado Saxoni ascribitur ex una parte, quia ejusdem esse debet auctoris, cujus sunt Sermones *de Tempore*, et *de Sanctis*, qui in codice Dunensi, et editionibus Parisiensibus 1521, et Brixiensibus 1596 et 1597 leguntur; ex altera autem parte, ideo ab eodem Cavalesio eidem Conrado Saxoni ascribuntur iidem Sermones, quia ejusdem esse debent auctoris, cujus est *Speculum B. M. Virginis*. Porro quis non videat istud argumenti genus nihil aliud esse, quam circulum vitiosum?

Præterea temere asseritur Conradum de Saxonia vitam protrahere potuisse usque ad tempora Joannis XXII, id est usque ad annum quo idem pontifex decrevit pro tota Ecclesia festum sanctissimæ Trinitatis perpetuo celebrandum : nam Conradus ille, juxta Waddingum [1], obiit anno vel 1284, vel 1314; Joannes autem XXII non occupavit apostolicam sedem ante annum eumdem 1314. Non magis igitur quam Bonaventura noster, Conradus Saxo potuit sermonem contexere de sanctissima Trinitate post impositam omnibus Ecclesiis legem celebrandi festum Trinitatis.

Cæterum, ut apprime observat Benedictus Papa XIV, mos celebrandi festum sanctæ Trinitatis, vel immediate post Pentecostem, vel immediate ante Adventum, jamdiu invaluerat, antequam Joannes XXII hac de re legem statueret [2]. Ac proinde tam opportune potuit Bonaventura noster sermones de sanctissima Trinitate facere dominica prima post Pentecosten, quales in codice Dunensi et editionibus Parisiensibus et Brixiensibus, de quibus supra, leguntur, quam similes fecit de eodem mysterio eadem dominica prima, juxta editionem Vaticanam, quales in hac nostra, tomo XIII, pag. 317 et seq., legere cuique in promptu est.

Diluenda restat autoritas Joannis de Turrecremata, et aliorum, quæ quidem gravissima est, neque tamen peremptoria. Prætermisso enim quod nullus eorum fuit coævus, sive Bonaventuræ, sive Conrado ipsi, sed duobus saltem fere sæculis post utrumque omnes pro-

[1] *Annal. Ord. Francisc.*, ad an. 1314 : « Frater Conradus de Saxonia et Stephanus Ungarus pro fide Christi ab Alanis interfecti sunt. » Ad annum vero 1284 : « In Ormetia juxta montes Caspios hoc eodem anno 1284 occubuerunt Fr. Conradus Saxo, et Fr. Stephanus Hungarus, dum contra adulteros ritus Græcorum prædicarent. » — [2] Vid. *Theol. Curs. compl. Migne*, tom. XXV, col. 358.

dierunt, facile potuit Conradus, dum proficisceretur ad populos evangelizandos, secum asportare confratris, qui jam devixerat, Bonaventuræ Sermones, atque etiam, quantum loci, temporisque circumstantia requirebat, retractare, eisque nomen proprium imponere. Quod si reapse contigerit, dicendum videbitur editiones Sermonum, an. 1521, 1596 et 1597, Parisiis vel Brixiæ typis excusas, una cum codice Dunensi, referre Sermones a Bonaventura vere confectos; reliquas vero, Sermones a Conrado retractatos. Quod si iterum admittatur, *Speculum Beatæ Mariæ Virginis*, de quo lis est, Doctori nostro Seraphico revendicare licebit ut ipsi proprium.

§ XV. — Legenda sancti Francisci. (*Prodrom.*, col. 588-597.)

1. De hac Legenda tot spectabilis antiquitatis testes, tot vetustissimos codices, tot editiones vel ab ipsis artis typographicæ primordiis vulgatas producere in promptu est, ut non nisi temere a Bonaventura nostro litteris consignata negaretur.

2. Quam vero abfuerint a *nugis* [1] Vitæ S. Francisci interserendis, Minoritæ S. Bonaventura antiquiores, patet ex sequenti Procemio in Vitam ejusdem S. Francisci ab ejus discipulo scriptam circa an. 1230, quod quidem procemium ex MS. Joyacensis monasterii deprompserunt, publicique juris fecerunt in *Thesauro novo Anecdotorum* præclarissimi Benedictini Edm. Martene et Urs. Durand [2]. Sic sonat: « Actus et Vitam (*a*) beatissimi Patris nostri Francisci pia devotione, veritate semper prævia et magistra, seriatim cupiens enarrare; et quia omnia, quæ fecit et docuit, nullorum ad plenum tenet memoria, ea saltem quæ ex ipsius ore audivi, vel a fidelibus, et a probatis testibus intellexi, jubente Domino, et glorioso Papa Gregorio, prout potui, verbis licet imperitis, studui explicare. Sed utinam ejus merear esse discipulus, qui semper locutionum vitavit ænigmata, et verborum phaleras ignoravit. »

3. Eum, qui ita præfatur, indulsisse potius *nugis*, quam veritati litasse, solus credat heterodoxus Oudinus. Certe S. Bonaventura tam procul fuit, ut *nugas ex relatu Fratrum Minorum nimis simplicium* profectas crederet, ut vel ipse, ad puram putamque veritatem addiscendam, illos consulendos censuerit. Unde inquit in Prologo suo: « Ut igitur vitæ ipsius veritas ad posteros transmittenda certius mihi constaret, etc., collationem de his habui diligentem, et maxime cum quibusdam, qui sanctitatis ejus et conscii fuerunt, et sectatores præcipui, quibus propter agnitam veritatem probatamque virtutem, fides est indubitabilis adhibenda [3]. » Ab his igitur quo simplicioribus, eo ab omni fuco et fraude alienioribus, ceu a puriori fonte, simplex et nuda veritas facile potuit hauriri.

4. Cæterum mirari satis non possum Oudini, alias rigidioris ac morosioris, omnem evasisse censuram id quod exstat in Prologo Legendæ, videlicet de B. Francisco, ceu « altero angelo ascendente ab ortu solis, signum in se habente Dei vivi [4], » nihilque ab eo fuisse

(*a*) *Prodrom.* Vita.

[1] Oudin., tom. III, col. 425.—[2] Tom. I, pag. m. 956.— [3] Huj. tom. pag. 294, col. 2.— [4] Inter errores quidem Petri Joannis Olivi proscriptos ille etiam recensetur, quod dixerit, S. Franciscum fuisse illum de quo in Apocalypsi scriptum est: *Vidi alterum angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei vivi.* Verum non ideo nigrum Theta Olivo præfixum, quia per angelum Apocalypsis habentem signum Dei vivi intelligendum censuit S. Franciscum, sed quia inde absurda et damnanda deduxit, quæ postea retractavit, obsequutus præcipuis sui ipsius Ordinis Patribus, qui ita ejus libros damnarunt, ut nullo pacto fuissent passi jam proscriptam doctrinam intrudi Bonaventurianæ Legendæ. Hinc illi ipsi qui Olivi doctrinam in Postilla super librum Apocalypsis contentam, jussu Papæ Joannis XXII, ad examen revocarunt, octo scilicet sacræ Paginæ Magistri diversorum

notatum circa pleraque illatina et barbara in eadem Legenda contenta, puta : *Vocem expressivam amoris, suppetentiam facultatum, mantellus pauper et vilis, virtuose profecit, lacrymabiliter clamabat, mysterialiter præsignaret*, etc. Quæ quidem partim illatina, partim barbara, cum admiserit Legenda ab eodem Oudino attente perlecta, « ut de stylo S. Bonaventuræ, et dictione, sincerius discrimen haberet, » ab ipsoque agnita, etiam quoad stylum, tanquam digna nostro Bonaventura : cur illis, aut illorum similibus illatinis et barbaris vacua esse oporteat alia ejusdem sancti Doctoris opuscula, ut legitima et genuina habeantur, plane non video.

5. Vehementer quoque miror, novissimos Editores, posteaquam subdubitarunt, num Prologi hujusce Legendæ auctor unus censendus sit Bonaventura, spoponderuntque pro hocce scrupulo diluendo se deinde habituros sermonem, nihilo tamen seciuş illi eximendo idoneum hic loci nihil dixisse. Verba eorum sunt : « Erit fortasse, qui subdubitabit, num Prologi auctor unus habendus sit Bonaventura. Quo quidem scrupulo diluendo supersedimus (*sic*) jam, cum de illo nobis futurus sit sermo [1]. » Sed ubinam hujuscemodi *scrupulum diluendum* postea adgressi sunt, quum disserentes *de Legenda S. Francisci*, a S. Bonaventura certe scripta, et ejus Prologi initium, quod est : *Apparuit gratia Dei salvatoris nostri*, referentes [2], nec voculam pro *scrupulo* eximendo protulerint? Scripserunt quidem contra Prologum *Incendii Amoris*, aientes : « Prologus iste, ut fateamur ingenue, longissime distat a Bonaventuræ ingenio, doctrina, atque scriptionis genere [3]. » Ast numquid tantumdem ingeri potest contra hujus *Legendæ* Prologum? Quinimo optime quadrat « Bonaventuræ ingenio, doctrinæ, atque scriptionis generi. » Ut quid ergo nescio quem subdubi-

Ordinum, dum expenderent ejusdem Olivi articulum hisce verbis conceptum : « *Vidi alterum angelum ascendentem*, etc. : Hic ergo angelus est Franciscus evangelicæ vitæ et regulæ sexto et septimo tempore propagandæ et magnificandæ renovator, et summus post Christum et ejus matrem observator, » pronuntiarunt tantummodo : « Falsus et temerarius, quantum ad hoc quod dicit, quod beatus Franciscus fuit post Christum, et ejus Matrem, evangelicæ vitæ et regulæ summus observator, quia hoc est ipsum præferre omnibus Sanctis novi Testamenti, quod specialiter propter Apostolos temerarium est, et credimus esse falsum (*a*). »

Accedit, quod memoratam interpretationem usurpaverint Conradus Saxo (*b*), Joannes Valensis, seu Gualensis (*c*), Nicolaus Lyranus (*d*), Jacobus de Varagine Dominicanus, archiepiscopus Januensis (*e*), S. Bernardinus Senensis (*f*), Leonardus de Utino Dominicanus (*g*), Joannes Gritschius Minorita (*h*), Robertus de Licio ejusdem Instituti (*i*), Leo X Papa (*k*), Cornelius Mussus (*l*), quod eamdem admiserit Bartholomæus Pisanus (*m*), ejus opus probantibus Capituli Generalis Patribus apud sacrum locum de Assisio congregatis die 2 Aug., an. 1399 ; item quod ipsam adoptaverit quoque Christophorus de Varisio, S. Joannis de Capistrano in Germania Socius (*n*). Idemque dixerim de Fr. Salimbeno Parmensi, Scriptore Bonaventuræ synchrono (*o*), ac multo magis de Alvaro Pelagio disertissime aiente : « Angelus ascendens ab ortu solis, signum Dei vivi habens, ad litteram *Apoc.*, VII, Franciscus (*p*), » etc.

Ex quibus omnibus infero, nihil mirum si sæpe commemorata interpretatio contineatur in editione Vaticana Sixti V jussu inchoata, et Clementis VIII auspiciis absoluta : si absque ulla nota referatur a Cornelio de Lapide (*q*), Henrico Sedulio (*r*), Anton. Daza (*s*), et Joanne Delahaye (*t*) : si in Breviario Franciscano die 27 nov., ubi habetur Officium proprium Omnium Sanctorum trium Ordinum S. Francisci, prima Lectio primi nocturni sic incipiat : *Ecce ego Joannes vidi alterum angelum ascendentem*, etc., ut subsequatur Responsorium : *O Patriarche pauperum Francisce*, etc.

[1] *Diatrib.*, pag. 7. — [2] Ibid., pag. 79 et seq., nostræ vero edit., tom. I, pag. XLIV. — [3] Ibid., pag. 75, al. XLII.

(*a*) Apud Steph. Balutium, *Miscell.*, tom. II, pag. 263, edit. Luc. 1761. — (*b*) Imo, ut vidimus (pag. XVI), fortasse Bonaventura ipse, *Serm. de Sanctis* sub ejus nomine vulgatis Lutetiæ Parisiorum, an. 1521, ubi de S. Francisco. — (*c*) In Declaratione super Regulam Fratrum Min. inserta Firmamento trium Ordinum, edit. Venet. 1513, fol. 100, col. 2. — (*d*) Comment. in hunc loc. — (*e*) Serm. II, de S. Francisco, fol. 177, edit. Papien. 1500. — (*f*) Tom. I, Serm. 61, art. 1, c. 2, ac tom. II, inter Serm. de Sanctis, Serm. 3, sub init.; necnon Comment. in *Apocal.*, VII, 2, pag. m. 55, col. 1. — (*g*) Serm. de S. Franc., edit. 1473. — (*h*) Serm. de S. Francisco, edit. 1490. — (*i*) Serm. de sacris Stigmat. S. Franc., edit. 1490. — (*k*) In Bulla *Unionis* appellata. — (*l*) *Delle Prediche*, lib. II, edit. Ven., apud Jolitos, 1584, pag. 757. — (*m*) « Sicut Dominus Albanensis » (scilicet Bonaventura Card. Episc. Albanensis) « asserit in Prologo Majoris Legendæ. » — (*n*) « Quæ auctoritas (*Apoc.*, V, nunc VII) secundum Bonaventuram in Legenda intelligitur de beato Francisco. » — (*o*) In mss. Chron. fol. 291. — (*p*) *De Planctu Eccl.*, lib. I, art. 67, fol. m. 73, col. 1. — (*q*) Comment. *in Apoc.*, VII, 2. — (*r*) In *Elogiis* S. *Francisci*. — (*s*) Lib. *de Stigmatibus S. Franc.* — (*t*) Comment. in cit. loc. *Apoc.*, et tom. *Oper. S. Franc. et Antonii.*

tantem fingere, ac pro ejus *diluendo scrupulo* spondere *futurum sermonem*, expectatum quidem in Operis progressu, sed nuspiam impletum?

6. Proinde nullatenus dubitandum est, *num auctor Prologi* Legendæ S. Francisci *unus habendus sit Bonaventura*. Certe si qua interpolatio ejusdem Prologi facta fuisset, in aliquo saltem manuscripto codice appareret.

7. Ad alia igitur transiens, animadverto 1. Bonaventuram hac a se scripta Legenda non omnem S. Francisci vitam ita exhausisse, ut nihil prætermiserit, nisi ad aniles fabulas releganda; sed aliqua, licet vera et certa, ex prudenti quadam œconomia, vel penitus reticuisse, vel solum indicasse. Certe ita sentit Ubertinus de Casali, qui loquitur in hæc verba : « Affirmabat sanctus ille Fr. Massæus, quod visionem vidit, de qua in *Legenda*[1] habetur, quod sedes illa, quam vidit servari Francisco, fuit dictum sibi, fuisse Luciferi : quod Fr. Bonaventura humana discretione conticuit[2], propter detrahentium morsus, ne impersuasibilis in illis primordiis esset sermo. Sic et multa magnalia sancti tacuit : maxime illa, quæ videbantur nimis defectum discretionis (*a*) discooperire, quem (*b*) oculis cernebat in filiis : licet nec omnia tacuerit, sed quasi sub clanculo multa dixit. Unde et in illa visione occulte posuit, quod sedes illa erat cæteris sublimior. Credo autem quod quoad multa locum Luciferi Franciscus tenet in cœlo. Sed quis locum ejus quoad omnia teneat, hoc Jesu dispensatoris sedium est servandum arbitrio[3], » etc. Inter reliqua a Bonaventura duntaxat indicata in sua Legenda, est etiam divina Indulgentia Portiunculæ [4]. Plura vera et certa ab eodem prætermissa videri possunt apud P. Mathiam Grouwelsium [5].

8. Animadverto 2. plures notabiles lectiones variantes occurrere in manuscriptis codicibus ejusdem Legendæ. Item in ms. Chronico 24 Ministrorum Generalium sub Hieronymo Asculano ad an. 1278, legi : « Hic Generalis addidit Legendæ B. Francisci per Dom. Fr. Bonaventuram compilatæ, illam visionem D. Papæ Innocentii III, quando B. Franciscum tamquam ignotum repulit indignanter, ab illo loco : *Cum igitur esset Christi Vicarius in loco, qui dicitur Speculum*, etc. Quam sibi Dom. Richardus tituli Sancti Angeli Diaconus Cardinalis, nepos ejusdem Dom. Papæ, prout ab eodem avunculo suo audierat, devote revelavit. » Igitur secundum laudatum Chronicon, atque Assisienses codices ejusdem Legendæ antiquiores, post illa verba : *Cum autem ad Romanam curiam pervenisset*[6], e vestigio sequi debent : « *Et introductus esset ante conspectum summi Pontificis*[7]; cæteraque omnia addititia sunt, jussu prædicti Generalis interposita. Interpolatam tamen eamdem Legendam in excusis exemplaribus, eo quod, cap. IV, testimonium reddat de grandi Storearum Capitulo, ac disertissime de *Fratrum multitudine, quæ ultra quinque millia convenit*[8], suspicari mihi fas non est : dubitationem enim, quam ingerit Echardus [9], tollit Guilielmus Cuperus [10].

9. Animadverto 3. scriptionem hujus Legendæ mandatam quidem fuisse S. Bonaventuræ an 1260, sed minime fuisse eodem anno ab eo perfectam : idque præsertim in sen-

[1] *Antiqua* scilicet, ad quam Ubertinus respexisse videtur. — [2] Non enim, cap. VI, expressit fuisse sedem Luciferi, sed dixit : *Sedem præ cæteris digniorem*. Vid. pag. 313, col. 2. — [3] *Arbor. vit. Crucifi.*, lib. V, c. IV. — [4] Versus fin. cap. II, pag. 299, col. 2. Legatur vita S. Francisci Gallice scripta a F. Candido Chalippe Strictioris Observ., tom. II, pag. 291, edit. Mediol. 1760. Videatur quoque Codex ms. in-4, partim membr., partim chartac. foliorum 16, servatus Fabriani apud Minoritas Conventuales. — [5] In *Histor. critica* ejusdem Indulgentiæ, part. 3, c. II, § 1 ac seq., edit. Antuerp. 1726, in-8. — [6] Huj. tom. pag. 302, col. 2. — [7] Ibid. — [8] Ibid., pag. 306, col. 2. — [9] *Script. Ord. Præd.*, tom. I, pag. 78. — [10] In *Actis SS.*, tom. I. Aug., die 4, in Comment. prævio de S. Dominico, § 34, n. 652.— (*a*) *Prodr.* transgressionis. — (*b*) *Prodr.* quam.

tentia Editionis novissimæ Auctorum, qui putant eodem anno a Bonaventura scriptum insuper fuisse *Itinerarium mentis in Deum*, ac *Itinerarium mentis in seipsum*[1]. Quo enim pacto hanc quoque Legendam, quæ sane longam plurimarum rerum perquisitionem exigebat, eo ipso anno potuisset complere? Tunc cœpisse *laborare pro Sancto* concesserim, non tamen cœptum opus consummasse. In ejusdem Legendæ capite tertio[2] Frater Ægidius indicatur mortuus, dum dicitur : « Sanctus Pater Ægidius... celebri memoria dignus, » qui quidem obiisse fertur an. 1262.

§ XVI. — De Paupertate Christi. — § XVII. Apologia Pauperum.. — § XVIII. Liber Apologeticus in eos, qui ordini Fratrum Minorum adversantur. — § XIX. Quare Fratres Minores prædicent, et confessiones audiant. (*Prodrom.*, col. 602-609.)

Ut initium ducamus a primo ex hisce opusculis, illud certum reddunt inter testes Henricus Gandavensis, Ubertinus Casalensis, Codices mss. et Editiones. Quum autem legitimum admittant acriores quoque Bonaventurianorum Operum censores, ne in re ab ipsis adversariis concessa, magis magisque confirmanda tempus frustra teram, satius existimo verba facere de Gulielmo a Sancto Amore, qui in eodem scripto refellitur. Sic itaque de ipso lego in ms. Chronico 15 Generalium Ministrorum Codicis Taurinensis sub Fr. Joanne Parmensi : « Sub hujus ministerio Guillelmus de Sancta Martha[3], Doctor Theologus, sed ad sobrietatem non sapiens, contra Religiosorum Pauperum statum, et quod commissione Summi Pontificis vel Ordinariorum non possent Fidelium confessiones audire sine licentia speciali parochialium sacerdotum, libellum diffamatorium promulgavit. Sed postea Fratribus pro veritatis defensione instantibus, libellus quidem primo coram Dom. Alexandro Papa IV, qui eum de Fratrum suorum consilio sub anathematis ultione in eos, qui tenerent, et non delerent, damnaverat, dein Parisius coram piissimo tunc rege Francorum, nunc Sanctorum aggregato, et ascripto Catalogo, dicto Ludovico, multitudine convocata, solemniter est combustus. Dictus vero Guillelmus de toto Franciæ regno expulsus est. Multam iste Guillelmus Ordini persecutionem ingessit. Cum enim callide Clerum Parisiensem, et Prælatos Ecclesiæ, quorum se defensorem dicebat, contra Ordinem concitasset, multa Fratres opprobria et damna passi sunt. Sed, sicut ostensum est, suæ finem malitiæ, et astutiæ confusionem accepit. »

Libellus hujusmodi scriptus fuit adversus Mendicantes an. 1253 sive 1255, damnatus autem et combustus Anagniæ, jussu Alexandri IV, an. 1256. Præferebat titulum : *De periculis novissimorum temporum*, et incipiebat : *Ecce videntes clamabant foris.* Justam ejus damnationem diffiteri non potuit vel Oudinus, qui ait : « Juste (ut ingenue loquar) damnatus est ob probra, et injurias, quas continebat, et quæ scandalosa erant, atque Presbyteris Doctoribus indigna, et iniqua, adversus Ordines diffusos jam, et ab Apostolica Sede approbatos, scribentibus[4]. »

Ad justam hujuscemodi damnationem contulisse *Disputationes Fr. Bonaventuræ,* testis est scriptor æqualis Thomas Cantipratanus[5]; [6] *Disputationes*, inquam, habitas coram Alexan-

[1] *Diatrib.*, pag. 74, nostræ vero edit., tom. I, pag. XL-XLI. — [2] Huj. tom. pag. 301, col. 1. — [3] In Chronicis Normanniæ apud Waddingum ad an. 1251, n. 33, inter adversarios Mendicantium recensentur *Magister Guillelmus de Sancto Amore*, *Marianus de Sancta Martha*, etc. — [4] Tom. III, col. 248 et seq. — [5] *De Apibus*, lib. II, c. X, n. 23, ad an. 1256, ubi dicitur Minister Generalis, non quod tunc esset talis, sed quia postea fuit. — [6] *Prodrom.*, col. 23, n. 5.

dro IV, quæ contentæ in ejus Tractatu *de Paupertate Christi* videntur, ubi late *de paupertate* in utramque partem disseritur, solideque de more in favorem *paupertatis*, sive *quantum ad abrenuntiationem*, sive *quantum ad mendicationem*, resolvitur; occurrendo insuper illi qui *prædictis conatus est multipliciter adversari*; ac etiam expendendo, *utrum pauperes validi, et maxime Regulares, ad opera manualia universaliter sint astricti* : quæ tamen postrema postea ab ipso Bonaventura videri possunt adjecta. [1] Certe secundum Parisienses codices[2], distinguenda est in eo, de quo nunc loquimur, Opusculo *quæstio de labore manuum*, a *quæstione de paupertate Christi*, quæ in editis primum tenet locum. Illa etiam, quæ præmittuntur in ista quæstione de paupertate, usque ad hæc verba inclusive : *His visis, plana est responsio ad prædicta*[3], distinguenda sunt ab illis, quæ subsequuntur, videlicet : *His autem, quæ prædicta sunt*[4], *conatus est aliquis multipliciter adversari.* Animadvertere etiam juvat, quod quidam Frater Minor adversus Sanctamoranum, et sequaces, librum sub ea tempora ediderat, incipientem : *Manus, quæ contra Omnipotentem.* Sed quisnam hic Frater Minor? Si fides sit Boulæo, fuit ipse Bonaventura. Erravit tamen Boulæus, quum ejus libri voluit esse principium : *Tantum sibi præsumptionis quidam homines assumpserunt*[5]; hæc enim verba sunt principium Tractatus, quem Geraldus de Abbatis Villa Sanctamorani vindex scripsit contra Franciscanum, ut infra ex Bonaventura patebit, recteque Jacobus Echardus præmonuit[6].

In toto Bonaventuriano Tractatu *de Paupertate Christi* laudantur inter Patres Ambrosius, Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, Prosper, Gregorius, Anselmus, Bernardus. Inter Pontifices allegantur Urbanus, Innocentius, Honorius. Inter *viros probatissimos in Religionibus* referuntur Basilius, Benedictus, Augustinus, Hieronymus, Gregorius, Hilarius et Paulinus. In *magno cœtu Sanctorum qui mendicaverunt*, recensentur Franciscus, Dominicus, Alexius, Benedictus, et ipse cuneus Apostolorum et Prophetarum, necnon et ipse Dominus Jesus Christus. Adducuntur quoque *Legenda S. Alexii*, *Legenda S. Francisci*, *Decretalis de excessibus Prælatorum*, sæpius *Glossa*, etc.

Quod spectat illatinas quasdam voces in eodem contentas, si ipsum una cum aliis Opusculis legisset Oudinus, temperasset profecto a reprehendendis in *Luminaribus Ecclesiæ* vocibus *amaricatus* et *vilificatus*, neque ausus fuisset dicere : « Videant docti, an voces istæ *amaricatus*, et *vilificatus*, sint dignæ Doctore, quem Franciscani appellant Seraphicum, annon digniores rudi et rustico homine? Itane loquitur Divus Bonaventura in Opusculis suis certis? Cedam lubens, dum similes in eis voces conspexero [7]. » Etenim, sicut in Opusculo *de Ligno vitæ* notavimus vocem *amaricationis* [8], ita in hoc *de Paupertate Christi* pluries repetitum legitur verbum *vilificare*, *vilificat*, ac etiam iteratus exstat usus *vilificationis*. Alia id genus plura missa facio, puta, *Stultizat de magnis et grossis eleemosynis*, *occupatio scientialis*, etc. Itaque quum sic locutus fuerit S. Bonaventura in Opusculis suis certis, lubens cedat Oudinus, nec amplius illum credat ab indiscretis Franciscanis *amarificatum* et *vilificatum*, dum in certis ejusdem Opusculis tales phrases a nobis indicatas conspexit. Jam ad secundum Opusculum transeamus.

Indubium itidem secundo loco recensitum Opusculum, cui titulus *Apologia Pauperum*,

[1] *Prodrom.*, col. 603.— [2] Bibl. olim Reg., nunc Imper., cod. 3183, olim Colbertin.— [3] Vid. pag. 391, col. 1. — [4] Vid. ibid. — [5] *Hist. univers. Paris.*, tom. III, pag. 680. — [6] *Scriptor. Ord. Præd.*, tom. I, pag. 336, col. 1. — [7] Tom. III, col. 395. — [8] Vid. huj. edit. tom. XII, pag. VI.

utpote codicibus mss. et editionibus satis munitum, necnon testibus Ubertino de Casali, Michaele de Cæsena, Chronicis 15 ac etiam 24 Generalium, Bartholomæo Pisano, et aliis certioratum, pariterque ab adversariis haud minus quam præcedens admissum velut legitimum. In eo refellitur Sanctamorani vindex Geraldus de Abbatis Villa, dictus quoque Geroldus, Giroldus, Giraldus, Girardus, Gerardus et Guerodus, qui a Gulielmo Nangio inter Theologos ea tempestate primores laudatur hic verbis : « Florebant hoc tempore Parisius insignes Theologi Fr. Thomas de Aquino Ordinis Prædicatorum et Fr. Bonaventura Ordinis Minorum, atque de sæcularibus Clericis Mag. Guerodus de Abbatis Villa, et Mag. Robertus de Sorbona, qui Scholares Parisius primus constituit Sorbonenses [1]. » Circa eumdem Guerodum, seu Geraldum, abs re non erit heic referre, quod de vere *insigni theologo* Bonaventura, ejusque adversario habent Chronica 15 Generalium; præsertim quum hinc majus auctoritatis pondus accedat Chronicis 24 Generalium idipsum attestantibus. Aiunt igitur : « Libellum quemdam perniciosissimum, qui creditur fuisse Mag. Geroldi de Abbatis Villa, per Apologiam existens Generalis Magister tam eleganter, quam subtiliter confutavit. Verumtamen ipse Geroldus maledictus tanta, ut fertur, divina ultione perculsus est, ut paralysi dissolutus, et lepra respersus interiret : exemplum relinquens omnibus, ut discant Jesum suorum esse pauperum defensorem. »

Geraldi libellus apud Bonaventuram [2] exorditur : *Tantum sibi præsumptionis assumpserunt quidam homines.* De quo quidem *calumnioso libello* dicit idem Bonaventura, quod « in defensionem illius libri erronei, qui sic incipit : *Ecce videntes clamabant foris,* etc., paucis revolutis temporibus per Sedem Apostolicam reprobati, non absque nota rebellionis est editus [3] : » quodque illius auctor « adversus eum scribat, qui contra libellum damnatum, Opusculum quoddam composuit, cujus initium : *Manus, quæ contra Omnipotentem erigitur,* in quo secundum totalem intentionem scribentis, et continentiam libri, paupertatis eximiæ perfectio astruitur et laudatur [4]. » Repetit eo impudentiæ devenisse Geraldum (cujus tamen nomen pro sua modestia tacet), ut « illius se fateretur discipulum, qui contra evangelizantium pauperum Ordines libellum composuit, quem Sedes Apostolica condemnaverat : quem etiam non parva temeritate, velut innocentem excusaret, ipsiusque doctrinam commendaret et approbaret, non sine multa injuria Sedis jam dictæ; quum nihil aliud sit, auctorem libelli damnati innocentem asserere, quam damnantis judicium reprobare [5]. »

Hinc factum est, quod Seraphicus Doctor Geraldum multo acrius, quam Sanctamoranum fuerit aggressus. In hoc tamen christianæ charitatis temperamentum desiderandum non reliquit. Unde ait : « Quoniam meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta odientis oscula, nequaquam peccatorum oleo, adulatione videlicet, impinguandum est ipsius languidum caput, nec tumidi cordis apostema palpandum : quin potius procacis hominis erectam cervicem oportet dura increpatione ferire, non quidem amari cordis odio, sed tranquillæ mentis æmulatoria charitate [6]. » Hancce charitatem in adversarium exhibuit infra dicens, ipsum diffusius ab se refutatum fuisse, « ut carnaliter sapientis hominis, et intellectus instruatur, et inflammetur affectus, quatenus suum recognoscens errorem, in jejunio, fletu et planctu convertatur ad Dominum. Super quo Patri misericordiarum sacrificium

[1] *Chronic.*, ad an. 1264. — [2] Vid. cap. I, pag. 411, col. 1. — [3] Ibid. — [4] Ibid., pag. 412, col. 1. — [5] Vid. c. II, resp. III, pag. 471, col. 1. — [6] In Prologo, pag. 411, col. 1.

devotæ precis offerimus, ut sicut de ipsius subversione doluimus hactenus, ita de conversione in posterum gaudeamus [1]. »

Porro quod Apologiam hujusmodi lucubraverit Doctor noster anno 1269, colligitur ex ipsius Apologiæ verbis, quibus dicitur, pauperes in ea defensatos, licitis modis, absque ullo possessionis dominio, « in magna multitudine sexaginta annis et amplius vixisse [2]. » Ab anno enim 1208, quo S. Franciscus pauperrimæ vitæ genus est aggressus, ad annum usque 1269, jam sexaginta annos et amplius effluxisse notum est. Eadem sacræ Scripturæ textibus abundat, quos aliquando refert, prout in Græco leguntur, puta quum ait : « Evangelicus textus secundum Chrysostomum habet in Græco : *Beati mendici, quia ipsorum est regnum cœlorum ;* ubi Latinus habet : *Beati pauperes spiritu* [3]. » Auctoritatem allegans libri *de Ecclesiasticis Dogmatibus,* non amplius Augustino tribuit, sed certo ejus scriptori Gennadio restituit [4]. » Augustinum laudans vocat *hæreticorum malleum*, quem etiam nuncupat *egregium Doctorem* [5]. Sed et aliorum Patrum testimoniis refertissima est, nempe Dionysii, Cypriani, Eusebii, Athanasii [6], etc. Inter concilia laudantur Carthaginense, Toletanum quartum, et Agathense; inter Pontifices Gelasius, Nicolaus, Innocentius, Gregorius; insuper sacri Canones, Glossa, Plato, Seneca, Jurisconsultus Julianus, alius Jurisconsultus, Papias Grammaticus. Citatur quoque lex *Postliminii,* et caput *de inofficioso testamento ;* item *Regula et vita Frat. Min. beati Pauperum Patriarchæ Francisci*, de quo summe a Christo dilecto hoc testimonium certissimum perhibetur : « Digne huic pauperculo sacro [7], » etc.

Quoniam autem hæc *Apologia* ita *Divum Bonaventuram auctorem indubium habet,* ut vel ex ipsa *attente perlecta* glorietur Oudinus *se agnovisse methodum Seraphici Doctoris* [8]; habita vero talis *methodi* ratione, idem Oudinus ab indubiis laudati Bonaventuræ operibus procul esse censeat illas voces : *Deordinasti*, *uniformem, multiformem, septiformem, figurationem, aliqualiter*, *gehennalem*, *æternalem, sursum actionem, mundialiter*, *virtuosum, impretiabilis*, *gratiosum*, *domatio libidinum*, *vilificatus*, *judicialis*, *de facili*, etc., non abs re futurum reor in eadem Apologia adnotare voces sequentes : *Dei formium virtutum, multiformium perversitatum, e puteo abyssali, sacerdotii figurativi, dogmatizare, aliqualiter*, *deordinata circumstantia*, *sempiternalium jucunditatum*, *supererogativa sursum actio, mundialis machinæ, virtuosorum habituum*, *impretiabile donum*, *gratiositatem obsequii*, *edomationem concupiscentiarum*, *ænigmaticam præfigurationem*, *septiformem germanitatem*, *vilificatio, de facili illectiva,* etc. Ex his nemo non videt fluxam admodum fidem artis criticæ Oudini, qui ob nonnullas ex relatis vocibus, earumque similes, censet abjicienda plura Bonaventuræ Opuscula, quum tamen alia retinenda arbitretur, in quibus passim occurrunt. Profecto ipse aut non legit, aut legit tantum perfunctorie atque oscitanter ea, quorum sibi sumpsit judicium.

Tertium et quartum Opusculum, videlicet *Libellus Apologeticus* et *Quare Fratres Minores prædicent*, occurrunt in Catalogo Mariani Florentini, in editione Argentinensi an. 1495, et inter Codices Romanos Archivi S. Isidori Min. Recoll. nationis Hibernicæ. Posteriu autem laudatur insuper ab Anonymo Pistoriensi. Utriusque stylus et doctrina nostro Bona-

[1] Ad fin. cap. III, resp. II, pag. 454, col. 2. — [2] Resp. IV, cap. III, pag. 513, col. 1. — [3] Ibid., pag. 516, col. 2. — [4] Resp. III, cap. I, pag. 460, col. 2. — [5] Resp. I, cap. II, pag. 418, col. 2. — [6] Vid. notas singulis paginis Opusculi subjectas. — [7] Vid. Resp. I, cap. III, pag. 425, col. 1. — — [8] Tom. III, col. 392.

venturæ conveniunt. Quæ tradit amborum auctor de conditionibus necessariis *ad officium regiminis animarum* [1], apprime conformia sunt illis, quæ leguntur in Tractatu *de sex Alis Seraphim* [2]. Sicut in Epistola *de reformandis Fratribus Ordinis* vult *officia prædicationis et confessionis cum multo examine imponenda* [3]; ita heic *necessaria ad prædicationis et confessionis officium* præscribit [4]. Quæ etiam docet de cura Ordinis sanctæ Claræ [5], omnino concordant cum illis, quæ in ejus *Gestis* leguntur [6], controversiam inter Sanctimoniales Clarissas et Fratres Minores ea lege ab eo dirumptam esse, ne amplius dictæ Clarissæ tanquam sibi debitum exigerent Fratrum obsequium, quod illi ex sola charitate hactenus eisdem præstiterant. Merito igitur duo hæc Opuscula velut certa admittuntur ab Oudino, atque a novissimis Editoribus, ut ut ipsi dicant : « Antiquorum neminem vidimus, qui gemina hæc Opuscula recenseat [7]. »

Cæterum si prædicta Opuscula legisset Oudinus, profecto in ipsis offendisset voces illas : *officiat, habilitatem, habilis, uniformis*, etc. Si eadem percurrissent Editores quoque laudati, plane comperissent mirifice confirmata omnia, quæ S. Bonaventura in *Formula aurea de gradibus virtutum* pronuntiavit circa confessionem sacerdotibus Religiosis faciendam [8]. Fas mihi fuerit sequentia duntaxat in rem nostram exscribere : « Licet communiter Clerici [9], » etc. Legesis quæ postea subdit de Clericis Theutoniæ [10].

Illud præterea memorati Critici haud debuissent præterire in *Apologetico* tanquam spectantes *ad Ordinem, qui dicitur de Pœnitentia, quem S. Franciscus instituit*, nominari *Beguinas*, easque dici *Sorores nudipedissas* [11]. Hinc enim suspicari quis posset, non esse Bonaventuram illius *Apologetici* auctorem, quum multo post ipsum damnata Beguinarum secta ortum habuerit. Quare sciendum est, *Beguinas*, quarum mentio est in dicto *Apologetico*, certe præcessisse Beguinarum sectam postea damnatam, adeoque *Beguinarum* nomen in bonum et malum sensum accipi, nec nisi in bono sensu intelligendum *Apologetici* auctorem; nempe locutum fuisse de fœminis recte de fide sentientibus, pieque viventibus, quæ tertium Ordinem S. Francisci profitebantur, sandaliaque more Fratrum Minorum deferebant, ac cœlibem vitam ducebant, quarum aliæ erant votis liberæ, aliæ ligatæ. Pium earum vitæ genus, catholicam Congregationem, describunt Rhythmi veteres de Origine et Fundatione Monasterii Pratensis in Flandria. De voto a quibusdam earum emisso testatur antiqua Summa S. Raymundi. Quodve ipsæ a damnata Beguinarum secta sint secernendæ, evincunt *Hierolexicon* Macri, et *Glossarium* Cangii, necnon Sermo Fr. Guiberti de Tornaco Ord. Min. sæc. XIII, *ad Beginas* inscriptus, quum in eo legatur : « In diebus nostris sicut sunt aliquæ mulieres malæ, ita sunt aliquæ per Dei gratiam bonæ, quæ a timore Domini conceperunt spiritum salutarem, et in medio perversæ nationis, et pravæ, vitam ducunt sanctissimam, et hæ dicuntur *Beginæ*. » Postremo animadvertendum quoad Opusculum *Quare Fratres Minores prædicent*, quod in ipso ita citetur Decretalis Innocentii Papæ IV, ut iterata judicum ecclesiasticorum contra ejus formam transgressio in ferendis excommunicationis sententiis notetur, liceatque hinc arguere, post ipsam Decretalem, multasque ejusdem inobservantias, a Doctore Seraphico scriptum.

[1] *Libell. Apol.*, q. 5, pag. 527, col. 2. — [2] Vid., tom. XII, pag. 134 et seq. — [3] Vid. huj., tom. pag. 634, col. 2. — [4] Ibid., q. 4, pag. 526. — [5] Ibid., q. 17, pag. 536. — [6] *Prodrom.*, col. 35-36. — [7] Huj. nostræ edit., tom. I, pag. XLVIII. — [8] Tom. XII, pag. 198, col. 2. — [9] *Quare Fratres*, etc., pag. 551, col. 1. — [10] Ibid., pag. 555, col. 1. — [11] *Libell. Apol.*, quæst. 16, pag. 534-536.

§ XX. — Expositio in Regulam Fratrum Minorum. — XXI. Determinationes Quæstionum in eamdem Regulam. (*Prodrom.*, col. 609-611.)

1. Ambo hæc Opuscula, una cum aliis modo relatis, *ad Divum Bonaventuram spectare*, ac eo *digna esse*, confitetur Oudinus. At novissimi Editores paulo scrupulosiores Oudino, prædictam *Expositionem in Regulam Fratrum Minorum* censent *Opusculum dubium*, quia, inquiunt, « antiquorum ne unus quidem est, qui hanc Expositionem tribuat Bonaventuræ; » adduntque : « Præter testium altum silentium sunt alia bene multa, quæ Expositionem hanc nobis suspectam faciant. Cum, capite IV, de pecuniæ receptione ageret Expositor, omnia, quæ Joannis XXII tempestate in Minoritas jacta sunt, refellit omnino. Hoc, quæso, caput confer, si vis, cum Alvarii Pelagii opere, cui titulus : *De planctu Ecclesiæ;* et in multis quam maxime concordare deprehendes [1]. »

2. Sed gemina hæc dubitandi ratio adeo subtilis et evanida est, ut ab ipsismet Editoribus infirmetur. Loquentes enim de *Libello Apologetico*, et de altero *Quare Fratres Minores prædicent*, etc., libere confitentur : « Antiquorum neminem vidimus, qui gemina hæc Opuscula recenseat; » et nihilominus eadem inter certa nostri Bonaventuræ Opuscula referunt [2]. Disserentes etiam de vel apud ipsos certis *Determinationibus Quæstionum circa Regulam S. Francisci*, quæ plane majorem habent connexionem cum præfata *Expositione Regulæ*, quam cum cæteris, itidem fatentur : « A testibus deserimur [3]. » Quodve rationem alteram spectat, ipsi haud diffitentur, « fieri certe posse, ut eadem objecta Minoritis fuerint tempore Bonaventuræ nostri [4]. » Animadvertunt quoque circa memorata Opuscula *Libellum Apologeticum, et Quare Fratres Minores prædicent*, quod in ipsis Doctor noster « sane antevertit, refellitque ea, quæ false docuit deinde Richardus Radulphus, Oxoniensis Academiæ in Anglia Cancellarius, Archiepiscopus Armachanus, qui Innocentii VI temporibus floruit, obiitque an. 1359 [5]. »

3. Cæterum antiquos meminisse hujusmodi Expositionis clarescit nedum ex Constitutionibus Alexandrinis pro Minoritico Ordine an. 1500 editis [6], sed etiam ex Constitutionibus pro iisdem Fratribus Minoribus a S. Joanne de Capistrano, ut fertur, compositis, et an. 1430 a Martino V confirmatis, ideoque Martinianis nuncupatis [7]. Item ex manuscripta ejusdem Regulæ Minoriticæ Declaratione Fr. Christophori de Varisio S. Capistranensis socii [8]; ex Tractatu *de Recursu ad Amicos Spirituales* Fr. Joannis Philippi, qui ab an. 1467 usque ad an. 1470 fuit Vicarius Generalis Ultramontanus, necnon ex Indiculis et Catalogis Mariani Florentini, Roberti Liciensis, Alexandri Ariosti, Bernardini de Bustis, etc. Suffragantur editiones plures, quarum notabilior Argentinensis, tum quia facta an. 1495, tum quia in ejus fine legitur : « Explicit Regula secundum Expositionem *Domini* Bonaventuræ : » unde arguere licet, ex ms. Codice multo antiquiori fuisse desumptam. Adstipulantur Codices mss. Regiensis Bibl. S. Spiritus Min. Observ., et Tudertinis ex Inventario sacrarii S. Fortunati, Min. Convent., jussu Benedicti Papæ XII facto.

4. Patet quoque auctorem Expositionis laudatæ ita claruisse post tempora Innocentii III, Honorii III et Gregorii IX, quorum primum inquit Regulam approbasse,

[1] *Diatrib.*, pag. 93, nostræ vero edit. tom. I, pag. LV. — [2] Ibid., pag. 85, al. XLVIII. — [3] Ibid., pag. 86, al. XLIX. — [4] Ibid., pag. 93, al. LIV. — [5] *Diatrib.* pag. 85, al. XLVIII. — [6] Cap. I. — [7] Cap. III. — [8] Extabat in ms. Codice Bibl. Conv. Reatini S. Antonii, fol. 12.

secundum confirmasse, tertium declarasse, ut minime ad tempora Nicolai III et Clementis V pertigerit, quum neutrius Expositor (*a*) mentionem ullam injiciat. Floruit ergo Bonaventuræ tempore, nec alium ab ipso Bonaventura fuisse arguitur ex allegationibus similibus earum, quas in aliis certis ejus operibus legere est. Allegationes autem sunt Dionysii, Ambrosii, Chrysostomi, Hieronymi, Augustini, etc. Laudat quoque inter sacros Scriptores Prosperum, inter profanos Platonem et Senecam. Præter styli similitudinem, est similitudo doctrinæ. Quod enim in fine capitis IX prædictæ Expositionis legitur : « Nullis aliis Religiosis plus competit prædicare ex ratione sui status, quam his, qui hanc Regulam profitentur [1], » omnino cohæret ei, quod in Epistola ad Mag. innominatum Bonaventura noster asserit de Fratre Minore, « credens, quod nulli magis, quam tali, competat auctoritas docendi Evangelium Jesu Christi [2]. » Similiter divinæ Scripturæ textibus abundat, neque caret allegationibus Juris Canonici et Civilis, atque Glossæ.

5. *Determinationes Quæstionum* laudatæ sunt a Mariano Florentino et ab Anonymo Pistoriensi. Insertæ sunt a Marco Ulyssiponensi Chronicis Minorum, ac proinde cum ipsis Chronicis in quatuor linguas Lusitanicam, Hispanicam, Gallicam et Italicam versæ. Extant quoque in editione Argentinensi an. 1495, in *Firmamento trium Ordinum,* in *Compendio Privilegiorum*, etc., necnon inter Codices Romanos Archivi S. Isidor. Min. Recollect. nationis Hibernicæ.

6. At inquies : Bonaventura censeri minime potest ipsarum auctor, quum quæstione VI probetur [3], Conventus magnos cum amplis Ecclesiis nequaquam dissonos esse Franciscanæ paupertati; constet autem e contrario altissimæ paupertatis zelatorem fuisse Bonaventuram, ideoque cum in *Epistola de reformandis Fratribus*, tum in alia *Epistola ad quemdam Provincialem Ministrum*, improbare omnino *ædificiorum constructionem sumptuosam*, *et curiosam,* ac vehementer illos increpare, qui *ædificia sumptuosa conantur erigere*, cum *murorum curiosa constructio destructionem pariat animarum.* Itaque respondeo, conari quidem eo loci S. Bonaventuram facere satis quærentibus, *cur Fratres Minores habent magnos Conventus;* sed dum ipsos probat, eos unice defendit comparate ad *casellas* et *vilia habitacula,* videlicet non fore necesse, ut Fratres Minores incolant solum *casellas*, *et vilia habitacula;* neque propugnat Minorum domus, quæ reapse sunt *magnæ* et *excelsæ,* et *sumptuosæ*, et *paupertati dissimiles*, sed quæ tales *apparent,* licet non sint, utpote ideo in altum elatæ, quia infra nimis angustæ, nec latius ratione ipsius paupertatis dilatatæ. Unde ait : « Ex hoc domus nostræ magnæ apparent, et excelsæ, ac sumptuosæ, et paupertati dissimiles, cum tamen hoc paupertas magis efficiat, quia ne circa dilatemur, inferius angustiamur. » Tum protestatur : « Non tamen intendo in his excusare, nisi quæ valde necessaria sunt, et rationabiliter. Ubi autem superfluitas, curiositas, et irreligiositas, et Regulæ et paupertati nostræ derogantes essent structuræ, reprehendo tecum, et omnia alia, quæ Deo displicent tam in rebus, quam in moribus. Quintuplicis enim peccati rei sunt, qui superflua in ædificiis, et aliis, quibus utimur, procurant, et acquirunt, » etc. Putasne hisce verbis credidisse Bonaventuram, *Conventus magnos cum amplis Ecclesiis Franciscanæ haud esse dissonos paupertati*? Per hoc habeto responsum ad ejus *Libellum Apologeticum,*

[1] Vid., pag. 593, col. 1. — [2] Pag. 631, col. 1. — [3] Pag. 604-606.

(*a*) *Prodrom.* Expositionis.

quæst. XV. Neque loco supra citato legitur tantum *casellarum* nomen, sed etiam *guerra* et *repausatio*.

§ XXII. — Epistola de Sandaliis apostolorum, vel de eo, quod Christus, et Apostoli, et Discipuli epus discalceati incesserunt. (*Prodrom.*, col. 655-656.)

1. Desiderantur in hac Epistola nomen auctoris, ac etiam nomen illius, cui est inscripta, nedum in principio, sed etiam in fine : siquidem in principio ille, ad quem scripta est, duntaxat indicatur divini verbi Prædicator, dum dicitur : « Super eo igitur, quod Christum prædicasti, » etc. In fine quoque unice dicitur *Evangelii doctor et sectator*, cui Scriptor suam exhibet charitatem sequenti clausula : « Nec contemptum te reputes, quod in hac Epistola tecum singulariter sim locutus ; hoc enim mihi amor charitatis privatæ suasit, » etc.

2. Hujusmodi Epistola tribuitur nostro Bonaventuræ a Mariano Florentino, Joanne Trithemio, Jacobo Philippo Foresto, Anonymo Pistoriensi, atque Gulielmo Eysengrenio, prodiitque sub ejusdem Bonaventuræ nomine saltem ab anno 1484. Et sane unum eumdemque fuisse scriptorem hujus Epistolæ, ac *Expositionis Regulæ Minoriticæ*, de qua supra [1], inde elicitur, quia ipsissimo modo in utrisque per *caligas* textus evangelici, secundum Græcum et Papiam accipiuntur *sandalia*, quæ sunt calceamenti genus quoddam desuper corium non habens, ac citatur utrobique Plato inquiens, « duas summitates corporis non esse velandas, scilicet *capitis* et *pedum*. » In eamdem rem auctor iste laudat Græcos, et Monachos Indiæ, dicens : « Græci prædicantes Evangelium [2], » etc. Allegat quoque Gregorium Nazianzenum, ac Eusebium Cæsariensem, *duos illustrissimos Græcorum Doctores*, atque Chrysostomum ; item Doctores Latinos Catholicos, videlicet Hieronymum, Augustinum, Gregorium, *Magistrum in Historia;* insuper *Vitam B. Martialis, Vitas Patrum, Vitam B. Frontonis, Vitas Marthæ et Magdalenæ*, ac sæpe *Glossam*, necnon *gloriosum Christi signiferum Franciscum*.

§ XXIII. — Epistola de tribus Quæstionibus ad Magistrum innominatum. (*Prodrom.*, col. 656-657.)

1. Hujus Epistolæ, quæ etiam *Defensorium Regulæ* inscribitur, auctorem esse Bonaventuram testantur antiquissimæ Editiones, Codices manuscripti, ac Nomenclatores, demonstratque ipsum ejusdem initium : *Innominato Magistro Frater Bonaventura*. Ut affectum suum erga hujusmodi Magistrum significet, mox ab exordio illum alloquens ait : « Proponis, charissime, » etc. Tum eodem affectu pergit : « Audi, charissime, » etc. Denique claudit Epistolam : « Rogo, charissime, » etc.

2. Ex ly : *Si vocaverit te, non recuses*, palam est Magistrum illum nondum fuisse Fratrem Minorem; quadamtenus tamen ad Minorum Ordinem inclinasse non negaverim, quamvis adhuc quibusdam detineretur impedimentis, quominus eumdem amplecteretur. Unde Bonaventura satagit illa expedire, ut ad id nihil obesset, sive, ut ad eumdem Anonymum loquitur, *non propter hoc retraheretur*. Quum autem in vetusto Codice manuscripto apud Waddingum ille innominatus Magister dicatur *Rogerus Bachon Anglicus* [3], ac inter

[1] §. XX, pag. XXV. — [2] Vid., pag. 625, col. 1. — [3] *De Script. Ord. Min.*, pag. 68, col. 1.

Opera ejusdem Rogeri Bachonis referatur *Responsum ad Epistolam D. Bonaventuræ* [1], neque ulla dubitatio sit circa Minoriticum ipsius Rogeri Institutum, consequens est, ipsum postea victas Bonaventuræ nostro manus dedisse, ac etiam evasisse *Fratrem Minorem.*

3. Ex hac Epistola constat, Doctorem nostrum Seraphicum, more sancti Augustini, in divinæ Scripturæ ac Theologiæ usum adhibuisse Philosophiam, adeoque dixisse : « Sicut filii Israel asportaverunt vasa Ægypti [2], » etc.

§ XXIV. — Epistola ad Ministros Provinciales et Custodes. (*Prodrom.*, col. 657.)

Data est Parisiis in festo S. Georgii Martyris IX Cal. Maii 1257. Extra omnem dubitationem collocant testes, quos inter Fr. Petrus Joannis, Editiones perantiquæ, ac mss. Codices.

§ XXV. — Epistola ad quemdam Provincialem Ministrum. (*Prodrom.*, col 657.)

Parisiis data fuit an. 1266, eademque certitudine constat, qua alia paragrapho præcedenti relata. Dum illam scriberet, adhuc in vivis erat Clemens IV, rejiciendusque Galesinius, qui aliter putavit. Profecto non indicatur mortuus per illa verba : « Ipse sanctissimus Pater Pontifex Summus Dominus Clemens Fratres omnes ad cavendum hujusmodi, pia providentia, per me voluit commonere. » Dixi scriptam *ad quemdam Provincialem Ministrum,* quia cum in manuscriptis, tum in editionibus exorditur : *In Christo sibi charissimo Fratri... Provinciæ Ministro*, qui in aliquibus editionibus nominatur *Fr. B. Jaucelis,* in aliis *Fr. Biaucel*, in manuscriptis aliquando *Fr. B. Samuel provinciæ Tusciæ Minister*, et aliquando *Fr. G. Minister Tusciæ.* Non ita tamen intelligenda uni Provinciali inscripta, quin fuerit, uti monet Alexander Ariostus, *de consensu et definitione Capituli per totum Ordinem missa.* Hinc est quod in eadem dicitur : « Diligenti deliberatione præhabita, visum est tam mihi, quam Diffinitoribus Capituli Generalis [3], » etc.

§ XXVI. — Epistola ad Abbatem B. Mariæ Blesensis. (*Prodrom.*, col. 658.)

Data fuit Parisiis XIII Cal. April. 1273. Primo locum habuit in novissima Collectione Veneta omnium S. Bonaventuræ Operum. De ea inquiunt Editores : « Hanc omnium primi edidere viri præclarissimi D. Edmundus Martene, et D. Ursinus Durand Presbyteri et Monachi e Congregatione S. Mauri, in *Thesauro Anecdotorum.* Non est, cur eam in suspicionem vocemus, præsertim cum ex antiquo Codice illam deprompserint [4]. » Sed cur iidem in dubium vocarunt, ac etiam negarunt alia plura, ut ut ex antiquis Codicibus deprompta, et nihilo inferiora huic Epistolæ? Accedit, quod laudati Monachi ne verbum quidem fecerunt de Codicis antiquitate, sed hoc tantummodo adnotarunt ad marginem : *Ex Chartario Burgi-Medii.* Laudatur in ea *Fr. Petrus de Turonia nostri Ordinis Minister Provincialis in Turonia,* qui forte diversus non est a *Petro de Turonia Minorita*, qui ut auctor cujusdam *Dictionarii* recensetur a P. Jo. Suarezio in *Bibliotheca Franciscana* [5].

§ XXVII. — Epistola ad Fratrem Laurentium in administratione Tusciæ Visitatorem Pauperum Dominarum. (*Prodrom.*, col. 657.)

Incipit : *Dignum est et consonum rationi.* Data est Assisii III Nonas Octobris an. 1264,

[1] *De Script. Ord. Min.*, pag. 310, col. 2. — [2] Vid., pag. 631, col. 2. — [3] Vid., pag. 636, col. 1. — [4] *Diatrib.*, pag. 87, nostræ vero edit., tom. I, pag. L. — [5] Tom. II, pag. 475, col. 1.

referturque integra a Waddingo in Annalibus ad præfatum annum 1264, n. 3. Mirum certe ipsam desiderari in novissima Collectione Veneta, quamvis Editores eamdem allegaverint, et probaverint in Diatriba, pag. 37.

§ XXVIII. — Collationes octo ad Fratres Tolosates. (*Prodrom.*, col. 702.)

Extant in editione Argentinensi an. 1495, in ms. Codice Mantuano, necnon in Mariani Catalogo. Cæterum prima Collatio fere ad verbum desumpta ex Ubertino Casalensi Minorita, qui post Bonaventuram inclaruit, nomenque ejusdem Ubertini ad calcem hujusmodi Collationis positum, satis demonstrant alterius esse a Bonaventura Doctore Seraphico, Scriptorisque nescio cujus Ubertino recentioris. Nec reponi potest cum Waddingo [1], Ubertini nomen *ex margine in textum irrepsisse;* hoc enim est ariolari, ni aut per Editiones, aut per mss. Codices id comprobetur. Numquid etiam præfata integra Collatio ferme verbatim ex Ubertino deprompta, *ex margine* transmigrarit *in textum?* Laudatur quoque in iisdem Collationibus *devotus Libellus de Imitatione D. N. J. C.*, qui nisi fuerit *Libellus de Imitatione Christi*, quem nostro Bonaventuræ adscribit Bernardinus Bustius, sed potius alter venerabilis Thomæ Kempensis, apud quem recitata in Collationibus verba leguntur [2], apparet earum Scriptor adhuc multo recentior.

Theophilus Raynaudus suspicatur : « Forte liber *Collationum* est ejusdem auctoris, cujus est Opus *de Profectu Religiosorum* [3]. » Sed quum ex una parte Opus hoc *de Profectu Religiosorum* idem Theophilus cum aliis tribuat beato Davidi ab Augusta ejusdem Ordinis Minorum, ex alia vero David Augustanus, teste Waddingo, fuerit S. Bonaventuræ coævus; sicut Bonaventuræ, ita et Davidi Collationes hujusmodi abjudicandæ sunt, atque Scriptori recentioris ætatis potius attribuendæ. In iisdem præter Ubertinum, et Libellum *de Imitatione Christi,* allegantur Augustinus, Bernardus, Climacus, Abbas Pastor, Joannes Abbas Montis Sinai.

[1] *De Scriptor. Ord. Min.*, pag. 76, col. 2. — [2] Lib. I, cap. XXV et ult., pag. 115, edit. Bassanen. J. Ant. Remondini, 1730, in-16. — [3] Tom. XI, pag. 277.

SERIES

OPUSCULORUM QUÆ IN DECIMO QUARTO HOCCE TOMO CONTINENTUR

I. Sermones de Sanctis totius anni in genere, sive in communi. 1

II. De quinque festivitatibus pueri jesu. 139

III. Passio Christi breviter collecta ad modum Fasciculorum. 151

IV. De Passione Dominica officium. 155

V. Philomela. 162

VI. Opus Contemplationis. 167

VII. Laudismus de Sancta Cruce. 172

VIII. De septem verbis Domini in Cruce. 175

IX. Corona Beatæ Mariæ Virginis. 179

X. Laus Beatæ Virginis Mariæ. 181

XI. Psalterium minus Beatæ Mariæ Virginis. 189

XII. Carmina super canticum Salve Regina. 196

XIII. Psalterium majus Beatæ Mariæ Virginis cum Canticis et Litaniis. 199

XIV. Officium de Compassione Beatæ Mariæ Virginis. 226

XV. Speculum Beatæ Mariæ Virginis. 232

XVI. Legenda Sancti Francisci. 293

XVII. De paupertate Christi contra Magistrum Guilelmum. 364

XVIII. Apologia Pauperum. 410

XIX. Libellus apologeticus in eos qui Ordini Fratrum Minorum adversantur. 521

XX. Quare Fratres Minores prædicent et confessiones audiant. 543

XXI. Expositio in Regulam Fratrum Minorum. 556

XXII. Determinationes Quæstionum circa Regulam Sancti Francisci. 600

XXIII. De eo quod Christus, et Apostoli, et Discipuli ejus discalceati incesserunt, sive de Sandaliis Apostolorum. 622

XXIV. De tribus Quæstionibus ad Magistrum innominatum Epistola. 627

XXV. Ad Ministros Provinciales et Custodes de reformandis Fratribus sui Ordinis Epistola. 633

XXVI. Ad quemdam Provincialem Ministrum Epistola. 636
XXVII. Ad Abbatem Beatæ Mariæ Blesensis Epistola. 638
XXVIII. Ad Fratrem Laurentium, in administratione Tusciæ Visitatorem Pauperum Dominarum, Epistola. 639
XXIX. Ad Fratres Tolosates Collationes octo. 641

S. R. E. CARDINALIS

SANCTI BONAVENTURÆ

EPISCOPI ALBANENSIS, DOCTORIS ECCLESIÆ SERAPHICI

SERMONES DE SANCTIS TOTIUS ANNI

IN GENERE, SIVE IN COMMUNI [1]

DE SS. APOSTOLIS.

SERMO PRIMUS.

Species cœli, gloria stellarum [2]. Per cœlum recte Ecclesia sancta intelligitur, ratione triplici. Prima, quia sicut cœlum nobis celat divina magnalia, sic Ecclesia celat divina mysteria, et dominica sacramenta. Secunda, quia, sicut cœlum est natura nobilissimum, et forma splendidissimum, et figura rotundissimum; sic Ecclesia est nobilissima, ab eminentia vitæ; est splendidissima, ex veritate doctrinæ; est tota sphærica et rotunda, ex motu obedientiæ. Tertia ratio, quia, sicut inter cœlos est ordo, magni, majoris, et maximi, ut quoddam cœlum sit infimum, quoddam medium, quoddam summum, ita tamen, quod est influentia superiorum in imos, et non inferiorum in summos; est etiam ponere cœlum, quod est creatione primum, quod est situ altissimum, et influentia maximum, sicut est cœlum empyreum, quod influit in omnia inferiora, et media, et a nullo ipsum recipit influentiam; sic et in Ecclesia Dei quidam sunt prælati minimi, ut parochiales presbyteri; quidam medii, ut episcopi; quidam maximi, ut patriarchæ, ex quibus Romanus est dignitate summus, et influentia maximus, quia in eo est plenitudo potestatis, eo quod ipse auctoritatem dat aliis, et omnibus præcipit, et ipse a nemine recipit, quia cœlo primo per omnia est similis. Quid autem per stellas datur nobis hic intelligi, quæ factæ sunt in ornamentum cœli, nisi veri, justi, et maximi prælati, ut præcipue sunt Apostoli, qui Ecclesiam ornaverunt, et sanctitate vitæ, et splendore doctrinæ, et opere, et verbo? Sic ergo propositum verbum intelligendo, duo maxime in eo notantur: primum est, ipsius Ecclesiæ sancta pulchritudo; secundum, ipsius pulchritudinis magnitudo. Nam primo sanctam Ecclesiam pulchram esse, luculenter ostenditur, cum dicitur: *Species cœli*; secundo vero causam ipsius pulchritudinis subdit, cum dicit: *Gloria stellarum*. Et est sensus: Pulchritudo omnium Ecclesiarum est doctrina, et sanctitas prælatorum, sicut stellæ sunt in ornamentum suorum orbium. Sed nota: in stellis recte signantur sancti Apostoli, prælati primi et præcipui; et maxime ratione triplici: nam in stellis attenditur primo naturæ nobilitas; secundo, situs sublimitas; tertio, figuræ rotunditas. Nam stellæ sunt natura purissimæ, sunt situ et loco altissimæ; et sunt figuræ sphæricæ et rotundæ. Sic et sancti Apostoli fuerunt puri per continentiam; fuerunt alti per paupertatis excellentiam; et fuerunt sphærici et rotundi per obedientiam.

Dico primo, quod stellæ sunt natura puræ, eo quod lucis abundantia sunt formatæ. Non enim aliud est stella, quam lux aggregata. Unde, quando Deus lucem a tenebris divisit,

[1] *Cf.* Edit. Vatic., an. 1596, tom. III, pag. 323; Edit. Venet., an. 1754, tom. XI, pag. 162. Licet sermones qui sequuntur, verisimilius videantur ad Doctorem Seraphicum pertinere, exilioribus tamen typis, haud secus ac præcedentes, cudendi sunt, ut ne illis, plusquam satis est, favere videamur. — [2] *Eccli.*, XLIII, 10.

ejus naturam puram esse monstravit. Tunc enim albedo dicitur esse pura, quando de nigredine nihil est ei permixtum. Et tunc vinum dicitur esse purum, quando ab omni aquositate est separatum. Igitur stella, cum ex luce sit formata, et nihil habeat tenebrositatis, vel nulla sit ei admixta, ut in visu probat experientia, est de sui natura purissima, quamvis, Deo comparata, dicatur impura. Propter quod scriptum est [1] : « Ecce luna non splendet, et stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus, » quasi dicat : Stellæ in se sunt mundæ ; sed sunt immundæ, divinæ essentiæ comparatæ. Sancti ergo Apostoli fuerunt stellæ puræ per continentiam, et perfectam carnis et mentis munditiam. Unde et Dominus dicebat eis [2] : « Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus : » sed [3] « vos mundi estis, propter sermonem, quem locutus sum vobis. » Sed quis hodie [4] « mundus est a sorde ? nec infans unius diei, cujus vita est super terram. » [5] « Quis potest dicere : Mundum est cor meum, purus sum a peccato ? » [6] « Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine ? Nonne tu, qui solus es ? » Nam ad veram continentiam mentis requiritur, non solum ut contineat ab illicito tactu, sed etiam ab illicito gustu, et ab illicito visu, auditu, odoratu, etiam, quod majus est, ab illicito cogitatu, sicut docet doctor eximius Augustinus [7]. Sed proh dolor ! quia major in nobis incontinentia invenitur, quam in brutis. Nam videmus, quod aves observant in generando congruitatem temporis, nec unquam conveniunt, nisi tempore veris : tunc enim associant se, et simul nidificant, simul ovant, simulque pullificant, consimul pullos educant ; sed mox, completo generationis officio, a carnalibus cessant, nec usque ad idem generationis tempus ad se invicem appropinquant. Sed quis hominum illa facit ? quis abstinet ab uxoribus saltem festivis diebus ? Imo sunt multi, quibus ad luxuriam non sufficit tempus omne ; sed sunt [8] « sicut equus et mulus, quibus non est intellectus. » O humana lascivia ! O vana et detestanda carnalitas ! quanto major in brutis, quam in nobis munditia invenitur ! Nam inter pisces continentia conjugalis servatur, et nullum inter pisces adulterium committitur, cum hoc inter homines non servetur ; imo plures sunt coitus adulterini, et incestuosi, quam legitimi ; plures contra naturam, quam opere naturali.

Exemplum.

Secundo, stellæ sunt situ altissimæ : et hoc competit eis ex dignitate. Nam triplicem legimus naturam esse, sicut nobilitate, sic et loco distinctam. Prima est natura opaca, quæ maxime apparet in terra. Secunda est natura perspicua, quæ in ære se ostendit, et in aqua. Tertia est natura luminosa, quam habent sidera, corporaque cœlestia. Prima est natura obscura ; secunda est natura luminis receptiva ; tertia est luminis dativa. Prima de sui natura est infima ; secunda in medio est collocata ; tertia est in summo constituta. Cum igitur stella sit lux, ut dictum est, aggregata, debet esse in summo loco locata. Item constat cœlum situ esse altissimum [9] : « Altitudinem cœli quis dimensus est ? » Sed stellæ in cœlo sunt positæ : ergo in situ sunt altissimæ, quia in cœlo. Minor patet [10] : « Fecit Deus duo luminaria, et stellas, et posuit eas in firmamento cœli. » Sic etiam sancti Apostoli fuerunt altissimi, in cœlo per altissimam paupertatem et per affectum plantati, et a terra penitus elevati, non terrena, sed solum amantes cœlestia. Unde etiam dicebat Apostolus [11] : « Nostra conversatio in cœlis est. » Propter quod etiam in tantum detestabantur terrena, ut excuterent pulverem de pedibus suis. Ipsi fuerunt primi, qui relictis omnibus, secuti sunt Dominum. « Non enim, » ut dicit Bernardus [12], « expeditum et pauperem Dominum sequi poterant onerati. » Sed quis hodie sequitur in voluntaria paupertate Apostolos ? Jeremias [13] : « A minimo usque ad maximum, omnes avaritiæ student. » Amos [14] : « Avaritia (*a*) super caput (*b*) omnium. » O vanitas vanitatum ! o perversio naturarum ! quod tibi datur pedibus ad calcandum, tu ei non solum subjicis caput corporeum, sed etiam, quod est gravissimum, subjicis animum, rebus omnibus præferendum. Numquid non contra naturam esset, si quis cœlum terræ submitteret ? Hoc enim facere, esset ordinem naturæ pervertere, si ei locum summum dares, quod ex natura infimum habet, seu tenet. Sed longe est nobilior creatura tua anima, quam sit substantia cœlestis. Ergo contra naturam peccas, si eam per avaritiam terræ submittas. Quæ enim animalia viventia de rapina sic insudant

Stella quid.

[1] *Job*, XXV, 5. — [2] *Joan.*, XIII, 10. — [3] Ibid., XV, 3. — [4] *Job*, XIV, 4, juxta LXX. — [5] *Prov.*, XX, 9. — [6] *Job*, XIV, 4, juxta Vulg. — [7] Aug., *de Continentia*, II, 5, quoad sensum. — [8] *Psal.* XXXI, 8. — [9] *Eccli.*, I, 2. — [10] *Gen.*, I, 16. — [11] *Philip.*, III, 20. — [12] Bern. — [13] *Jerem.*, VI, 13. — [14] *Amos.*, IX, 1.

(*a*) *Cæt. edit.* Avaritiæ. — (*b*) *Vulg.* in capite.

rapinæ, et prædæ, ut nostri temporis homines? Nam leo, accepta præda, quiescit ad tempus; sed nunquam quiescit usurarius : imo ipsum tempus nocturnum, quod ex natura quieti est deputatum, convertit in computum : qui etiam si quiescat, usura vigilat : dicitur de divite. Unde Hieronymus ait [1] : « Bestia nunquam habet memoriam prædæ, nisi fame necessitatis urgente. Tunc enim, cum nimium famescit, prædam quærit : qua accepta, mox prædandi perdit memoriam. » O confusio humana, ut non prædetur bestia fera, nisi necessitate vitæ urgente, et prædetur nobilissima creatura, sola libidine avaritiæ inducente!

Tertio, sunt stellæ figuræ rotundæ, et ideo ad motum aptissimæ. Nam decet nobilissima corpora nobilissimam habere figuram. Sed stellæ sunt corpora nobilissima, quia ex luce formata, quæ est inter omnia corpora nobilissima, et omnium corporum universalis forma : ergo debent habere nobilissimam figuram. Sed figurarum nobilissima est sphærica figura, cum sit simplicissima, constans tantum ex una linea, sit capacissima, formosissima, sit etiam perfectissima, habens in se senariam perfectionem. Hæc omnia probantur certa experientia. Ergo constat stellarum corpora esse sphærica in figura : quare sunt ad motum aptissima. Corpus enim rotundum valde facile est ad motum. Sic et sancti Apostoli toti facti sunt sphærici : ad obedientiæ meritum aptissimi usque ad terminos mundi. Unde de eis propriissime dicitur illud [2] : « Stellæ dederunt lumen in custodiis suis : vocatæ (*a*) dixerunt : Ecce adsumus. » In quo perfecta monstratur obedientia : nam vocati a Domino, mox, « relictis omnibus, sequuti sunt eum, » ut dicitur [3]. Tantæ etiam obedientiæ fuerunt, quod nullos gladios timuerunt, nullos reges fugerunt, nullorum sapientiam formidaverunt; sed, accepto imperio, omnes angulos terræ penetraverunt. Psalmista [4] : « Non sunt loquelæ, » etc. Item [5] : « In omnem terram exivit sonus eorum. » Tantæ etiam fuerunt obedientiæ, quod non solum omnia sua reliquerunt, sed seipsos et proprias voluntates abnegaverunt. Sciebant enim Dominum non solum dixisse [6] : « Nisi quis renuntiaverit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus; » sed insuper addidisse [7] : « Qui vult venire post me, abneget semetipsum, » etc. Nam, sicut dicit Gregorius [8] : « Non multum laboriosum est homini relinquere quod habet; sed valde laboriosum est homini, relinquere seipsum. Minus quippe est, abnegare quod habet; sed valde multum est, abnegare quod est. » Quantæ ergo obedientiæ fuerunt, qui non solum sua, sed seipsos et vitam propriam reliquerunt! Sed quis hodie est, qui, non dico seipsum, sed sua pro Christo relinquat? Magis hodie homines obediunt auro, quam Christo. Unde in *Ecclesiaste* scriptum est [9] : « Pecuniæ obediunt omnia. » O confusio summa! O perversio detestanda! quia majoris sunt obedientiæ bruta, quam rationalia, cum tamen illa a suo rege nulla accipiant bona, nos autem a Rege nostro accipimus omnia naturalia, omnia gratuita, et accipere expectamus æterna. Nam apes, quæ a rege esse non accipiunt, sed eligunt sibi quem volunt, in tantum ei obedientes sunt, ut ad ejus imperium exeant, et subsistant; vadant, et redeant, et castra ponant : et quod majus est, quæ eum offenderit, de seipsa ultionem sumit, et aculei proprii vulnere se occidit. Quis hominum ista facit? Quis est, qui obediat ei, a quo esse accepit, a quo sensus et intellectum se habere sentit, a quo redemptus tanto pretio fuit, et in esse conservatur, et ipsius sola gratia subsistit? Et tamen dicitur [10] : « Gratiam fidejussoris tui ne obliviscaris : dedit enim pro te animam suam. » Quid tibi amplius facere potuit? nam tibi primo bona naturæ tradidit; secundo bona fortunæ, naturæ auxilium, dedit; tertio, tibi gratiam contulit; quarto, ut tibi nihil deesset, seipsum totum impendit. Ergo ei non obediens eris, cui obediunt cœlestia agmina, obediunt, velint nolint, dæmonia, obediunt omnia cœlestia corpora, et obediunt quatuor elementa et omnia animalia bruta? Ipse enim dicit [11] : « Quia vocavi, et renuistis; extendi manum meam, et neglexistis : ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo, cum vobis, quod timebatis, evenerit. » Christus ergo Jesus det nobis sic cum Apostolis puros esse, sic paupertatem amare, et obedire in omnibus præceptis suis.

Exemplum.

[1] Hieron. — [2] *Bar.*, III, 34. — [3] *Matth.*, IV, 22. — [4] *Psal.* XVIII, 4. — [5] Ibid., 5. — [6] *Luc.*, XIV, 33. — [7] *Matth.*, XVI, 24. — [8] Greg., *in Evang.*, hom. XXXII, n. 1. — [9] *Eccle.*, X, 19. — [10] *Eccli.*, XXIX, 20. — [11] *Prov.*, I, 24, 26.

(*a*) *Cæt. edit.* vocati.

SERMO II [1].

Stellæ manentes in ordine suo, adversus Sisaram pugnaverunt [2]. Quanta fuerit in Apostolis sanctitudo, quanta auctoritatis apostolicæ celsitudo, quanta etiam operationis strenuæ fortitudo, quis digne dicat? Nam fuerunt mente sanctissimi, quoad seipsos; fuerunt auctoritate celsissimi, quoad subditos; et fuerunt opere strenuissimi, quoad adversarios. In verbo enim præmisso, a tribus his commendantur : primo, ab eminentia sanctitatis in mente; secundo, a plenitudine potestatis in ordine; tertio vero, a constantia strenuitatis in opere. Nam animi sanctitas notatur, cum dicitur : *Stellæ*. Ordinis Apostolici dignitas et potestas notatur, cum dicitur : *Manentes in ordine suo*. Operationis eorum virilitas sequitur, cum subditur : *Adversus Sisaram pugnaverunt*.

Dicamus ergo: *Stellæ*, etc. Tria secundum exteriorem apparentiam inveniuntur in stellis, quæ valde proprie conveniunt sanctis Apostolis. Nam secundum apparentiam stellæ sunt parvæ, sunt pulchræ, sunt maximæ. Sic etiam Apostoli fuerunt : primo, parvi per humilitatem in mente; secundo, fuerunt pulchri per honestatem in corde; tertio, maximi per unitatis vinculum in utroque.

Dico primo, quod stellæ quoad apparentiam sunt valde parvæ, quamvis secundum veritatem sint maximæ, ita, quod terram excedere credantur in quantitate. Videntur tamen parvæ propter longitudinem viæ, et maxime distantiæ, quæ est inter cœlum et terram. Nam ad sensum videmus, quod maxima corpora, imo maximæ civitates et castra non videntur magna in multa distantia; et cum incipiunt videri, primo videntur parvissima. Unde in hoc appareret, quod stellæ sunt maximæ, quia, quocumque per mundum vadas, ad orientem, vel occidentem, meridiem, vel septentrionem, aliquæ eædem stellæ in uno loco per te visæ, in alio loco tibi apparent ejusdem quantitatis, cujus prius, similiter in eadem dispositione, et in eadem parte cœli, in qua prius (nihil omnino mutatæ inde, scilicet a loco), sicut in polo arctico, et in majori ursa, quæ circa illum polum vertitur, contingit videre. Nam, quod visus in earum quantitate fallatur, ex hoc aperte probatur, quia cum sunt in oriente, sive occidente, licet non sint a nobis magis remotæ, majores tamen apparent, quam quando super nos esse videntur. Unde major videtur sol, cum oritur, quam cum proximior circulo meridiei efficitur. Sunt ergo stellæ quantitate maximæ, sed in apparentia valde parvæ. Sic et Apostoli, et apostolici viri omnes, sunt Dei gratia, et virtute et potentia maximi; sed modo sunt minimi, quasi despectissimi, et quasi nulli penitus. Unde legitur [3] : « Stellas claudit quasi sub signaculo. » Res quæ sub signo clauditur, etsi magna sit, non videtur. Quid est ergo stellas sub signaculo claudere, nisi Apostolos sic humiles fore, ut non videantur aliquid exterius esse? Unde [4] : « Spectaculum facti sumus mundo, angelis et hominibus; » et [5] : « Tamquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema. » Est enim peripsema purgatura pomi, sive limatura ferri. Est ergo sensus verbi sic : Sicut pomi purgatura est res abjecta, cunctis vilissima, porcisque servata; sic nos cunctis vilissimi apparemus, quia humiliter vivimus. Luna enim, quando est versus mundum, est tota obscura, et dicitur esse nulla; et tunc versus cœlum tota est luminosa. Et e converso, quando versus mundum tota est luminosa, tunc versus cœlum est obscura tota. Et, secundum quod magis, vel minus recedit a sole, secundum hoc de lumine ipsa perdit. Non enim possumus in mundo simul, et in cœlo luminosi esse. Unde Hieronymus [6] : « Difficile, imo impossibile est, ut aliquis fruatur bonis præsentibus, et futuris, et hic ventrem, illic mentem repleat, ut de deliciis ad delicias transeat, in cœlo et in terra appareat gloriosus. » Si ergo gloriosi volumus esse, et volumus sursum ascendere, discamus nos humiliare. Nam naturale est aquæ, quod, quanto ab alto eximio monte descendit, tanto in parte contraria sursum tendit. Nam omne quod movetur, movetur a contrario. Unde quod ab oriente recedit, necessario versus occidentem accedit; et quæ a terra se elongat, cœlo necessario appropinquat, quia terra a cœlo summe distat. Sed vir humilis in imo sedet, dum se vilissimum credit : ergo, si movetur, necessario sursum tendit. Propter quod dicitur [7] : « Qui se humiliat, exaltabitur; et qui se exaltat, humiliabitur. » Superbus enim, cum se in summo ponit, cum in eodem statu esse non possit, ne-

Sella terram valde in quantitate excedit.

Peripsema quid.

[1] Neque hunc, neque tres sequentes habet edit. Hageno. an. 1496. — [2] *Judic.*, V, 20. — [3] *Job*, IX, 7. — [4] I *Cor.*, IV, 9. — [5] ibid., 13. — [6] Hieron., *Regul. Monach.*, et *in Psal.* LXXXIII. — [7] *Luc.*, XIV, 11.

cessario ad infima transit. Omnis enim casus est ab alto in imum. Quare, ubi nullus est locus altus, nullus potest esse penitus casus. Quanto situs est altior, tanto casus est gravior. Cum ergo humilis in imo se ponit, quod cadere non possit, certus existit.

Secundo, stellæ sunt valde pulchræ. Quid enim pulchrius luce? Si enim absque luce nihil est pulchrum, quia omne quod est obscurum, nullis humanis oculis est pervium, nisi a luce fuerit illustratum; restat lucem talem esse pulcherrimam, quæ existit omnis pulchritudinis causa : quia « Propter quod unumquodque tale, et illud magis, » ut Philosophus [1] dicit : sed nihil aliud est stella, quam lux in suo ordine aggregata : ergo stella de sui natura est pulcherrima. Sic et sancti Apostoli fuerunt pulchri per vitæ honestatem : fuerunt enim similes stellæ illi, quæ dicitur Matutina, quæ, stellarum pulcherrima, diei est nuntia. Unde et Venus appellatur, et stella Diana; eo quod Solis prænuntia, tota est radiosa. Unde quilibet Apostolus dicere poterat illud [2] : « Ego stella splendida, ego stella matutina. » Et de eis, propter honestatis vitam, secundum Fulgentium [3] exponitur illud *Ecclesiastici* (*a*) [4] : « Species cœli, gloria stellarum : » quia, sicut stellæ ornant cœlestem naturam, sic Apostoli ornaverunt statum Ecclesiæ. Unde assimilati sunt a Domino luci [5] : « Vos, » inquit, « estis lux mundi : » quia, sicut lux est tota pulchra, pulchrificans sua præsentia omnia, nec, transiens per sordida, fit immunda, sic sancti Apostoli sunt lumina radiosa, totius honestatis exemplaria, in nullo penitus sordida, vel corrupta, sed a sordibus alios trahentia. Sed quis honestatem habet? Debet namque honestas radicari in corde, et manifestari in ore et opere, ut appareat in exteriori habitu, et pulchrescat in visu. Nemo honestum se credat, si inhonesta vestimenta, vel alia corporis indumenta deferat, si inhoneste incedat, si inhonesta audiat, et si inhonesta libenter videat. Nam, sicut Augustinus [6] dicit, « impudicus oculus impudici cordis est nuntius. » Et sic est de omnibus sensibus cordi obedientibus. « Sic, » dicit Dominus [7], « luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est. » O quanta mala faciunt mala exempla, et verba inhonesta! Sic contra ad bonum incitant bona exempla, et animant bona verba. Nam et cygni dicuntur nidos relinquere, et ad loca proxima devolare, ut audiant homines cantare, et laborare, et easdem cum hominibus melodias formare. Nam multi sunt similes simiæ, quæ tentat omnia facere, quæ videt operari. Unde et se sotularibus [8] calceat, et gladio ducto per guttur se jugulat, si homines hæc facere advertat; nec humanas novit insidias : hæc enim homines in se facere dissimulant, ut eam decipiant. Nonne equi se exaltant in præliis, dum vocem tubæ clangentis intelligunt? Nonne pugiles animantur, dum clamoribus partium excitantur? Nonne fiunt ad pugnam milites fortiores, et fortius agitant lanceas, stringuntque mucrones, dum voce pariterque exemplo sui principis excitantur? Ex his omnibus manifestum est, quod tam ad bonum, quam ad malum, plurima valent exempla et verba. Est ergo peccatum gravissimum, verbo vel opere corrumpere proximum, et omnem vitæ honestatem vertere in peccatum et proximi corruptionem. Exemplum.

Tertio, secundum apparentiam, stellæ sunt sibi proximæ, sicut patet in sideribus galaxiæ [9], quæ, Philosopho teste, sunt multum luminosæ, et propinquæ [10]. Est enim notabile, quod stellæ, quanto sibi sunt viciniores, tanto sunt pulchriores, et majoris luminis expressivæ. Nam, licet stellæ, per se consideratæ, singulæ sint pulchræ, tamen ex sua vicinitate, dum sibi sunt proximæ, non solum sunt pulchræ, sed etiam valde pulchræ, quia fulgor unius insufficientiam supplet alterius; unitas autem, et proximitas, auget in eis claritatem et virtutem. Cujus ratio assignatur multis de causis. Quia omnis virtus, quanto magis fuerit unita, tanto potentior est in opus. Unde virtus duorum hominum simul unita levat lapidem, quem divisa non potest movere. Propter quod et Philosophus dicit [11], quod animalia parvi cordis sunt animi fortioris propter majorem virtutem. Sic et sancti Apostoli per fidem fuerunt sibi proximi, ideo per

[1] Arist., *Poster. Anal.*, lib. I, text. 5. — [2] *Apoc.*, XXII, 16. — [3] Fulgent. — [4] *Eccli.*, XLIII, 10. — [5] *Matth.*, V, 14. — [6] Aug., *Regul. ad serv. Dei*, n. 6. — [7] *Matth.*, V, 16. — [8] Sotularis, vel Sotular, est calcei genus a solea dictum, ut legitur in dictionariis. Hac voce, juxta quædam exemplaria, usus est B. Hier., lib. I, contra Jov., in fin.; nunc vero legitur soccus. Sunt qui velint lectum esse olim soccularis a socco. — [9] *Galaxia* est circulus albus, quem Græci *Galaxiam*, Latini vero *circulum* vocant : γάλα quippe *lac* significat. — [10] Arist., *Meteor.*, lib. I, c. V et VI, Summa. — [11] Id., *de partib. Animal.*, lib. III.

(*a*) Cæt. edit. *Ecclesiastes*.

unitatem animi fuerunt in virtute efficacissimi. Dicitur enim [1] : « Numquid conjungere valebis micantes stellas Pleiades? » quasi dicat : Ex hoc quod sibi sunt proximæ et conjunctæ, magis sunt virtuosæ. Sunt enim Pleiades septem stellæ sibi proximæ, quæ hiemali tempore apparent, et quanto aer serenior est et fulgidior, tanto magis discernuntur. Quarum una nec ex toto se manifestat, nec penitus se occultat. Ob hanc causam de Apostolis dicitur [2], quod « erat illis cor unum et anima una. » Nam et [3] « omnia, quæ accipiebant, omnibus dividebant, prout unicuique opus erat : » ita, quod [4] « non erat egens aliquis inter eos, sed erant illis omnia communia. » Sed ubi hodie unitas? ubi pax? ubi rerum concordia et communitas? imo ubi non discordia, ubi non guerra, ubi non propria, nullaque communia? Quæ civitas non divisa est? quæ castra non scissa? quæ hominum corda non sunt mortali odio vulnerata? Proh dolor! dolore tabesco, quia est major unitas columbarum, major struthionum, major gruum, et anserum, quam hominum. Nam illa simul vadunt, simul comedunt, simul terram petunt, simul extra se erigunt, et si in terra aliquod bellum geritur, mox ad pacem redeunt, et societatem pristinam non relinquunt. Sed, qui hominum ista faciunt, et injuriantibus parcunt, vindictam non potius expetunt? Utinam attenderemus verbum Apostoli [5] : Quia « unum corpus sumus in Christo Jesu, singuli autem alter alterius membra. » Numquid unum membrum ab alio casu læsum, laborat se vindicare, et non potius universa condonant? « Si enim cum gaudet (*a*) unum membrum, congaudent omnia membra; et si patitur unum membrum, compatiuntur omnia, » sicut docet Apostolus [6]. Unde, si quis cum membro non sentit, signum est mortis. Propter quod Bernardus ad quemdam sic ait [7] : « Si doles, condoleo : si non doles, doleo, sciens longe a salute esse membrum, quod obstupuit, et ægrum non se scientem periculosius laborare. » Christus ergo Jesus, sanctorum Apostolorum meritis, concedat nobis cordis humilitatem, vitæ honestatem, et mentis unitatem.

SERMO III.

Stellæ autem dederunt lumen in custodiis suis [8]. Inter corporalia aliquid invenire est, quod utique in se lucet, sed ejus illuminare non est : et tale corpus vita non est. Est et aliud corpus, quod in se lucet, et alia illuminat, et alia insuper illuminare facit, sed non est fons, neque principium, sicut in alabastro ostenditur esse ignis. Est et aliud corpus, quod lucet, et illuminat, et illuminare facit, et est fons et principium luminis, sicut est corpus solis. Quamvis ergo magnum sit in se lucere, est tamen majus, si posset aliis lumen dare, et suum lumen extra se derivare. Nam, etsi magnum est fonti in se aquas habere, majus tamen ostenditur esse, si sic abundet, quod superfluum faciat, et in partes alias aquam fundat. Est enim magnum, plenitudinem fontis habere, suæ saluti (*b*) sufficientem; sed maximum est aliis dare, quod tamen fit aliis gratiam impetrando. In verbis ergo propositis, Apostoli commendantur maxime : primo, ex parte propriæ voluntatis, qua fulgebant in mente; secundo, ex parte commendabilis veritatis, quam diffundebant proximis in sermone : ut sanctitas respiciat bonum intra, sermo veritatis, bonum extra, quod est aliis proficuum. Notatur ergo primo interior sanctitas, qua fulgebant, cum dicitur : *Stellæ*. Secundo, notatur exterior liberalitas, quam aliis prædicabant, cum dicitur : *Dederunt lumen*, etc. Necessarius ordo est, ut homo prius faciat, quod postea doceat; ut prius bene juvet, quam audeat prædicare. Unde Apostolus [9] : « Nihil prædicare (*c*) audeo eorum, quæ per me non effecit (*d*) Christus. » Et [10] : « Cœpit Jesus facere, et docere. » Prius enim fecit, et postea docuit. Nam rhetores ab his duobus oratorem definiunt : Ut sit vir bonus, quoad seipsum; et ad docendum arte peritus, quoad proximum. Dicunt enim, quod auctoritatem docendi perdere meretur, cujus sermo opere destruitur. Tullius [11] : « Caput est artis, docere quæ facis. » Dicamus ergo : *Stellæ*, etc. Est autem hic attendendum, quod, si considerentur stellæ quantum ad permanentiam, sunt incorruptibiles, sunt infatigabiles, et sunt ineclipsabiles. Sic et sancti Apostoli fuerunt incorruptibles, per tolerantiam; fuerunt infatigabiles, per constantiam; et fuerunt ineclipsabiles, per perseverantiam. Utinam homo haberet patientiam in adversis, constantiam mentis in prosperis, sed et perseverantiam pariter in illis.

[1] *Job*, XXXVIII, 31. — [2] *Act.*, IV, 32. — [3] Ibid., II, 45. — [4] Ibid., IV, 34. — [5] *Rom.*, XII, 5. — [6] I *Cor.*, XII, 26. — [7] Bern., *de Consid.*, lib. I, c. 1, n. 1. — [8] *Bar.*, III, 34. — [9] *Rom.*, XV, 18. — [10] *Act.*, I, 1. — [11] Cic.

(*a*) *Leg.* Si enim gloriatur. — (*b*) *Cæt. edit.* salutis. — (*c*) *Vulg.* Non. — (*d*) *Item* efficit.

Dicamus ergo, quod stellæ in suo esse sunt perpetuæ manentes, eo quod sunt incorruptibiles. Nam ubi causa corruptionis non est, ibi corruptio esse non potest : sed causa corruptionis contrarietas est, sicut in elementatis corporibus patet, quæ, quia sunt ex elementis et humoribus contrariis constituta, corruptioni necessario sunt subjecta. Sed stellarum corpora, cum sint simplicia, non sunt ex contrariis constituta : ergo non sunt corruptibilia. Cum enim omnis actio sit a contrario, ut dicit Philosophus [1]; ubi nulla contrarietas est, ibi nulla actio esse potest : ubi autem actio non est, nec passio, nec corruptio esse potest, quia omnis passio ab actione aliqua est semper. Item causa, quare elementa sint corruptibilia, est ipsa materia, quæ contenta non est sub forma; sed, cum est sub forma elementi unius, appetit esse sub forma alterius, quærens semper formam, in qua quiescat appetitus ipsius : quam, quia non invenit, non quiescit, sed semper circuit, si eam invenire possit. Sic avarus, dum satiari cupit, divitias quærit; sed, cum ab eis satiari non possit, semper circuit, nec quærere desinit. Cum igitur in stellis sit nobilissima formarum corporalium, scilicet forma lucis, totum appetitum materiæ sibi satiat, ut sub forma alia esse nolit : quare illa corpora sunt incorruptibilia per naturam. Sic et sancti Apostoli fuerunt incorruptibiles per veram malorum tolorantiam, habentes fortitudinem et patientiam mentis. Sciebant enim Dominum dixisse [2] : « In patientia vestra possidebitis animas vestras.» Unde potest illud de eis convenienter exponi [3] : « Videbo cœlos tuos, et opera digitorum tuorum; lunam et stellas, quæ tu fundasti,» id est, stabilia esse voluisti, ne ulli cederent passioni. Quid hic per cœlos solidos, non porosos, nisi sanctos intelligimus Apostolos? Quid per stellas stabiliter fundatas, nisi eorum in tormentis luminosas tolerantias? Sed interponitur ibi de luna, qua (*a*) signatur Ecclesia, a Christo vero sole illuminata. Nec intelligatur ulla nostra esse patientia, si non sit in fide solidata. Fuerunt ergo Apostoli in nullo porosi, sed solidissimi, sicut cœli nulli cedentes penitus passioni. Est autem triplex genus patientiæ secundum Bernardum [4] : Primum est tolerare injurias patienter : et hoc est omnium salvandorum. Secundum est, tolerare libenter : et hoc genus est gratia divina, et in virtute magnorum. Tertium genus est, pati gaudenter : et hoc genere patiendi patiebantur Apostoli, quia plus gaudebant in adversis, quam gauderent in prosperis. Unde dicitur [5] : « Ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. » Patientia enim sola est omnium virtutum probativa, quia, dicit Gregorius, [6] « qualis unusquisque apud se lateat, illata contumelia probat. » Quia quod fornax auro, quod lima ferro, quod tribula frumento, hoc facit tribulatio viro justo. Nonne fornax omne adulterinum separat, si adsit in auro? Nonne lima rubiginem tollit a ferro? Nonne tribula paleas separat a frumento? Non enim fornax aurum, si purum sit, minuit, vel corrumpit, vel consumit; nec lima ferrum inficit, sed potius pulchrum facit; nec tribula granum minuit, vel corrumpit. Sic, et tribulatio sanctos non vastat, sed roborat, et consolidat, et confortat. Nam insula, quamvis undique vallata est ab aquis, undique perfusa, non tamen ab aquis corrumpitur; sed amplius solidatur. Exempla Incus, quanto magis malleis tangitur, tanto solidior invenitur. Nunquam enim apparet, quam gravis sit aliquis sanctus, nisi injuriis et verberibus fuerit impetitus. Nam de leone invenitur, quod in periculis maxime invenitur gloriosus. Cum enim venatores venire præsentit, nunquam se abscondit; sed patenter se ostendit, et in medium campum vadit, in hominibus, canibus, jaculis, sagittis publice se opponit, et contra omnes, quid possit, ostendit.

Secundo, stellæ sunt infatigabiles, quia quamvis velocissime moveantur, in ipsa tamen longissima via, et dieta, quam faciunt, nulla fatigatione tenentur, quamvis in earum cursu nulla omnino quies ponatur; sed sine omni murmure et querela, motu non proprio, sed motu cœli, sidera moventur. Sic et sancti Apostoli fuerunt infatigabiles per mentis constantiam, ita ut a Dei servitio non possent averti. Unde dicebat Apostolus [7] : « Quis nos separabit a charitate Christi? an fames? an gladius? » Propterea exponitur de eis illud [8] : « Stellæ manentes in ordine suo, adversus Sisaram pugnaverunt » : quia (*b*) in apostolatu, quem cœperant Apostoli, constantes, persistentes, et contra Sisaram pugnantes, id est, diabolum, tota cons-

[1] Arist., *de Prædicam.*, c. v. — [2] *Luc.*, xxi, 19. — [3] *Psal.* viii, 4. — [4] Bernard., *in Convers. S. Paul.*, serm. ii, n. 2, et *in Cant.*, serm. xxxv, simile aliquid habet. — [5] *Act.*, v, 41. — [6] Gregor., *Dialog.*, lib. i, c. v. — [7] *Rom.*, viii, 35. — [8] *Judic.*, v, 20.

(*a*) *Cæt. edit.* quæ. — (*b*) *Item* qui.

tantia mentis bellum agentes, moveri a bono proposito nullatenus potuerunt, sed sua constantia mundum vicerunt. Nam, sicut dicit Augustinus [1] : « Inter omnia miracula hoc mirabilissimum fuit, quod viri abjecti, et vilissimi, divitiis nullis suffulti omnino, et sæculi honoribus destituti, omnem humanam potentiam dejecerunt, omnem mundi sapientiam devicerunt, et omnem mundi multitudinem innumerabilem prostraverunt. Nam contra eos, omnes commoti sunt principes, et tyranni, omnes insurrexerunt philosophi, et totus mundus intonuit; et tamen ita constantes fuerunt, quod ad fidem Domini omnes converterunt, Deo cooperante, et confirmante sermonem sequentibus signis. » Sed qui hodie sunt in mundo, qui sic constantes inveniantur in bono? Sunt enim homines nostri temporis similes vitro, quod omnem colorem suscipit. Similiter chamæleon, bestiola parva, diversa colorum varietate respersa, ad omnes colores, quos videt, faciliter variatur. Luna etiam, cum bonis planetis conjuncta, dicitur esse bona; sed malis sociata, dicitur quod cum eis sit noxia. O quanti sunt hodie, qui omnino sunt inconstantes, arundini similes, quæ cedit omni pulsui, sive vento! Ecce dicitur de Joanne Baptista [2] : « Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam? » Quasi dicat : Non. Debemus ergo similes esse arundineto, quod in figura rei hujus, inter aquas superiores, et inferiores, uniformiter semper movetur. Sed proh dolor! quia multi sunt, qui facile mutantur a bono, et valde constantes sunt in malo : non attendentes illud Catonis sapientissimi verbum [3] :

Exempla

Constans, et lenis, ut res expostulat, esto.

Tertio, stellæ sunt ineclipsabiles : sola enim duo sidera dicuntur eclipsabilia, scilicet Sol, et Luna, quamvis in eclipsando, diversa sit causa. Nam luna dum est vigesimaquarta, et in summa distantia a sole, sive ipsi soli opposita, inter se et solem posita terra, cum lumen a sole habeat, fit obscura; sol autem non eclipsatur interpositione terræ, sed lunæ, in ipsa sui cum luna conjunctione : dum scilicet conjunguntur in eodem signo, in eodem gradu, in eodem minuto, et in eodem secundo. Nam omne signum in zodiaco habet triginta gradus; quilibet autem gradus habet sexaginta minuta, et quodlibet minutum habet sexaginta secunda. Et quia non omni mense sic uniuntur, ideo sol non quolibet mense eclipsatur. His ergo duobus sideribus exceptis, aliæ stellæ dicuntur omnes ineclipsabiles. Sancti igitur Apostoli fuerunt sic ineclipsabiles per perseverantiam; nam anima eclipsatur, et obscuritatem patitur, dum inter eam, et Deum, peccatum interponitur, juxta illud [4] : « Peccata vestra diviserunt inter vos, et Deum vestrum. » Nam et nubes significativa peccati, dum inter nos et solem se ponit, nobis ipsum solem abscondit : et quanto est densior et obscurior, tanto umbra projecta fit nigrior, et nocti similior. Quia ergo Apostoli sancti nunquam mortale peccatum, post adventum Spiritus sancti, commiserunt, numquam eclipsati fuerunt, quia nunquam lumen, quod acceperant, amiserunt. Unde de eis potest exponi illud [5] : « Qui docti fuerint (*a*), » id est ipsi Apostoli, vel ab Apostolis docti, « fulgebunt quasi splendor firmamenti; et qui ad justitiam erudiunt multos, » id est, ipsi Apostoli, « quasi stellæ in perpetuas æternitates. » Et est sensus, quia sicut stellæ perpetualiter nitent, nec eclipsim sustinent, sic sancti Apostoli nunquam sunt eclipsati : quia culpa mortali, post adventum Spiritus sancti, nunquam sunt obscurati, sed in eo, quod perceperunt, stabiliter permanserunt; quamvis capti, quamvis ligati, quamvis carceribus mancipati, quamvis verberibus multis attriti, quamvis aliqui eorum crucifixi sint, tamen non potuerunt a Christo averti : « fundati enim [6] erant supra firmam petram. » Dominum enim dixisse audierant [7] : « Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. » Quid enim prodest homini fundare domum, et parietes erigere, si desinat tectum adjungere, et sic domum desinat consummare? Quid prodest aratori terram sulcare, et semina plurima jacere, si jam aucta et matura negligat colligere? Quid prodest vineam plantare, et in palos erigere, et usque ad maturitatem fructum diligenter excolere, et sollicite custodire si desinat ejus fructus in fine colligere? Et sic est in omnibus invenire, quia laus in fine canitur : quia, cujus finis bonus, ipsum quoque totum bonum est; et cujus finis malus est, ipsum utique totum malum est. Ob hanc enim causam Sapiens dicit [8] : « Ne laudaveris hominem in

Eclipsis quid, et quomodo fiat.

[1] Aug. aliquid habet simile, *de Civ. Dei*, lib. XXII, c. v. — [2] *Luc.*, VII, 24. — [3] Cat., *in Parœnes.* — [4] *Isa.*, LIX, 2. — [5] *Dan.*, XII, 3. — [6] *Matth.*, VII, 25. — [7] Ibid., XXIV, 13. — [8] *Eccli.*, XI, 30.

(*a*) *Cæt. edit.* fuerunt.

vita sua (*a*). » Ambrosius [1] : « Lauda post mortem, lauda post consummationem : lauda navigantis felicitatem, sed cum pervenerit ad portum : lauda ducis virtutem, sed cum perductus est ad triumphum. » Sed quidam non attendentes ista, bene incipiunt; sed ante finem deficiunt. In Quadragesima pœnitentiam incipiunt, quam statim in Pascha deponunt. Tales sunt cani similes, qui superflua rejicit, quæ comedit; et comesturus, iterum ad ea redit. Porcus etiam lotus aquis, ad lutum sponte redit, et magis lutum, quam munditiam diligit.

Sic igitur patet ex his, quæ tribus sermonibus sunt collecta, quod est considerare stellas, quoad essentiam, quoad apparentiam, quoad permanentiam, et quoad influentiam. Nam quoad essentiam, sunt puræ, sunt altæ, sunt et sphæricæ : et de his dictum est in sermone primo. Quantum ad apparentiam, sunt parvæ, sunt pulchræ, et sunt maximæ : et de his dictum est in secundo sermone. Quantum ad permanentiam, sunt incorruptibiles, sunt infatigabiles, et sunt ineclipsabiles, et de his dictum est in isto sermone. Quarto vero, quantum ad influentiam, sunt virtuosæ, sunt operosæ, sunt et luminosæ : et de his non dicam, quia in aliis sermonibus festivis me plura dixisse de his recolo. Illi ergo sint grates, qui hoc dedit.

SERMO IV.

Vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis [2]. Omnem hominem appetere esse beatum, ex dictis omnium antiquorum, et appetitu naturæ, constat ita certum, ut nulli, nisi stulto, vertatur in dubium. Nam Socrates philosophus inter cæteros philosophos quasi primus, dum omnem hominem appetere omne bonum, certa experientia probaret, et sapienti consideratione teneret, quod nemo, nisi summi boni participatione, obtinere beatitudinem posset; simulque videret, quod Deus purgatissimis mentibus videri posset; nec mentes, nisi optimis moribus, posse mundari conspiceret; omnem philosophiam traxit ad mores, in quibus mundatus, summum bonum cernere in se posset [3]. Mentis enim nostræ invalida acies, ut doctor eximius Augustinus [4] docet, in tam excellenti luce non figitur, nisi per justitiam fidei acuatur, et emundetur. Numquid lippus oculus, vel infirmus, solem audet in rota conspicere? Nam noctua et avium plurima genera, propter debilem virtutem visivam, magis, quam lucem, diligunt tenebras. Si enim oculus debilis solem aspexerit, non inde augmentum luminis accipit, sed caliginem potius cæcitatis incurrit; et unde visus noctuæ excæcatur et infirmatur, inde visus plurimum delectatur aquilinus. Ergo, si volumus ad beatitudinem, quam petimus, pervenire, quæ non est aliud, quam Deum videre, oportet mundos esse. Et ideo in verbo præmisso Dominus de discipulis duo ostendit. Primo enim asserit eorum puritatem; secundo, verbi divini prædicat potestatem : ut primum referatur ad Apostolorum munditiam; secundum vero, ad verbi divini efficaciam. Primo ergo sanctos Apostolos candidos monstrat, cum dicit : *Vos mundi estis*. Secundo vero munditiæ causam explanat, cum addit : *Propter sermonem*, etc. Divinus ergo sermo potestate plenus est, et ideo mundare omnes, quos voluerit, potest. Est ergo notandum, quod triplex est munditia hominum, necessaria ad visionem divinam. Prima est munditia cordis; secunda est munditia oris; tertia est munditia operis. Est enim cor mundare, nihil immundum, vel noxium (*b*), cogitare. Est os mundare, nihil turpe dicere. Est opus mundare, nihil immundum videre, vel audire, nihil immundum cogitare, perpetrare, vel tangere. Exemplum.

Dicamus ergo, quod prima munditia est cordis, quasi aliarum omnium radicalis, sive fontalis. Inter omnia enim membra, cor est creatione primum, est animæ principale domicilium, est influentia maximum, et ideo motu continuum, et est omnis motus et vitæ principium : quia nec os aperimus, nec aliquid aliud agimus, nisi hoc ex corde operemur. Impossibile est enim aliquid esse in opere, vel in ore, nisi prius fuerit in corde : vel quale verbum cordis, tale est oris, et operis. Numquid qualis est fons, non talis est aquarum fluvius? Numquid qualis est radix, non tales sunt rami arboris? Secundum enim virtutem grani, et varie-

[1] Verba, quæ hoc loco sub nomine B. Amb. citantur, extant in hom. II S. Max. Ep. Taur. de Natali S. Eusebii Vercel. Ep., de quo etiam B. Amb. sermo qui est in ord. XV, inter Ser. *de Sanctis*, cujus initium est fere idem cum hom. vel fer. S. Maximi, cum aliis quibusdam verbis Ser. B. Maximi recitatur in 2 Nocturno Off. Conf. Pont. Maximus autem et Ambrosius contemporanei fuerunt. — [2] *Joan.*, XV, 3. — [3] Laertius in *Socrate*, in fine, ex Xenophontis auctoritate id asserit. — [4] Aug., *de Civit. Dei*, lib. 2, c. 2, inquiunt Editores Romani; sed non potui reperire locum.

(*a*) *Vulg.* ante mortem. — (*b*) *Cæt. edit.* innoxium.

tatem virtutis seminis, tale et illud, quod procedit. Quare, si verba nostra et opera volumus esse munda, Apostolorum more, prius mundanda sunt corda. Dominus, loquens Apostolis, ait [1] : « Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. » Nota, quod non dicit : Beati mundo ore, vel opere : quia possent opera videri munda, cum corda essent immunda ; sed non possunt esse opera immunda, si fuerint corda munda. Unde in Canonica Jacobi dicitur [2] : « Emundate manus, peccatores, et purgate (*a*) corda vestra, duplices animo : quasi dicat : Si manus, id est, opera vultis esse munda, studete prius purificare corda, quæ sunt fontalia operum nostrorum principia. Unde et Propheta orabat [3] : « Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor. » Hyssopus humilis, et odorifera herba, signat cordialem gratiam, qua mundantur omnia exteriora nostra. Unde notabiliter dicitur [4] : « Super nivem dealbabor : » nix enim non solum munda et alba exterius est, sed etiam in profundo interius, a qua exterior albedo causatur : ut per hoc detur intelligi, quia illa munditia dicitur esse vera, quæ est foris et intra. Nam et mens alba, munditia : ex dominante magno frigore castitatis, in anima generatur omnis vera munditia. Sed qui sunt hodie, qui cum Apostolis habeant corda munda? Unde in *Proverbiis* [5] : « Quis gloriabitur mundum se habere cor? » Valde est mirabile et detestabile, quod toto posse sic homines laborant a turpibus sollicite lavare corpora, mundare a vermibus capita, mundare a noxiis intestina, mundare a sordibus vestimenta, quærunt in lectis munda linteamina, munda fercula, munda vina, et munda valde mancipia, et non curant, si immunda habeant corda. Quid stultius? quid detestabilius? quid inordinatius? Vis habere omnia munda; et animam, cœlo nobiliorem, non curas esse immundam. Sed dicit Job [6] : « Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu, qui solus es? » Ergo, fratres, rogandus est Deus, et toto corde invocandus, ut mundet nos ab immundis cogitationibus, et mundatis cordibus gratia ipsius, omnia valeant esse munda. Sed quidam similes sunt sepulcris exterius dealbatis, sed interius omni spurcitia plenis, scilicet cadaveribus mortuorum. Turpe enim esset, nec est aliquis, qui sustineret, ut vasa sua, in quibus ponit vina et cibaria, essent exterius munda, et interius immunda. Cygnus est avis exterius valde alba in pennis; sed caro ejus sub pennis est valde nigra. Unde tales arguit Dominus [7] : « Væ vobis, scribæ et pharisæi, quia mundatis quod deforis est calicis, » etc. Et addit [8] : « Pharisæe cæce, munda prius quod intus est calicis, et paropsidis, ut illud, quod deforis est, fiat mundum. » Exemplum.

Secundo, nobis necessaria est munditia oris. Quomodo enim cum rege stare valet, aut loqui habet, qui immundum os portat? In nullo enim loco prius apparet immunditia, quam in ore : immunditia enim oris testis est immundi cordis. Nam philosophus docet, primo Perihermenias [9], quod voces sunt earum, quæ sunt in anima, passionum notæ. Et Richardus dicit [10] : « Idem omnino est verbum cordis, et oris : nisi quod in corde est nudum, et in ore vestitum. Non enim aliud est vox, quam verbi vestimentum. Et Dominus [11] : « Ex abundantia cordis os loquitur. » Ergo, qualia sunt cordis, talia sunt verba oris. Non enim credant se habere corda munda, qui verba habent immunda. Non potest homo trahere de granario, nisi bladum, quod ibi est; nec vinum de dolio, nisi illud, quod ibi continetur. Ergo lingua loquitur de eo, quod in horreo est cordis. Qui enim comptus est, id est, ornatus, et qui libenter de mulieribus loquitur, adulter probatur : quia nunquam melius, quam per linguam homo cognoscitur. Numquid non per linguam cognoscuntur Theutonici? numquid non Gallici? numquid non Græci? Unde Petro dictum est [12] : « Nam et loquela tua manifestum te facit. » Ergo, si vis ut credamus te habere mundum cor, os habeas foris mundum, secundum quod dicit Job [13] : « Purus est sermo meus, et mundus sum in conspectu tuo. » Sed de quibusdam habetur in Psalmis [14] : « Sepulcrum patens est guttur eorum. » Quid enim sepulcro patenti fœtidius? et quid ore fœtido immundius? Non consueverunt homines juxta illos libenter stare, quibus consuevit os fœtere. Vere quilibet hodie potest dicere illud *Isaiæ* [15] : « Væ mihi, quia tacui, » id est, a bonis silui : « quia vir pollutus (*b*) la-

[1] *Matth.*, v, 8. — [2] *Jac.*, iv, 8. — [3] *Psal.* l, 9. — [4] Ibid. — [5] *Prov.*, xx, 9, quoad sensum. — [6] *Job*, xiv, 4. — [7] *Matth.*, xxiii, 25. — [8] Ibid., 26. — [9] Arist., *de Interpret.*, lib. i, c. i. — [10] Richard., part. I, lib. VI, c. xii, *de Trinit.* — [11] *Luc.*, vi, 45. — [12] *Matth.*, xxvi, 73. — [13] *Job*, xi, 4. — [14] *Psal.* v, 11. — [15] *Isa.*, vi, 5.

(*a*) *Vulg.* purificate. — (*b*) *Cæt. edit.* pollutis.

biis ego sum, » non tacendo tantum bona, sed loquendo perversa. Et causam hujus pollutionis exprimit, cum adjungit : « Et in medio populi, qui polluta labia habet, ego habito. » Videte quanta mala faciat, habitare cum malis : Nam ideo polluta labia habebat, quia cum hominibus, quorum erant polluta labia, habitabat. Quis cum scabioso jacebit, et scabiosus non erit ? Quis cum leprosis habitat, et lepram evadere poterit ? Morbus enim contagiosus est lepra, et habent leprosi ora fœtentia, alios inficientia; et ideo habitant extra castra, ne per eos inficiantur qui sunt sani. Nam et ovis scabiosa a grege est amovenda, quia sua mora totius gregis est infectiva. Propter quod sunt homines declinandi, quorum ora sunt immunda, quia manus, tangens immunda, fit ipsa immunda. Quid ergo faciendum? Utique os est mundandum, sed ab immunditia oris quis mundabit? Est ergo rogandus Deus, ut ipse, qui mundat Prophetæ labia, mundet et nostra : nam dicit Isaias [1] : « Volavit ad me unus de Seraphin, et tetigit os meum, et dixit : Ecce tetigi labia tua, et auferetur iniquitas tua, et peccatum tuum mundabitur. » Non enim per nos possumus mundare ora nostra. Unde quidam sanctus pater dixit de se, triginta annis hoc tantum Deum rogasse, ut eum liberaret ab immunditia linguæ ; et tamen dicit, quod non erat dies, in qua per linguam non peccaret.

Tertia munditia, quæ fuit in Apostolis, fuit munditia operis : quæ consistit non solum in operibus tactus, sed etiam visus, auditus, morum, et incessus. Tunc enim munda opera facimus, quando munda videmus, munda audimus, munda tangimus, et cum mundis personis incedimus. Sed cum horum contrarium facimus, immundi utique sumus. Valde turpe est, naturæ et rationi contrarium, ut homo immun-
Exemplum. ditiam diligat, quam bruta declinant. Nam ciconia, si adulteris amplexibus polluatur, nunquam ad virum redit, nisi prius fuerit lota aqua : similiter et leæna, cum miscetur concupiscentiæ pardi, non, nisi lota aquis fuerit, ad leonem ire præsumit : item, quod majus est, elephas amator castitatis, sicut raro contingit, cum uxorem cognovit, mirabiliter abscondens se, latebras magnas quærit, nec unquam ad socios redit, nisi prius in flumine se laverit. Item, quod majus existit, cygnus avis, si uxorem cognoverit, nunquam comedet, nisi prius lota fuerit aquis. O humana confusio? o detestanda perversio, ut immunditiam, quam detestatur brutum, amplexetur homo! Quis hominum est, qui post cognitionem, non dico uxoris suæ, sed postquam adulteria multa commisit, socios suos fugiat, vel ad eos non redeat; nec ad mensam, ubi manducatur, accedat, nisi prius a culpa se abluat? Imo, quod gravius est, non solum dominum naturalem fugit, sed ad cœlestem sic accedit. Ergo, charissimi, mundemus animas nostras, mundemus et corda nostra, mundemus et opera nostra, si disponi volumus ad visionem divinam, quæ tantum a Christo est repromissa. Nam ad munditiam operum invitamur per Isaiam [2] : « Lavamini, inquit Dominus, mundi estote, quiescite perverse agere, discite benefacere, judicate pupillos, defendite viduam, venite, et arguite me, » si vos non misero ad divinam visionem. Unde statim ibidem subjungitur : « Si volueritis, et audieritis me, bona terræ comedetis, » id est gustando me videbitis, juxta illud Psalmi [3] : « Gustate, et videte, quoniam suavis est Dominus. » Rogemus ergo, etc

SERMO V.

Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis [4]. Ex duabus substantiis constat homo, sicut docet Auctor *de Spiritu et Anima* [5], et certa experientia, scilicet corpore et anima. Ob quam causam, ut dicitur in eodem libro, factus est Deus homo, ut totum hominem in se beatificaret, ut sive ingrederetur, sive egrederetur, pascua inveniret : pascua foris, in carne Salvatoris; et pascua intus, in divinitate Conditoris. Nam beatitudo animæ est in visione Dei; sed beatitudo corporalis substantiæ est in visione corporis Christi. Nam ob hanc causam dicitur [6] : « Hæc est vita æterna, ut cognoscant te verum Deum, et quem misisti Jesum Christum. » Quia ergo Christus Dominus Deus erat et homo, ideo Apostolis ipsum cernentibus recte dicebat : *Beati oculi, qui vident.* In quo verbo divina describitur visio quantum ad quatuor : primo, quantum ad visus instrumentum, scilicet organum; secundo, quantum ad videndi actum; tertio, quantum ad visus objectum; quarto vero, quantum ad visionis præmium. Prima tria statum respiciunt viatoris; sed quartum respicit statum

[1] *Isa.*, VI, 6-7. — [2] *Isa.*, I, 16-18, 19. — [3] *Psal.* XXXVI, 9. — [4] *Luc.*, X, 23. — [5] *De Spir. et Anim.*, c. II, inter *Oper* Aug., Append. tom. VI. — [6] *Joan.*, XVII, 3.

comprehensoris. Per prima enim tria, meritis ditamur in via; sed per præmium quarti, sublimamur in patria. Notatur ergo primo instrumentum visus, cum dicitur : *Oculi*. Notatur secundo visionis actus, cum dicitur : *Qui vident*. Tertio notatur visionis objectum, cum dicitur : *Quæ vos videtis*. Notatur etiam quarto loco visionis præmium, cum dicitur : *Beati*. Tota ergo intentio verbi propositi vertitur circa visionem Verbi incarnati : nam ex visione Christi dicebantur Apostoli esse beati quodam modo in via, perfecte beatificandi in patria. Est ergo notandum, quadrupliciter Deum videre debemus : primo, in præsepio et fœno; secundo, in cœnaculo; tertio, in patibulo; quarto vero, in cœlo empyreo : ut sic eum videamus, in cœnaculo pedes discipulorum humiliter lavantem, in fœno miserabiliter vagientem, in patibulo pœnaliter morientem, et videamus in solio eum sublimiter præsidentem. Nam visio stabuli exemplum fuit altissimæ paupertatis; visio cœnaculi fuit exemplum profundissimæ humilitatis; visio pœnalis supplicii est exemplum altissimæ charitatis; sed solii visio est exemplum excellentissimæ potestatis.

Dicamus ergo primo, quod Christum debemus videre in præsepio miserabiliter vagientem, in signum altissimæ paupertatis. Unde, fratres charissimi, flectamus oculos cordis nostri, ad videndum paupertatem Christi, qui, [1] « cum esset dives, propter nos egenus factus est, ut illius inopia divites nos essemus. » O Deus æterne, quid fuit videre Filium tuum unigenitum, Regem et factorem cœlorum, et cœlestium omnium angelorum, in una civitate non invenisse domum, sed pro domo elegisse stabulum jumentorum? Quid etiam fuit videre Regem omnium, et Deum deorum ipsum, in stabulo non habuisse locum, nisi breve vileque præsepium? Quid deinde fuit videre Regem summum, cujus erat stellatum solium, et viliter super fœnum positum? Quid videre fuit Deum, universum mundum continentem, stricta fasciola esse strictum, et panniculis vilibus esse involutum ? Quid videre fuit gloriam, et lætitiam angelorum utiliter laudantem (*a*), sic commanentem inter bovem et asinum? Ergo, si hujus Regis quæris palatium, tibi ostenditur stabulum. Si quæris regium vestimentum, auro argentoque textum, monstrantur tibi panniculi pauperum hominum. Si quæris regalem exercitum, et obsequium famulorum, bovem attende, et asinum. O paupertas summa! o prædicanda egestas! o admirandum, et pro posse imitandum exemplum! sic videre pauperem Regem regum, et lætitiam vagientem! Unde et pastores dicebant [2] : « Transeamus usque ad Bethlehem, videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis. » Et sequitur : « Et venerunt festinantes, et invenerunt Mariam, et infantem positum in præsepio. » Unde et ipse Dominus de se ait [3] : « Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos : filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet. » Vere nulla animalia, quantumcumque modica sunt, quæ non habeant sua latibula; nulla volatilia sunt sine nidis suis; regum terræ loca sunt ampla valde, habentia palatia sectis lapidibus fabricata, pretiosa valde sunt vestimenta, stramenta lectorum delicata, et exquisita cibaria. Tamen divina sapientia propter nos est bonis omnibus temporalibus destituta. Quis hodie propter Christum desiderat esse pauper ? Imo quis non anhelat ad divitias toto posse? O humana avaritia, quæ sic congregare es sollicita, quando non congregant animalia bruta, non projiciunt terris semina, nulla fabricant horrea, nulla replent cellaria ; sed sibi labore continuo quærunt escam. Ad hanc considerationem invitat nos Dominus dicens [4] : « Respicite volatilia cœli, quæ non metunt, neque serunt, neque congregant in horrea; et tamen Pater vester cœlestis pascit illa. Et de vestimento, quid solliciti estis ? Considerate lilia agri, quomodo crescunt : non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est, sicut unum ex istis, » etc. Si enim, sicut ipse ibidem docet nos, sumus majoris pretii, quam sint illa; si ipse illis alimenta, et istis vestimenta tribuit, quanto fortius dabit nobis? Ergo congregare, signum est avaritiæ, et defectus fidei christianæ. Sed objicis : Nonne congregant formicæ et apes, taxi et mures? Dico, quod sic; sed hoc faciunt ex necessitate naturæ, non ex libidine avaritiæ. Nam apes et formicæ, cum sint corpore et viribus parvæ, si non congregarent in æstate, cum escas invenire non possent in hieme, deficerent fame. Taxus quidem et mures congregant spicas in æstate,

[1] II *Cor.*, VIII, 9. — [2] *Luc.*, II, 15. — [3] *Matth.*, VIII, 20; *Luc.*, IX, 58. — [4] *Matth.*, VI, 26-29.

(*a*) *Forte leg.* viliter jacentem, *vel* vagientem.

quia invenire non possent in hieme, etiamsi exire possent. Utinam sic congregarent homines, sicut congregant formicæ et apes; nulla enim congregat sibiipsi, sed communitati. Communiter enim colligunt, communiter reponunt, communiter comedunt, nihil proprium possidentes. Quod si homines facerent, statum innocentiæ repræsentarent, eo quod non quæ sibi tantum, sed quæ communitati essent necessaria, procurarent.

Secundo, debemus videre Christum in cœnaculo lavantem similiter et ministrantem, in signum profundæ humilitatis. Quis enim ullis exprimat verbis, quanta humilitas fuerit, quando Dei Patris Filius ad pedes discipulorum, et piscatorum vilium genu flexit, pedes eorum lavit linteo, quo præcinctus erat, extersit, et pedibus eorum oscula charitatis labiis divinis impressit? Hoc enim admirans Petrus dixit [1]: « Domine, tu mihi lavas pedes? » quasi dicat; Tu Dominus, mihi servo; tu gloriosissimus, mihi vilissimo; tu altissimus, mihi abjectissimo; tu potentissimus, mihi debilissimo; tu sapientissimus, mihi stultissimo; tu optimus, mihi malo lavare vis pedes? [2] « Non lavabis mihi in æternum. » Dicitur enim in *Itinerario* Clementis, quod recordatus Petrus humilitatis Domini, quomodo de nocte per singulos circuibat, et eos cooperiebat, lacrymas continere non poterat: unde pannum semper portabat, quo lacrymas abstergebat. Ad considerationem ergo et sequelam tam profundæ humilitatis, Dominus Moysen, et Moyses nos omnes invitavit in exemplum, quando dixit [3]: « Vide omnia, et fac secundum exemplar, quod tibi monstratum est in monte. » Mons ille, [4] « in quo beneplacitum est Deo inhabitare; mons coagulatus, mons pinguis, » mons omnibus bonis plenus, Filius Dei fuit, qui in exemplum perfectæ humilitatis omnibus datus fuit, ut ultra homo superbire non posset, quando sic Filius Dei se subjecit. Turpe est, fœdum est, contra rationem est, ut servus sedeat in alto, ubi rex sedet in imo; et illic membrum vilissimum alta petat, ubi caput se ad infima declinat; et pedes eleventur in aera, ubi caput ambulat super terram. Quis enim in alicujus curru magni regis sedeat in alto, si rex sedeat in imo? imo quis est qui, rege sedente in solio, ad pedes ejus se non ponat in imo? Ergo abusio detestanda est, superbia est, ut sub humili capite, membrum vilissimum esse velit superbum. Quod si tanta exhibetur subjectio regi terreno, morti et corruptioni supposito, quanta est exhibenda regi æterno, summo et incommutabili bono? Nam animalia, cum coram leone sunt, suo rege, stant dimisso capite, nec audent faciem levare [5]. Ergo, quod brutum animal facit suo regi, sive leoni, non facit animal rationale Domino suo potenti, cujus imperio a nullo resisti potest, vel in aliquo obviari? Exemplum.

Tertio, videre debemus Deum in patibulo pœnaliter morientem, in exemplum latissimæ charitatis. Quis est homo, qui hodie velit mori pro proximo? Quis vicinus, qui appetat mori pro vicino? Quis propinquus, qui sustineat mori pro propinquo? Quis germanus pro germano? Quis hodie pater pro filio, et maxime ingrato et malo? Ergo, fratres charissimi, quanta charitas Christi fuit, qui pro suo malo, pessimo, ingrato et blasphemo inimico, nec sibi in aliquo obligatus, pœnam non solum sustinuit, sed etiam desideravit, in ligno utique ribaldorum, et latronum, tormenta? Ad hujus ergo considerationem charitatis invitat nos Dominus [6]: « O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor similis, sicut dolor meus. » Et in *Isaia* dicitur [7]: « Vidimus eum despectum, ac novissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem. » Quis posset ullis exprimere verbis, quantum Salvator in patiendo doluerit?

Primo ergo considera, quis est qui patitur: quia Rex magnificus, Rex potentissimus, Rex nobilissimus, Rex sapientissimus, Rex altissimus, Rex carne tenerrimus, et Rex carne sanissimus. Quia ergo talis erat anima, quæ in illo sanissimo corpore, perfectissime complexionato habitabat, separari ab eo per naturam penitus renuebat Ergo, dum a corpore ita sano dolores eam exire faciebant, utique summe dolebat. Omne enim membrum, quanto delicatius est, et complexione nobilius, tanto plus dolet, si patitur. Ergo dum anima Christi in corpore delicatissimo, summeque nobilissimo, et perfectissime complexionato, vulnera dura circa membra virtuosa et tenera sustinebat, supra humanum modum dolebat; et maxime, cum se a suo corpore amantissimo dividebat. Item, si quæcumque anima a suo corpore, quantum-

[1] *Joan.*, XIII, 6. — [2] Ibid., 8. — [3] *Exod.*, XXV, 40. — [4] *Psal.* LXVII, 16-17. — [5] Hieron., *in Ose.* — [6] *Thren.*, I, 12. — [7] *Isa.*, LIII, 3.

cumque infirmo, quantumcumque infecto, quantumcumque misero, senioque depresso, sine magno dolore separari non potest, quantum dolorem anima Christi sustinuit, dum a tam nobili corpore se divisit?

Secundo attende, pro quibus patiebatur Christus : nam pro illis patiebatur, qui eum ceperant, qui eum ligaverant, qui ejus oculos, tanquam latronis, velaverant, qui eum morti accusaverant, qui eum flagellaverant, qui eum illuserant, in eum conspuerant, ejus maxillas percusserant, et ipsum ad mortem, et ad vilissimum genus mortis judicaverant. Ergo dum suam charitatem ad eos tendebat, et ipsorum ingratitudinem tantam esse cernebat, quod eum patrem amantissimum, et redemptorem piissimum, et defensorem tutissimum occidebant, dolores ejus animam maxime vulnerabant. Nam dicitur [1] : « Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit : » ecce amoris magnitudo. [2] « Et nos reputavimus eum quasi leprosum, quasi percussum a Deo, et humiliatum : » ecce amaritudo. Unde sapiens quidam dicit in persona Christi :

Homo, vide, quanta pro te patior;
Vide pœnas, quibus afficior;
Vide clavos, quibus confodior
Et cum sit tantus dolor exterior,
Interior tamen planctus est gravior,
Dum ingratum te experior.

Tertio licet attendere a quibus passus est : nam a fratribus, quos de ægyptiaca servitute eruerat, pro quibus mare aperuerat, Pharaonem cum omni exercitu suo submerserat, et ipsos sicco pede transire fecerat; quibus panem de cœlo, et aquam de petra produxerat, flumen Jordanem diviserat; et pro quibus omnes populos Chananæorum occiderat; pro quibus, et ex quibus naturam assumpsit, et a potestate diaboli venerat eripere. Gravissima ergo pœna fuit, quam tanta amicitia arguit. Unde et in Psalmis dicitur [3] : « Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique; et si is qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. Tu vero homo unanimis, dux meus, et notus meus. » Valde enim dolorem aggravat, dum ille mala irrogat, qui consolari debebat. Conclude ergo ex præmissis, quanta charitas fuit, quæ eum doloribus tantis supposuit. Unde clamat Gregorius [4] : « O inæstimabilis dilectio charitatis! ut servum redimeres, filium tuum tradidisti! »

Quarto, videre debemus Christum in supremo solio sublimiter consedentem, in signum amplissimæ potestatis. Unde dicitur [5] : « Regem in decore suo videbunt. » Quid enim est Christum in suo decore videre, nisi eum in majestatis suæ gloria, qua judicaturus est, cernere? Nam, qui fugiunt modo Christi paupertatem, qui contemnunt ipsius humilitatem, qui tantam non diligunt ejus charitatem, necesse est ut cadant sub ejus justissima potestate, quam nemo divertit pretio, vel prece. Unde dicitur [6] : « Zelus, et furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquiescet cujusquam precibus, nec recipiet pro redemptione dona plurima. » Bernardus [7] : « Veniet dies illa, in qua plus valebunt pura corda, quam marsupia plena : quia judex noster non falletur verbis, nec ullis poterit flecti donis. » Nihil etiam valebit sua potentia Thesauri (*a*), vel aurum Neroni, vel sua philosophia Platoni, vel sua argumenta Aristoteli, nihil rhetorica Ciceroni : quia, ut dicit Leo, tunc non valebunt munera regum, non valebunt advocationes judicum, non valebunt sophismata logicorum, nec prodesse poterunt præclarissima eloquia oratorum, nec insuper versutiæ versutorum. Quia, sicut dicit Chrysostomus [8] : « Judex noster non flectetur timore, quia ompotens est : non falletur sermone, quia sapientissimus est : nec corrumpi poterit munere, quia justissimus est. » Et propter hæc Joannes Abbas dicit [9] : « Quanti in illa die elingues, et muti feliciores loquacibus erunt! quanti pastores prophetizantibus præerunt, quanti rustici præferendi sunt rhetoribus, et quanti hebetes argumentis præferendi sunt Ciceroni! » Ergo, fratres charissimi, si volumus hæc mala tanta vitare, et Christi effugere potestatem, videamus et imitemur illam paupertatem, quam ostendit in stabulo; videamus et imitemur illam humilitatem, quam ostendit in cœnaculo; videamus nihilominus illam charitatem Christi, quam in ligno se habere probavit, ipso donante, qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit, etc.

[1] *Isa.*, LIII, 4. — [2] Ibid. — [3] *Psal.* LIV, 13-14. — [4] Greg., in cantu *Exultet*. — [5] *Isa.*, XXXIII, 17. — [6] *Prov.*, VI, 34. — [7] Bern., *ad Robert.*, epist. I, n. 7. — [8] Chrysost., hom. V, *de Pœnit.*, sub finem, aiunt Editores Romani. — [9] Joannes Abbas, num Cassianus?

(*a*) *Forte leg.* Herodi.

SERMO VI [1].

Beati oculi, qui vident quæ vos videtis [2]. Docet Anselmus in libro *de Veritate* [3], quod ad visionem veram quatuor sunt necessaria : primum est aperitio oculi; secundum est præsentia objecti; tertium est remotio obstaculi; quartum vero, illuminatio medii. Nam quodcumque horum defuerit, oculus videre non poterit. Ex his quatuor Dominus, de visione loquens Apostolis, duo ponit aperte in littera, dans aperte intelligere alia duo, quæ non continentur in littera. Nam cum eis ipse erat præsens, tanquam visionis objectum, quia nullum inter eos medium erat, sed omne remotum impedimentum, quia ipsa vera lux aderat illuminans medium, et visus apertus erat super loquentem dirigens rectum radium, vel affectum. In littera ergo proposita, sive verbo, duo tanguntur maxime, eis superaddito præmio. Nam primo tangitur aperitio oculi; secundo præsentia objecti; tertio excellentia præmii : ita quod primum et secundum respiciunt statum viæ, quæ data est homini ad merendum; tertium vero respicit statum patriæ, quod datum est homini ad fruendum. Nota ergo primo aperitionem instrumenti, cum dicitur : *Qui vident*. Secundo nota præsentiam objecti, cum dicitur : *Quæ vos videtis*. Tertio nota sublimitatem præmii, cum præmittitur : *Beati*. Dignum est enim, ut qui ea, quæ videnda sunt in via (*a*), intueantur in patria sublimiter. Est ergo notandum, quod cum sanctis Apostolis, nostræ vitæ ducibus, quatuor maxime videre debemus : unum, quod est supra; alterum, quod est intra; tertium, quod est juxta; quartum, quod est infra. Nam primo videre debemus supra nos Christum, propter divinitatem suam nos fortiter adjuvantem. Secundo debemus intra nos videre peccatum, sive potius stimulum carnis, ad malum continue inclinantem. Tertio, juxta nos videre debemus proximum aliquando delinquentem. Quarto infra nos videre debemus mundum ad peccatum allicientem. Debemus ergo primo Christum attendere nos juvantem, ut confidamus. Debemus secundo carnis stimulum attendere impugnantem, ne forte cadamus. Debemus tertio proximum attendere delinquentem, ut ei condoleamus. Debemus quarto mundum conspicere falsa promittentem, et vana, et ad delicias inclinantem, ut evitemus.

Dico primo, quod sollicite supra nos videre debemus Deum adjuvantem, ne in bello cadamus, vel desperando desistamus; sed cum eo plenissime nos vincere confidamus : quia, ut dicit Apostolus *ad Romanos* [4] : « Si Deus pro nobis, quis contra nos? » Quis est, nisi stultus, qui in bello timeat, si regem secum insuperabilem habeat? Fortis est diabolus, cum quo certas vel bellas; sed fortissimus Christus, qui adjuvat. Unde etiam Jacob, sicut dicitur in *Genesi* [5], dum effugeret fratrem suum, valdeque timeret, vidit in somnis scalam stantem super terram, et cacumen ejus tangens cœlum, et angelos Dei descendentes et ascendentes per eam, et Dominum desuper innixum scalæ. Scala quæ stat super terram, et tangit cœlestem naturam, est pœnitentia, quæ in terra incipit, sed ad cœlos perducit. Super hanc angeli ascendunt, dum vota nostra quotidie Deo offerunt; sed per eam descendunt, dum nobis auxilium ferunt. Sed et ipsum Dominum desuper vidit innixum, paratum ad adjuvandum. Unde B. Stephanus dicebat inter inimicos positus [6] : « Ecce video cœlos apertos, et Jesum stantem, » id est, pro me pugnantem, « a dextris virtutis Dei. » Ergo quis miles, nisi in corde vilissimus, hostem debilissimum timeat, cum adjutorem omnipotentem habeat? Unde Job [7] : « Libera me, Domine, et pone me juxta te : et cujusvis manus pugnet contra me. » Et propheta [8] : « Dominus salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo? Si consistant adversum me castra, in hoc ego sperabo. » Exemplum de rege Assyriorum [9], qui cum Judæos invaderet, et Deum blasphemaret, in ipsa nocte Angelus Domini occidit centum octogintaquinque millia virorum, et regem ipsum cum paucis fugientem in suis curribus, manu filiorum, in templo Nesroch Dei sui occidit. Job [10] : « Quis restitit ei, et pacem habuit? Qui transtulit montes, et nescierunt hi, quos subvertit in furore suo. » Numquid sancti Apostoli tam dura portassent genera tormentorum, nisi Christus Rex eis affuisset? Sed tanta virtute ac dulcedine tenebantur interius, ut contemnerent omne, quod patiebantur exterius. Vas enim aqua plenum non

[1] Hunc et tres sequentes habet quoque edit. Hageno. an. 1496. — [2] *Luc.*, x, 23. — [3] Anselm., Dialog. *de Veritate*. — [4] *Rom.*, VIII, 31. — [5] *Gen.*, XXVIII, 12. — [6] *Act.*, VII, 55. — [7] *Job*, XVII, 3. — [8] *Psal.* XXVI, 1, 3. — [9] IV *Reg.*, XIX, per totum. — [10] *Job*, IX, 4-5.

(*a*) *Suppl.* judicant fideliter.

timet ignis incendium. Unde narrat Eusebius [1] quod quidam Christianus temporibus suis, ductus ad martyrium, omnia læto vultu pertulit genera tormentorum. Carnifices vero omnino fatigati dimiserunt eum. Cumque ab eo quærerent, si in tanta percussione et laceratione carnium doluisset, ait ille : « Nihil quasi dolui. Nam in ipsis tormentis Angelus cum alba aderat, qui insuper sudorem de facie extergebat. Ex quo tantam dulcedinem anima capiebat, quod grave mihi valde fuit, quando me de equuleo deponentes, liberum dimisistis. » Et hoc sciens beatus Martinus, cum ei semel diabolus in via obviasset, et quo iret inquireret, ait : « Vado quocumque misit me Dominus. » Cui diabolus : « Tibi, quocumque ieris, adversabor. » Cui Sanctus : « Si [2] *Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo.* » Captus ergo a latronibus inter Alpes, unus ensem levavit, ut eum feriret. Quæsivit a Martino, si timuisset? Cui Sanctus : « Nunquam fui securior, quia scivi Dominum maxime in necessitatibus affuturum. Scriptum enim est [3] : *Quis tu, ut timeres ab homine mortali, et a filio hominis, qui quasi fœnum arescit, et oblitus es Domini factoris tui, qui tetendit cœlos, et fundavit terram : et formidasti jugiter tota die a facie furoris ejus, qui te tribulabat, et paraverat ad perdendum? Ubi nunc est furor tribulantis?* » Quasi dicat : Nullus hostis timendum est, postquam Deum exercituum adjutorem habes.

Secundo videre debemus intra nos carnis stimulum continue impugnantem, ne forte cadamus. Fundata enim est domus nostra in arena, et semper minatur ruinam; nec a casu potest esse tuta, nisi diligentissime fuerit conservata. Unde Apostolus [4] : « Qui putat (*a*) se stare, videat ne cadat. » Facile ruit terris, qui multum se in altum extollit. Nec arbor a fulmine tuta erit, similiter nec a ventis, si multum exaltata fortes radices in terra non figit. Et propterea, quantumcumque homo sit sanctus, quantumcumque in altum provectus, si se in magna custodia fortem non servaverit, et omnis mali radicem non perfecte subjecerit, facile ruinæ patebit. Nam et sanctus Ambrosius, per civitatem Mediolanensem incedens, vidit, dum quidam graviter ruisset, alium quemdam illi non compatientem, sed ejus casum ridentem. Dixit Sanctus : « Qui putat se stare, videat ne cadat. »

Exemplum.

Statimque ille in præcipitium cadens, coactus est flere casum proprium, qui riserat alienum [5]. Et sicut est in corporalibus casibus, sic est in spiritualibus. Quis est ergo, quantumcumque sanctus, qui cadere non formidet? Quis, si ignem in fimbriis habeat vestimentorum, combustionem non timeat? Quomodo homo poterit esse absque timore, si haberet serpentem in ventre? Sic stimulus carnis est serpens ventris, et flamma mortalis ignis, quo animam nostram depascit. Quis ergo tutus erit? Et propterea dicitur [6] : « Vide vias tuas in convalle, et scito quid feceris » : quasi dicat : Semper, ne cadas, vias tuas attende, et istud *in convalle*, id est, in humilitate, non in monte, unde possis cadere. Nullus enim cadit, nisi qui in alto consistit; sed qui in convalle infima domum ponit, ab omni casu tutus existit.

Tertio, videre debemus juxta nos proximum nostrum delinquentem, ut ei condoleamus, et malum cognitum declinemus. Dum enim proximum peccantem attendimus, si filii Dei et membra Christi sumus, compassionis gladio perforamur. Unde de malis et impiis habetur in Psalmis [7] : « Obscurentur oculi eorum, ne videant. » Hoc non dicit propheta sanctus optando, sed prædicando, eo quod plures cæci sunt proximorum malis compatiendo. Unde dicitur *ad Philippenses* [8]. « Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem. » *Canes* dicuntur peccatores, per detractionem linguæ offendentes. *Mali* autem *operarii* dicuntur per bonorum omissionem. Sed *concisio* appellatur, propter (*b*) cordis et unitatis lacerationem et divisionem. Vere possumus hodie compati, gemere et dolere, quod impletum est illud [9] : « Videns Deus, quod multa malitia hominum esset in terra, et cuncta cogitatio cordis humani esset intenta ad malum omni tempore; pœnituit eum quod hominem fecisset in terra. » Quando tanta lascivia, tanta malitia, tam crudelis et intestina ante diluvium, et post fuit, sicut temporibus nostris existit? Nam undique clausæ sunt viæ latronibus, maria sunt obsessa prædonibus, et illi hodie laudibus extolluntur, qui majoribus criminibus occupantur, et qui insidiantur quasi leo in abscondito in spelunca sua. Leo enim in caverna se abscondit, ut dum animalia eum adesse non cogitant, per locum

Exemplum.

[1] Euseb. — [2] *Psal.* CXVII, 6. — [3] *Isa.*, LI, 12-13. — [4] I *Cor.*, X, 12. — [5] *Vit. S. Ambros.* — [6] *Jerem.*, II, 23. — [7] *Psal.* LXVIII, 24. — [8] *Philip.*, III, 2. — [9] *Gen.*, VI, 5-6.

(*a*) *Vulg.* existimat. — (*b*) *Cat. edit.* per.

secure transeant : quod dum ille præsentit, in secura, et nihil formidantia, saltum facit, et ea lacerat, et occidit, et carnes comedit, et sanguinem bibit, et universa ossa comminuit. O quot sunt hodie in provinciis, civitatibus, castris et villis, qui, ad modum leonis, pauperes et impotentes, se juvare non valentes, invadunt, capiunt, et subjiciunt tormentis, et dum ab eis auferunt omne quod possunt, eos per consequens mori compellunt! Exemplum de lupo et agno [1], qui ambo ad quemdam fluvium occurrentes, lupus in summo, et agnus bibebat in imo. Quem lupus conspiciens, et eum devorare volens, causam mortis exquirens (quia non est grave majoribus invenire occasiones), ait ad agnum : Quid est, quod mihi tuis pedibus conturbas aquam? Cui agnus tremens plurimum, humili voce valde respondit, se aquam in nullo turbare, eo quod aqua non rediret sursum, sed flueret ex natura deorsum. Cui lupus nec pietate motus, nec tam humili voce, vultuque tam pio placatus, crudeli voce respondit: Tu mihi sic loqueris maledicta? Sic mihi pater tuus fecit, sex jam mensibus peractis. Cum tu patrisses, crimen patris obibis. Innocentem enim agnum invasit, et occidit, et devoravit. O quot sunt in civitatibus et castris lupi, qui devorant innocentes! Multi sunt ergo, quibus compati possumus et debemus, si de corpore Christi sumus, quia membrum, quod aliorum membrorum dolores non sentit, est vel paralyticum, vel putridum, vel a corpore præcisum : caro enim putrida non dolet incisa. Unde Apostolus dicebat [2] : « Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror? » Dicitur de sancto Ambrosio [3], quod quando aliquis ei suum peccatum dicebat, sic fortiter compatiendo flebat, quod illum ad lacrymas commovebat.

Exemplum.

Quarto, infra nos videre debemus mundum allicientem, nunc deliciis, nunc divitiis, nunc honoribus demulcentem ; et hoc, ut fugiamus. Quid enim sunt corporis deliciæ, quid honores, nisi quædam vanitates, homines seducentes, ad infernum trahentes? Si mihi non credis, audi Salomonem dicentem [4] : « Magnificavi opera mea, ædificavi mihi domos, et plantavi vineas, feci hortos et pomaria, et consevi ea cuncti generis arboribus, et extruxi mihi piscinas aquarum, ut irrigarem silvas lignorum germinantium, possedi servos et ancillas, multamque familiam habui, armenta quoque, et magnos greges ovium, ultra omnes, qui fuerunt ante me in Hierusalem : coacervavi mihi aurum, et argentum, et substantias regum et provinciarum : feci mihi cantatores, et cantatrices, et delicias filiorum hominum, scyphos et urceos in ministerio ad vina fundenda, » supple aurea. « Et supergressus sum opibus omnes, qui fuerunt ante me in Hierusalem ; sapientia quoque perseveravit mecum. Et omnia, quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis, nec prohibui cor meum, quin voluptate omni frueretur, et oblectaret se in his, quæ paraveram. Et hanc ratus sum partem meam, si uterer labore meo. » Totam auctoritatem posui, ut attendatis, quantis iste mundanis honoribus fulsit, quantis deliciis usus fuit, et quantis divitiis abundavit. Nam omnia supradicta sonant divitias et honores. Quis unquam regum, imo quis hominum tot deliciis, honoribus et divitiis abundavit? Si legeris in libro *Regum* [5], et consideraveris aurum et argentum, tributum, sive munera regum, stabula equorum, multitudinem militum, varietatem in mensis, novam ædificationem domorum, videbis hunc regem cunctos mortales fere honoribus, divitiis et deliciis excessisse. Et licet ita fuerit, audi quod in auctoritate prædicta subjungitur [6] : « Cumque, » inquit, « vertissem me ad universa opera, quæ fecerunt manus meæ, et labores, in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem, et afflictionem spiritus, et nihil permanere sub sole. » Et addit [7] : « Idcirco tæduit me vitæ meæ, videntem mala universa, et cunctam vanitatem, et afflictionem spiritus. Rursus detestatus sum omnem industriam meam, qua sub sole studiosissime laboravi, habiturus hæredem post me, quem ignoro, an sapiens, vel stultus futurus sit : et dominabitur in laboribus meis. » Et concludit, quod non est quidquam tam vanum [8] : « Unde cessavi, renuntiavitque cor meum ultra laborare sub sole. » Sunt ergo, fratres, fugiendæ deliciæ ; sunt fugiendæ divitiæ ; sunt et fugiendæ honorum eminentiæ, quia vanæ, eo quod transeunt universa. Nullo enim modo est amandum, quod absque dubio est perdendum, et doloris est causativum finaliter. Sic ergo, qui vident supra se Deum, vident intra se carnis stimulum, juxta se proximum, infra

[1] Æsop., lib. II, *Fabul.* II. — [2] II *Cor.*, XI, 29. — [3] In *Vit. S. Ambros.* — [4] *Eccle.*, II, 4-10. — [5] III *Reg.*, IV et V. — [6] *Eccle.*, II, 11. — [7] Ibid., 17-19. — [8] Ibid., 20.

se vanum mundum, sunt perventuri ad præmium.

SERMO VII.

Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt [1]. Concludit in libro *de Consolatione* Boetius [2], et Philosophus ait [3] : « Quod bonum est, desideratur ab omnibus. » « Nemo enim, » Dionysius [4] ait, « dum aliquid agit, intendit ad malum; sed tantum ad bonum, vel ad id, quod æstimat esse bonum, etiam si non sit sibi bonum. » Ergo si appetitur ab omnibus bonum, apparet magis et maxime, quod et summum bonum, quod est omnis boni causa et principium. In ipso autem solo Deo, cum sit summum, infinitum bonum, jucundissimum, et æternum, quiescit humanum desiderium, et in nullo alio fit quietum. Cum ergo beatitudo dicatur continere intra se omne bonum, sicut jam in superioribus est ostensum, nihil omnino aliud est ipsa beatitudo, quam summum bonum : quæ beatitudo est bonum per se ab omnibus appetendum. Verum licet bonum non habeatur, nec perfecte ametur, nisi (*a*) videatur : nec unquam videtur, nisi oculus animæ plene mundetur : ergo, si Deum videre volumus, ut beati esse possimus, prius necesse est, ut corda mundemus. Et ideo bene dicitur : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* In quibus verbis maxime tria tanguntur. Nam primo tangitur dignitas pœnitentiæ, qua in via purgamur; secundo tangitur sublimitas gloriæ, qua Deo perfruimur; tertio ponitur redditio causæ, qua beati efficimur. Nam primo tangitur meritum, nostræ salutis præambulum, cum interponitur : *Mundo corde.* Secundo tangitur meritum, præmio responsivum, cum præmittitur : *Beati.* Tertio vero tangitur ipsius præmii ratio et principium, cum in fine adjungitur : *Quoniam ipsi Deum videbunt.* Nam per munditiam animæ pervenitur ad visionem divinam; et per visionem Dei habetur sublimitas præmii. Quia vero de munditia, qua Deum videmus in via, dictum est in quarto sermone supra, et de visione divina in duobus sermonibus præcedentibus dixi multa, hic de beatitudine sola narratio est facienda. Verum ad dicendorum intelligentiam est notandum, quod triplex est beatitudo : prima est hominum peccatorum, se delectantium in mundanis; secunda est beatitudo hominum bonorum, vigilantium in divinis mandatis; tertia vero, et optima, est hominum beatorum, summis perfruentium bonis, et ideo peroptima.

Dico primo, quod est quædam beatitudo in via, quæ est hominum peccatorum, et summe delectantium se in mundanis, et quærentium finem ultimum in eis. Nam lascivi finem suum, sive beatitudinem ponunt totam in deliciis carnis; superbi et alti ponunt beatitudinem in dignitate, et bonorum eminentiis. Sed omnia ista sunt vanissima, atque stultissima, quia sensui et rationi contraria. Nam « beatitudo, » teste Boetio [5], « est status omnium bonorum aggregatione perfectus. » Ergo, ubi bonum deest, beatitudo vera esse non potest. Sed, ut de innumeris bonis omittam, in supradictis omnibus securitas deest, sine qua nullum bonum perfectum est. Ergo omnis beatitudo talium nulla est. Minor probatur per syllogismum. Nam pereunt divitiæ, pereunt deliciæ, pereunt dignitates, et quod majus omnibus est, moriuntur habentes honores tales : quod non contingeret, si in eis status beatitudinis præcessisset. Unde exclamat Boetius, hanc quæstionem tractans [6] : « O præclara hominum beatitudo, quam cum adeptus fueris, securus esse desistis! Quomodo deliciæ beatum faciunt, quæ sumptæ fastidium pariunt, in ventre putrescunt, et sæpe ægritudinis, et causa mortis existunt? Quomodo lasciviæ beatum faciunt, quæ tristitiam tandem inducunt, vires corporis minuunt, et ad mortem disponunt? Quomodo honores beatum facere possunt, qui quanto hominem ad altiora sustollunt, tanto ei majus præcipitium ingerunt? » Quanto enim gradus est altior, tanto casus declivior. Unde ascendere non est aliud, quam sibi præcipitium præparare, et tanto magis, quanto ascendit sublimius. Quomodo etiam divitiæ hominem beatum faciunt, quæ potius eum gladiis prædatorum exponunt? Sæpe divites cum periculo capitis vadunt, ubi pauperes secure incedunt. Unde Boetius [7] : « Tu quoque, qui nunc gladium pertimescis, si vitæ hujus callem vacuus viator intrasses, coram latrone cantares. »

[1] *Matth.*, v, 8. — [2] *Boet., de Consol. Philos.*, lib. III, pros. 10, ante finem, et pros. 11, in fine. — [3] Arist., *Polit.*, lib. I, c. I, et *Moral.*, lib. VIII, c. v. — [4] Dion. Areop., *de Div. Nom.*, c. IV, part. 4. — [5] Boet., ubi sup., pros. 2. — [6] Ibid., lib. II, pros. 5. Huic aliquid simile est apud B. Greg. Magnum, hom. XXXVI, in Ev., n. 1. — [7] Boet., ibid.

(*a*) *Cæt. edit.* nec.

Cantabit vacuus coram latrone viator [1].

Eximius Prophetarum David.

Falsa est ergo beatitudo, et vana, quæ haberi potest a malis in mundo. Quod si rationibus evidentibus non acquiescis, audi eximium Prophetarum hanc beatitudinem describentem, et non esse beatitudinem asserentem.[2] « Erue me, » inquit, « de manu filiorum alienorum, quorum os locutum est vanitatem, et dextera eorum dextera iniquitatis. » Ecce oris operisque iniquitas; sed additur statim humana prosperitas, primo, quoad filiorum felicitatem, cum dicitur [3] : « Quorum filii sicut novellæ plantationes in (*a*) juventute sua; filiæ eorum compositæ, circumornatæ, ut similitudo templi. » Secundo, quoad bladorum fertilitatem, cum dicitur [4] : « Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud. » Tertio, quoad animalium fœcunditatem, cum dicitur [5] : « Oves eorum fœtosæ, abundantes in egressibus suis, boves eorum crassæ. » Quarto, quoad corporum sanitatem, cum infertur [6] : « Non est ruina maceriæ, neque transitus, neque clamor in plateis eorum. » Et concludit [7] : « Beatum dixerunt, cui hæc sunt. » Non ipse (*b*), sed qui stulti sunt, attendentes sola præsentia, tales prædicant esse beatos. Sed numquid est ita, sancte Propheta? Dic sententiam tuam, quam scis esse veram : « Non, » inquit, « est ita, » sed [8] « beatus populus, cujus est Dominus Deus ejus. » Quomodo beatus est homo propter bona supradicta, quæ citissime sunt transitura, quæ non ducunt ad vitam, sed ad damnationem æternam? Sic enim dicit Job [9] : « Quare impii vivunt, sublevati sunt, confortatique divitiis? Semen eorum permanet cum eis, propinquorum turba, et nepotum, in conspectu eorum. Domus eorum securæ sunt, et pacatæ, et non est virga Dei super eos. Bos eorum concepit, et non abortivit : vacca peperit, et non est privata fœtu suo. Egrediuntur, quasi greges, parvuli eorum, et infantes eorum exultant lusibus, tenent tympanum et citharam, et gaudent ad sonitum organi. » Sed audi finem, et non dicas eos felices, sed miseros [10] : « Ducunt, » inquit, « in bonis (*c*) dies suos, et in puncto ad inferna descendunt. » Est enim omnis talis arbori similis, quæ multum est elevata, foliorum amœnitate vestita, fructibus et floribus redimita; sed ventis excussa discinditur, et siccatur; vel securi præcisa submergitur, et ignis incendio præparatur. Nam leo valde gloriosus incedit, animalium rex existens; sed dum ad mortem venit, amaras lacrymas fundit. Nero Imperator, licet in tantum fuerit felix, ut piscaretur retibus aureis, invasus ultimo a Romanis, fugiens, dentibus fustem exacuit, quo se per ventrem transfodit, et sic vitam finivit, quem asseruerunt esse felicem. Beatus Ambrosius [11], dum de Mediolano Romam iret, in quadam villa Thusciæ apud divitem hospitatus est. Cumque simul sederent, et S. Ambrosius de statu ejus quæreret; ille ait : « Domine, semper felicissimus fui, et filios, et familiam multam habui, divitias innumerabiles congregavi, nihil nunquam incommodi habui, vel passus fui; sed omnia semper pro voto recepi. » Quod cum Sanctus audivit, discipulos vocavit, equos cito parari fecit, eisque dixit : « Fugiamus, filii, quia non est Deus in loco isto, ne nos ruina involvat. » Cumque fugerent, se mox terra aperuit, et illum cum suis deglutivit.

Exemplum.

Secunda beatitudo, quæ est in vita, est hominum vigilantium in divinis mandatis, et abstinentium a malis, et promoventium se in bonis. Unde Lucas [12] : « Beatus ille servus, quem cum venerit dominus ejus, invenerit vigilantem. » Ergo, si beati esse volumus, necesse est ut vigilemus. Sed in quibus? Utique in duobus, scilicet ut a malo sollicite declinemus, et bona sollicite faciamus. Nam malum dimittere, et bonum facere, sunt duæ partes justitiæ, quibus pervenimus ad beatitudinem non solum viæ, sed patriæ. Unde Propheta tangit hæc duo, cum dicit [13] : « Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum : » ecce mali dimissio. [14] « Sed in lege Domini fuit voluntas ejus : » ecce boni operatio. Est notandum, quod tria verba in descriptione mali ponit, scilicet *abiit*, *stetit*, et *sedit*. Plus enim est stare, quam abire; et plus sedere, quam stare. Nam *abire*, est cito transire : *stare*, est quadam stabilitate manere : sed *sedere*, est perfecte quiescere. Ergo breviter dicam : Abire, est malis consiliis ad modicum consentire. Stare, est malis operibus operam dare. Sed sedere, est peccatum in consuetudinem ducere, vel trahere. Primo ergo consentire est malum; secundo, scilicet operam dare malo est majus

[1] Juvenal., lib. III, Satyr. X. — [2] *Psal.* CXLIII, 11. — [3] Ibid., 12. — [4] Ibid., 13. — [5] Ibid., 13-14. — [6] Ibid., 14. — [7] Ibid., 15. — [8] Ibid. — [9] *Job*, XXI, 7-12. — [10] Ibid., 13. — [11] In *Vit. S. Ambros.*, ex Paulino et Baron., et *Catalog. Sanct.*, lib. I, c. XXXVI; Marul., c. III. — [12] *Luc.*, XII, 37. — [13] *Psal.* I, 1. — [14] Ibid., 2.

(*a*) *Cæt. edit.* a. — (*b*) *Item* ipsi. — (*c*) *Item* bono.

malum; sed in malo perseverare, et in consuetudinem trahere, est pessimum, quia fit, ut ratio semper prona sit. Et prima duorum malorum genera faciliter sunt corrigenda; sed tertium est quasi in naturam versum, nec nisi multa difficultate est correctionis susceptivum : est enim consuetudo altera natura. Unde quasi naturale fit, quod diutius inolevit. Unde Hieronymus [1] dicit, quod experientia hoc ostendit : « Non est addiscendum in tenero, quod est postea deserendum : quia difficulter raditur, rudes cum perceperunt. » Poeta [2] :

Quod nova testa capit, inveterata sapit.

Lagena enim semper eumdem odorem servat, quem, dum nova esset, imbuta est. Non faciliter color a panno movetur, quo primo tingitur. Minium, si bene chartæ imprimitur, vix ita unquam raditur, quin semper vestigium aliquod relinquatur. Rubigo, si bene ferro imprimitur, etiam si lima amoveatur, sæpe ad idem revertitur. Unde pullus equinus nunquam passum deserit, quem juvenculus assuevit. Propter quod narrat Gregorius [3] historiam (et habetur in Glossa super illud Proverbiorum [4]: *Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedit ad ea*), quod Alexander mores vitiorum (*a*) et incessuum pædagogi sui, et puerorum, cum quibus crevit, nunquam dimittere potuit. Exemplum de Nicolao, de quo dicitur in Legenda S. Andreæ [5] : « Qui in malo inveteratus, licet a peccato carnis se subtrahere vellet, non poterat, quia consuetudo mala semper eum ad lasciviam trahebat, sive inducebat : cujus pronitatem B. Andreas jejuniis et orationibus pugnans, vix a Deo obtinuit pro eo, eique ad resistendum gratiam impetravit. » Ergo si beatitudinem viæ obtinere cupimus, a malo ante omnia recedamus. Non sedeamus, non stemus, non ambulemus in consilio impiorum; sed in lege Domini meditemur die ac nocte. Quare hoc? Utique ut per legem Domini discamus, quid corde credendum, quid sperandum, quid amandum, quid etiam meditandum, quid ore loquendum, quid orandum, quid aliis consulendum, quid opere sit agendum, quid fugiendum, quid Deo, quid sibi, quid proximo impendendum. Unde dicitur in alio Psalmo [6] : « Beati immaculati in via, » quantum ad recessum a malo; « qui ambulant in lege Domini, » quantum ad promotionem in bono.

Exempla.

Tertia beatitudo est hominum beatorum, perfruentium bonis summis, pacificis et æternis. Et hæc beatitudo non est una cum prima; nec tantum bona cum secunda; sed est in summis deliciis constituta; et ideo sola perfecta, quia ab omni prorsus malo remota, et est omnibus bonis plena : quia serena, quia jucunda, quia secura, quia pacifica, quia æterna. Hæc autem beatitudo ad præsens consistit in tribus, scilicet primo, in videndo; secundo, in audiendo; tertio, in gustando. Nam sicut hi tres sensus maxime delectantur in corporalibus, sic et in spiritualibus. Quid enim delectabilius, quam videre lumen æternum? quid suavius, quam audire summum docentem Magistrum? quid dulcius, quam panem istum cœlestem et mellifluum degustare? Dico, quod in illa summa beatitudine delectabile est lumen videre æternum. Numquid hoc parum? si sic delectat oculum aquilinum insontem conspicere solem istum, quantum delectabit hominis intellectum, respicere solem Deum, qui omnium factor est cœlorum et stellarum, quo viso, videntur omnia, sciuntur et cognoscuntur universa, quæ ad beatitudinem sunt necessaria? Gregorius [7] : « Quid est quod non videant (*b*) ibi, qui videntem omnia vident (*c*)? » Sicut enim objecta relucent in speculo materiali, ita omnia objecta relucent in speculo illo æterno, quod est « ars (*d*) plena omnium rationum viventium, » sicut dicit Augustinus [8]. Ergo si sic delectat humanum affectum videre pulchritudinem florum et rosarum, videre varietatem colorum, videre formositatem imaginum et omnium picturarum, videre pulchritudinem facierum, videre amœnitatem camporum, pariter et pratorum, videre comas arborum, et venustatem astrorum; quantum delectabit videre pulchritudinem omnium sæculorum Creatoris? Si sic delectat pulchritudo creata, limitata, temporalis, transitoria, quid faciet increata, immensa, permanens et æterna? Et propterea dicitur [9] : « Beati oculi, qui vident quæ vos videtis. » Ejus visio tam jucunda est, quod si quis in inferno existeret, et Deum vide-

[1] Hieron. — [2] Horat., lib. I, epist. II, v. 69-70 : « Sincerum est nisi vas, quodcumque infundis, acessit. — [3] Vid. Corn. a Lap., in *Prov.*, XXII, 6. — [4] *Prov.*, XX, 14. — [5] *Catal. Sanct.*, lib. I, c. VIII. — [6] *Psal.* CXVIII, 1. — [7] Greg., *Moral.*, lib. II, c. III, n. 3, et *Dialog.*, lib. IV, c. XXXIII. — [8] August., *de Trinit.*, lib. VIII, 11. — [9] III *Reg.*, X, 8.

(*a*) *Leg.* morum vitia. — (*b*) *Cæt. edit.* videat. — (*c*) *Item* videt. — (*d*) *Forte leg.* arx.

ret, nullum omnino dolorem sentiret, quia dolorem magnum major delectatio absorberet. Nam multi etiam in hac vita fuerunt Sancti, qui, propter delectationem illius incommutabilis boni, ita a sensibus omnibus fuerunt abstracti, quod nihil exterius pro tempore sentiebant, etiam actu puniti. Et quid mirum, si sic potens est delectatio divina, cum et in hac vita medicina amara sic sæpe abscondatur sub mellea materia, ut gustus non percipiat eam? Secundo, beatitudo non consistit tantum in videndo, sed etiam in audiendo summum Magistrum. Multum demulcet auditum cantus avicularum, multum melodia hominum, plurimum harmonia instrumentorum musicalium. Ergo quid faciet melodia tantorum sanctorum, melodia innumerabilium angelorum, et insuper melodia æternalium personarum? Item si sic potest delectari Platonis musica, si sic eloquentia Demosthenis; si sic rhetorica Ciceronis, si sic sapientia Salomonis, quæ a finibus terræ homines ad se traxit; quid erit audire divinam sapientiam, quæ sapientiam omnibus istis dedit? Unde et in figura dicebat regina Saba, quæ venerat a finibus terræ audire sapientiam Salomonis [1] : « Beati viri, et beati servi tui, qui stant coram te semper, et audiunt sapientiam tuam. » Et addit [2] : « Verus est sermo, quem audivi in terra mea super sapientia tua : et non credebam narrantibus mihi, donec ipsa veni, et vidi oculis meis, et probavi, quod media pars mihi non renuntiata fuit. Major est enim sapientia tua, et opera tua, quam rumor, quem audivi. » Vere sicut tunc fuit in figura, ita nunc est in infinitum majus, et in re ipsa. Non credunt, qui modo audiunt; sed cum videbunt, tunc exclamabunt, quod non est ut audierunt in comparatione ejus, quod ipso aspectu videbunt. Si enim tam dulce est Deum audire in hac vita, ut dicit Propheta [3] : « Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel ori meo : » quid erit, quando bonum audietur in semetipso? Si pro tempore, in quo sumus, quo in ænigmate de Deo sentimus, Sponsa dicit [4] : « Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est, » quomodo liquescet præ amore dilecti, cum eum loquentem audiet in seipso? Tertio, illa beatitudo summa non solum est in audiendo et videndo; sed quod perfectius est, etiam in gustando. Si enim in corporalibus, sic et in spiritualibus est in gustu suo modo delectatio. Nam mel non multum delectat visum; sed delectat valde palatum. Si ergo sic delectat corporeum gustum delectamentum ciborum, et varietas saporum, et vinorum dulcium; quantum delectat affectum summum, comedere bonum panem illum deificum, omnis saporis et dulcedinis contentivum? Et propterea dicitur [5] : « Beatus, qui manducat (*a*) panem in regno cœlorum. » Est ergo cum sanctis suis Apostolis fugienda humana beatitudo; est amplexanda beatitudo christiana; sed est desideranda beatitudo divina. Rogemus, etc.

[1] III *Reg.*, x, 8. — [2] Ibid., 6-7. — [3] *Psal.* CXVIII, 103. — [4] *Cant.*, v, 6. — [5] *Luc.*, XIV, 15. — [6] *Joan.*, XIV, 23. — [7] Gregor., *in Evang.*, hom XXX, n. 1. — [8] *Matth.*, XII, 34. — [9] Richard., *de Trinit.*, part. I, lib. VI, c. XII. — [10] Arist.

(*a*) *Vulg.* manducabit.

SERMO VIII.

Si quis diligit me, sermonem meum servabit [6]. Non se Deum diligere credat, qui eum corde sæpe non cogitat, qui eum sæpe ore non laudat, qui opere mandata ejus non servat. Nam, sicut dicit Gregorius [7] : « Si unusquisque vestrum requiratur, an Deum diligat, libera voce, secura mente respondet : Diligo. » Sed constat verum, quod ipse dicit : « Probatio dilectionis, est exhibitio operis. » Ergo si vere Deum diligas, est inquirendum a corde, a lingua, et ab opere. Est utique primo inquirendum a corde : quia quod cor amat, sæpe de eo cogitat. Sæpe enim cogitant vani de carnis deliciis, et sæpe superbi de eminentiis : ergo et spirituales sæpe de divinis. Si enim sæpe de eo non cogitas, Deum te vere amare non credas. Item homo maxime de eo cogitat, quod præ cæteris amat. Si de mundo magis, quam de Deo cogitas; mundum magis, quam Deum amas. Secundo, si Deum amas, a lingua requiras : « Ex abundantia enim [8] cordis os loquitur. » Quia, dicit Richardus [9], et Philosophus [10] ei consentit : « Idem omnino est verbum oris, et cordis. » Lingua libenter nominat id, quod cor amat. Ergo qui plus de mundo fatur, quam de Deo, magis mundum, quam Deum diligere comprobatur. Tertio, si Deum diligas, ab opere tuo requiras : non enim potest ignis esse in paleis, et non ardere : ergo nec ignis divinus in corde et opere potest vacare. Impossibile ergo est, ut operari renuat, et magna non agat, si plenis affectibus Deum amet. Hoc est, quod Dominus dicit : *Si quis diligit me*, etc. In quo verbo maxime duo facit :

primo, se amandum ostendit; secundo, probationem amoris inducit. Ostenditur autem primo in Deum dilectio, cum dicit : *Si quis diligit me.* Ostenditur secundo dilectionis probatio, cum infertur : *Sermonem meum servabit.* Est ergo notandum circa divinam dilectionem, quam maxime habuerunt Apostoli, et habent omnes apostolici viri, quod ad eam habendam quatuor sunt maxime necessaria, sive motiva : primum sumitur ex parte naturæ; secundum ex mandato Scripturæ; tertium ex dono gratiæ; quartum ex promisso gloriæ. Nam naturæ officium est ad amorem inducere; Scripturæ est hoc præcipere; gratiæ est huic mandato, si opus est, parere; gloriæ, seipsum et nolentes quodam inductu attrahere.

Dico primo, quod primum motivum ad amorem divinum est ipsa natura : nam, sicut patet ex instinctu naturæ, diligunt aves, diligunt canes, diligunt equi et boves, diligunt et leones, quos sibi cernunt benefacientes. Diligunt Pagani, diligunt Judæi, diligunt Saraceni suos benefactores. Unde hoc? Certe ipsa natura movente. Ergo homo, qui adeo nobilissimam naturam accepit, Deum tam beneficum cur non amabit? Item cogita, quantum cæcus illum diligeret qui sibi redderet visum ! quantum surdus, qui sibi redderet auditum! Quantum mutus eum, qui sibi repararet affatum! et sic similiter, qui pedem truncatum, vel manum, vel forsitan nasum abscissum haberet. Ergo quantum amandus est, qui tibi corpus sanum dedit, et integrum; et insuper, quod maximum est, tibi contulit animam ad imaginem sui factam, et cum corpore ad vitam æternam ordinatam! Item attende, quomodo omnia corporis membra cordis sunt amantia, eo quod ab eo motum recipiant, et vitam. Unde Galenus [1] dicit, quod brachia hoc habent proprium, quod omnia illa, quæ amari a corde sciunt, dulcibus amplexibus capiunt, et cordi, quantum possunt, astringunt, ita quod dilectum totum cordi imprimerent, si valerent. Ungues, qui sunt ex fumositatibus cordis, in tantum cor, a quo suum esse capiunt, diligunt, quod statim, corde patiente, livescunt, et quandoque nigrescunt, ita quod nunquam cor patitur, quin signum in unguibus ostendatur, sicut in febri monstratur.

Unguis quid.

Quomodo ergo Deum non amabit, a quo non solum accepit esse, sed vita nobilissima vivere, nobilissima forma sentire, et, quod est maximum, cum angelis intelligere? et propter hæc omnia bona naturæ, dicitur [2] : « In tota anima tua dilige eum, qui te fecit. » Notanter dicitur : *in tota anima tua,* quia, sicut qui partem dat, ex parte amandus est; sic qui totum dat, ex toto est diligendus. Diligimus enim patrem carnalem, sed secundum partem, quia ab eo accepimus partem nostræ substantiæ. Ergo debemus totaliter diligere Patrem spiritualem, id est Deum, a quo totum accepimus esse nostrum, tam carnis, quam animæ, sicut mulier illa sancta [3] dixit in sua prædicatione, ut ad patiendum filios confortaret : « Nescio, » inquit, « quomodo in utero meo apparuistis : neque ego spiritum et animam dedi vobis, et singulorum membra ipsa compegi; sed mundi Creator. » Unde in libro *de Spiritu et Anima* [4] : « O miser ego, quantum diligere deberem Deum meum, qui me fecit cum non eram, et de nihilo me non lapidem, non arborem, non aliquod de animalibus, sed hominem voluit me esse, dedit mihi vivere, sentire, et intelligere. » Et quibusdam interpositis, addit : « Cum hæc (et multa alia) considero, dolore (*a*) pariter, et rubore confundor : » dolore, quia animam perdo, rubore, quia patrem tam magnificum non agnosco. Amemus ergo cum sanctis Apostolis Deum nostrum, et relinquamus omnia propter ipsum : et in amore nostro Deus nullum habeat socium, quia, dicit B. Augustinus [5] : « Minus te amat, qui tecum aliquid amat. » Item Gregorius [6] : « Tanto quisque ab æternis disjungitur, quanto in inferioribus delectatur. »

Secundo, Deum amandum non solum inducit natura, sed ipsa Scriptura, quæ, sicut dicitur in libro *de Doctrina Christiana* [7], nihil aliud præcipit, nisi charitatem; et nihil aliud vetat, nisi tepiditatem (*b*). » Unde requisitus Dominus, quod esset maximum mandatum in lege, ait [8] : « Diliges Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, et ex omnibus viribus tuis. Hoc est maximum, et primum mandatum. Secundum autem simile est huic : Diliges proximum tuum, sicut teipsum. In his, »

[1] Galen. — [2] *Eccli.*, VII, 32. — [3] II *Mach.*, VII, 22. — [4] *De Spir. et Anim.*, c. XVII, inter *Oper.* August., Append. tom. VI. — [5] Aug., *Confess.*, lib. X, c. XXIX. — [6] Greg., *Moral.*, lib. XVIII, c. IX, al. VIII, n. 16, quoad sensum. — [7] August., *de Doct. Christ.*, lib. I, XXVI, 40, quoad sensum. — [8] *Matth.*, XXII, 37-40.

(*a*) *Apud Aug.* timore. — (*b*) *In loco citato Aug.* cupiditatem, *non* tepiditatem *habetur, quamvis illa item lectio non sit contemnenda.*

inquit, « duobus mandatis universa lex pendet, et prophetæ. » Sed quid est hoc? Numquid non sunt alia multa mandata Dei? Audistis quæstionem : audite responsionem. Gregorius enim hoc quærit dicens [1] : « Cum cuncta sacra eloquia plena sint dominicis præceptis, quid est, quod de sola dilectione, quasi de singulari mandato Dominus dicit : *Hoc est præceptum meum*, etc., nisi quia omne mandatum de sola dilectione est, et quidquid præcipitur, in sola charitate solidatur? Nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manserit in radice charitatis. » Et addit : « Præcepta ergo Dominica multa sunt, et unum : multa per diversitatem operis; et unum in radice charitatis. » Exemplum est in arbore, cujus rami in se sunt diversi et multi, sed in radice sunt uniti, a qua accipiunt, ut sint vivi et fructiferi : quia sine ea sunt mortui, et nullis usibus apti. Nisi igitur sic et omnia opera nostra sint unum, sive radicata in divina charitate, omnino sont nulla : quia nec Deo possunt esse accepta, nisi fuerint hoc igne excocta. Sunt enim omnia opera nostra bona, considerata in se, sicut poma silvatica, vel domestica non matura, quæ sunt omnino inutilia, si non fuerint igne digesta, et mediante calore ad maturitatem redacta. Dicit enim Scriptura [2] : « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, » id est, in toto intellectu, sine errore : « ex tota anima tua, » id est, in tota voluntate, sine contradictione ; « tota mente tua, » id est, memoria, sine oblivione ; « et omnibus viribus tuis, » id est, totis visceribus, sive affectibus, sine omissione. O quam felix esset, qui sic Deum amaret, et in nullo de eo erraret, vel falsum de eo sentiret, in nullo ejus voluntati contradiceret, sed se voluntati divinæ conformaret, semper eum in memoria haberet, et de ipso jugi memoria cogitaret, et nihil de pertinentibus ad servitium ipsius omitteret, sed omnes vires suas ad hoc ipsum impenderet ! Quis tali felicior? quis sublimior? quis Deo gratior? Sed ubi est hodie talis, immo quis non contrarium facit? Nonne omnis mundus erroribus plenus existit? Nonne humana voluntas in his deficit? Nonne hodie gulosi plus de deliciis, avari plus de divitiis, lascivi plus de vanis, superbi plus quam de Deo, in honoribus delectantur? Est tamen notabile valde, quod Deum diligendum asserit toto corde : quid est enim toto corde diligere, nisi pure et sine socio amare, id est, nihil præter eum diligere? Non enim est vinum purum, cui admixta est aqua : imo virtus debilitatur, quanto plus aquæ illi adjungitur. Sic et Deus tanto minus amatur, quanto plus extranei amoris ei aliquod admiscetur. Nulla enim est virtus, quæ ex appositione sui contrarii non minor reddatur, sicut ex appositione sui similis roboratur. Nam aurum purum, ignis non timet incendium : non scinditur malleo, quantumcumque percutiatur; sed ictibus dilatatur, ut etiam omni formæ sit aptum. Sed si quid adulterini metalli fuerit ei admixtum, semper sub malleo scinditur, nec aliquid ex eo efficitur, quousque ab eo, quod adulterum est, separatur. Sic non potest Deus perfecte amari, nisi solus ametur, nec aliquid cum eo extraneum diligatur, quod non propter ipsum ametur.

Tertio, ad divinum amorem inducit nos ipsa gratia nobis in redemptione Salvatoris exhibita. De qua dicitur [3] : « Gratiam fidejussoris tui ne obliviscaris : dedit enim pro te animam suam. » Non utique dedit aurum, non argentum, non lapidem pretiosum, non servum, non aliquem angelorum, sed seipsum. Quis ergo, nisi sit malus servus, non diligat Dominum? Quis tam malus, ut se a carcere non amet liberantem? Quis tam ingratus qui est ad mortem infirmus, quod non amet medicum sine pretio se curantem? Et quis adeo perversus, si est cæcus, qui non amet illuminantem se? Nam pulli hirundinum suas amant matres, se illuminantes. Certe nos eramus diabolico carceri mancipati, eramus penitus cæci, et a vera luce alieni, eramus peccato mortui, et jam quasi in inferno sepulti. Quomodo ergo non illum amabimus, qui nos sua gratia illuminavit, qui a carcere diaboli nos liberavit, et nos a morte culpæ, suo sanguine redimens, vitæ restituit? Unde dicitur [4] : « Dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. » O inaudita dilectio! o magnificus amor! o vera probatio dilectionis, dum, pro amore hominis, suum sanguinem fudit, et crudelissimæ morti se tradidit, nec de concernentibus quidquam omisit ! Si sic canis dominum suum amat pro pane modico; si sic equus pro modico hordeo; si sic et asinus pro pabulo et fœno, quantum ille a nobis amandus existit, qui carnem suam dedit nobis in cibum, sanguinem in potum, vitam in meritum, et se totum in præmium? Nam leo, sicut in Dominicalibus Sermonibus patet, cum a serpente cinc- Exemplum.

[1] Greg., *in Evang.*, hom. XXVII, n. 1. — [2] *Deut.*, VI, 5. — [3] *Eccli.*, XXIX, 20. — [4] *Apoc.*, I, 5.

tus, et ab eo fortiter astrictus esset, dum fuisset a quodam milite liberatus, sic illi toto corde adhæsit, ut ab eo, nisi morte, separari nequiverit. Cur ergo non facit homo rationalis, quod animal brutum facit; et Deo suo negabit, quod homini mortali leo impendit?

Quarto ad diligendum Deum movet gloria nobis a Deo promissa, quæ est tanta, tam ampla, tantis bonis plena, et innumerabilia per sæcula permansura, ut dici queat nulla lingua, imo nec cogitari humana potest intelligentia. Unde Apostolus [1] : « Quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus his, qui diligunt illum. » Fertur, quod fuerunt duo viri religiosi mutuo se amantes : cumque unus ad mortem veniret, ab alio adjuratus est, ut ad eum post mortem rediret. Post mortem ergo illi apparuit, et ab eo requisitus, quomodo illic esset, ait : « Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum, et millies amplius. » Quanta est ergo stultitia nostra, illum non amare, qui tanta bona suis amatoribus præparavit! Mercatores enim in tantum amant aurum, quod tantum laborem pro eo acquirendo assumunt. Unde pro ipso acquirendo Alpes transeunt, fluctibus maris, et ventis validis se exponunt, vias periculosas arripiunt, calores et frigora non pavescunt; et tamen sæpe non inveniunt quod inquirunt, imo dum lucrari putant, e contrario sæpe perdunt. Quæ ergo amentia, ut pro lucro tam certo, tam immenso, nullis temporibus unquam perdendo, non solum laborare nolumus; sed, quod absque labore possumus, bonum amare scilicet renuimus! Non enim aliud a nobis Deus requirit, quam amorem. Ergo si jejunare non potes, ex toto corde ama Deum, et accipe summum regnum. Numquid amare non potes? Quomodo diligis aurum, et non potes diligere summum bonum? Quis est qui Regem Franciæ non amaret, si ab eo se accipere regnum suum speraret? Ergo ad Deum amandum inducit natura, mandat Scriptura, impellit gratia, et allicit gloria : ad quam nos perducat Jesus Christus Dominus noster.

SERMO IX.

Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos [2]. Quatuor ex charitate amanda sunt, ut Augustinus docet in libro *de Doctrina Christiana* [3], scilicet Deus, nostra anima, proximus, et nostrum corpus. Sed primo et super omnia amandus est Deus; secundo loco amanda est anima nostra; tertio loco amandus est proximus noster; quarto loco amandum est corpus nostrum. Magis enim, quam corpus nostrum, amare debemus proximum. Unde et pro salute proximi, si necessitas se offerat, est corpus ponendum. Super omnia autem, et propter seipsum, debemus Deum diligere, et omnia alia propter ipsum. Est tamen hic attendendum, quod licet corpus sit ex charitate amandum, eo quod sit ad beatitudinem ordinatum, sic tamen est amandum, sicut agricola amat frumentum, qui, ut fructificare possit, non illud in scrinio claudit, vel pausare permittit; sed terræ ad fructificandum committit, et frigoribus, nivibus, pluviisque illud exponit; nec in area a tribula ei parcit; sed tam diu illud percutit, quousque perfecte separetur a paleis, donec ultimo expositum, nobis ex eo utilis fiat panis. Sic etiam nec corpori parcendum est; sed sic perfecte domandum, donec ab omni peccato fuerit separatum. Item sic est corpus amandum, sicut miles diligit clypeum suum, quem valde diligit, et manu fortiter stringit; sed contra omnes ictus illum exponit, ut gladius ei parcat. Tertio sic est amandum corpus, sicut miles diligit equum, quem pascit, et tergit; sed ei calcaribus non parcit; nec bellaturus a bello subtrahit, sed contra hostes stare compellit. Item quarto est corpus sic amandum, sicut membrum infirmum et putridum, cui non parcit gladius; sed, sicut saluti totius corporis expedit, id incidi permittit, quoties expedire cognoscit. Ex quibus omnibus aperte colligitur, quod corpus tunc vere amatur, quando pro honore Dei, pro salute animæ suæ et proximi, ei non parcitur, sed verberibus et morti exponitur. In verbo ergo præmisso nobis charitas Christi commendatur. Et primo commendatur charitatis præceptum, quantum ad suæ gloriæ præconium; secundo præcipit nobis supernæ dilectionis affectum; tertio dilectionis ipsius dat formam et modum. Et sic primum facit præceptum venerabile; secundum honorabile; tertium vero commendabile. Notatur enim primo amoris singulare præconium, cum dicitur : *Hoc est præceptum meum.* Nonne venerabile est et singulare præconium, quando hoc præceptum constituit singulariter esse suum? Quære supra causam in præcedenti Sermone. Secundo

Exemplum primum

Exemplum secundum.

Exemplum tertium.

Exemplum quartum

[1] I *Cor.*, II, 9. — [2] *Joan.*, XV, 12. — [3] August., *de Doctr. Christ.*, I, XXIII, 22.

præcipit nobis Dominus superni amoris affectum, cum additur : *Ut diligatis invicem.* Tertio dat nobis dilectionis formam, et modum, cum subditur : *Sicut dilexi vos.* Tunc enim amor noster commendabilis creditur, cum amantem Dominum imitatur, et ejus amoris exemplo formatur.

Dicit ergo : *Hoc est præceptum*, etc. Est ergo hic notandum, quod fraterna dilectio primo est naturæ rectitudinis ostensiva ; secundo est legis divinæ completiva ; tertio est Jesu Christo assimilativa; quarto est infernalis supplicii evasiva, et supernaturalis gloriæ inventiva. Quid istis melius, quid utilius, quid amabilius?

Dico ergo primo, quod fraterna dilectio est habenda, quia est naturæ rectitudinis ostensiva. Nam tunc est natura recta, quando illud facit, ad quod facta est, non declinans in partem contrariam. Sed ad hoc factus est homo, ut propter Deum proximum amet, et sic ipsum ad beatitudinem, quasi ad ultimum finem, præparet. In cujus signum, omnes homines ab uno solo homine processerunt (cum omnia alia animalia principium duplex habuerint), ut dum ab uno solo principio esse se viderint, unitatem inter se amarent, et fraternam charitatem exquirerent. Ad hunc enim amorem omnis creatura, tam cœlestis, quam terrena, nos invitat suo exemplo. Nam, ut dicit Boetius [1], « omnia junguntur amore. » In corporalibus enim elementatis, uniuntur quatuor elementa, licet in se sint valde contraria. Similiter et in unum mundum conveniunt cœlestia et terrena, licet in se sint multum difformia et contraria. Quomodo ergo mundus exterior, ex tam diversis compositus, ad modicum staret, si amor in eos res contrarias non uniret, et unitatem in esse non conservaret? Ergo, si amore unita sunt tam diversa, quantus amor debet esse inter similia? Similitudo enim magna, est causa magni amoris. Ergo, si est magna similitudo hominis ad hominem, et ratione unitatis principii, et ratione præcepti accepti, et ratione similis boni, ad quod sunt ordinati, constat, quod amore maximo debent invicem necti. Et si animalia, a duobus principiis descendentia, tanto junguntur amore, ut simul vadant, simul quiescant, simul comedant, simul dormiant, sicut patet de columbis, struthionibus, anseribus, formicis et apibus, quanto amore debent se amare, qui omnes uniti fuerunt in primo homine? Et propterea dicitur [2] : « Omne animal diligit sibi simile ; sic et omnis homo proximum » suum semper amare debet. Sic enim Apostoli sancti hoc fecerunt, qui in mortem se pro proximis tradiderunt. Unde dicebat sanctus Apostolus [3] : « Ego autem libentissime impendam omnia mea, et ego ipse superimpendar pro animabus vestris. » Sed quis hodie ita diligit proximum? imo quis hodie proximum non tanto animo odit, ut quod corde gerit, si potest, in opere ponit? Plus se diligunt bruta, quam rationabilia. Si enim, ut dicit Gregorius [4], « probatio dilectionis, est exhibitio operis; » vide, si verum est hoc quod dico. Nam elephas, si aliquando cadit, cum casum suum irrecuperabilem vidit, eo quod surgere de terra non valeat, fortissime barrit : quod dum elephantes audiunt, omnes juniores et fortiores ad eum veniunt, et, ut surgat, adjuvant quantum possunt. Passeres, parvæ aves, dum aliquem de suis captum conspiciunt, undique in unum conveniunt, et, ut captum liberent, laborant ut possunt, quem in vinculis pascunt. Porcorum mos est, ut, dum unus clamat, omnes ad auxilium accurrant. O humana miseria! o lacrymabilis defectus amoris! Cadit elephas, et est qui auxilium ferat : capitur passer, et est qui succurrat : porcus vociferatur, et invenitur, qui adjuvet; sed si cadit homo, non est qui adjuvet, qui in auxilium vadat, sed ad occidendum se inclinat. Sunt hodie homines canibus similes, quorum mos est, ut, si unus percutitur, ab omnibus aliis laceretur.

Exemplum.

Exemplum.

Secundo, dilectio fraterna est divinæ legis impletiva. Nonne magnum bonum creditur esse, mandato amoris legem implere? Quid hoc melius? Nonne qui hoc facit, sibi vitam æternam meretur? Sic enim ait Veritas [5] : « Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. » Sed si quis proximum diligit, omnia mandata Dei custodit. Ergo hoc maximum bonum custodit. Minorem probat Apostolus hoc modo : « Nemini, » inquit [6], « quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis : qui enim diligit proximum, legem implevit. Nam non adulterabis, non furaberis, non occides, non falsum testimonium dices, non concupisces rem proximi tui, et si quod est aliud mandatum in lege, in hoc uno verbo instauratur : Diliges proximum tuum, sicut teip-

[1] Boet., *de Consol. Philos.*, lib. II, metr. 8. — [2] *Eccli.*, XIII, 19. — [3] II *Cor.*, XII, 15. — [4] Greg., *in Evang.*, hom. XXX, n. 1. — [5] *Matth.*, XIX, 17. — [6] *Rom.*, XIII, 8-9.

sum. » Et concludit ex præmissis Apostolus [1] : « Plenitudo ergo legis est dilectio. » Ratio hujus argumenti est : Qui enim diligit proximum, optat ei bonum, et non malum : ergo eum, quem diligit, non occidit, nec contra eum furtum committit, nec contra eum falsum testimonium dicit, nec res ejus occupat modo indebito, nec furatur, nec concupiscit, et sic de aliis. Ergo qui proximum diligit, universa mandata custodit; et per consequens legem implevit. Et propterea beatus Joannes Apostolus, cum ad sepulcrum (*a*), vivus adhuc corpore, discipulorum manibus portaretur, ad quamlibet pausam dicebat [2] : « Filioli, invicem diligite. » Cumque illi quærerent, quare illud solum diceret, ait : « Quia, si hoc solum fiat, sufficit ad salutem. » Turpe est, fœdum est, non servare hanc legem Christi, cum Saraceni legem observant tam fideliter Machometi. Est enim absurdum, et rectæ rationi contrarium, ut legem illam non observemus nos filii, pro qua confirmanda sunt mortui patres nostri, sicut apostoli, martyres, et multi alii, et quod maximum est, Christus Filius Dei vivi. Nam brutorum filii leges et documenta patrum sic in omni tempore servant, quod ab eis nullo pacto declinant, sicut exempla innumerabilia manifestant. Quomodo ergo filii Dei non observant ejus legem, cum animalium filii sic servant inviolabiliter legem bruti? Sed contra eos dicitur, *Abacuc* [3] : « Dilacerata est lex. » Bernardus [4] : « Quotidie prosterni possunt leges in plateis; sed non sunt observantes eas (*b*), non litigia sedantes, sed jurgia commoventes. » Unde Psalmista [5] : « Narraverunt mihi iniqui fabulationes; sed non ut lex tua. » [6] « Lex » enim « Domini immaculata, convertens animas. »

Tertio, dilectio fraterna est Christo assimilativa, et in eum transformativa. Christus enim in tantum proximum amavit, ut pro eo se morti tradiderit. Unde dicitur [7] : « Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam, dedi dilectam animam meam in manibus inimicorum. » Ergo, qui propter Christum vere diligit proximum, maxime amat Christum : quia [8] propter quod unumquodque tale, et illud magis. Magis enim se, quam medicum diligit, quem solum ob causam suæ salutis diligit. Et magis diligit equum, quam aurum, qui aurum dat propter equum. Ergo si quis amat proximum, amat Christum; et Christum amando, Christo se facit similem. Quia amor est vis imitativa, vis assimilativa, et vis transformativa. Unde Hugo [9] : « Scio, anima mea, quod amor est vita tua : quidquid diligit, similitudinem ejus transformat. » Talis est anima sine divino amore, qualis est carbo sine igne : nam carbo ignitus est, pulcher et splendidus, quia igni simillimus; sed expoliatus, remanet nigerrimus, et tangentium se infectivus. Similiter anima divino amore incensa, et medullitus penetrata, fit tota splendida, et Christo simillima; sed anima hoc igne expoliata, tota fit frigida et nigra, et Deo non similis. Unde dicitur : Talis est anima hominis, qualis est dilectio ejus. Si terrena diligis, terra es; si cœlum diligis, cœlum es. Si autem diligis Deum, non audeo dicere quod Deus sis; sed audi prophetam, qui ait [10] : « Ego dixi, dii estis, et filii Excelsi omnes. » Mira est virtus amoris, quæ amantem in amatum convertit, et hominem Deum facit, non natura, sed gratia: quia, sicut dicit Boetius, *de Consolatione* [11] : « Natura unus est Deus; sed participatione nihil prohibet esse quam plurimos. » Unde Dominus dixit ad Moysen [12] : « Ecce constitui te deum Pharaonis. » Sed numquid tibi parum videtur, dum per amorem similis fis (*c*) summo? Quid hoc nobilius? quid melius? quid fructuosius? Nam secundum Philosophum [13] : « Id semper est melius, quod meliori similius. » Numquid non aquila, de sui natura, filium de nido abjicit, et non pascit, quem suæ naturæ dissimilem esse cernit, eo quod respicere solem in rota non possit? Nam et corvi parvulos suos non pascunt, donec eos similes sibi esse cernunt; sed mox, cum ad sui similitudinem nigrescere incipiunt, cum sollicitudine multa pascunt. Sciant ergo omnes, qui cum sanctis Apostolis proximum non diligunt, quod propter hoc Deo similes non existunt; et quod abjiciendi sunt, velut pullus aquilæ, et, sicut corvorum pulli, a Deo pasci digni sunt; et sibi (*d*) dissimiles esse inveniuntur in fine, abjiciun- Exempla.

[1] *Rom.*, XIII, 10. — [2] Hæc verba desumpta quidem tum ex epistolis Joannis, tum ex historia ecclesiastica; cæterum ea dicta fuisse ab eo, dum ad *sepulcrum* vivus portaretur, nihil est quod probet. — [3] *Habac.*, I, 4. — [4] Bern. — [5] *Psal.* CXVIII, 85. — [6] *Psal.* XVIII, 8. — [7] *Jerem.*, XII, 7. — [8] Arist., I *Poster. Analyt.*, c. II, text. 5. — [9] Hug. — [10] *Psal.* LXXXI, 6. — [11] Boet., *de Consol. Phil.* — [12] *Exod.*, VII, 1. — [13] Arist., *Top.*, lib. III, c. II, loc. 32, et *de Cœl.*, lib. II, text. 6.

(*a*) *Forte leg.* ecclesiam, *ex* Hieron., *in Epist. ad Gal.*, lib. IV, c. VI. — (*b*) *Cæt. edit.* eam. — (*c*) *Cæt. edit.* sis. — (*d*) *Leg.* si ei.

tur (*a*) æternaliter sine fine. Diligamus igitur proximum, et audiamus dicentem Christum [1] : « In hoc cognoscent omnes, quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem. » Ergo ubi talis amor non est, ibi Christi discipulus esse non potest, quia nec ibi Deus est. Ubi enim charitas est et amor, ibi Deus est, et per consequens omne bonum.

Quarto, dilectio fraterna est supplicii infernalis declinativa, et summi boni acquisitiva. Ista enim duo similiter sunt tractanda, quia sicut in elementis corruptio unius est generatio alterius, sic paradisi exclusio est inferni acquisitio : quia, sicut dicit Augustinus [2], « omnes erunt in inferno, qui superno non fuerint constituti in regno. » Utinam ergo attenderent Christiani, et revolverent mente fideli, quid perdunt, et per consequens quid acquirunt, si proximum odiunt, et non diligunt. Dic ergo, Christiane, quid perdis, si proximum odis? Numquid non a summo bono divideris, et a consortio beatorum separaberis perpetuo? Quid hoc damnosius? quid animæ gravius? Si times perdere pecuniam, necessario aliquando dimittendam, et times corporalem perdere vitam, aliquando, sive velis, sive nolis, perdendam; cur non times perdere vitam beatam, jucundam, vitam securam, vitam omnibus bonis plenam, nec ad tempus, sed perpetuo duraturam? Dic mihi, quid acquiris, si proximum tuum odis, præter hoc, quod in hac vita torqueris, et dolore extenderis, dum eum prosperis rebus abundare cernis, nisi quod exclusus ab omnibus bonis, tam temporalibus, quam æternis, traderis summis malis, pœnis maximis, æternaliter duraturis? Tunc dolebis cogentibus pœnis ; tunc irrecuperabiliter plorabis ; tunc vitam tuam pristinam blasphemabis, quod proximum non amaveris : sed nihil tunc tibi proderit, ubi locus in perpetuum pœnitentiæ non erit. Attende ergo, et cerne crimen; et nunc proximum dilige, si vis mortem æternam fugere, et vitam sempiternam acquirere. Sic enim Joannes dicit [3] : « Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. « Qui enim non diligit, manet in morte, » quia hic mortuus est morte culpæ, et morietur ultimo morte damnationis æternæ. O odium detestandum, quo perditur summum bonum, et acquiritur summum malum! Quid stultius homine cognoscente sua mala, et ea effugere non curante; cum bruta animalia omnia sollicite quærant remedia, et fugiant suæ saluti contraria? Nam mustela [4], si ejus filii fiant excæcati, vel mortui, quærit herbam cujus virtute eos vivos restituat. Ergo mustela suis filiis salutem quærit, et tu, homo rationalis, proximum odis, quo ad perpetua incendia devolvaris? Laborat bestiola filios dare luci, et restituere vitæ; et tu niteris toto posse excludi a luce, nec dispendium vitæ times? Diligit brutum suum remedium, quo fugit nocivum; et tu contemnis divinum præceptum, odiens proximum tuum, quo solum amato, potes pervenire ad regnum? Diligit brutum vitam suam, et tu amorem odis, qui animæ vita existit? Rogemus, etc.

SERMO X [5].

Vos amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis [6]. Nihil in hac vita dulcius, nihil suavius, vel fructuosius amicitia bona; nihilque amicitia mala pejus, nihilque damnosius, si tamen amicitia mala amicitia est, cum, secundum Tullianam doctrinam [7], « nihil aliud sit amicitia, quam humanarum, divinarumque rerum, pari cum benevolentia, et charitate, consensus : ut sit idem velle, et idem nolle in rebus honestis. » Unde Boetius [8] docet, quod amicitia non inter fortunæ bona, sed inter bona honesta et virtuosa est computanda. Si ergo tantum bonum est amicitia humana, quantum bonum est amicitia divina? Beati ergo, et plus quam beati dici possunt, quibus dictum est voce Dei : *Vos amici mei estis.* In quo verbo notantur maxime duo : nam primo describit amicitiam quantum ad mentis affectum; secundo describit eam quantum ad operationis effectum. Primum respicit bonum amoris interius; sed secundum, bonum operationis exterius. Cæterum amicitia cordis, amoris est incensiva; sed amicitia operis, interioris est amicitiæ probativa. Notatur ergo amicitia primo, quantum ad affectum in corde, cum dicitur : *Vos amici mei*

[1] *Joan.*, XIII, 35. — [2] August., *de verb. Apost.*, serm. XIV, al. CCXCIV, n. 3, quoad sensum. — [3] I *Joan.*, III, 14. — [4] Hoc exemplum de mustela datum fuit de hirundine in serm. II, de Evangelistis, (infra) pag. 37, col. 1. — [5] Hunc non habet edit. Hageno. an. 1496. — [6] *Joan.*, XV, 14. — [7] Cic., in *Lælio.* Idem etiam ait Augustinus *contra Academ.*, lib. III, longe post initium, et in epist. CLIV, *de vera Amicit.*, et lib. unico *de Amicitia* in principio, et alibi. — [8] Boet.

(*a*) *Leg.* inveniantur... abjicientur.

estis. Notatur secundo amicitia, quantum ad effectum in opere, cum infertur : *Si feceritis*, etc., quasi dicat : In hoc probatur amicitia cordis esse vera, si observatis mandata mea. Sed quid est amicum Dei esse, nisi Deum diligere? Unde et de dilectione simile verbum dicit Dominus [1] : « Si diligitis, » inquit, « me, mandata mea servate. [2] Qui non diligit me, mandata mea (*a*) non servat. » Verum divina amicitia non est nobis concreata : quia « nemo scit, utrum amore, vel odio dignus sit, » Ecclesiastes ait [3]. Ideo magis expedit ad instructionem nostram, loqui de humana amicitia, quam divina. Est ergo notandum quod amicitiarum genera, communiter loquendo, sunt tria : est enim amicitia malorum cum malis; et est amicitia bonorum cum bonis; et est amicitia bonorum cum malis. Prima amicitia est simpliciter mala; secunda est simpliciter bona; tertia amicitia potest esse bona, potest et esse mala.

Dico, quod amicitia prima est malorum cum malis, et est simpliciter mala, quia malum malo additum, totum fit magis malum. Nam quanto plura fuerint frigida in unum conjuncta, tanto est fortius venenum, quod est inde generatum. Unde narratur : Dum quidam latro generasset, et de hoc vicini gauderent, quidam sapientior cæteris dixit : O stulti, unde gaudetis? si unius pati latrocinia non poteratis, quomodo multorum portabis? Si unus, inquit, sol sic terras exurit, quid est si plures existerent? Quare maximum terræ inferunt nocumentum, dum plures planetæ sic malevoli conveniunt in aliquod unum signum. Unde ex hac causa præcipit Hippocrates, homines non minuere (*b*), nec medicinas recipere laxativas cum Cane : quia cum Canis, sidus calidissimum, uniatur (*c*) cum Sole, planeta calidissimo, et hoc in Leone fervidissimo, excessus caloris generatur in mundo; quare nec minuere (*b*) tutum, nec medicinas capere est securum; imo, ut generaliter loquitur, omnis infirmitas aggravatur, si ex complexione temporis consimilis ejus virtus fortificatur. Verbi gratia, si infirmitas ex cholera, quæ calida est et sicca, advenit in æstate, quæ similiter est calida et sicca, infirmitas aggravatur, dum similis ex simili roboratur. Ex quibus exemplis omnibus aperte probatur, sicut dicit Gregorius [4], quod malorum amicitia est pessima, plurimumque nociva, eo quod sit fortior virtus unita, quam dispersa. Unde rex David Absalonem fugiens, dum Achitophel cum eo esse audivit, valde extimuit, et orans ad Dominum, ait [5] : « Infatua, Domine, quæso, consilium Achitopel, » etc. Hæc est illa amicitia, de qua dicitur [6] : « Amici facti sunt Herodes et Pilatus, qui prius erant inimici. » In quo amici? quia dum unus alteri Christum misit, et alter illum alteri illusum remisit, ad occidendum Christum est unita malitia, quæ ante divisa fuit. Hæc enim fuit amicitia vulpis et corvi. Dicitur enim, quod corvus magna amicitia jungitur vulpi, ita quod eam adjuvet pro viribus cum taxo [7] bellantem. Quid enim per corvum volatilem, fraudulentum, furtis et rapinis assuetum, melius intelligimus, quam Pilatum, qui in usum proprium oblata pauperibus convertebat? Unde de hoc etiam a Judæis coram Cæsare accusatus fuit. Quid per vulpeculam, quæ semper ambulat via tortuosa, et semper claudicans in partem dexteram, se erigit in sinistram, nisi Herodem intelligimus, qui tortuosus et versipellis existens, sicut in decollatione Joannis apparuit, ad bona omnia claudicabat, et se ad mala e contrario erigebat? Tales ergo facti sunt amici, ut Domino Salvatori illuderent, et spretum inter se deriderent. O quot sunt hodie tales in mundo, qui cum perficere sua mala vota non valeant, alios perversos associant, ut sic, quod cupiunt, ad complementum adducant! Contra igitur amicitiam talium bellare debent clerici orando; laici, resistendo; et Potestates, principes persequendo, ne forte ex parva scintilla ignis valida flamma surgat, quæ totam civitatem incendat. Nam, sicut dicit Philosophus [8], « modicus error in principio, fit magnus in fine. » Et ideo amicitia perversorum est arcenda, dum incipit, ne forte non possit arceri, dum robur excreverit. Nam serpens omnes prorsus vires amittit, si ejus caput attriveris, quia totum corpus pro capite defendendo exponit.

Exemplum.

Hippocratis consilium.

Exemplum.

Exemplum.

Secundo est amicitia bonorum cum bonis, qualis fuit inter Jesum et Apostolos [9] : « Jam non dicam vos servos, sed amicos, quia servus

[1] *Joan.*, XIV, 15. — [2] Ibid., 24. — [3] *Eccle.*, IX, 1. — [4] Greg., *Moral.*, lib. XXXIV, c. IV, n. 8, quoad sensum. — [5] II *Reg.*, XV, 31. — [6] *Luc.*, XXIII, 12. — [7] Taxus, sive Taxo, animal magnitudine vulpis, colore felis, alveariis infestum, Melis nuncupatur, quod mellis avidissimum sit. Ex Plin., lib. VIII, c. XXXVIII. — [8] Arist., *de Cæl.*, lib. I, text. 33. — [9] *Joan.*, XV, 15.

(*a*) *Vulg.* sermones meos. — (*b*) *Forte leg.* coire *vel* concumbere. — (*c*) *Leg.* unitur.

nescit, quid faciat dominus ejus. » Et hæc est bona amicitia, quia bonorum multorum est causa promotiva, et causa etiam perfectiva. Exempla. Nam sicut malum augetur ex malo, sic et bonum ex bono. Bonum ergo, bono additum, fit magis bonum, dum potentius reddit continuum. Nam et sirupus compositus sirupo simplici est virtuosior. Theriaca [1] etiam, quæ ex multis calidis componitur, contra venenum potentior invenitur. Planetæ etiam benevoli, dum in aliquo uno signo conveniunt, fortiores ad agendum fiunt, dum virtus unius fortificatur ex virtute alterius. Stellæ etiam sibi vicinæ sunt amplius splendidæ, quam si essent in se singulæ, eo quod lumen unius suppletur ex lumine alterius. Sic et boni viri, dum sibi mutuo amicitia conjuncti fiunt, meliores singulis erunt, dum sibi suas communicant bonitates, mutuo se docendo, se exemplis mutuis suffragiisque adjuvando. Unde dicitur [2] : « Melius est duos esse simul, quam unum, » quia [3] « si unus ceciderit, ab alio fulcietur. » Et additur ibidem [4] : « Funiculus triplex difficile rumpitur : » eo quod trium amicitia sit firmissima, dum etiam perfecto numero sit conjuncta. Et dicitur [5] : « Amico fideli nulla est comparatio, nec auri digna ponderatio, nec argenti, » quæ possit resistere contra bonitatem fidei illius. [6] « Amicus si permanserit fixus, erit tibi coæqualis, et in domesticis tuis fiducialiter aget. » Hæc est amicitia David et Jonathæ, de quibus dicitur [7], quod Jonathas « diligebat eum sicut animam suam, » et ei tradidit omnia sua vestimenta, et arma. Lege totam historiam. Sed qui sunt hodie tales amici? Non sunt amici, sed socii mensæ, qui sunt amici fortunæ potius, quam personæ. Et ideo deficiente fortuna, et prosperis in adversa mutatis, cessat amicitia, si tamen amicitia, et non fraudulentia potius est dicenda. Cessante enim causa, cessat effectus. Et ideo Boetius dicit [8] : « Quomodo fortuna facit amicum, ita infortunium facit inimicum. » [9] « Omni enim tempore diligit, qui amicus est, et semper in adversitatibus comprobatur. » Hinc dicitur : Non ergo credas unquam amicum tibi fuisse, quem vides tibi in adversitatibus defecisse. Sunt enim multi, cuidam animali, quod Mygale [10] dicitur, similes, quod tamdiu blande hominibus se ostendit, quousque confidentes sibi appropinquant; et tunc in eos insilit et venenum immittit. Sic enim dicitur [11] : « Simulator ore decipit amicum suum. » Nam cum blanditur, ut ad tempus placeat, et ab eo aliquid rapiat, non ipsum, sed dona sua amat, sicut meretrix non amat virum, sed nummum. Unde narratur parabolice [12], quod semel vulpes, quæ adulantium morem gerit, ad corvum cum caseo recente in ore super arborem stantem, famescens, ac caseum cupiens, ait : O avium pulcherrima, cantuque suavissima, sonoraque voce, supra quam dici potest, exopto te audire cantantem. Tunc corvus, adulatione deceptus, stricto rostro ne caseum perderet, cœpit, ut poterat, voces dare. Tunc illa : Miro modo me reficis. Sed quid faceres, si vere cantares? Rogo te, ne me fraudes tanto desiderio. Tunc ille verum esse credens, quod dicebat, dum rostrum ad cantandum aperuit, caseus cecidit, quem vulpes rapuit, et comedit. O quot sunt hodie, qui falsis blanditiis a joculatoribus spoliantur! Utinam responderent illis, sicut joculatori cuidam philosophus respondit : Numquid, ait, me vendere vis? Scio quid sum, quid possum, ad quid natus. Numquid verba tua me possunt facere meliorem quam sum?

Tertio amicitia est bonorum cum malis, et malorum cum bonis, et hac aliquando mali bonorum convertuntur exemplo; et aliquando boni seducuntur a malis. Utrumque enim accidere sæpe videmus : nam quod boni sæpe convertant, et ad se trahant malos, innumerabilia sunt exempla Apostolorum, aliorumque sanctorum, qui converterunt ad fidem multitudinem paganorum; nec non quotidie videmus malos converti exemplis et verbis bonorum. Unde Paulus Apostolus dicebat [13] : « Omnibus omnia factus sum, ut omnes lucrifaciam. » Omnibus se conformabat, ut omnes posset exemplis et doctrinis ad se trahere. Unde et Salvator noster, ut Judam proditorem ad pietatem moveret, et dulcedine verbi malitiam ejus frangeret (consueverunt enim verba dulcia infringere corda mala), dixit ei [14] : « Amice, ad quid venisti? » quasi dicat :

[1] Theriaca est medicamentum notissimum ex viperarum carnibus constans contra venenum. Ex Plin., lib. XX, c. XXIV, et lib. XXIX, c. IV. — [2] *Eccle.*, IV, 9. — [3] Ibid., 10. — [4] Ibid., 12. — [5] *Eccli.*, VI, 15. — [6] Ibid., 11. — [7] I *Reg.*, XVIII, 3, 4. — [8] Boet., *de Consol. Philos.*, lib. III, pros. 5, in fine. — [9] *Prov.*, XVII, 17. — [10] « Mygale est mus areneus, animal mediam inter murem et mustelam speciem habens. » Plin., lib. VIII, c. LVII, et lib. IX, c. XIX. — [11] *Prov.*, XI, 9. — [12] Æsop., lib. II, Fab. XI. — [13] I *Cor.*, IX, 19. — [14] *Matth.*, XXVI, 50.

Non est opus amico amicum prodere osculo inimicis. Non tamen omnes sunt tales, ut Judas; sed multi sunt, qui, dum cum bonis conversantur, ad bonum mutantur. Exemplum Hilarionis, qui dum famam Antonii audivit, ad eum ivit : quem videns, exemplo ejus ad meliora se mutavit. Lege historiam [1]. Etiam nihil in rebus est magis fixum, quam quod in stellis est a Deo plantatum; et tamen in eis invenitur mutatio, approximatione bonorum. Nam Saturnus est planeta præ cunctis malevolus, quia omnibus nocivus, nulli proficuus, cum sit frigidus, et siccus, et in sua complexione mortiferus, ut vult Astrologus. Unde ejus color est lividus, sive plumbeus, mortis significativus. Contingit tamen quoddam mirabile, dignum imitatione : quia dum circulo Jovis approximat, quem planetam per omnia benevolum esse constat, malitiam ejus mutat, et colorem variat, ut fiat colore argenteus, sive clarus, qui erat plumbeus simul et lividus. Ex quibus omnibus manifeste colligitur, quod mali exemplo bonorum et prædicationibus convertuntur. Nec minus hoc verum esse perpenditur, quod boni, et maxime viri perfecti, ex malis meliores redduntur. Dato etiam, quod non revertantur, dum eos ad salutem ducere nituntur, et non tantum non credentes eis; sed et injurias reddentes, per eos, sicut aurum in fornace, probantur. Ad hoc enim mali nasci permittuntur, ut boni per eos exerceantur. Unde relicti sunt Jebusæi, pluresque alii in medio filiorum Israel, ut per eos probarentur, utrum Deum diligerent. Sicut enim Gregorius dicit [2] : « Non est bonus, qui malos sustinere non potest : qui malos non sustinet, ipse per impatientiam sibi testis est, quia bonus non est. » Sancti boni fructuosiores fiunt, dum per malos occasiones virtutum accipiunt, sicut David crevit in meritis, ex persecutione Saulis. Nam si sylvestris ficus (quæ malos significat, eo quod non fructificat) plantetur juxta domesticam, domestica facit eam fructificare. Videmus enim, quod etiam spinæ, quæ in se sunt pungitivæ, etsi infructuosæ sunt in se, tamen compositæ (*a*), vineæ sunt custoditivæ; quia dum boni malorum vias attendunt, majori se cura custodiunt. Sic ergo patet aliqualiter ex dictis, quod amicitia bonorum cum malis, et malorum cum bonis, potest esse utrisque utilis. Sed aliquando contingit, quod est nociva illis, et his; et maxime nocet viris imperfectis, qui malis facile corrumpuntur exemplis. Unde dictum est regi Josaphat per prophetam [3] : « Impio præbes auxilium, et his, qui oderunt Dominum, amicitia jungeris : et idcirco iram Domini merebaris : sed bona opera inventa sunt in te, eo quod paraveris cor tuum, ut quæreres Dominum Deum tuum. » Exemplum de Juda Machabæo, qui, cum esset vir fortissimus, et in bellis victoriosissimus, factus Romanorum amicus [4], ab adversariis est occisus [5]. Vult ergo Deus, ut viri imperfecti, tanquam ad malum proni, fugiant malorum consortia, et eorum declinent amicitiam. Nam et Mercurius, licet de se sit planeta benevolus, fit tamen malevolus, malevolo planetæ conjunctus. Similiter Sol et Luna cum bonis sunt boni, cum malis sunt impii. Nam cum pennæ aquilæ sunt conjunctæ pennis gallinæ, eas consumunt et destruunt. Similiter et chordæ de intestinis luporum factæ, cum chordis factis de intestinis ovium positæ, earum sunt corrosivæ. Quia mali, quando cum bonis moram trahunt, sæpe eos corrumpunt, et ad malum adducunt. Contingit autem occasionaliter et per accidens, quod mali bonis admixti fiunt ex malis pessimi : quia, dum bonis non credunt, nec bona monita capiunt, maxime Deum offendunt, et ex bono mortem capiunt. Nam et vulpes amygdala, quæ de sui natura sunt sana, si comedat, ex cibo sanissimo morti se damnat. Multi sunt homines, qui de medicina, quæ de se est sana, et curativa morbi, periculum mortis incurrunt. Unde narrat B. Gregorius [6], quod « quidam monachus factus erat adeo perversus, et malus, quod nullas admonitiones, vel verba salutis audire volebat : sed omnes sanas admonitiones spernebat, et admonentes blasphemiis impetebat; et quod nunquam bonus esset, sæpe jurabat, et sic ex bono sæpe pejor fiebat. Unde ad mortem deductus, videns draconem contra se stantem, ejus mortem expectantem, clamabat : Recedite, recedite, quia draconi ad devorandum datus sum, et jam pro magna parte ab eo absorptus sum. Ut quid propter vos moras patior? » Sic igitur, fratres, amicitiam habeamus cum bonis, quia nobis im-

Exemplum.

Exempla.

Exemplum.

[1] Apud Surium, die 20 octob., ex B. Hieronymo, in Vita ejusd.— [2] Gregor., *in Ezech.*, lib. I, hom. IX, n. 21; *in Evang.*, hom. XXXVIII, n. 7; *Moral.*, lib. XX, c. XXIX, al. XXXIX, n. 75. — [3] *Paral.*, XIX, 2-3. — [4] I *Mach.*, VIII. — [5] Ibid., IX. — [6] Greg., *in Evang.*, hom. XIX, n. 7; hom. XXXVIII, n. 16.

(*a*) *Suppl.* cum vinea.

perfectis non expedit amicitiam habere cum malis. Rogemus ergo, etc.

DE SS. EVANGELISTIS.

SERMO PRIMUS [1].

Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus [2]. Eximius doctor Augustinus [3] dicit hoc sensisse Platonem, quod Deus sit causa omnium naturarum, vel creaturarum, sit lumen omnium rationum, et sit finis omnium actionum : ut sine eo nulla creatura subsistat, nulla scientia instruat, nullus rerum usus expediat. Nam hoc est noster intellectus sine divino lumine, id (*a*) est carnis oculus sine luce. Nam sicut carnis oculus, licet de sui natura habeat facultatem videndi, nunquam tamen assequitur beneficium visionis, nisi auxilio lucis, sive radiorum solis (ut auctor *de Spiritu et Anima* dicit [4]), sic nec oculus spiritualis, quamvis de sui natura sit intelligere natus, nunquam tamen intelligit, nisi adjutus sit lumine veri Solis. Unde Propheta [5] : « Domine, in lumine tuo videbimus lumen. » Non ergo potuissent Evangelistæ, nec quicumque doctores Ecclesiæ, qui scripserunt de Deo, scripsisse, nisi illustrati hoc lumine, quod [6] « illuminat omnem hominem, » sive docentem, sive scribentem, sive meditantem. Dicat ergo quicumque apostolus, sive evangelista, dicat omnis scriba, et quicumque docet in sancta Ecclesia : *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* In quo verbo, subtiliter indagato, notantur tria: primum est humilitas reverentis obsequii, quo homo ad divinas irradiationes se præparat; secundum est sublimitas supernaturalis imperii, quo faciendum aliquid esse mandat; tertium est familiaritas eloquii, quo Deus intus illuminat. Primum est ad auditum carnis externum; secundum, ad bonum mentis supernum; tertium vero ad auditum cordis internum. Notatur igitur primo humilitas reverentis obsequii, cum dicitur : *Audiam.* Audire enim est actus reverentiæ. Secundo notatur sublimitas imperii divini, cum infertur : *Quid loquatur in me Dominus Deus.* Et tertio notatur familiaritas interioris eloquii, cum dicitur: *In me.* Nobilissimum genus loquendi est, quando non exterioribus signis, sive corporalibus sonis, Deus alloquitur animam, sed intus tantum irradiat super ipsam, sine ullo medio docens ipsam, sicut docuit Joannem Evangelistam, et omnes plures alios, qui docuerunt in Ecclesia. Ipsi enim, quod a Deo audiebant interius, scribebant et loquebantur exterius. Dicat igitur unusquisque talium : *Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus.* Ut ergo devote audire possimus divinam locutionem, quid Deus nobis loquatur, aliquid de ea dicamus. Est ergo notandum ad præsens, quod primo Deus loquitur ut rex potentissimus, in jubendo; secundo, ut magister prudentissimus, in docendo; tertio, ut amicus dulcissimus, in consolando; quarto, ut judex æquissimus, in examinando. Est ergo primum divinum imperium, quo ligamur; secundum, divinum magisterium, quo docemur; tertium, divina amicitia, qua consolamur; et est quartum divinum judicium, quo terremur.

Dico igitur primo, quod Deus loquitur ut rex potentissimus, dans imperium, quo ligamur. Unde dicitur de præceptis Decalogi [7] : « Locutus est Dominus cunctos sermones hos. » Communiter ponuntur decem præcepta Decalogi : tria, quæ pertinent ad Deum; et septem, quæ pertinent ad proximum. Vide litteram, et expone populo illa præcepta : tenentur illa scire, quia in eorum observatione est vita. Unde juveni quærenti [8] : « Quid faciam, ut habeam vitam æternam? » Dominus respondit : « Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. » Nemo enim excusabilis est, si ea non servat, quia omne, quod præcipitur, facile est amanti. [9] « Amanti enim, » ut ait Bernardus, « nihil est difficile. » Quis unquam tantum laborat ad amandum Deum, vel ad observandum ejus mandata, quantum laborat miles ad pugnandum, dux ad regendum, mercator ad acquirendum, et agricola ad laborandum? Unde dicitur in prima canonica *Joannis* [10] : « Et mandata ejus gravia non sunt. » Numquid grave est Deum, tantum benefactorem tuum, tam parum amare? Unde ipse dicit [11] : « Mandatum, quod ego præcipio tibi, non super te est : non procul positum, nec in cœlo situm, ut possis dicere : Quis nostrum valet ad cœlum ascendere, ut deferat illud ad nos, et audiamus, et compleamus? Nec trans mare po-

[1] Hunc et quatuor quoque sequentes habet edit. Hageno. an. 1496. — [2] *Psal.* LXXXIV, 9. — [3] Aug., *ad Dioscor.*, epist. LVI, al. CXVIII, n. 20. — [4] Lib. *de Spir. et Anim.*, c. XII, inter August. *Oper.*, Append. tom. VI. — [5] *Psal.* XXXV, 10. — [6] *Joan.*, I, 9. — [7] *Exod.*, XX, 1. — [8] *Matth.*, XIX, 16, 17. — [9] Bern., *de Convers. ad Cleric.*, XXI, 38, et in *Dominic. Palm.*, serm. I, n. 2. — [10] I *Joan.*, V, 3. — [11] *Deut.*, XXX, 11-14.

(*a*) *Leg.* quod.

stium, ut causeris et dicas : Quis ex nobis transfretare poterit mare, et illud ad nos usque deferre, ut possimus audire, et facere quod præceptum est ? Sed juxta est valde sermo in ore tuo, ut facias illum. » Ergo secundum hoc nullus est excusabilis, quia, sicut dicit Augustinus [1], « potest homo dicere : Non possum jejunare, non possum ad sanctum Jacobum ire, non possum res meas pauperibus dare, in monasterio Deo servire, non possum a carnibus et a vino abstinere : sed nunquam potest dicere : Non possum amare. » Quid facilius, quid dulcius, quid possibilius, quam amare, et maxime summum bonum, sibi tam beneficum ? Item attende, quid te Dominus mandat facere. Numquid sibi utile? Non, inquam, sed tibi. Præcipiunt reges et principes servis grandia, non suis, sed dominis utilia : sed (*a*) multi sunt, qui adimplent. Præcipit Deus Factor omniumque Redemptor, et mandat ; sed non sibi, sed servis utilia ; et non est, qui obediat. Audi Augustinum dicentem [2] : « Nihil Deus jubet, quod sibi prodest, sed illi, cui jubet. » Ideo verus est Dominus, qui jubet non quod sibi prodest, sed quo servus indiget. Psalmista [3] : « Dixi Domino ; Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. » Quæ nequitia, quæ perversitas est, quia leo rugit, et omne animal gressum figit, expectans imperium sui regis ; et summus Rex summam utilitatem servo mandat, et non est qui obediat !

Secundo loquitur Deus ut doctor prudentissimus, dans magisterium, quo de salute instruimur. Nam dicitur quod Dominus turbis multa locutus est in parabolis. Cumque Apostoli quærerent, quare in parabolis loqueretur, dixit eis [4] : « Quoniam datum est vobis nosse mysterium regni Dei : cæteris autem in parabolis. » Sequitur, quomodo eis exponebat parabolam, quomodo non esset seminandum secus viam, per vanam intelligentiam ; nec supra petrosa, per cordis duritiam ; nec inter spinas, per rerum opulentiam, sed in terram optime dispositam, aquis gratiæ irriguam, et vomere, per devotionem, scissam. Numquid non stultus judicaretur ab omnibus, qui juxta viam semina jaceret, ubi homines tota die transirent, et semina pedibus conculcarent ? Tales sunt, qui dum [5] per Scripturas non attendunt, sed si quid boni faciunt, coram hominibus ponunt, et sic omne bonum, quod faciunt, totaliter perdunt. Gregorius [6] : « Deprædari ergo desiderat, qui thesaurum publice in via portat. » Nonne apes mella sua reponunt studiosissime infra tecta ? Nonne formicæ grana collecta in subterranea condunt loca? Ergo opera nostra, juxta mentem S. Gregorii [7], sic sunt facienda, ut, etsi opus ad divinam legem fiat in publico, tamen intentio maneat in occulto, ut inde homo appetat placere soli Deo. Item non est seminandum supra petrosa, per cordis duritiam : quia « cor durum male habebit in novissimo, » sicut dicitur in *Ecclesiastico* [8]. Est autem cor durum, secundum Bernardum [9], « quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec precibus inclinatur. » Tale enim sic durum a compassione remotum est, sicut terra sine aqua, quæ nullis fructibus apta est. Unde filia Caleph, quæ signat animam, petiit a patre terram irriguam [10], plorans, quod ei dedisset aridam. Nulla omnino est planta quæ, subtracta aqua, non fiat arida protinus. Unde et Propheta plorans dicebat [11] : « Anima mea sicut terra sine aqua, tibi. » Item non est seminandum inter spinas, quia spinæ semen comprimunt, et crescere non permittunt. Sed quid sunt hæ spinæ, Christo docente, nisi nostræ divitiæ, quibus homo vulneratur in corde, et continue pungitur earum amore ? Unde divites sæpe bona, quæ faciunt, perdunt, quia plus nummum, quam Deum diligunt. Unde Dominus loquens de divite ait [12] : « Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum Dei. » Hieronymus [13] : « Impossibile est ut fruatur quis præsentibus bonis, et æternis; quod hic ventrem, illic mentem impleat ; quod de deliciis ad delicias transeat, et quod in cœlo et in terra appareat gloriosus. » Quid ergo dives misericordiam exquirit, qua (*b*) seipsum decipit ? Vel oportet divitias omnino (*c*) amare, vel cœlum se (*d*) amittere ; nisi dicat illud, quod dicit Veritas, falsum esse [14] : « Facite ergo vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. » Seminate divitias, pau-

[1] Serm. LIX, *de Tempore*, al. LXII, inter *Oper.* Aug., Append. tom. V. — [2] *Sentent.*, ex Aug., XXXIX. — [3] *Psal.* XV, 2. — [4] *Luc.*, II, 10. — [5] Locus mutilus. — [6] Greg., *in Evang.*, hom. XI, n. 1. — [7] Id., ibid., *et Pastor. cur.* part. III, adm. 36. — [8] *Eccli.*, III, 27. — [9] Bernard., *de Consider.*, lib. I, c. II, n. 3, et *de Divers.*, serm. I, n. 2, quoad sensum. — [10] *Jos.*, XV, 19. — [11] *Psal.* CXLII, 6. — [12] *Matth.*, XIX, 24 ; *Marc.*, X, 25. — [13] Hieron., *Regul. Monach.*, de Laud. Relig., et *in Psal.* LXXXIII. — [14] *Luc.*, XVI, 9.

(*a*) *Leg.* et, *vel* tamen. — (*b*) *Leg.* qui. — (*c*) *Suppl.* non. — (*d*) *Del.* se.

peribus date, quia hoc est in bonam terram seminare. Nunquam semen perditur, dum terræ committitur ; sed potius multiplicatur. Nunquam mercatores lucrarentur, si clausæ eorum divitiæ scriniis tenerentur. Ille usurarius lucratur plura, qui commodat plurima. Eleemosynas enim dare, est commodare, non perdere; et est utiliter seminare, et non semina abjicere.

Tertio loquitur Deus ut amicus dulcissimus, præbens solatium animæ, quo consolatur. Ipse enim dicit [1] : « Ducam eam in solitudinem, et ibi loquar ad cor ejus. » Solitudo est locus inhabitabilis, et a paucis penetrabilis : et significat solatium mentis nostræ, ad quod accessus est valde paucis; et hoc, nisi (*a*) auxilio divinæ virtutis. Quid est ergo animam in solitudinem ducere, nisi eam ab exterioribus omnibus et mundanis extrahere, eam ad seipsam reducere, ut divinam posset (*b*) audire vocem, dulciter alloquentem? Unde Augustinus dicebat de seipso [2]: « Introducis me, Domine, inquit, in solitudinem et dulcedinem, quæ si perficiatur in me, si illa non est vita æterna, nescio quid aliud sit vita beata. » Unde et Sponsa dicit in *Canticis* [3] : « Anima mea liquefacta est, ut dilectus loquutus est. Sonet, inquit [4], vox tua in auribus meis : vox enim tua dulcis, et facies tua decora. » Et Bernardus [5] : « Si dilectus loquitur mihi, o dulcis allocutio dilecti ad dilectum, sponsi ad sponsam, amici ad amicum, Domini ad ancillam, Salvatoris ad animam, sed paucis valde concessa, et paucis valde experta ! » Sed quare hoc? Quia non possunt esse simul in eadem anima duo contraria. Sunt enim inter se contraria, spirituales et carnales deliciæ; et in eodem nequeunt esse simul, beato Gregorio hoc attestante [6]. Quia ergo omnes quasi carnalibus deliciis delectamur ; ideo a divinis excludimur. Unde de hoc beatus dicit Bernardus [7]: « Delicata est divina consolatio, nec datur admittentibus alienam. » Nunquam simul esse possumus nigri, et albi ; nunquam boni, et mali ; nunquam sani, et infirmi; nunquam sobrii, et gulosi et bibuli. Ergo nec simul esse possumus Christi, et mundi; servi Dei, et diaboli. Unde Dominus dicit [8] : « Nemo potest duobus dominis servire, » (supple) contrariis. Apostolus [9] : « Quæ conventio Christi ad Belial? lucis ad tenebras? templi Dei et idoli? » Ergo in his exemplis manifeste colligitur, quod ideo Deum loquentem interius non percipimus, nec ejus verba animam delectent (*c*), nec percipimus, nec videmus, quia carnales et mundanas delectationes admittimus. Non enim simul habitat lupus cum ove, gallina cum vulpe, columba cum accipitre, et leo cum corvo. Exemplum.

Quarto loquitur Deus, ut judex æquissimus, cum judicio deterremur. Quid enim stultius, quam non timere Judicem potentissimum, omnia punire valentem ; judicem sapientissimum, omnia subtiliter exquirentem, omniaque videntem ; et judicem rectissimum, omnia mala (*d*) punire volentem, et cuncta acriter punientem, et unicuique secundum opera sua reddentem? Psalmista [10] : « Semel locutus est Deus ; duo hæc audivi : quia potestas Dei est, et tibi, Domine, misericordia, quia tu reddis (*e*) unicuique juxta opera sua. » Semel dicit, quia tantum semel judicabit ; et sententia, quam tunc dabit, in æternum durabit, quia nec eam in æternum revocabit. Job [11] : « Semel loquitur Deus, et id ipsum non repetet. » Et potestas Dei ideo ponitur, quia contra malos ea utitur ; sed misericordia propter electos ponitur : ut et his et illis secundum opera reddatur. Quis ergo non timeat ? Unde Hieronymus [12] : « Sive bibam, sive comedam, sive vigilem, sive dormiam, sive stem, sive vadam, sive aliquid aliud faciam : semper videtur mihi, ut vocem terribilem audiam : *Surgite, mortui, venite ad judicium.* » O vox altissima, cunctis mortalibus tremebunda, quæ cœli lumina obscurabit, mare siccabit, mortuos suscitabit : quam mundus omnis pavebit, et infernus timebit : quia concutiet universa, superiora et media ! Unde dicitur [13] : « Terræmotus factus est magnus, et sol factus est niger, tanquam saccus cilicinus : luna tota facta est, sicut sanguis : stellæ ceciderunt super terram. Et cœlum recessit, sicut liber involutus : et omnis mons et insulæ de locis suis motæ sunt. Et reges terræ, et tribuni, et divites, et fortes, et omnis servus et liber absconderunt se in speluncis, et in petris, et dicunt montibus e petris : Cadite super nos, et abscondite nos a

[1] *Ose.*, II, 14. — [2] Aug. — [3] *Cant.*, V, 6. — [4] Ibid., II, 14. — [5] Bern., *in Cant.*, serm. LXII, quoad sensum. — [6] Gregor., *Moral.*, lib. XXX, c. X, al. XVIII vel IX, n. 39. — [7] Bern., *in Ascens. Dom.*, serm. III, n. 7, et serm. V, n. 13, quoad sensum. — [8] *Matth.*, VI, 24. — [9] II *Cor.*, VI, 15, paucis mutatis. — [10] *Ps l.* LXI, 12. — [11] *Job*, XXXIII, 14. — [12] Hieronym. — [13] *Apoc.*, VI, 12-17.

(*a*) *Leg.* nonnisi. — (*b*) *Item* possit. — (*c*) *Item* delectant. — (*d*) *Cæt. edit.* male. — (*e*) *Vulg.* reddes.

facie sedentis super thronum, et ab Agni ira : quoniam venit dies magnus ipsius iræ : et quis poterit stare? » Et Malachias [1] : « Quis poterit cogitare diem adventus ejus, et quis stabit ad videndum eum? Ipse enim, quasi ignis conflans, et quasi herba fullonum. » Nam sicut ignis in conflatorio totum metallum penetrat, nec est aliquid quod non attingat ; et sicut cardo, quæ est herba fullonis, omnem pannum, et quantumcumque modicum in panno, attingit, nec aliquid intactum relinquit ; sic, in illo judicio, nihil erit ab homine cogitatum, vel dictum, vel etiam factum, quod non fiat omnibus manifestum, et non sit sufficienter punitum. Dicit enim Chrysostomus [2] : « Audient Christum sic omnibus exprobrantem : Ego propter vos homo factus sum, propter vos alligatus, delusus, cæsus, crucifixus : ubi tantarum injuriarum mearum fructus? Ecce sanguis meus, quem pro vobis dedi : ubi est servitus vestra, quam pro pretio sanguinis mihi dedistis? Ego super gloriam meam vos habui, cum essem Deus ; et vos me omnibus rebus viliorem fecistis, et vilissima terræ amplius dilexistis, quam me. » Quid miseri ad hoc possunt dicere? quid poterunt respondere? Ergo exemplo Evangelistarum, et Apostolorum, et Doctorum audienda sunt reverenter verba Dei, et ulterius in charta cordis scribenda, ne ullo tempore a memoria deleantur. Rogemus ergo Dominum, etc.

SERMO II.

Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa [3]. Divinum verbum, frequentius prædicatum, est valde virtuosum, si ei adsistat Verbum increatum, propter nos creatum, sive incarnatum. Nam præter Verbum increatum, frustra impenditur verbum creatum prædicatum. Gregorius [4] : « In malevola lingua prædicatoris, si intus non adsit gratia Salvatoris, quæ dirigat verba mentis, frustra exterius impenditur omnis prædicatio veritatis. » Et ponitur in exemplum Cain, quem Dominus volentem occidere fratrem, prohibuit, et præmium promisit ; pœnam, si occiderat, adjunxit. Nec tamen aliquid valuit, quia eum interius divina gratia non adjuvit. Divinum ergo verbum exterius prædicatum, ut valeat esse virtuosum, indiget, ut non sit in ore tantum, sed Verbo increato in corde conjunctum, cujus gratia valeat esse virtuosum. Bene ergo dicitur : *Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa :* quia omnis virtus, quæ est in verbo prædicato, est a Verbo propter nos creato, sive incarnato. In verbo autem prædicto, ad honorem Evangelistarum, divinum verbum exterius prædicatum, sed tamen gratiæ divinæ conjunctum, tria facit. Primo esse ostenditur authenticum, sive firmum ; secundo ostenditur esse bonum, et sanctum ; tertio, ostenditur esse efficax, et virtuosum. Nam primo esse monstratur authenticum, propter divinam auctoritatem, qua non fallimur ; secundo ostenditur esse bonum et sanctum propter ejus efficaciam in anima, quam quotidie experimur ; sed tertio ostenditur esse virtuosum, propter ipsius operantis subtilitatem, quam in singulis contemplamur. Divinum ergo verbum monstratur primo authenticum, cum dicitur : *Dominus dabit verbum.* Secundo ostenditur esse bonum, cum additur : *Evangelizantibus ;* non enim est aliud evangelizare, quam bona verba nuntiare. Tertio ostenditur efficax, et virtuosum, dicitur enim : *virtute multa.* Circa hoc verbum est notandum, quod quandoque respicit intellectum, sub ratione veri animam illustrantis ; quandoque affectum, sub ratione boni animam inflammantis ; et quandoque effectum, sub ratione operis actum exterius confortantis. Est ergo Dei verbum frequentius prædicatum, primo, mentis illuminativum ; secundo, affectus inflammativum ; tertio, effectus adjutivum, sive firmativum ; quarto est ad gloriam æternam inductivum. Quid ergo melius, quid animæ dulcius, quid homini fructuosius, quam ut verbum Dei prædicabile audiamus devote?

Dico ergo, quod verbum Dei frequentius prædicatum, est animæ illuminativum, dum docet quid faciendum, quid fugiendum, quid respuendum, quid amandum, quid odiendum sit, quid unicuique prohibendum sit. Quid enim est anima non sic illuminata? quid est anima, si sit cæca? quid est anima scientia destituta? Certe talis est, ut tabula rasa, in qua nulla omnino est pictura. Tantum bonum probatur esse prudentia, ut omnino nulla sint bruta, quantumcumque parva, sive vilia, quæ non tradant suis filiis documenta suæ naturæ convenientia. Nonne cerva ducit filios ad saxorum prærupta, et docet eos saltare, et seipsos abscondere? Nonne elephas docet filios suos, in nova luna ad fluvium ire, et in aquis sollicite se lavare? Et sic est in omnibus invenire. Item

Exempla.

[1] *Malac.*, III, 2.— [2] Chrysost.— [3] *Psal.* LXVII, 12.— [4] Greg., *in Evang.*, hom. XXX, n. 3 ; *Moral.*, lib. IX, n. 12.

vide, quantum bonum sit lumen videre, et quantum malum esse cæcum. Nam si hirundo cæcos invenit filios, eos dum inutiles esse cernit, si sic cæci permanserint, herbam quærit, et inventa, eos ad lucem reducit. Ergo cæcitatem mentis homo non vitabit, si brutum sic fugit cæcitatem carnis? Tanto est pejor cæcitas mentis, quam corporis, quanto anima corpus excedit : et longe magis, eo quod cæcitas carnis nos a recta via non excludit, nec impedit, sed potius auxilium tribuit. Sed cæcitas mentis viam præcludit, dum homo, qua via eundum sit, non advertit. Unde orabat Propheta [1] : « Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte ; ne quando dicat inimicus meus : Prævalui adversus eum. » Quod si non credis, audi Prophetam dicentem [2] : « Lucerna pedibus meis. » Lucerna enim est vas æneum, et rotundum formatum, olei, lychni et ignis contentivum. Unde etiam Dominus dicit [3] : « Nemo accendit lucernam, et ponit eam sub modio ; sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt. » Unde divinum verbum carbunculo, lapidi pretioso, est simillimum, eo quod tenebrarum nocturnalium est fugativum.

Secundo divinum verbum est affectus inflammativum. Sed numquid hoc parum est? Quid enim est anima non inflammata? Certe qualis est carbo igne expoliatus. Ergo verbum Dei est attente audiendum, cum sit affectus animæ incensivum. Nam dicitur de Helia [4], quod surrexit sicut ignis, et verbum ejus sicut facula ardebat. Miro modo verbum divinum inflammat, non solum audientem, sed etiam loquentem. Unde dicitur [5] : « Factus est mihi sermo Domini in opprobrium, et in derisum tota die, et dixi : Non recordabor ejus, neque loquar ultra in nomine ipsius. Et factum est verbum Domini in ore meo quasi ignis æstuans, et quasi clausus in ossibus meis : et defeci, ferre non sustinens. » Ad litteram enim, propter mala, quæ Hieremias propter Dei verbum sustinuerat, ipsum non ultra loqui proposuerat ; sed verbum in corde ejus sic ardebat, quod ipsum tenere non poterat. Est enim verbum Dei cuidam lapidi pretioso simillimum, qui manum se stringentem adurit. Non potest ignis in sinu esse, et non ardere, et ea, quæ tangit, non comburere. Sic et verbum divinum, quos tangit, includit, et calefacit intima cordis. Et ideo loqui de Deo est optimum, quia devotionis causa est ; sed loqui de mundo pessimum est, quia est ad malum inductivum. Unde dicitur in prima canonica Joannis [6] : « Qui de mundo est, de mundo loquitur. In hoc enim [7] manifesti sunt filii Dei, et filii diaboli : » quia filii Dei loquuntur de Deo ; et filii diaboli loquuntur de mundo. Unde iterum ibidem dicitur [8] : « Qui de terra est, de terra loquitur. »

Tertio, divinum verbum est effectus adjutivum, sive firmativum. Miro enim modo verbum Dei firmat in bono ; sicut et [9] « corrumpunt bonos mores colloquia prava. » Psalmista [10] : « Verbo Domini cœli firmati sunt. » Cœli sunt viri justi, Evangelistæ, vel Apostoli, qui sunt cœli alti, per paupertatem voluntariam ; cœli puri, per continentiam ; cœli pulchri, per sapientiam ; cœli sphærici, per obedientiam : qui verbo Domini firmantur, dum per verbum bonis operibus solidantur. Et quid mirum, si sic fructificat et animat divinum verbum, quando sic animat humanum? Nonne pugiles animantur, dum clamoribus hominum excitantur? Nonne fiunt ad pugnam milites fortiores, et fortius agitant lanceas, strictosque tenent mucrones, dum voce clamantis principis animantur? Imo, quod magis est mirabile, equi in præliis gaudent, et saliunt, dum vocem tubæ clangentis intelligunt ; boves etiam jugum levius ferunt, dum bubulcum cantantem audiunt.

Quarto divinum verbum est ad gloriam inductivum. Non enim solum intellectum dirigit, affectum incendit, et opus perficit ; sed, quod consummatum est, complet, dum ad supernam gloriam introducit. Unde cum Dominus mira de manducatione corporis sui prædicaret, et propter pondus verbi, multi retro abirent ; ipse conversus ad Apostolos, ait [11] : « Numquid vos vultis abire? » Cui Petrus : « Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes, » id est, verba ad vitam æternam inducentia. Unde et ipse Dominus ibidem [12] : « Verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus, et vita sunt. In infinitum enim magis est potens verbum Dei, quam verbum hominis. Sed sæpe verbum hominis sublimat hominem in mundo : ergo multo fortius verbum Dei potest hominem sublimare in cœlo. Unde dicitur [13] : « Qui audit verba mea, et

[1] *Psal.* XII, 4. — [2] *Psal.* CXVIII, 105. — [3] *Matth.*, V, 15. — [4] *Eccli.*, XLVIII, 1. — [5] *Jerem.*, XX, 8-9. — [6] I *Joan.*, IV, 5, quoad sensum. — [7] Ibid., III, 10. — [8] *Joan.*, III, 31. — [9] I *Cor.*, XV, 33. — [10] *Psal.* XXXII, 6. — [11] *Joan.*, VI, 68, 69. — [12] Ibid., 64. — [13] *Matth.*, VII, 24-25.

facit ea, similis est viro, qui ædificat domum suam supra petram. Venerunt flumina, flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et non cecidit : fundata enim erat super firmam petram. » Firma petra est Christus, qui est vita æterna. Unde ipse dicit [1] : « Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum, et quem misisti Jesum Christum. » Unde et latroni dixit [2] : « Hodie mecum eris in paradiso; » quasi dicat : Eris mecum, quia ego sum et vita, et paradisus. Ad hanc vitam ipse nos perducat, qui cum Patre, etc.

DE UNO MARTYRE.

SERMO PRIMUS.

Magna est gloria ejus in Salutari tuo [3]. Gloriosi sunt Martyres Christi, non solum in hac vita, sed etiam in futura vita, ubi solum est vera vita : et ideo, in præmisso verbo, a duobus commendatur maxime hic Martyr : primo, ab excellentia sanctitatis, qua apparuit gloriosus in merito; secundo, ab eminentia dignitatis, qua nunc est gloriosus in præmio. Primum respicit gloriam meritorum in via; secundum respicit gloriam præmiorum in patria. Notatur ergo primo gloria meriti, qua fulsit in via, cum dicitur : *Magna est gloria ejus in Salutari tuo.* Secundo notatur gloria præmii, quo nunc splendet in patria, cum dicitur : *Gloriam et magnum decorem impones super eum.* Est ergo hic totalis sermo fiendus de gloria, quæ tam est in via, quam in patria. Et ideo est notandum quod triplex est gloria : prima temporalis, sive cardinalis; secunda spiritualis; tertia æternalis. Prima est vana, et ideo fugienda. Secunda bona est et sancta, et ideo tenenda. Tertia est optima et perfecta, et ideo appetenda.

Dico, quod prima gloria est temporalis, carnalis et mundana; et est mala, quia peccati causativa. Unde dicitur [4] : « Quid gloriaris in malitia, » id est in mala gloria? Unde post multa mala, quæ enumerat, subdit mala pœnæ sequentia ad illam gloriam, dicens [5] : « Propterea Deus destruet te in finem, evellet te, et emigrabit te de tabernaculo tuo, et radicem tuam de terra viventium. » Hæc autem mala gloria invenitur in quadruplici differentia : nam quidam gloriantur in alta potentia; quidam, in profunda sapientia; quidam, in rerum opulentia; et quidam in exteriori apparentia.

Dico primo, quod sunt quidam, quorum gloria est in sublimi potentia, qua sibi subjiciunt omnia, thesauros, homines et jumenta. Et de hoc habetur exemplum *Judith*, ubi dicitur [6] quod « Arphaxad rex Medorum subjugaverat multas gentes imperio suo, et ædificavit civitatem potentissimam. » Et sequitur [7] : « Et gloriabatur, quasi potens in potentia exercitus sui, et in gloria quadrigarum suarum. » Et attende quomodo domum suam fundaverat in arena, et super ventum posuerat potentiam suam : quæ non sustinent super se posita, sed omnia talia sunt ruinæ patentia : quia statim, sicut ibidem sequitur [8], a Nabuchodonosor est in bello devictus, gloriam simul perdens, et regnum. Ubi enim est vana potentia Cæsaris, qui primus solum imperium obtinuit, a quo omnes Imperatores appellati sunt Cæsares, quem Romani tandem gladiis interfecerunt? Ubi nunc est vana potentia Neronis, qui fugatus a Romanis fustem dentibus acuit, quo seipsum per ventrem transfixit? Ubi nunc est ampla Alexandri potentia, qui sibi orbem totum subjecit, et duodecim annis tantum regnavit, et ultimo veneno interiit? Valde gloriosus leo incedit; sed dum suam vanam potentiam non advertit, in foveam sæpe ruit, de qua cum exire non possit, submittit collum catenis. Ergo in potentia nullo modo est gloriandum, sed semper de casu timendum. Unde Jeremias [9] : « Non glorietur fortis in fortitudine sua. »

Secundo sunt quidam qui gloriantur in sapientia, quæ tamen non est sua, quia ab alio accepta : « Omnis enim [10] sapientia a Domino Deo est, et cum eo fuit semper, et est ante ævum. » Sed nonne stultum est, et rationi contrarium, gloriari de dono alterius contra dantem? Propter quod Jeremias dicit [9] : « Non glorietur sapiens in sapientia sua. » Apostolus [11] : « Quid habes, quod non accepisti? quid gloriaris, quasi non acceperis? » Anselmus (*de casu diaboli*) dicit [12] : « Qui, » scilicet diabolus, « hoc ipsum de se non habet, de quo magis videtur, quomodo homo a se aliquid habet, cum minus de eo, quam de omnibus aliis intellectualibus, videatur? » Si enim [13] quod magis videtur inesse, et non inest, quomodo de quo minus? Ubi enim est sapientia Socratis, qui princeps philosophorum fuit?

[1] *Joan.*, XVII, 3. — [2] *Luc.*, XXIII, 43. — [3] *Psal.* XX, 6. — [4] *Psal.* LI, 3. — [5] Ibid., 7. — [6] *Judith*, I, 1. — [7] Ibid., 4. — [8] Ibid., 5. — [9] *Jerem.*, IX, 23. — [10] *Eccli.*, I, 1. — [11] I *Cor.*, IV, 7. — [12] Anselm., *de Cas. Diab.*, c. I. — [13] Arist., II *Top.*, c. IV, loc. 35.

Nonne captus, damnatus, et veneno interiit? Magnus philosophus Seneca fuit magister Neronis; qui hoc in munus ab Imperatore accepit, quod eum mortem eligere coegit : et ideo Seneca dictus fuit, quia seipsum necavit, dum mortem, qua moreretur, elegit. Quis Achitophel, qui consiliariorum David sapientior fuit, de quo secundo *Regum* [1]? et tamen laqueo se suspendit. Ergo non est curanda sapientia hujus mundi.

Tertio, sunt quidam, qui gloriantur in rerum opulentia [2] : « In multitudine divitiarum suarum gloriantur. » Sed hoc est vanissimum. Quid enim profuit diviti epuloni, de quo in *Luca* [3], quod tot divitias habuit, nisi quod ad inferna descendit? Quid profuit Neroni, quod retibus argenteis piscabatur, nisi quod apud inferos demergebatur? Ut dicit Seneca Tragœdus [4] in auro liquefacto et fervido pœnas luit; in liquefactis metallis, quæ in mundo dilexit : nunc versatur in balneis, et sic a quodam apud inferos visus est. Quid profuit Salomoni [5], quod aurum velut auricalchum, et argentum quasi plumbum congregavit, cum omnia filio tam stulto dimisit, qui omnia perdidit? Propterea dicitur [6] : « Non glorietur dives in divitiis suis ; sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire et nosse me, quia ego sum Dominus. »

Quarto sunt quidam, qui gloriantur in exteriori apparentia, sicut in nobilitate et claritate generis. Oseas [7] : « Gloria eorum a partu, et ab utero, et a conceptu. » Sed utinam attenderent, quod ab uno Deo sunt (*a*), ab uno homine descendimus, uno modo concipimur, simili modo nascimur, et consimili modo morimur. Nihil aliud est nobilitas humana [8], quam quædam hominum fama, et quædam in exterioribus vita honorabilis. Nunquid mentior? Nonne videmus homines, prius viles et pauperes, postmodum divites, fieri milites ut ditentur, postea filii militis cohæredes? Quid enim eis nobilitatis additur, cum ensis eis traditur? Numquid non Saul boves, et David oves custodiebant, quando ad regnum electi sunt? Item quidam gloriantur in pulchritudine, sive in vestitu corporis; sed per capillos capitis Absalon suspensus interiit, in quibus maxime gloriabatur, vel gloria ejus fuit. Unde dicitur [9] : « In vestitu ne glorieris. » Numquid pulchritudo vestis est tua pulchritudo? Nihil per vestem fit tibi, nisi ut celetur turpitudo tua : qua tibi non detrahitur turpitudo tua, nec additur pulchritudo. Potest enim fieri, ut plumbum credatur argentum esse, et auricalchum putetur aurum esse; sed tamen plumbum semper est plumbum, et auricalchum non desinit esse auricalchum.

Notandum ergo ad omnia supradicta, quod hæc mundana gloria est primo vilis et fœtida, secundo est fragilis et vana, tertio est caduca et falsa, quarto gloria mundana est misera et ignominiosa. Primo dico, quod hæc gloria mundana est vilis, sive fœtida; quia non est in Deo, nec cum Deo. Unde (*Machab.*) dicitur [10] : « Gloria viri peccatoris stercus et vermis est. Hodie extollitur, et cras non invenietur : quia conversus est in terram suam, et cogitatio ejus periit. » Quid stercore fœdidius, et quid verme vilius? Secundo, hæc mundana gloria est fragilis et vana, similis fumo, qui in principio videtur aliquid, sed, quanto plus ascendit, tanto plus deficit, donec penitus evanescat. Quid rore pulchrius et pruina? quid albius? sed dum pulchri sunt, tacti solis radio evanescunt. Unde etiam mundana gloria flori est comparata, qui cum valde pulcher et odoriferus sit, ad modicum ventum fit pestilens, et evanescit, et odorem et pulchritudinem perdit. Et de hoc habetur [11] : « Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus tamquam flos agri. » Job [12] : « Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, » etc., usque : « permanet. » Expone hic per singula verba, licet etiam sint in aliis sermonibus diligenter exposita. Tertio, gloria mundana est caduca et falsa, quia, quod promittit homini, non tribuit, et tunc maxime deficit, quando summe egens homo existit, quando homo indigeret auxilio, sicut in morte; sed tunc maxime invenit se mundana gloria derelictum. Psalmista [13] : « Ne timueris, cum dives factus fuerit homo, et cum multiplicata fuerit gloria domus ejus : Quoniam cum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus. » Malus amicus est, qui in vita existit, et in morte deficit. Quarto, mundana gloria est misera, et ignominiosa; nam dicitur [14] : « Gloriam eorum in ignominiam commutabo. » Et Apostolus *ad Philippenses* [15] : « Multi ambulant, quos sæpe dicebam vobis, nunc au-

Exempla.

[1] II *Reg.*, XV, 31 et seq. — [2] *Psal.* XLVIII, 7. — [3] *Luc.*, XVI, 19 et seq. — [4] Senec Trag. — [5] III *Reg.* X et seq. — [6] *Jerem.*, IX, 23-24. — [7] *Ose.*, IX, 11. — [8] Laert., in *Vit. Socrat.* — [9] *Eccli.*, XI, 4. — [10] II *Mach.*, II, 62-63. — [11] *Isa.*, XL, 6. — [12] *Job*, XIV, 1-2. — [13] *Psal.* XLVIII, 17-18. — [14] *Ose.*, IV, 7. — [15] *Philip.*, III, 18-19.

(*a*) *Leg.* sumus.

tem et flens dico, inimicos crucis Christi ; quorum Deus venter est, et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. » Non est bonus cibus, qui generat ventri dolorem : nec bona gloria, quæ cedit animæ ad confusionem.

Secundo est alia gloria, quæ dicitur spiritualis, quæ non est hominis exterioris ; et hæc consistit in quatuor : primo in conscientiæ puritate ; secundo, in recta animi voluntate ; tertio, in mentis et corporis integritate ; quarto, in cognoscendo propriam vilitatem.

Dico quod gloria spiritualis primo consistit in conscientiæ puritate. Nam pulchrum est aurum, cum est purum. Nonne lux gloriosa est, cum a tenebris separata est? Sic et anima est multa lætitia et gloria plena, cum est ab omni culpa divisa, nullo malo permixta, sed est luminosa, pura et pulchra. Unde dicitur [1] : « Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. »

Secundo gloria spiritualis constitit in recta animi voluntate. Cum enim cor sit omnium membrorum primum, et motus et vitæ cæteris membris impressivum ; si cor fuerit rectum, nihil erit in corpore tortuosum. Si ex parte animæ dominatur, si ipsa fuerit recta, recta erunt et cætera membra, et ideo digna gloria. Psalmista [2] : « Lætamini in Domino, et exultate, justi, et gloriamini omnes recti corde. »

Tertio, gloria spiritualis consistit in mentis et corporis integritate ; magnam enim gloriam, et inauditam lætitiam generat utriusque hominis munditia. Inter omnes enim colores principalis est albedo, et omnium colorum pulchritudo ; unde nullus color bene pingit, nisi ei albus color substernatur. Unde dicitur [3] : « Gloria Libani data est. » Libanus *candidatum* interpretatur ; et signat mentis et carnis munditiam, in qua magna consistit hominis gloria.

Libanus quid.

Quarto gloria spiritualis consistit in cognoscendo propriam vilitatem : ut scilicet homo cogitet, de qua materia generatus, quo cibo in ventre nutritus, cum qua veste natus, quibus malis expositus, ad quem finem ex necessitate sit venturus. Unde ex hac consideratione Propheta dicebat [4] : « Gloriam meam in pulverem deducam. » Unde secundo *Regum* [5], cum rex David, ex hac humili consideratione, gloria se spoliasset coram arca Domini, et psalleret, despexit eum ex superbia uxor sua, dixitque ad eum : « Quam gloriosus fuit hodie rex Israel, discooperiens se ante ancillas servorum suorum, et nudatus est, quasi unus ex scurris! » Cui rex humilis ait : « Vivit Dominus, quia ludam coram eo, qui elegit me plusquam patrem tuum ; et ludam, et vilior fiam, plusquam factus sum ; et ero humilis in oculis meis : et coram ancillis, de quibus locuta es, gloriosior apparebo. »

Tertio et ultimo est gloria, quæ dicitur æternalis : et est gloria illa, quæ est omnium desideriorum finis. Et in quatuor proprie consistit : primo, in læta societate sanctorum ; secundo, in plena omnium bonorum societate ; tertio, in aperta bonorum omnium propalatione ; quarto, in Dei suavissima visione.

Primo dico, quod gloria illa, quæ dicitur æternalis, consistit in læta sanctorum societate. Et quid dulcius esse potest, quam esse consortem sanctorum tantorum cum Christo regnantium? O mira societas, et prædulcis ex societate suavitas, videre tot sanctorum millia, qui omnes sunt reges, et purpura vestiti, diademate coronati, super solem hunc luminosi, omnibus bonis pleni, et Deo simillimi! Unde dicitur in Psalmo [6] : « Exultabunt Sancti in gloria. » Et quid mirum? Miro modo gaudent aviculæ simul junctæ. Nam et columbæ gaudent, et grues, si a societate erraverint, quando consocias suas invenerint. Gaudent mirabiliter homines, cum sint securi cum amicis. Ergo quantum est gaudium, imo nec ulla lingua narrandum, tantam videre multitudinem amicorum, perfecta charitate se amantium, et bonum omnium, sicut suum, optantium?

Secundo, gloria æternalis consistit in plena omnium bonorum satietate. In hac enim vita semper scientiis perfici volumus, et nunquam, quod cupimus, obtinemus ; quin quantumcumque intelligendo discamus, vel proficiamus, semper superest, quod quæramus. Unde quidam philosophus, cum ad mortem venisset, dixit se solum de morte dolere, quia nunc incipiebat discere. Alius philosophus, requisitus ubi esset terminus scientiæ : Ubi, inquit, et vitæ. Item tantæ capacitatis voluntas humana existit, ut omnibus bonis satiari non possit : unde totus mundus Alexandro non suffecit ; nec Neroni regnum suum unquam potuit esse sufficiens, quod possedit. Ergo quanta est gloria illa, quæ sic intellectum consummat, et affectum satiat,

[1] II *Cor.*, I, 12. — [2] *Psal.* XXXI, 11. — [3] *Isa.*, XXXV, 2. — [4] *Psal.* VII, 6. — [5] II *Reg.*, VI, 14 et seq. — [6] *Psal.* CXLIX, 5.

ut nihil, quam quod possidet, quærat, sed omnino contentus existat ? Psalmista [1] : « Satiabor, cum apparuerit gloria tua. »

Tertio (*a*) gloria æternalis consistit in omnium bonorum revelatione, quia nihil ibi homini occultabitur. Unde debet esse lætus, cum nihil ei occultetur, si debeat esse beatus, sed ei omnia in publico exponuntur. Bonum enim desideratum, visum lætificat; sed diu expectatum, valde affligit animam et corpus : aliquando sanum facit ægrum. Exemplum de Amon filio David, qui propter Thamar desiderium agrotavit [2], quia ejus concubitu frui non potuit. Similiter et rex Achab ægrotavit [3], qui ei Naboth vineam dare renuit. Lege ejus historias, si eas mente nescias. Ergo non altissimam gloriam illam judicas, ubi omne desiderium erit ad libitum cupienti expositum ? Et propterea dicebat Apostolus [4] : « Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. » Non delectat pictura quantumcumque pulchra, quamdiu fuerit velata; sed solum, postquam fuerit revelata.

Quarto (*b*) gloria æternalis consistit in aperta visione. Omnia alia mundi bona, omniaque cœlestia non sufficerent nobis data, et nobis exposita, nisi videamus divinam essentiam. Unde quidam philosophus platonicus dicit : « Tam delicata est divina visio, tanto amore dignissima, ut quidquid homo possideat, illa non habita, non facit hominem beatum, sed miserum. » Ergo summe beati erimus, quia Deum in seipso videbimus. Isaias [5] : « Revelabitur gloria Domini, et videbit omnis caro, quod os Domini locutum est. » Fugiamus ergo gloriam temporalem, et amplexemur nunc gloriam spiritualem, ut tandem veniamus ad gloriam æternalem. Quam concedat ipse nobis, etc.

SERMO II.

Gloria et honore coronasti eum, Domine [6]. Scribitur primo *Regum* [7], quod Dominus dixit ad Hely sacerdotem : « Quare magis honorasti filios tuos, quam me ? Locutus sum enim, ut domus tua ministraret coram me usque in sempiternum : nunc autem absit hoc a me : sed quicumque glorificaverit me, glorificabo eum; qui autem me contemnunt, ignobiles erunt. » Quia hic sanctus Martyr, quoadusque vixit, Deum honoravit; ideo juxta quod Dominus Hely promisit, ipsum Deus gloriosum effecit. Qui unquam reges, qui principes, qui barones, aut nobiles, sic a mundo honorantur, ut Martyres, imo ut Martyrum crura? Major longe honor exhibetur Stephano, sive Laurentio, quam Alexandro, sive Apostatæ Juliano. Bene ergo dictum est : *Gloria et honore*, etc. Tria verbum prædictum notabiliter ponit : quia Deus Martyrem glorificavit, quantum ad seipsum; honoravit, quantum ad proximum; sed coronavit, quantum ad præmium, sive regnum. Unde primum respicit proprium bonum interius; secundum, proximi devotionem exterius; tertium, gloriæ bonum superius. Notatur ergo primo bonum interius, quo fulsit in animo, cum dicitur : *Gloria*. Nam [8] : « Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. » Notatur secundo bonum exterius, quo venerabilis factus est proximo, cum additur : *Et honore*. Magnus honor, quando tota Ecclesia ipsum extollit laudibus, et officiis veneratur. Notatur tertio bonum superius, quo incedit coronatus in regno, cum subditur : *Coronasti eum*. Verum quia de gloria in superiori sermone abundantissime dictum est, et honor sanctitatis patens est omnibus, quia, sicut dicitur *Hester* [9] : « Sic honorabitur, quemcumque rex voluerit honorare : » nunc de sola coronatione dicendum est, quæ intra se honorem et gloriam continet, ut sequens processus ostendit. Est ergo notandum, quod hunc Martyrem Dominus coronavit hic primo, ipsum æternaliter eligendo; secundo, ipsum personaliter redimendo; tertio, ipsum fortiter defendendo; quarto, ipsum fideliter consummando. Primum fuit opus immensissimæ bonitatis; secundum fuit opus ardentissimæ charitatis; tertium fuit opus altissimæ potestatis; quartum fuit opus inæstimabilis largitatis.

Dico igitur primo, quod Deus hunc Martyrem coronavit, ante sæcula eum eligendo, ex sua immensissima bonitate. Quæ enim bonitas major excogitari potest, quam hominem, nullo merito præcedente, ad summum bonum participandum eligere? Magna hodie bonitas reputatur, si aliquis dominus retribuit pro meritis, et sic remunerat eum, qui meruit. Ergo quanta est bonitas illa, quæ absque ullis meritis omnino, ad summum bonum ordinavit hominem? Unde de hac coronatione potest accipi illud

[1] *Psal.* XVI, 15. — [2] II *Reg.*, XIII, 2. — [3] III *Reg.*, XXI, 5. — [4] *Rom.*, VIII, 18. — [5] *Isa.*, XL, 5. — [6] *Psal.* VIII, 6. — [7] I *Reg.*, II, 30. — [8] II *Cor.*, I, 12. — [9] *Esth.*, VI, 9.

(*a*) *Cæt. edit.* tertia. — (*b*) *Item* secundo.

Isaiæ [1] : « Eris corona gloriæ in manu Domini. » Ideo dicit in manu Domini, quia solius Dei bonitas est, ut nullis præcedentibus meritis, ad tantam coronam homo electus sit. O quantum tenentur Deum laudare, Deum amare, Deum prædicare, qui ad hoc vocati sunt, ut Deum agnoscant, ut christiani fiant, et cum Saracenis et aliis multis in errore non permaneant. Sed væ talibus, si Deum cognoscunt, sed non ut Deum honorant. De talibus dicitur *ad Romanos* [2] : « Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, et gratias egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum : dicentes enim se sapientes esse, stulti facti sunt. » Et *Ecclesiastes* [3] : « Qui addit scientiam, addit dolorem (*a*) : » quia quanto plura scimus, Deum melius noverimus, et tanto (*b*) magis ei obligati sumus; et non servientes ei, magis puniendi sumus. Unde non servientes Deo Christiani, plus quam Saraceni et Pagani, puniendi sunt. Unde exemplum de beato Macario legimus [4], qui cum in deserto caput mortui invenisset, quæsivit quis fuisset : cui miraculose respondit : « Paganus fui, idolorum sacerdos. » Cumque quæreret, ubi esset; ait : « In inferno. » Cumque quæreret : « Sunt aliqui ibi te profundiores? » Ait : « Sub nobis adhuc sunt Judæi, et sub Judæis Christiani mali, qui cum Deum cognovissent, ei tamen servire noluerunt. » Nec est hoc mirandum; quia supponamus, gratia exempli, quod aliqui duo sint unius domini servi, sed ei non serviant; tamen unus eorum dominum suum eum esse sciat, alter vero nesciat. Requisitus ergo primus a domino, quare ei non serviat, dicit : « Scio te esse dominum meum, sed nolo tibi subesse, nec volo tibi servire. » Alter vero requisitus, quare non serviat, ait : « Si te dominum meum esse crederem, utique tibi servirem; sed ideo tibi non servio, quia illud ignoro. » Quis istorum magis offendit? Nonne primus, qui cognoscit, et contemnit? Ergo, fratres, non simus ingrati Deo, ad hoc electi, ut simus christiani : quod maximum donum est.

Secundo, Deus coronavit hunc Martyrem sanctum, ipsum personaliter redimendo. Nam corona a Deo nobis parata, erat peccatis exigentibus perdita, nullis unquam mundanis meritis reparanda. Unde plorabat Hieremias dicens [5] : « Cecidit corona capitis nostri : væ nobis, quia peccavimus. » Quia ergo perderamus, nec nostris operibus reinvenire poteramus, venit Salvator et ardentissima charitate coronam reparavit lapsam, dum pro nobis spineam coronam portavit. « Exiit enim spineam coronam portans, » sicut dicitur [6]. O corona veneranda! o corona totis affectibus amplexanda, qua nostra corona perdita, est reperta! Unde ad hanc lacrymabilibus oculis intuendam, invitamur in *Canticis* [7] : « Exite, filiæ Hierusalem, et videte regem Salomónem in diademate, quo coronavit eum mater sua. » Quis fuit iste Salomon, Rex pacificus, nisi Christus? Quæ est hæc mater sua, nisi Synagoga? Nam ex Judæis secundum carnem est. Hæc ergo coronavit eum, dum coronam spineam illi imposuit. Videamus ergo hunc Regem spinis coronatum, et ipsius ad nos consideremus affectum. Quis enim tam durus, ut si videat Redemptorem suum tam pium, non diligat? Sed plorans Bernardus [8] dicit : « O duri, et insensati filii Adæ, quos non emollit tanta benignitas, tamque ingens flamma amoris! »

Tertio coronavit Dominus hunc Martyrem, ipsum in tentationibus et periculis adjuvando. Nam sanctus Hieronymus dicit [9] : « In stadio sumus, continue pugnamus. » Adversariis totus mundus plenus est, et nos debiles sumus; nec tamen, nisi cum victoria, coronari debemus. Unde Apostolus [10] : « Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit. » Et est legitime certare, hosti non cedere; bellum non tantum incipere, non tantum mediare, sed plenam victoriam obtinere. Unde in *Apocalypsi* [11] dicitur : « Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam. » Quid faciendum? Utique ad Deum (*c*) est recurrendum, ab eoque, contra hostem tam validum, est auxilium postulandum. Ipse enim, nisi nos juvare vellet ad pugnandum, et in bello fortiter persistendum, nos non invitaret, nec præmium pugnandi promitteret. Sed audi quid dicit [12] : « Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ. » Corona victoriis maximis datur. « Si delectat, » secundum Gregorium [13], « ma-

[1] *Isa.*, LXII, 3. — [2] *Rom.*, I, 21-22. — [3] *Eccle.*, I, 18. — [4] « Ex *Catal. Sanct.*, lib. II, c. XXXV, non de Macario Ægyptio, sed Alexandrino, » aiunt Editores Romani. — [5] *Thren.*, V, 16. — [6] *Joan.*, XIX, 5. — [7] *Cant.*, III, 11. — [8] Bernard. — [9] Hieronym., *ad Demetriad.*, epist. VIII, circa med. — [10] II *Tim.*, II, 5. — [11] *Apoc.*, III, 11. — [12] *Apoc.*, II, 10. — [13] Greg., *in Evang.*, hom. XXXVII, n. 1.

(*a*) *Vulg.* laborem. — (*b*) *Leg.* et Deum melius novimus, tanto. — (*c*) *Cæt. edit.* eum.

gnitudo præmiorum, non deterreat certamen laborum. » Nonne gaudens laborat agricola sub spe fructuum? quantum laborant fossores metallorum, antequam possint venire ad aurum? quantum mulieres se exercitant circa linum, antequam habeant pannum? etc. Quis unquam mercator dives esse poterit, si non aliquando laboravit? Poeta : Exemplum.

Absque labore gravi vix munera magna dabuntur :
Gratus enim plenus utilitate labor.

Et propterea Apostolus, cum se dicat præ cæteris apostolis laborasse, concludit, dicens [1] : « De reliquo reposita est mihi corona justitia, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex. » Et dicit *corona justitiæ* (scilicet Dei, non sua), quia ex justitia est certanti a Deo promissa, et quia ex justis laboribus acquisita.

Quarto coronavit Dominus hunc Martyrem, ipsum feliciter consummando, et in gloriam suam assumendo. Nemo enim illuc ingreditur, nisi ibi coronetur, et nisi regnum perpetuum ei tradatur. Unde Dominus Sponsæ in *Canticis* [2] : « Veni de Libano, soror mea Sponsa : veni, coronaberis. » Ubi ergo sunt, qui quærunt ditari? ubi sunt, qui quærunt nobiles fieri? ubi sunt, qui quærunt pulchri videri? ubi sunt, qui volunt purpura indui? ubi sunt, qui volunt reges fieri? Veniant ad Christum, et accipiant regnum, et diadema perpetuum. Nam per coronam, cum sit figura sphærica, gloria æterna demonstratur. Sed quære de hoc latius in sermone sequenti. Rogemus ergo Dominum, etc.

SERMO III.

Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit [3]. Nemo pugnans coronari dignus est, si victoriam pugnando non obtineat. Currentibus enim non datur bravium, nisi post cursum. Consueverunt domicelli usque ad cingulum sublimari militiæ, qui prius fortiter steterunt in acie : nec militi non pugnanti datur donativum. Nam olim, cum Romani mundo dominabantur, milites veterani, qui diu pugnaverant (*a*), tradebantur quieti, et reddebatur eis præmium pro labore. Hoc ergo attendens Apostolus observari in militia spirituali, dicit : *Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit.* Est ergo sensus, secundum intentionem Apostoli : Ille qui certaverit, coronabitur. Et secundum hanc intelligentiam, ad commendationem hujus Sancti, duo possunt hic notari : primum est status pugnæ; secundum est status victoriæ. Nam ostenditur primo pugna, qua apparuit virtuosus in merito; secundo, monstratur victoria, qua nunc est triumphator in præmio. Notatur ergo pugna, qua meruit, cum ait : *Qui legitime certaverit.* Notatur victoria, qua coronatus incedit, cum addit : *Non coronabitur.* Est ergo primum de pugna videre aliquid, quæ est præambula ad victoriam. Notandum ergo, quod, primo, legitime certare, est mundum perfecte contemnere; secundo, legitime pugnare, est diabolo perfecte resistere; tertio, legitime pugnare, est seipsum perfecte domare, et carnem cogere, et spiritui subjicere. Nam in primo certamine vincitur avaritia, per amorem altissimæ paupertatis; in secundo certamine subjugatur superbia, per appetitum propriæ vilitatis; in tertio certamine subjugatur lascivia, per appetitum castitatis.

Dico primo, quod legitime certare, est mundo perfecte abrenuntiare, et nihil in mundo vanum amare. Unde præcipitur in *Joanne* [4] : « Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt. » Quare hoc? Quia sic dicitur [5] : « Qui vult amicus esse hujus sæculi, inimicus Dei constituitur. Amicitia enim hujus mundi inimica est Deo. » Revera magnum certamen, et forte, omnia quæ videmus, et quibus indigemus ad vitam, contemnere. Sed ideo est hoc certamen nobis a Deo datum, ut pugnando vincamus, et vincendo coronemur. Gaudent enim patres, quod fortiter pugnant filii, ut de hoc possint fieri nominati. Unde et de quodam Cæsare dicitur, quod semper nova bella cupiebat, ut quantus esset, cunctis patesceret. Ergo si bellandum esse judicabant propter vanam gloriam et coronam cito transituram, quid est faciendum sanctis pro vera gloria, et corona perpetuo duratura? Certe bellandum est contra mundum, et vitium avaritiæ subjugandum, et paupertatis altissimæ donum amplexandum. Unde de hoc certamine potest accipi illud [6] : « Certamen forte dedit illi, ut vinceret. » Quis dedit? an Dominus dedit Martyri huic, quem statuit hic honorari? Nam etsi forte certamen sit, tamen facile superatur. Sed quid philosophi fecerint ex puris naturalibus, advertamus : qui in tantum

[1] II *Tim.*, IV, 8. — [2] *Cant.*, IV, 8. — [3] II *Tim.*, II, 5. — [4] I *Joan.*, II, 15. — [5] *Jac.*, IV, 4. — [6] *Sap.*, X, 12.

(*a*) *Cæt. edit.* pugnaverunt.

mundum contempserunt, ut fugerent homines, fugerent civitates, et fugerent amœnitates, et loca deserta sibi eligerent, ut philosophari possent. Ergo non debent facere Christiani, propter veram sapientiam, gloriamque divinam, quod illi fecerunt propter sapientiam vanam, et famam, gloriamque mundanam?

Secundo, legitime bellare, est hosti fortiter resistere, eique nec ad modicum cedere; sed eum (*a*) solo gladio jugulare. Unde primo *Regum* [1], legitur de David, quod cucurrit ad locum certaminis; et sequitur ibi, quomodo Goliam (qui diabolum figurat) non in arcu, aut gladio stravit : sed in nomine Domini ipsum invasit, et in lapide et funda, id est, in Salvatore, qui signatur in lapide, hostem invasit, et persequentem dejecit. Opus est valde nobis fortiter cum hoc hoste sic potente, sic callido, sic pleno astutia, sic continue invadente, nec unquam cessante, non dormiente, sed omni tempore vigilante, non comedente, sed omni tempore jejunante, confligere. Unde in prima Petri [2] : « Adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret; cui resistite fortes in fide. » Item Jacobus [3] : « Resistite diabolo, et fugiet a vobis. » Ibidem : « Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis. » Idem est sensus utriusque auctoritatis, quod bellandum est; sed de Deo, non de propriis viribus, confidendum. Nam canis, quando solus existit, lupum fugit; præsente domino, et confortante, lupum invadit, dejicit et occidit. Non est nimis timendus hostis, qui, ut Damascenus [4] dicit, non potest vincere nisi volentem.

Tertio, legitime bellare, est carnem, domesticum hostem, domare, et spiritui eam subjicere. Magnum certamen, mundum contemnere; majus, diabolo tam forti resistere; sed maximum est seipsum vincere, et contra se dimicare. Poeta :

> Crede mihi, est majus virtute domare seipsum,
> Quam more Samsonis sternere mille viros.

Facile superamus frigus exterius, et calorem quem foris patimur; sed calorem interius incendentem, et nostra corpora depascentem, non nisi multis remediis superamus, sicut patet in febricitantibus. Facile curatur vulnus, si sit in sola carne exterius; sed si pulmo, vel aliquod vitale membrum interius laceratur, vix, aut nunquam curatur. Ergo gravius est nobis hunc hostem familiarem subjicere, quam cum aliis certamen inire. Quid est ergo faciendum? Subtrahenda est ei annona, et continue facienda est ei disciplina. Nam quando rex aliquam civitatem obsederit, primo victualia et aquam ab eis tollit, et sic eos obedire sibi compellit. Equus bene frænatus, et cingulis bene strictus, et fortiter calcaribus punctus, cogitur obedire sessori. Unde secundum illam litteram dicitur [5] : « Usque ad mortem certa pro justitia. » Et est sensus : Non timeas amore justitiæ teipsum domare, quia melius est morte vitam finire, quam justitiam Dei deserere. Qui ergo sic certat in via, completa pugna, pervenit ad coronam. Nam post laborem sequitur requies. Unde dicitur [6] : « Amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis. » Et est notandum, quod in corona est attendere tria : primo, pretiositatem; secundo, speciositatem; tertio vero, interminabilitatem : ut sic accipiatur pretiositas ex parte materiæ, speciositas ex parte formæ, et interminabilitas ex parte figuræ. In quibus tres notantur dotes animæ, scilicet visio, dilectio, et tentio : ut speciositas respondeat visioni; pretiositas, dilectioni; et interminabilitas, tentioni. Est ergo coronatus hic Sanctus corona pretiosa. Consueverant enim coronæ fieri de auro, quod inter metalla est maxime pretiosum, charitatis significativum, et donum pretiosissimum omnium donorum. Unde dicitur [7] : « Corona aurea super caput ejus. » Tales enim coronæ, ut sint magis pretiosæ, gemmis pretiosis inveniuntur ornatæ. Psalmista [8] : « Posuisti, Domine, super caput ejus coronam de lapide pretioso. » In quibus omnibus notatur pretiositas gloriæ, quæ erit in amoris consummatione, ut non sit ultra aliquid addere : quia erunt ibi summæ divitiæ, et tantæ deliciæ, ut officio nequeant dici linguæ. Unde dicitur [9] : « Coronæ sapientium, » id est, sanctorum, « deliciæ eorum. » Secundo, est coronatus hic Sanctus corona speciosa. Quid enim illa corona fulgentius? quid enim gemmis fulgentibus invenitur pulchrius? Igitur speciosa est corona, quæ est ex auro gemmisque composita, significans illam pulchritudinem summam, quam videt anima beata. Unde anima quælibet sancta

Exemplum.

1 *Reg*, XVIII, 22 et seq. — 2 I *Petr.*, V, 9. — 3 *Jac.*, IV, 7, 8. — 4 Damasc. — 5 *Eccli.*, IV, 33. — 6 *Apoc.*, XIV, 13. — 7 *Eccli.*, XLV, 14. — 8 *Psal.* XX, 4. — 9 *Prov.*, XIV, 24. — (*a*) *Cæt. edit.* cum.

dicit illud [1] : « Indumento justitiæ circumdedit me, et tanquam speciosam coronavit me (*a*) corona. » Tertio, coronatus est hic Sanctus corona infinita interminabilitate duratura. Sphæra enim, ut docet Philosophus [2], et probatur per experientiam, nullo termino est finita; quia non apparet ubi incipiat, nec ubi finiatur, postquam ejus capita sunt conclusa et in circulum sunt redacta. Unde aliqui philosophi, quamvis stulte, crediderunt cœlum esse æternum, quia figura rotundum [3]. In circulo enim, etsi, dum fit, principium videatur et finis, postquam tamen factus est, tunc amodo fine et principio carebit : quia ubi incipiat, aut ubi finiatur, assignari non potest. Cum ergo corona in rotundum sit formata, est figurarum pulcherrima, est figurarum simplicissima, quia una linea tantum contenta sit; est figurarum capacissima : nullis angulis coarctata; simul etiam est figurarum perfectissima, quia continet in se perfectionem senariam, sicut probat ipsa experientia : recte æternalis vitæ, carentis principio et fine, est significativa. Unde dicitur prima *Petri* [4] : Pascite, qui in vobis est, gregem, et percipietis immarcessibilem , » id est, interminabilem, « gloriæ coronam. » Quod enim non marcescit, et non corrumpitur, æternum esse convicitur. Ad hanc ergo coronam, materia pretiosam, forma speciosam, et figura æternam, perducat nos Christus Filius Dei, etc.

SERMO IV [5].

Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi [6]. Omnis homo naturaliter appetit beatitudinem; sed multi errant in ea. Nam quidam eam ponunt in sublimitate potentiæ, et tales vel laborant præesse, vel præsidentibus adhærere. Quidam etiam eam ponunt in veritate scientiæ; quidam, in generis claritate; quidam, in corporis speciositate, et voluptate; quidam, in gulæ aviditate; quidam vero, in divitiarum copiositate. Ista ergo omnia attendens sapiens Apostolus, et hic Martyr sanctus, cujus hodie festum celebramus, refugit cum malis gloriari, et elegit gloriari cum bonis. In verbo ergo præmisso, ad Martyris honorem assumpto, maxime notanda sunt duo. Nam docet nos primo, quid in mundo sit respuendum; secundo, quid est hominibus appetendum, scilicet pro Salvatore opprobrium. Omne enim bonum, vel est in declinatione mali, vel in profectu boni. Nam malum declinamus, cum gloriam humanam refugimus; sed in bono proficimus, dum per viam Crucifixi incedimus. Notatur ergo primo, quid sit nobis fugiendum, cum dicit : *Mihi autem absit gloriari.* Notatur secundo, quid sit eligendum, cum dicitur : *In cruce Domini nostri Jesu Christi.* Sed quia, quod fugiendum sit de humana gloria, sermone primo de uno Martyre dixi supra, nunc solum restat dicere de Crucis ignominia. Est ergo hic notandum, quod in cruce sunt quatuor brachia, duo recta, et duo transversalia, quatuor virtutes (*b*), quibus crux spiritualiter fertur, significativa. Non enim electi omnes crucem materialem ascendunt, sed spiritualem crucem omnes in se suscipiunt. Crux enim materialis potest esse communis bonis et malis, cum etiam Dominus crucifixus fuerit cum latronibus; sed crux spiritualis non convenit nisi spiritualibus et bonis. Quanti enim pessimi fuerunt in cruce suspensi! quanti flagitiosi cum sanctis fuerunt simili pœna puniti! Simul in eodem ponuntur igne lignum, et aurum : lignum exuritur, sed aurum purgatur. Sub eadem tribula granum collocatur, et palea; sed palea comminuitur, frumenta purgantur. Sub eodem sole ponitur materia solubilis, ut cera, et coagulabilis, ut lutum; et eodem radio cera solvitur, quo lutum inspissatur. Unde dicit Augustinus [7] : « Manet dissimilitudo passorum in similitudine passionum; nec sub eodem tormento est idem virtus et vitium. Nam sicut sub eodem igne aurum rutilat, et palea fumat; et sub eadem tribula paleæ minuuntur, frumenta purgantur : ita una et eadem vis irruens bonos probat, purgat, et eliquat; malos damnat, vastat, et exterminat, atque indurat. » Ergo magis laudatur crux spiritualis, quæ non potest competere nisi bonis, quam materialis, quæ est utrisque communis. Notandum ergo, quod sunt quatuor virtutes crucis brachiis correspondentes : nam primo in brachio dextro notatur temperantia, quæ est declinatio prosperorum; secundo, in brachio sinistro notatur patientia, quæ est tolerantia adversorum; tertio, in brachio supremo notatur misericordia,

Crucis brachia.

Crucis virtutes brachiis respondentes.

[1] *Isa.*, LXI, 10. — [2] Arist., *Physic.*, lib. VIII, text. 76. — [3] Arist., *de Cæl.*, lib. II, text. 1. — [4] I *Petr.*, V, 4. — [5] Neque hunc, neque sequentem habet edit. Hageno. an. 1496. — [6] *Gal.*, VI, 14. — [7] Aug , *de Civit. Dei*, lib. I, c. VIII, n. 2.

(*a*) *Vulg.* quasi sponsum decoratum. — (*b*) *Leg.* virtutum, *vel infra* significantia.

quæ est relevatio miserorum; sed quarto, in brachio infimo notatur humilitas vera, quæ est reverentia superiorum.

Dico primo, quod ad crucem spiritualem ferendam, tanquam brachium dextrum, necessaria est temperantia, quæ est declinatio prosperorum. Temperantia enim contemnit prospera, et est virtutum omnium modificativa, sine qua vitium est omnis virtus politica. Hæc est enim virtus, sine qua omnis virtus est sine modo, quasi equus sine fræno, et asinus sine chamo. Unde Deus creavit omnia in modo, nec aliquid voluit esse sine modo. Nunquam enim fecit unum contrariorum, quin fecerit alterum : ut sic unum esset alterius frænum. Ob hanc causam diversa sunt anni tempora, ut fiat quædam temporis contemperantia. Si enim semper æstas esset, calor immoderatus omnia exureret; et si hyems semper esset, frigus terram stringens, nihil nasci permitteret. Ob hanc etiam causam dies successit nocti, et nox diei. Considera etiam in te ipso, quia cerebro frigidissimo, cor fontem caloris supposuit Deus, et pulmonem, quo tanquam quodam flabello, cordis incendium temperavit. In majori etiam mundo, motum cœli obviatione planetarum frænavit; et ejus incendium ex motu generatum, aquis superioribus temperavit. Dicunt etiam sapientes mundi, quod Luna est tanti frigoris causativa, quod omni mense hyemem terræ adduceret, si calor Solis ejus efficaciam non frænaret. Est ergo intemperantia, sive sit in gula, sive in luxuria, non solum contra prohibitionem divinam, sed etiam peccatum contra naturam. Et hoc ideo, quia ipsius naturæ est debilitativa, sicut patet in multis luxuriantibus, et nimium comedentibus, quorum vita est Christi cruci contraria, in qua omnia fuerunt amara, cum isti solum quærunt suavia. Unde illud [1] : « Multi ambulant, quos sæpe dicebam vobis, nunc autem et flens dico, inimicos crucis Christi; quorum Deus venter est, et gloria in confusione eorum, qui terrena sapiunt. » Quid turpius, quid irrationabilius, quam habere corpus ex fœtida materia generatum, et ex fœtida materia nutritum, et ex fœtida materia semper plenum, ad devorandum vermibus in fine præparatum, nihil unquam de se producens, nisi fœtidum? Nam et rex quidam philosophum ad cœnam invitavit : cumque cœnaret philosophus juxta regem sedens, spuere volens, et loca omnia tapetibus sericis plena videret, simulque attenderet, quod barba regis, sive mentum totum ex pinguedine esset unctum, super ejus mentum sputum projecit. Cumque ipsum ejus famuli occidere vellent, rex prohibuit, et quare fecerit, inquisivit. Cui ille : « Cum undique circa me cernerem, ubi in locum magis vilem sputum elicere possem; nullum locum sic fœtidum, nec sic vilem vidi, sicut illum, in quem sputum ejeci. » Tunc Rex gulæ vilitatem consideravit, et viro sapienti pepercit.

Lunæ frigiditas quanta sit.

Exemplum.

Secundo, ad crucem spiritualem ferendum tanquam brachium sinistrum, est necessaria tolerantia adversariorum : ut qui per temperantiam contemnit mundi prospera, per tolerantiam portet et toleret adversa : ut, sicut non est elevatus in prosperis, ita nullis frangatur adversis. Virtus nobilissima est tolerantia, quæ inter erectos fluctus, et procellas undarum, ac fortes flaturas ventorum, navem tuto ducit ad portum. Bona navis fortibus asseribus fabricata, et in altissimo mari et fervido posita, nihil timet in fluctibus, nisi terram. Quia sicut verus patiens non solum tribulationes non fugit, sed etiam appetit; sic sola terrena fugit, tanquam currentem navem impedire suis tumoribus possint, ut sic in tribulationibus hujus maris fortiter persistat. Probatum est certo experimento, quod navis fortius et velocius saltat in mari turbato, quam in mari quieto : quia plus homo in tribulationibus proficit, quam dum consolatus existit. Nam arbor nucis dum suis fructibus spoliatur, quanto fortius pertica verberata fuerit, tanto sequenti anno plures fructus adducit. Quidam autem nimium delicati sunt, similes olivæ, quæ in collectione fructuum non vult, ut nux, verberari; sed manu vult fructus suos leviter colligi : quam si verberari cœperis, vel feceris, sequenti anno a fructu cessat. Est ergo, ut Apostolus dicit [2], necessaria patientia, et exemplo Domini contemnenda omnis gloria mundi, et ignominia appetenda. Unde dicitur [3] : « Deponentes omne pondus, et circumstans peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Dominum, qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta. » Turpe est ut miles de bello exeat sanus, si rex vulneratus incedit, et maxime si pro milite bellum agat.

Exempla.

Exemplum.

[1] *Philip.*, III, 18-19. — [2] *Hebr.*, X, 36. — [3] Ibid., XII, 1-2.

Bernardus [1] : « Bonus miles suas plagas non sentit, dum benigni ducis vulnera intuetur. » Unde sequitur in auctoritate præmissa [2] : « Recogitate eum, qui talem sustinuit adversus semetipsum contradictionem, ut non deficiatis animis vestris. » Quis miles deficit in bello, ubi regem suum viderit pro se vulneratum? Numquid pro se est vulneratus Jesus? Nam, sicut dicit Isaias [3] : « Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, et attritus est propter scelera nostra. » Item [4] : « Et Dominus posuit super eum omnium nostrum iniquitates. » Unde Bernardus [5] : « Quid fecisti, amantissime Domine? quid commisisti, Salvator bone, ut sic judicareris? quæ causa tua, quæ noxa tua? Ego sum tui causa doloris, ego culpa tuæ occisionis, ego passionis tuæ livor, et tui cruciatus labor. » Ad hoc ergo ponuntur imagines Salvatoris, ut dum angustiaris, dum premeris, dum tentatione pulsaris, aspicias Christum in ligno pro te pendentem. Apes enim, quantumcumque fatigatæ, resumunt vires, dum viderint suum regem. Ergo non faciet homo, quod apeculas viderit facere?

Exemplum.

Tertio, ad crucem spiritualem ferendam, pro brachio supremo, accipienda est pietas orphanorum, viduarum, et omnium miserorum. Unde leo, fortissima bestia, prædæ avida, unguibus et dentibus armata, homini non sæva est, sed pia. Unde si hominem obvium habet in deserto, non solum eum non lædit, sed eum deducit, et viam illi ostendit, nisi fame nimia laboraverit. Vide ergo quam crudelis est homo, animal mansuetum natura, cum non parcit ei, cui sævissima parcit fera. Nam etiam crudelissima lupa bestia infantem, quem misera fœmina projicit, ipsa recolligit, et lac ei tribuit. Crudelitas contra naturam est hominis, sicut ad sensum patet. Non enim natura, sicut cæteris animalibus, homini ungues acutos dedit ad dilaniandum, nec dentes serratos (*a*) ad dilacerandum, nec cornua ad plectendum (*b*), nec aculeum ad feriendum. Ergo, dum omnis crudelitatis arma ab eo subtraxit, eum debere esse mansuetum natura perdocuit. Sed arma, quæ natura negavit, homo multo pejora, et magis mortifera, suo ingenio adinvenit, et crudeliora bella, quam omnia bruta, gerit. Recordemur ergo crucis Christi, simus mansueti et pii, ut possimus esse filii Matris Dei, quæ est mater totius bonitatis et pietatis, et Regina misericordiæ digna est appellari. Unde dicitur [6] : « Stabat juxta crucem Mater ejus : » stabat, inquam, dolendo, stabat compatiendo, stabat commoriendo, doloris et passionis transfossa gladio. Cum ergo ipsa sit mater totius misericordiæ, soli crudeles ad ejus thronum non habent accedere, quia nec ab ea merentur audiri. Quomodo misericordiam audes petere, qui eam proximis noluisti exhibere? Scias, quod vera est sententia, quam Jacobus profert in Epistola [7] : « Judicium sine misericordia fiet illi, qui non facit misericordiam. »

Exemplum.

Exemplum.

Quarto, ad crucem spiritualem ferendam, pro brachio intimo terræ infixo, est accipienda humilitas, quæ est respectu superioris. Quandocumque supra te agitaris, tumore erigeris, crucis Domini recorderis. Quis tumor qui non cadit, quis mons qui non ruit, si Dominum crucifixum attendas? Nullus miles est adeo superbus et arrogans, ut supra regem sedem suam collocare præsumat. Ergo quod non audet quis facere regi terreno citissime morituro, tu facis Regi summo, æternaliter duraturo? Et propterea Apostolus [8] : « Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. » Ubi dicit Augustinus [9] : « Ecce habes humilitatis exemplum, superbiæ medicamentum. Quid ergo, homo, intumescis? quid, morticina pellis, extenderis? quid, sanies fœtida, inflaris? Princeps tuus humilis, et tu superbus? Caput est humile, et membrum superbum erit? Monstrum est contra naturam, si cœlum terræ subjicias, et sub pedibus caput ponas. » Rogemus, etc.

SERMO V.

Fortitudo et decor indumentum ejus [10]. Quanta fuerit fortitudo Sanctorum, quis poterit explanare ullis verbis? Ergo, si juxta meritum fortitudinis recipiant a Deo mercedem, quis præmii eorum altitudinem potest ad plenum mente cogitare? Majori donati sunt præmio, quam quis lingua carnis exprimat. Ideo in verbo præmisso notantur hic duo: primo status pugnæ, quo diabolo restitit; secundo, status coronæ, qua coronari promeruit. Nam primo per pugnam, qualis esset, apparuit; secundo, per victoriam, vel coronam, quo præmio dignus esset innotuit.

[1] Bernard. — [2] *Hebr.*, XII, 3. — [3] *Isa.*, LIII, 5. — [4] Ibid., 6. — [5] Bernard. — [6] *Joan.*, XIX, 25. — [7] *Jac.*, II, 13. — [8] *Philip.*, II, 5-8. — [9] Aug., *de verb. Dom.*, serm. XLI, al. CXXIII, n. 1, quoad sensum. — [10] *Prov.*, XXXI, 25. — (*a*) *Cæt. edit.* ferratos. — (*b*) *Item* pectendum.

in pugna fuit a Deo probatus; sed post victoriam a Deo conoratus. Notatur ergo primo status pugnæ, cum dicitur : *Fortitudo et decor indumentum ejus.* Notatur secundo status præmii et coronæ, cum additur : *Et ridebit in die novissimo.*

Dicit ergo : *Fortitudo*, etc. Est ergo notandum, quod contra tres adversarios pugnamus, et triplici indigemus fortitudine. Nam impugnat nos mundus, impugnat nos diabolus, et impugnat nos proprium corpus. Mundus per vana attrahit; diabolus per alta seducit; sed corpus per delectabilia allicit. Indigemus fortitudine, mundi divitias contemnente; indigemus et fortitudine, honores respuente; indigemus et fortitudine delectabilia fugiente. Dicamus ergo, quod hic sanctus Martyr primo fortis apparuit contra mundum, dum voluntaria paupertate omnia reliquit; secundo fortior apparuit contra diabolum, dum superbos honores vera humilitate non solum non appetiit, sed contempsit; tertio, fortissimus apparuit contra seipsum, dum ardentissime in mortem seipsum dedit.

Dico primo, quod noster Martyr fortis apparuit, dum voluntaria paupertate mundum omnem cum flore contempsit. O quam felices, qui eligunt cum Christo pauperes esse, præter victum solum, et vestitum, nihil aliud appetentes. Unde Apostolus : « Habentes alimenta, » non delectamenta, « et quibus tegamur, » non quibus ornemur, « his contenti simus. » Unde de Martyre nostro potest dici illud *Proverbiorum* [1] : « Manum suam misit ad fortia. » *Misit*, dixit, quia congressus hominis est contra mundum. Et dicit pluraliter *fortia*, quia plura sunt relinquenda, quæ sunt difficilia. Fortitudinis igitur est, divitias et omnia vana relinquere, et filios abdicare, et uxorem relinquere, quamvis consentientem. Unde in figura nostri Martyris dicitur de Juda [2] : « Vir fortissimus Judas, collatione facta, duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum. » In quo notatur, quod fortissimus fuit, dum argentum tantum contempsit, et pro mortuis illud obtulit. Sed quidam e contrario paupertatem effugiunt, divitias toto animo quærunt; nec attendunt, quod tunc sunt maxime vacui, quando se credunt plenos : sed vacui sunt Dei donis, pleni peccatis : pleni in arca, vacui in conscientia : acquirunt peccata, et perdunt animam : quærunt aurum, et acquirunt infernum. Nam luna, quando versus terram dicitur esse plena, tunc versus cœlum est vacua. Et quando versus terram dicitur esse vacua, vel nulla, tunc versus cœlum dicitur esse tota plena. Et valde rationabile : quia quanto plus a sole recedit, tanto versus terram plena existit, et plus vacua versus cœlum. Et e contrario, quanto plus soli appropinquat, tanto versus terram se evacuat, et versus cœlum fortitudinem suam augmentat; ita quod soli tunc est perfecte conjuncta; et quamvis ex parte terræ sit nulla, ex parte tamen cœli fit tota plena. Sic et vir sanctus, dum nihil habet in mundo, est dives in cœlo. Hieronymus dicit [3] : « In mundo divitem, et in cœlo esse, non est possibile. » Unde dicitur [4] : « Nolite vobis thesaurizare thesauros in terra, vel in mundo, ubi ærugo et tinea demolitur, et ubi fures effodiunt, et furantur; sed thesaurizate vobis thesauros in cœlo, ubi nec ærugo, nec tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt, nec furantur. Unde etiam Glossa super *Cantica Canticorum*, loquens de Christianis, dicit : Non est perfectionis christianæ in temporalibus exaltari, sed potius deprimi : mali enim nihil habent in cœlo, et boni nihil habent in mundo, sed sæpe gratia illius boni, ad quod mendici anhelant, quidquid in via contingat, gaudent. Unde Augustinus (*de Civitate Dei*) [5] : « Satellites voluptatum divitias appetunt, pauperes esse nolunt, honoribus inhiant. » Sed noster Martyr rex esse noluit : honores declinabat, et omnia mala sustinebat.

Exemplum.

Secundo, Martyr noster postquam fortis apparuit contra mundum, apparuit fortior contra diabolum. Ista enim duo ordinate se habent : ut prius quis contemnat mundum, quam contra diabolum sumat bellum. Unde Gregorius [6] : « Qui ad fidei agonem venimus, luctamen contra malignos spiritus sumimus. Nudi autem cum nudo in hoc mundo luctari debemus : quoniam si vestitus quisquam cum nudo luctatur, citius ad terram dejicitur, quia habet unde teneatur. Quid, » inquit, « sunt terrena, nisi quædam corporis indumenta? Ergo, » inquit, « qui contra diabolum ad certamen properat, vestimenta prius abjiciat, ne succumbat; nullas rerum labentium delectationes requirat, ne unde ad votum tegitur, inde ad

[1] *Prov.*, XXXI, 19. — [2] II *Mach.*, XII, 43. — [3] Hieron., in *Regul. Monach.*, c. *de laude Relig.* — [4] *Matth.*, VI, 19. — [5] Aug., *de Civit. Dei.* — [6] Greg., *in Evang.*, hom. XXXII, n. 2.

casum teneatur.» Mundo sic contempto, et humilitatis fundamento sic accepto, secure congredimur cum hoste maligno. Unde secundum Hieronymum [1] : « Non est timendus hostis, qui non potest dejicere nisi volentem. » Unde in figura Martyris nostri, dicitur in *Sapientia* [2] : « Et fortis in bello : » humilis enim expugnavit insurgentes hostes. Quis nunc hostem unquam timeat, si veram humilitatem teneat? Nam cum beatus Antonius omnes inimici laqueos videret coram se in terra expansos, dixit ad Dominum : « Domine, quis potest evadere istos laqueos ? » Et facta est vox ad eum dicens : « Humilis. » Et ratio est, sicut Augustinus docet [3], quia humilitas hominem Deo perfecte subjicit, Deum sibi auxiliatorem facit, quo hostis ignea tela contemnit. Nam et leo gallum, et maxime si sit albus, expavescit, et fugit virtute cujusdam lapidis, quem in se habet gallus. Quid per leonem intelligimus rugientem, et homines devorare volentem, nisi dæmonem? Quid per gallum se alis propriis verberantem, et sæpe cantantem, nisi humilem hominem, se verberibus affligentem, et Deum continue laudantem, et intra se vivum lapidem continentem? Hunc humilem hominem diabolus superbus sic timet, ut nec ei approximare audeat, dum per humilitatem Virginis, et per humilitatem suæ beatissimæ prolis novit se dejectum. Semper enim puer timet flagellum, et canis baculum, quo aliquando se meminit verberatum.

Exemplum.

Tertio, beatus hic Martyr non solum fuit fortis contra mundum, aut fortior contra diabolum, sed fuit fortissimus contra seipsum. Militi enim existenti in forti castro, facile est extrinsecum hostem abjicere ; sed valde difficile est sibi, interiorem hostem superare. Unde Boetius dicit [4], quod nulla sit pejor pestis, quam familiaris inimicus. Nam et Samson, qui mundum, ut nazareus [5], contempsit, et omnes hostes dejecit, carnis fuit passione superatus. Dicit enim Philosophus quod difficillimum est hanc passionem vincere, consentaneam naturæ. Unde de viro sancto dicitur [6] : « Accincit fortitudine lumbos suos. » Unde Gregorius [7] : « Lumbos præcingere, est carnis luxuriam per carnis continentiam coarctare. » Unde dicitur in figura viri sancti [8] : « Lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi. » Et licet sit difficile continere, fortius tamen est adhuc exemplo Martyris pro Christo animam ponere, et vitam contemnere, quam omnis homo per naturam appetit conservare. Unde iterum dicitur [9] : « Fortis est ut mors dilectio. » Imo est morte fortior, dum mortem superat contemnendo. Et licet hoc sit opus fortissimi, habet tamen in naturis exemplum. Nam Diogenes philosophus, dum se mori videret, in nullo dolens, dixit, seipsum febre ipsam mortem superare. Apes mori appetunt pro suo rege. Nam, mortuo rege, nolentes se separari ab eo, stant morientes fame. Ergo si sic faciunt pro rege apes, a quo nec esse accipiunt, nec per eum vivunt, nec sentiunt, quid hominibus faciendum est pro summo Rege, a quo sunt facti, per quem sunt redempti, et pro eis liberandis in mortem se dedit?

Qui ergo sic fortis erit superando mundum, vincendo diabolum, subjugando seipsum, accipiet regnum decoris, et diadema regni de manu Domini, et sic ridebit in die novissimo, quando cum Domino erit in paradiso. Quid est aliud paradisus, quam hians risus? Unde dicitur [10] : « Beati qui nunc fletis, quia ridebitis. » Et e converso : « Væ vobis, qui nunc ridetis, quia plorabitis. » Non est possibile ridere hic, et in futuro : et ideo est necesse ut hic fleat, qui vult cum Domino ridere. Ad hunc risum perducat nos Dominus noster, etc.

DE PLURIBUS SS. MARTYRIBUS.

SERMO PRIMUS [11].

Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones [12]. [13] « Omne datum optimum, et omne donum perfectum, desursum est, descendens a Patre luminum. » Cujus dicti ratio est, quia omnis causa quanto plus præest aliis, tanto amplius influit. Unde scribitur in libro *de Causis*, quod omnis causa primaria est magis influens in causatam, quam causa secunda. Exemplum accipe in Pontifice summo, in archiepiscopo, in episcopo, in archidiacono, in simplici presbytero. Exemplum aliud in cœlo empyreo, crystallino, et sidereo.

[1] Hieron. — [2] *Sap.*, VIII, 15. — [3] August., *de Civit. Dei*, lib. XIV, c. XIII, quoad sensum. — [4] Boet., *de Consol. Philos.*, lib. III, pros. 5, in fin. — [5] *Judic.*, XIII, 5. — [6] *Prov.*, XXI, 17. — [7] Gregor., *Moral.*, lib. XXI, c. II, n. 5 ; *in Evang.*, hom. XIII, n. 1. — [8] *Cant.*, III, 7. — [9] *Cant.*, VIII, 6. — [10] *Luc.*, VI, 21, 25. — [11] Hunc habet edit. Hageno. an. 1496. — [12] *Hebr.*, XI, 33. — [13] *Jac.*, I, 17.

Item est aliud exemplum in ramis, in arbore, stipite, et radice, quia in his omnibus posteriora a prioribus recipiunt : imo omnia posteriora a primaria causa sunt. Quiquid enim [1] est causa causæ, est causa causati. Item quanto aliquid est in natura magis in actu [2], magis et influit. Unde videmus ad sensum, quod actu calidum calefacit, et actu luminosum illuminat, ita quod majus magis, et maximum maxime. Quare necessarium est ponendum, quod a causa simpliciter prima est omne donum. Cum ergo fides sit altissimum donum, omnium donorum a Deo principium, ideo esse maximum est ponendum. Propter quod etiam est donum maxime virtuosum. In verbo ergo præmisso subtiliter indagato fides describitur : primo, ut donum virtuosum; secundo, ut donum operosum; tertio vero, ut donum gloriosum. Primo, quia virtuosum, dejicit adversarium. Secundo, quia operosum, agit bonum. Tertio, quia victoriosum, sive gloriosum, obtinet regnum. Describitur ergo primo ut virtuosum, dejiciens sibi contrarium, cum dicitur : *Sancti per fidem vicerunt regna.* Secundo describitur ut bonum operosum, agens bonum sibi commodum, cum additur : *Operati sunt justitiam,* id est, bona opera. Tertio describitur ut donum victoriosum, cum subditur : *Adepti sunt repromissiones.* Unde dicitur : *Sancti per fidem.* Ut ergo ea sic ad unum reducam, quia hæc omnia fiunt in fide, de sola fide agendum est in sermone. Est ergo hic notandum, quod communi et usitata descriptione, fides est primo intellectus illuminativa, secundo est affectus purgativa, tertio vero est effectus fortificativa. Quid istis melius, quid animæ fructuosius ? Omnes enim animæ potentiæ vel spectant ad cognitivam, vel operativam. Ergo dum fidei opus est illuminare intellectum, inflammare, vel purgare affectum, et fortificare effectum, ejus est perficere totum animæ ædificium.

Dicamus ergo, quod fides est animæ illuminativa, quantum ad potentiam cognitivam. Est enim fides divinus radius, animæ illuminativus. Ipsa enim fides disponit ad lumen summæ veritatis, eo quod animam summæ veritati facit adhærere stabiliter. Nam certum est, quod quandocumque aliqua virtus, quæ influit ab aliquo agente, et (*a*) quiete non figitur in recipiente, caret sua operatione naturali, et suo debito fine. Exemplum accipe in radio solis descendente super aquam currentem, non quiescentem, sicut patet in flumine, in quo, quia radius non figitur quiete, actio ejus caret debito fine, qui est aquam illam calefacere, calefactam rarefacere et subtiliare, et ex ea vapores subtiles attrahere, et in vaporem vertere, et sursum elevare. Ex quo constat manifestum esse, quod quies rei disponit ad illuminationem. Unde Philosophus dicit [3] quod homo fit sapiens, et intelligens anima, dum quiescit. Cum ergo fides animam in Deo stabilitet, et eam in ipso quietet, disponit ad æternam illuminationem per consequens. Et hæc est ratio, quare hæretici sunt totaliter cæci, nec a Deo merentur illuminari : quia nihil stabiliter credunt, nunquam in aliqua fide quiescunt, sed nunc unum, nunc aliud credunt, et se ab uno opposito ad aliud vertunt. Item quanto (*b*) aliquod agens plus invenit in aliquo objecto de similitudine sua, tanto agit in ipso majori efficacia. Exemplum hoc accipe sic : Plus enim participat de natura luciditatis tabula deaurata, quam argentea; et plus argentata, quam dealbata; et plus dealbata, quam quæ est lignea lævigata. Solaris ergo lux descendens super omnes eodem tempore, æqualiter illis omnibus expositis, majorem generat splendorem super deauratam, quam super aliquam aliam, propter majorem similitudinem, quam habet ad ipsam. Et idem judicium est de omnibus aliis. Cum ergo lux fidei maxime assimiletur primæ luci, ad susceptionem illius summi luminis maxime intellectum disponit. Exemplum horum habetur ad sensum : nam lux solaris, dum super omnia corpora descendit, in illo corpore efficacius agit, et majus lumen in id imprimit, ubi plus de sua similitudine invenit. Nam splendorem majorem generat super aquam, quam generet super terram; et majorem in aere, quam super aquam. Ad idem est ipsa ratio : quia semper meditatur super finales perfectiones, secundum quod exigunt præambulæ dispositiones. Et de hoc habetur exemplum in arte, et natura. In arte est exemplum in medicina præparativa, et digestiva, et medicina purgativa : nam quanto melior et artificialior præcesserit præparatio, tanto perfectior et laudabilior inducitur purgatio. Item hoc ipsum in natura apparet : quia quanto, in corpore generando, præcedit nobilior materiæ præparatio, tanto fit formæ nobilioris inductio : quia in

Exemplum.

Exemplum.

[1] Comm. in lib. *de sex princip., de form. et actione.* — [2] Arist., *Topic.* — [3] Arist., *Phys.*, lib. VII, text. 20.

(*a*) *Del.* et. — (*b*) *Cæt. edit.* quando.

humano corpore præcedit nobilior elementorum complexio, quam in bruto; et in bruto nobilior, quam in planta, secundum quod est nobilior forma inducenda. Ergo maximum est, quod quanto in perfectibili aliquo præcedit nobilior præparatio, tanto nobilior datur ei perfectio. Cum ergo fides nobilissima præparet animam ad illuminationem dispositione nobilissima; ex eo patet, quod facit de Deo credere omnia summa bona, scilicet quod est potentissimus, quod est sapientissimus, quod est summe bonus, et sic de aliis. Unde dicitur, quod dum quidam cæcus clamaret ad Dominum, tunc Dominus dixit ei [1] : « Quid vis, ut faciam tibi? » Cui ille : « Domine, ut videam. » Cui Dominus : « Respice, fides tua te salvum fecit, » id est, illuminavit. Ob hanc utique causam Apostolus dicit [2], quod fides est argumentum : « Est, » inquit, « fides substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium. » Constat enim quod argumentum est mentis illuminativum, quia dubium vertit in certum. Est ergo argumentum ratio, rei dubiæ faciens fidem secundum Philosophum [3]. Exemplum de hoc habetur in Historia scholastica tempore Nicæni concilii. Multi enim tunc convenerant philosophi, ut fidem impugnarent : inter quos unus erat, quem nemo fidelium episcoporum concludere (*a*) poterat; sed argumenta omnia facillime dissolvebat. Tunc quidam episcopus [4] simplex contra eum commotus, audientiam petiit : quem cum alii surrexisse vidissent, et valde simplicem eum esse cognoscerent, timere cœperunt, quod aliquid stultum diceret; sed propter sanctitatem ejus eximiam, non ausi eum prohibere fuerunt. Tunc ille ait : « Dic mihi, Philosophe : Christus non docuit nos dialecticam; sed est fides vera, quam nos docuit, quia credimus unum Deum verum esse, et in Jesum Christum filium ejus unicum, Dominum nostrum : et sic totum symbolum. Dic mihi, si sic esse credis? » Tunc ille, dum ex ore ejus fidem audivit, statim illuminatus est, et credidit, et astantibus ait : « Quamdiu verba audivi, verba pro verbis reddidi; sed quando divina virtus accessit, respondere non potui, sed fide illuminatus assensi. » Exemplum de quinquaginta philosophis illis, quos sancta Catharina in verbo fidei convertit. Lege historiam [5], ut exemplum narres.

Secundo, fides est animæ purgativa, quantum ad potentiam amativam. Cujus ratio talis est : Nam omnis virtus, quæ in suum susceptibile efficaciter agit, quidquid sibi in illo contrarium invenit, totum ab eo excludit. Exemplum de igne, qui dum agit in aerem, humiditatem in eo consumit, et siccitatem, qualitatem illi contrariam, introducit. Ignis etiam dum in ferrum agit, rubiginem et omnem frigiditatem tollit ab eo, et illud simile sibi facit. Lux etiam, dum in aerem agit, primo ab eo tenebras sibi contrarias tollit, et sic in illum similitudinem suam introducit. Sic et fides formata, si animæ adveniat, ab omni peccati scoria sibi contraria, et ab omnibus erroribus eam purgat, et principio primo eam assimilat. Anima enim est Deo similis per naturam; nec fit ei dissimilis, nisi per culpam. Sed quia per fidem culpa excluditur, similitudo ei restituitur. Et propterea dicitur [6] : « Fide purificans corda eorum. » Nam ob hanc causam fides dicitur similis esse calori solis : quia sicut illius calore in vere reviviscunt omnia terræ nascentia, sic per fidem reviviscunt animæ mortuæ. Unde dicit Apostolus [7], quod « justus ex fide vivit. » Est enim fides sicut aurora, quæ aerem a tenebris purgat, diem inchoat, et solem adesse monstrat. Unde baptismus dicitur fidei sacramentum, et est peccatorum omnium purgamentum, et ad statum innocentiæ restitutivum, et omne, quod tangit, subito facit esse sanctum. Narrat enim Augustinus [8], quod quædam matrona cancrum patiebatur in mamilla, morbum mortalem, et nulla secundum Hippocratem medicina curabilem : imo si quis vult ex ea diutius vivere, dimittendus est soli naturæ sine omni medicamine. Cumque illa desperata esset a medicis, ad auxilium divinum se contulit, et ad fontes, ubi baptizantur catechumeni, properavit, et ab uno, cum de fonte exiit, signari se fecit : quam dum baptizatus signavit, curata mox fuit. Si ergo tantæ virtutis est sacramentum fidei, quantæ virtutis est fidei donum?

Tertio, fides est effectus fortificativa. Nam quanto amplius vigor fundamentatæ virtutis redundat in aliud, tanto illud robustius esse facit. Exemplum de virtute cordis, quæ virtus est omnium membrorum radix, sive fundamentum. Quare? Quia communiter plus virtus redundat

[1] *Luc.*, XVIII, 41, 42. — [2] *Hebr.*, XI, 1. — [3] Arist., *Rhet.*, c. XII. — [4] Spyridion Episcopus, ex Nicephor., lib. VIII, c. XV et XLII, et *Martyrol. Rom.*, 14 dec. — [5] Surius, in *Vita S. Cathar.*, die 25 nov. — [6] *Act.*, XV, 9. — [7] *Rom.*, I, 17. — [8] Aug., *de Civit. Dei*, lib. XXII, c. VIII, n. 3. — (*a*) *Leg.* convincere.

in brachio dextro, quam sinistro. Fortius est dextrum brachium, et ad pugnandum est magis aptum, sicut et patet ad sensum. Ex qua causa, ut dicit Philosophus [1], « leo primum dextrum pedem movet in ambulando. » Et mulier, quæ prægnans est masculo, subito vocata, plus movet pedem dextrum, quam sinistrum. Sed constat, quod fides fundamentalis virtus est omnium virtutum prima. Unde et Apostolus dicit (*Hebr.*, XI, 1), quod est *substantia*, quia, sicut substantia est accidentium omnium fundamentum, sic et fides virtutum omnium et donorum. Unde fides assimilatur cuidam gemmæ, quæ dicitur Alectoria, quæ in ventriculis gallinaceorum invenitur, cujus maxima magnitudo est ad quantitatem fabæ : cujus [2], secundum Magistros, virtus est, hominem in certamine insuperabilem reddere. Facit enim hominem constantem, et in bello victorem. Quid enim fortius, quam mundum contemnere ? Sed mundum fides contemnit, sicut legitur de Abraham (*ad Hebræos*, undecimo [3]) quod « fide patriam dereliquit. » Et ibidem de Moyse dicitur [4] : « Fide Moyses se negavit filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis vitæ habere jucunditatem. » Item quid fortius diabolo ? « Non est enim [5] potestas super terram, quæ possit ei comparari. » Et tamen fide vincitur, secundum illud Petri [6] : « Adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret ; cui resistite fortes in fide. » Et quantum ad hoc, fides est similis cuidam gemmæ, Chrysolythus appellatæ, quæ lucet ut aurum, et ad modum ignis scintillas emittit [7]. Quæ gemma in auro posita, et in sinistro latere portata (ut ajunt), est dæmonum fugativa, et omnis timoris nocturni expulsiva. Sic fides vera tota est aurea, et ad modum ignis inflammativa, et ideo portata, et omnibus sinistris rebus opposita, dæmonum omnium et periculorum est repulsiva. Item quid fortius, quam subjugare seipsum ? Sed nonne hoc facit fides ? Nonne sancti, sicut dicitur *ad Hebræos* [8], « in fide » non solum « obturaverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugaverunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum, » sed etiam « alii extenti sunt, non suspicientes redemptionem ; alii ludibria et verbera experti, insuper et vincula et carceres, lapidati sunt, secti sunt, in occisione gladii mortui sunt, » et cætera, quæ ibi sequuntur ?

Nobilissima virtus, et amplexanda totis visceribus, aut affectibus, quæ sic intellectum illuminat, sic animam purgat, sic etiam affectum fortificat, dum mundum contemnit, diabolo resistit, et seipsum devincit. Sed quid de illis, qui habent fidem Dei, sed informem, quæ in peccatoribus et dæmonibus invenitur ? quia eos triplex inconveniens sequitur. Primum, quia ordinantur ad finem eumdem cum dæmonibus : nam constat, quando aliquod unum inest duobus, inest eis secundum aliquam dispositionem communem, sicut patet de identitate nutrimenti in animalibus et plantis. Ergo si fides informis inest peccatoribus et dæmonibus, hoc erit per aliquam dispositionem communem. Sed quæ sunt consimilis dispositionis, ordinantur ad consimilem finem. Sic etiam patet in membris omnibus : nam quæ consimilis dispositionis inveniuntur, ad unum finem ordinantur, quia quæ habent eamdem dispositionem in lineamentis vegetativæ, sensitivæ et rationalis, ordinantur ad finem eumdem, scilicet ad animam rationalem. Ergo, si homo malus, et diabolus, habent eamdem dispositionem in fide, ad eumdem finem ordinantur, scilicet ad æternam damnationem. Secundum inconveniens est, quia magis reprehensibilis est homo in hac parte, quam dæmon : nam omne illud est reprehensibile, quod non habet quod debet habere, eo tempore, quo debet habere ; non est autem dignum reprehensione, si non habet quod non debet, vel eo tempore, quo non debet habere. Exemplum de catulo, qui etsi ante nonum diem visum non habeat, non tamen dicitur cæcus, cum prius habere non debeat. Similiter et infantulus non est reprehensione dignus, si non cum dentibus nascatur, quia tunc temporis a natura eos habere prohibetur. Sed tam catulus, quam infantulus reprehensione digni essent, si jam dicta non haberent eo tempore, quo habere deberent. Exemplum in arboribus, quæ si

[1] Arist., *Hist. Animal.*, lib. II, c. I. — [2] Plin., *Hist. natur.*, lib. XXXVII, c. X ; Solin., *Polyhist.* ; Isid., *Etymol.*, lib. XVI, c. XIII ; Albert. Magn., etc., idem dicunt de Alectoriæ, sive Alectorii specie crystallina, magnitudine, ac virtute, opinionem veterum recitantes. — [3] *Hebr.*, XI, 8. — [4] Ibid., 24. — [5] *Job*, XLI, 14. — [6] I *Petr.*, V, 9. — [7] De Chrysolithi colore ac virtute loquitur Albertus in lib. *de Lapidibus* ; nec non Camillus Leonardus in *Speculo lapidum*, et Barthol. Anglicus, lib. XVI, cap. 29, ex Dioscor. — [8] *Hebr.*, XI, 33-37.

sine fructu sint in januario, non merentur ex hoc dici infructuosæ, si tamen habeant, cum habere teneantur. Sed homo est in tempore, quo fidem debet habere per dilectionem operantem; dæmon autem non est in tempore, quo talem fidem habere possit. Ergo homo in hac parte reprehensibilior est dæmone. Tertium inconveniens est, quia fides informis timorem Dei, et non amorem habet annexum : nam timor ad hoc disponit, ut homo non accedat, sed refugiat ab eo, quod timet, sicut ovis naturaliter fugit lupum, quem timet. Ergo qui fidem informem habet, cum Deum timeat, et non amet, a Deo refugit, quantum potest: sed dum ab eo refugit, ad aliud accedit, sicut lapis, quia sursum ascendit, necessario deorsum descendit. Ergo dum omnis talis recedit a Dei gloria, necessario accedit ad infernalem damnationem. Rogemus, etc.

SERMO II [1].

Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam [2]. Secundum Apostolum [3] : « Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit. » Nam [4] « sicut abundant passiones Christi in nobis, sic et per Christum abundat consolatio nostra. » Ergo, si omnes coronari et consolari cupimus, nec coronari possumus, nisi valenter certemus, et cum a Domino patiamur, restat ut non solum passiones patienter sustineamus, sed quod eas etiam appetamus. Nam bonus scholaris amat vigilias, et quasvis afflictiones, ut sapiens fiat. Nauta, quamvis ei sit periculum, nihilominus tamen amat naufragium [5] propter lucrum. Quis umquam absque labore dives esse poterit? quis unquam absque labore dolia vino, et horrea frumentis implevit? Quis unquam absque labore militavit? « Militia enim [6] est vita hominis super terram. » Et iterum [7] : « Sicut avis ad volandum, sic homo nascitur ad laborandum. » Unde et a fletu incipit, et per fletum transit, et in fletibus vitam finit. Verum passiones nostræ non sunt meritoriæ, nisi sint voluntariæ; imo involuntariæ, quantumcumque magnæ, omni præmio sunt indignæ, quia, ut voluntariæ sunt dignæ æterno præmio, sic involuntariæ sunt indignæ tali præmio. In verbo ergo præmisso sancti Martyres describuntur, quantum ad tria : primo, quantum ad pœnam; secundo, quantum ad causam; tertio, quantum ad victoriam. Nam pœna probat, causa ordinat, victoria coronat. Primo ergo Martyres describuntur, quantum ad pœnam temporalem, cum dicitur : *Persecutionem patiuntur;* secundo, quantum ad causam martyrium ordinantem, et meritorium facientem, cum in fine ponitur : *Propter justitiam.* Tertio vero, quantum ad victoriam æternaliter coronantem, cum dicitur : *Beati.* Dico ergo primo, quod notatur hic pugna, sive pœna Martyrum probativa; scilicet quia tactum est supra, quod sola pœna non est meritoria, nisi adsit voluntas et causa, ideo prima duo sunt simul tractanda. Est ergo notandum, quod voluntas, quæ pœnæ est perfectiva, si adsit cum hoc causa justa, triplici circumstantia debet esse vestita : nam primo debet esse recta; secundo debet esse prompta; tertio, debet esse firma. Nam agens, sive patiens, non agit sive patitur virtuose, nisi habeat rectitudinem in intentione, promptitudinem in affectione, fortitudinem in persecutione : ut sit rectitudo, respectu causæ; promptitudo, respectu pœnæ; et fortitudo, respectu pugnæ.

Dico, quod requiritur ante omnia voluntatis rectitudo respectu causæ, ut homo propter justam causam sustineat malum pœnæ. Unde dicitur [8] : « Hæc est gratia, si propter justitiam (*a*) Dei sustinet quis tristitias, patiens injuste. « Quæ enim gratia (*b*) » inquit, « si peccantes et colaphizati suffertis? Sed si benefacientes, patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum. » Et propterea dicitur in eadem epistola [9] : « Nemo vestrum patiatur ut homicida, aut fur; si autem ut Christianus, non erubescat. » Ille autem (*c*) Christianus patitur, qui propter justam causam patitur, seu qui justam causam sequitur. Nam ibidem dicitur [10] : « Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. » Unde in persona cujuslibet patientis potest dici illud Job [11] : « Hæc passæ sunt absque iniquitate manus meæ, cum mundas habeam preces ad Deum. » Est tamen hic notandum, quod si causa sit injusta, potest tamen fieri justa de voluntate accedente, et faciente de necessitate virtutem; sicut patet in latrone, qui cum justam causam habuerit patiendi,

[1] Hunc non habet edit. Hageno. an. 1496. — [2] *Matth.*, v, 10. — [3] II *Tim.*, II, 5. — [4] II *Cor.*, I, 5. — [5] Naufragium, pro navigandi periculo. — [6] *Job*, VII, 1. — [7] *Job*, v, 7. — [8] I *Petr.*, II, 19-20. — [9] Ibid., IV, 15-16. — [10] Ibid., II, 21. — [11] *Job*, XVI, 7.

(*a*) *Vulg.* conscientiam. *Græc.* συνείδησιν. *Al.* convenientiam. — (*b*) *Vulg.* gloria. *Græc.* χλέος. — (*c*) *Suppl.* ut.

quod fuerat necessarium, fecerat voluntarium, dum credidit in Christum, et patibulum mutavit in meritum. Nam omnes pœnitentes habent justam causam patiendi; sed justa est voluntas pœnitendi, dum punire se volunt quia Deum offenderunt. Ad patiendum ergo meritorie, non sufficit sola pœna, nec sufficit sola causa, nisi adsit et voluntas recta, quæ etiam malam causam vertit in bonam, et tormentum martyrium esse facit. Manasses autem rex Juda propter innumerabilia peccata sua captus est, et usque ad mortem deductus; sed dum ad Deum rediit, de malo pœnituit, Deum rogavit, exaudiri meruit et regno suo restitutus fuit. Achab, qui, super reges Israel omnes, Deum offenderat, Heliam prophetam contra se audivit, timuit, sacco se induit, demisso vultu ambulavit, et dum se humiliavit, Deus sententiam, quam contra eum dixerat, permutavit. Dicit enim Ambrosius [1] : « Novit Dominus mutare sententiam, si tu noveris emendare delictum. » Nihil enim aliud est pœnitentia, quam voluntaria pœna pro peccatis assumpta.

Ad meritum patientis requisita

Secundo, requiritur voluntatis promptitudo respectu pœnæ, ut homo cum gaudio patiatur, non cum murmure oris, vel cum tristitia cordis. Unde *ad Colossenses* Apostolus [2] : « Ego Paulus gaudeo in passionibus pro vobis, et adimpleo, quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia. » Exemplum notabile accipe in Eleazaro [3], qui gloriosam mortem magis elegit, quam odibilem vitam : « et voluntate præibat ad supplicium : » et prius voluit durissima morte plecti, quam solum se simulare carnes porcinas comedere. Lege historiam, et eam devote narra. Quid tu, o Christiane, times pati, cum te Rex tuus præcesserit ad passionem? Turpe est, et valde alienum, imo contra naturam et certum experimentum est, ut sub capite dolente membrum non doleat, et sub capite vulnerato membrum non sentiat, et sub capite moriente membrum vita non careat. Quis miles de bello exire præsumpserit, et non voluerit voluntarie pati, si rex suus ad mortem fuerit vulneratus? Nam et apeculæ carne tam paucæ, sanguine nullo, sed prudentia maximæ, cum suum esse, vivere, vel sentire non habeant a rege, quem sibi eligunt sponte, pro ipso tamen mori sunt paratæ, et ipso moriente permittunt se mori fame : quem si offendunt, vindictam de seipsis sumunt, et vulnere proprio se concidunt. Quid ergo debet facere homo, qui a suo rege esse, vivere, sentire, et intelligere habet, a quo non solum est, sed tam dura morte redemptus est? Hoc enim attendentes Apostoli, milites strenui Regis nostri, « ibant gaudentes a conspectu concilii [4], quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. » Et dicit Jacobus [5] : « Omne gaudium existimate, fratres, cum in tentationes varias incideritis. »

Tertio, ad patiendum requiritur voluntatis fortitudo, respectu pugnæ, ut nullo modo deseratur virtus patientiæ a patiente. Nam purum aurum ab omni scoria separatum, quantumcumque sit in igne excoctum, nec auget valorem suum, nec minuit pondus suum, sed fit amplius fulgidum. Adamas enim, ut dicitur [6], non calescit igne, vel rumpitur, nulla materia sculpitur, vel figuratur. Sæpe inventi sunt ursi, qui de fortitudine sua confisi, non solum bella non fugiunt, sed signis expetunt, quibus possunt. Sic et vir fortissimus Judas, qui « similis factus est leoni in operibus suis, » sicut dicitur [7], nunquam fugam hostibus dedit, donec bellando vitam fortiter finivit. Exemplum [8] de septem fratribus, matreque fortissima, quæ non solum mortem filiorum in patientia tulit, sed appetiit, et suis monitis, quantum potuit, animavit. Unde Apostolus, patientes confortans, dicit *ad Hebræos* [9] : « Recordamini pristinos dies, in quibus illuminati, magnum certamen sustinuistis passionum. » Et addit [10] : « Nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. Patientia enim necessaria est. » Unde iterum Apostolus [11] : « In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur : persecutionem patimur, sed non derelinquimur : humiliamur, et non confundimur : dejicimur, sed non perimus. » Sed diligenter hic notandum, quod hanc patientiam et fortitudinem dat impressa memoria Dominicæ passionis. Unde dicitur a Petro [12] : « Christo in carne passo, et vos eadem cogitatione armamini. » Propter quod ipse dicit in *Canticis* [13] : « Pone me, ut signaculum, super cor tuum, quia fortis est ut mors dilectio tua, et dura ut infernus æmula-

[1] Ambros., *in Luc.*, lib. II, n. 33. — [2] *Coloss.*, I, 24. — [3] II *Mach.*, VI, 19. — [4] *Act.*, V, 41. — [5] *Jac.*, I, 2. — [6] Hieronym., *in Amos*, c. VII; Plin., *Hist. nat.*, lib. XXXVII, c. IV. — [7] I *Mach.*, III, 4. — [8] II *Mach.*, VII, per totum. — [9] *Hebr.*, X, 32. — [10] Ibid., 35-36. — [11] II *Cor.*, IV, 8-9, paucis mutatis. — [12] I *Petr.*, IV, 1. — [13] *Cant.*, VIII, 6.

tio. » Sed, proh dolor! et dolore tabesco, quia non est hodie, qui velit pro Domino pati, non dico fracturam, non mutilationem membrorum, non diruptionem ossium, vel suffossionem costarum; sed nec modicum verbum, imo nec signum eis contrarium. Dicunt enim illud Job [1] : « Quæ est fortitudo mea, ut sustineam, aut quis finis meus, ut patienter agam? Nec fortitudo lapidum fortitudo mea. » Væ ergo mundo misero, quia filii ejus, et amatores, sunt valde potentes ad malum, sed debilissimi sunt ad bonum. Sed attende quod dicitur [2] : « Potentes, » inquit, « potenter tormenta patientur. » Exemplum de divite epulone, qui dicebat [3] : « Crucior in hac flamma. » O vere et toto posse plangenda felicitas, quæ cum sit brevis et momentanea, æterna tamen compensanda cum pœna! Patiamur ergo exemplo Martyrum voluntate prompta, recta et firma, quia qui sic sustinent pœnam, ad æternam ducendi sunt gloriam. Unde dicitur : *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam.* Quis enim non totis affectibus appetit esse beatus? Sed quid est beatitudo, nisi bonorum omnium plenitudo? Ergo, dum beatitudo obtinetur, omnes appetitus humani complentur, ut nihil aliud appetatur. Sed quid hoc melius, quid cogitari potest sublimius, quid possideri potest animæ dulcius? Ergo juxta beatum Gregorium [4] : « Si delectat mentem magnitudo præmiorum, non deterreat certamen laborum. » Nam qui laborare (*a*) in vinea Domini nolunt, præmio digni non sunt, sed potius suppliciis sempiternis. Et quam sit durum, quam formidandum, ab omnibus bonis excludi, et malis omnibus sine fine demergi, qui potest, exprimat. Sed magis rogandum est, ut Deus nos eripiat, et ad bona sempiterna perducat, qui per omnia sæcula benedictus vivit, et regnat. Amen.

SERMO III [5].

Sicut abundant passiones Christi in nobis; ita et per Christum abundat consolatio nostra [6]. Sic respondent sancti Martyres tacitæ quæstioni. Posset enim quis quærere : Quomodo potestis tot mala portare? Peccatores enim, ut dicit Bernardus [7], « vident nostras afflictiones; sed non vident nostras internas consolationes, quæ valde multum excedunt passiones. » Et ideo sancti Martyres respondent tacite quæstioni, et dicunt : *Sicut abundant passiones Christi in nobis; sic et per Christum abundat consolatio nostra.* In verbo isto duo ostenduntur : primo, malum passionis externæ, quo temporaliter affliguntur; secundo, bonum consolationis internæ, quo dulciter consolatur. Primum carnis est afflictivum; secundum autem est animæ affectivum. Notatur ergo primo afflictio exterior, qua mala purgantur; et notatur secundo interna refectio, qua gratiæ cumulantur. Primum notatur, cum dicitur : *Sicut abundant passiones Christi;* sed secundum notatur : *Ita per Christum abundat consolatio nostra.* Sed ista, scilicet afflictio et consolatio, simul in unum sunt tractanda, quia [8] contraria juxta se posita magis elucescunt. Est ergo hic notandum, quod ideo præsentis temporis malum non est fugiendum, sed patienter ferendum, quia semper ad corporis supplicium sequitur mentis gaudium, si quis considerat primum. Sunt autem passiones voluntariæ triplici præmio dignæ : nam sunt dignæ, primo, superno auxilio; secundo, sunt dignæ superno solatio; tertio, sunt dignæ supernali consortio, sive potius summo bono. Ut sic patiens adjuvetur exterius, consoletur interius, et in fine coronetur superius.

Dico, quod passiones istæ, si sunt voluntariæ, sunt dignæ superno auxilio. Est enim dignum, et justum, et rationi consentaneum, ut qui propter Christum patitur, sentiat Christi auxilium. Quis unquam speravit in Deo, et non est adjutus ab eo? Nam elephantes, dum inter se pugnant, suos adjutores mirabiliter amant : quos si vulnerari contingat, eos in medio sui ponunt, et pro viribus defendunt, quantum possunt. Nullum est etiam animalium genus tam ferum, quod illos non adjuvet, qui sibi in auxilium sunt. Mahumeti, Saraceni, et Judæi hoc observant; non autem falsi et pessimi Christiani. Nam et apes, quando apes alterius alvearii invadunt, si sibi aliquas faventes inveniunt, eas nos solum non lædunt, sed protegunt et defendunt. Quis enim, sic diabolo similis, suos propugnatores non diligit? Ergo ponere necessarium est, nec est in dubium deducendum, quod summum bonum eos amat, qui pro se bellant. Sed non amaret, si eos in afflictionibus non adjuvaret, cum sibi non desit juvandi potentia, et sapientia. Ergo manifestum est, quod

Exemplum.

[1] *Job*, VI, 2. — [2] *Sap.*, VI, 7. — [3] *Luc.*, XVI, 34. — [4] Greg., *in Evang.*, hom. XXXVII, n. 1. — [5] Hunc habet edit. Hageno. an. 1496. — [6] II *Cor.*, I, 5. — [7] Bern. — [8] Arist., *Problem.*, sect. XXII, text. 11.

(*a*) *Cæt. edit.* ambulare.

dum pro Christo bellamus, quod ab ipso, quantum necesse est, adjuvemur. Unde dicitur [1] : « Deus autem omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam suam gloriam in Christo Jesu, modicum passos ipse perficiet, consummabit, solidabitque. » Propter quod dicitur [2] : « In eo autem, in quo (*a*) passus est, et tentatus, potest et ei, qui patitur, auxiliari. »[3]« Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, et glorificabo eum. » Et certum est, quod adeo est potens, ut nemo suorum militum debeat dubitare. [4] « Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo. Dominus mihi adjutor, et ego despiciam inimicos meos. » Et in alio loco [5] : « Dominus illuminatio mea, et salus mea : quem timebo? » usque ibi : « Si consistant adversum me castra, » etc. Quis, nisi stultus, debeat timere, auxiliante Deo omnipotente? Si sic militem confortat in bellis præsentia regis, dum ejus vocem audit confortantem, quid præsentia facit Omnipotentis? Nam et ob hanc causam, ut dicit Augustinus [6] : « Martyres poterant capi, poterant verberari, poterant Deo permittente occidi ; sed non poterant vinci. » Exemplum in beato Antonio Eremita [7], qui usque ad mortem a dæmonibus verberatus, dum adesse sentiret Jesum, ait : « Ubi eras, Domine Jesu? » At ille : « Hic eram, Antoni; sed volui certamen tuum videre. Et quia fideliter certasti, te faciam per totum mundum nominari. » Nam et pisces minores, qui fugiunt crocodilum [8], qui significat diabolum invasorem hominum, confugiunt ad cetum, qui signat Christum, ubi reportant defensionis auxilium.

Secundo, passiones istæ patienter portatæ, sunt dignæ interno solatio. Nunquam Deus, cum sit summe bonus, dulcis et rectus, dum hominem affligit exterius, non consolatur interius. Nam et omnis bonus medicus medicinam amaram gustanti palliat sub aliquo dulci, ut sic ab ægro possit sumi. Unde Apostolus [9] : « Repletus consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione mea. Nam cum venissemus Macedoniam, nullam requiem habuit caro mea; sed omnem tribulationem passi sumus; foris pugnæ, intus timores. Sed qui consolatur humiles, consolatus est et nos. » Unde et propheta dicit ad Deum [10] : « Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. » Ob quam causam et Job dicebat [11] : « Quis mihi det (*b*), ut veniat petitio mea, et quod expecto tribuat mihi Deus? Et hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore, non parcat? » Unde fuit quidam sanctus Pater, qui omni anno consueverat infirmari, et ex hoc multum gaudebat, et Deum laudabat : cumque uno anno non fuisset subito (*c*) infirmatus, cœpit fortiter flere, et dicere : « Nunc video, quia Dominus oblitus est mei, » etc. Cum milites ad beatum Blasium venissent capiendum, ille ait : « Jam nunc video, quia Dominus non est oblitus mei [12]. » Sentiebant enim Sancti interius se consolari, dum eos contingeret foris affligi. Nam juxta Prophetæ sententiam [13] : « Dum superbit impius, incenditur pauper : » quia in patiente (*d*) virtus, cum perfectum habeat opus [14], per flagella exterius apposita excitatur, et excitata anima consolatur, et pati pro Domino delectatur. Nam omne contrarium ad præsentiam sui contrarii concitatur, et fortius operatur. Nam videmus ad sensum, quod aqua superfusa calce statim inardescit, et ignem fervere facit; sed ex superfuso oleo non fervescit, quia oleum igni contrarium non existit. Item aqua calida in frigido loco fusa, citius coagulatur, quam frigida, quia ad præsentiam caloris frigus fortius agit. Ignis etiam, si aspersus fuerit aqua, fortius incalescit. Quare cum ferrum in ignem ponitur, aqua ignem aspergit; quia cum suum contrarium sentit, ferrum fortius incalescit. Ob hanc causam sol majorem calorem in mari generat, quam in terra, quia aqua magis, quem terra, est sibi contraria. Ex his igitur manifeste apparet, quod patientia est virtus nobilissima, dum supplicia contraria sibi adesse præsentit, et contra ea fortius invalescit. Est enim, secundum Gregorium [15], opus patientiæ, omnia mala æquanimiter ferre, et contra inferentem nullo dolore moveri.

Exempla naturalia

Ignis aqua aspersus cur validior.

Sol cur magis in mari, quam in terra emittat calorem.

Tertio, temporales pœnæ, patienter portatæ, sunt dignæ superno præmio. Est enim dignum, est justum, et rationi consonum, ut corona de-

[1] I *Petr.*, v, 10. — [2] *Hebr.*, II, 18. — [3] *Psal.* XC, 15. — [4] *Psal.* CXVII, 6-7. — [5] *Psal.* XXVI, 13. — [6] Aug., Enarr. *in Psal.* CXXXII, n. 8, quoad sensum. — [7] Surius die XVII Januar. — [8] Crocodilus est animal quadrupes, tam in terra quam in aqua vivens, soli Ægypto, et iis regionibus quæ Nilo alluuntur, cognitum, figura lacertæ non admodum dissimile, incredibili magnitudine, unguibus armatum. Cic., lib. II, *Nat. Deor.*, et Plin., lib. V, c. XXVII. — [9] II *Cor.*, VII, 4-6. — [10] *Psal.* XCIII, 19. — [11] *Job*, VI, 8, 10. — [12] Surius, die 3 febr. — [13] *Psal.* X, 2. — [14] *Jac.*, I, 4. — [15] Greg., *in Evang.*, hom. XXXV, n. 5.

(*a*) *Cæt. edit.* qui. — (*b*) *Item* dat. — (*c*) *Forte leg.* ut solito. — (*d*) *Item* quia patientiæ.

tur illi, qui non potuit passionibus superari. Nam victoribus coronæ redduntur : sed nullus magis victor, quam qui nullo bello superari potest, sed quanto fortius impugnatur, tanto virilior invenitur. Ergo talis a justissimo Rege coronari meretur. Et propterea dicitur in Apocalypsi [1] : « Nihil horum timeas, quæ passurus es; sed semper esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ. » Quis unquam clypeum, gladium, arcum constanter tenuit, qui finaliter coronatus non fuit? Nunquam Veritas poterit mentiri. Ergo si coronam victoribus promittit, necesse est ut omnis legitime pugnans, coronam pro mercede recipiat. Unde Dominus discipulis ait [2] : « Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis : et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis, et bibatis super mensam meam in regno meo. « Sic ergo Sancti pœnis non poterant superari, quia major erat consolatio interior, quam esset pœna exterior. Et naturale est, quod semper quod est minus, majori virtute superatur. Unde si modicum aquæ, quamvis igni contrariæ, in magnum ignem projiciatur, non solum ignis non extinguitur, sed in majorem flammam erigitur. Sicut etiam aurum non corrumpitur igne, eo quod non habet in se consumptionis principium; sic nec vir sanctus a pœna vincitur, eo quod non habeat in se peccatum criminale, quod est in homine omnis corruptionis principium. Nam et salamandra in igne vivit, neque ab igne consumptionem accipit, quia in se habet, quod vel ignem extinguit, vel igni perfecte resistit [3]. Unde est, quod ligamina ex pelle salamandræ confecta, et lapidibus imposita, omni tempore, quamvis ardentia, permanent incombusta. Unde corrigiæ si fuerint de corio salamandræ, quando sunt vetustæ, in ignem projectæ, non consumuntur ab igne, sed reparantur in statum pristinum, quasi novum. Sic et per omnia sancti Martyres virtute patientiæ ignem exteriorem extinguunt, vel ardere non possunt, in quo perfectionem renovationis accipiunt. Et ideo bene dicunt : *Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra.* Ad hanc Martyrum consolationem veram perducat nos Dei sapientia, etc.

[1] *Apoc.*, II, 10. — [2] *Luc.*, XXII, 28-30. — [3] Arist., *de Hist. animal.*, lib. V, c. XIX, parte V; et Plin., lib. X, c. LXVII, *Naturalis histor.* Idem refert Aug., *de Civit. Dei*, lib. XXI, c. IV, in princ. — [4] Hunc non habet edit. Hageno. an. 1496. — [5] *Rom.*, VIII, 18. — [6] In serm. IV, *de Nativ. Dom.*, aiunt edit. Rom.; sed in allegato loco nihil simile reperitur.

SERMO IV [4].

Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis [5]. Multa, in seipsis considerata, sunt valde magna, quæ aliis comparata, sunt parva, sive minima. Nam terra est elementum mole magnum, in se consideratum, cum dicatur in libro *de Proprietatibus elementorum*, et experientia est probatum, sicut in sermonibus Dominicalibus est ostensum [6], quod terra in circuitu est quatuor et viginti millium milliarium, quæ si cœlo comparetur, dicitur sicut punctum. Magnum videtur lumen candelæ, in se acceptum, dum sic illuminat totam domum; sed ad lumen ipsius solis comparatum, quasi dicitur nullum. Unde candela, quæ in solis absentia sic est luminosa, ad solem tracta, videtur esse extincta, quia nullius sui luminis est ostensiva. Stellæ etiam in se consideratæ, valde sunt luminosæ, eo quod sunt ex luce formatæ; tamen a lumine solis absorbentur, et quasi nullæ nobis apparent in die. Multa sunt flumina, quæ in se sunt valde magna, ut Padus, Rhodanus, Nilus; et talia mari comparata, sunt quasi nulla : unde, dum ad mare veniunt, perdunt nomen. Cum ergo ita in omnibus sit invenire, si creatura potest tantum creaturam excedere, cum tamen utraque sit finitæ essentiæ, et limitatæ potentiæ, quid erit creatum immensissimo summo bono comparatum? Et omnis pœna est res creata, et limitibus coarctata : sed gloria est res increata, et summa : ergo nil est pœna illi gloriæ comparata. Sunt enim pœnæ illæ in se valde magnæ, sunt acerbæ, dum animam exire cogunt a corpore : sed sunt nullæ, æternæ damnatorum pœnæ comparatæ. Et ideo non sunt condignæ, quamvis valeant dici dignæ, æternæ gloriæ comparatæ. Quid enim est punctus ad lineam? quid centrum ad circumferentiam? quid una aquæ gutta ad omnem Oceani aquam? Ergo quid est omnis temporalis pœna, gloriæ illi summæ comparata? Bene ergo loquentes de se Martyres nostri dicunt : *Non sunt condignæ passiones hujus temporis*, etc. In quo utique verbo describuntur quantum ad duo : primo, quantum ad statum altissimi meriti, quo in mundo temporaliter sunt passi; secundo, quoad statum sempiternalis præmii, quo nunc in cœlo æter-

Exemplum.

naliter sunt coronati. Est enim primum pœnæ inflictæ modicitas, quam sustinuerunt in pugna; sed secundum est gloriæ jam perceptæ sublimitas, quam possident in corona. Primo ergo notatur modicitas pœnæ, cum dicitur : *Non sunt condignæ passiones hujus temporis.* Secundo, notatur sublimitas gloriæ, cum infertur : *ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Dicamus ergo, omnia simul tractantes, quod hæ temporales pœnæ a sanctis Martyribus portatæ, quamvis remuneratione sint dignæ, non tamen sunt condignæ, illi summæ gloriæ comparatæ, triplici ratione : primo, quia sunt debitæ, ex parte nostri; secundo, quia sunt gratuitæ, ex parte Dei; tertio, quia sunt modicæ, ex parte sui.

Dico, quod pœnæ non sunt condignæ, quia sunt debitæ ex parte nostri. Condignitas enim ex utraque parte æqualem ponit dignitatem : non enim est condignitas in pœnis nostris gloriæ comparatis. Quare? Quia in peccatis nascimur, in peccatis vivimus : quare pœnis et afflictionibus digni sumus. Unde dicitur [1] : « Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, » id est, Christum, qui dicit in Psalmis [2] : « Narrabo nomen tuum fratribus meis. » Quis enim est qui non peccet? Jacobus [3] : « In multis enim offendimus omnes. » [4] « Omnes peccaverunt, et egent gratia Dei. » Unde dicebat sancta illa Judith [5] : « Non ulciscamur nos pro his, quæ patimur; sed reputantes peccatis nostris hæc ipsa minora esse supplicia, quibus quasi verberibus Domini corripimur, ad emendationem, non ad perditionem venisse credamus. » Numquid non bruta filios suos corrigunt, si offendunt? Quis homo, nisi stultitiam sapiat, qui filium male agentem non corrigat? Sed certum est ex jam dictis, quod omnes peccatores sumus. Ergo et juste pati debemus. Non enim pœnæ nostræ condignæ sunt æterna gloria. Numquid servus, qui laborare tenetur in vinea domini, ex labore mercedem expectat? Numquid qui reddit debitum, ex hoc expectat præmium? Numquid qui crimen commisit, ut membrum aliud sit perdere dignus, expectat præmium, dum ei fuerit amputatum? Ergo non bonitatis est nostræ, sed divinæ bonitatis, si pœnas remunerat, quas juste scit nobis esse inflictas. *Non sunt ergo condignæ passiones hujus temporis;* sed hoc est ex Dei bonitate, qui dat nobis patienter et charitative portare, ut possit in nobis sua dona remunerare. O bonitas summa, pietas inaudita, quæ nobis dat, quod ipsa remunerat!

Secundo, non sunt condignæ, quia gratuitæ ex parte Dei. Nam quod pœnæ sint meritoriæ, jam dictum est; sed quod sint præmio dignæ, hoc solum bonitatis summæ. Unde dicitur [6] : « Nobis datum est per Christum, non solum ut in eum credamus, sed ut pro ipso patiamur. » Quis pati posset, nisi a Deo donum acciperet patiendi? Ipse enim pati donat, ipse ad patiendum adjuvat, ipse coronat. Nullum enim amat, quem non corripit. Unde dicitur [7] : « Ego quos amo, arguo et castigo. » Tobias dicit [8] : « Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te. » Numquid non probant campsores [9] aurum, aut argentum, aut quodcumque metallum? Numquid non vasa figuli probat fornax? Numquid non rex probat suos milites, utrum sint veri et fideles? Sicut ergo fornax probat aurum, lima ferrum, tribula frumentum, campsor denarium, sic Deus probat tribulationibus justum virum. Exemplum in Job, qui licet justus esset, multis tamen attritus est pœnis. Unde dicitur [10] :« Flagellat Deus omnem filium, quem recipit. » Et ideo Apostolus ibidem concludit [11] : « Si extra disciplinam estis, non estis filii, sed adulteri. » Quid per diversa vagamur, et diverticula salutis exquirimus? Aut enim patimur, et filii sumus; aut si non patimur, cum adulteris deputabimur. [12] « Omnes, qui volunt pie vivere in Christo, persecutionem patiuntur. » [13] « Nonne oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam? » Ergo Rege patiente, miles quiescit sub arbore? ergo Rege per suam passionem intrante in suam gloriam, miles absque pœna intrabit in gloriam alienam? Quomodo coronam habebit, qui pugnare contempsit? Quomodo bellator præmium impetrabit, et regi se præsentabit, qui in bello non fuit, nec regi pugnanti, et vulnerato astitit, nec eum defendit, sed inter manus (*a*) eum vulneratum dereliquit, et fugit? Exemplum de Jacobo et Joanne quærentibus regnum, quibus ipse ait [14] : « Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? » Glossa ibidem dicit : « Sciebat

[1] *Gen.*, XLII, 21. — [2] *Psal.* XXI, 23. — [3] *Jac.*, III, 2. — [4] *Rom.*, III, 23. — [5] *Judith*, VIII, 27. — [6] *Philip.*, I, 29. — [7] *Apoc.*, III, 19. — [8] *Tob.*, XII, 13. — [9] Campsor est qui campsoriam artem sive de cambiis exercet. — [10] *Hebr.*, XII, 6. — [11] Ibid., 8. — [12] II *Tim.*, III, 12. — [13] *Luc.*, XXIV, 26. — [14] *Matth.*, XX, 22.

(*a*) *Suppl.* hostium.

enim Dominus, quod passionem ejus poterant imitari; sed hoc dicit, ut ipso interrogante, et ipsis respondentibus, audiamus omnes, quod nullus cum Christo regnare potest, nisi qui passionem ejus fuerit imitatus. » Quis unquam amicorum Dei per viam consolationis ascendit? Judith [1] : « Memores esse debemus, quomodo Abraham pater noster probatus est, et per multas tribulationes probatus, amicus Dei factus est : sic Isaac, sic Jacob, » etc. Ergo nos peccatores alio modo intrabimus?

Tertio, passiones nostræ non sunt condignæ, quia sunt permodicæ ex parte sui, eo quod sunt transitoriæ, affligentes modico tempore. Nam, sicut habetur in Legenda sancti Andreæ [2] : « Omnes enim passiones aut sunt leves, et portari possunt; aut graves, et cito animam ejiciunt. » Quare, si pœnæ sunt tremendæ, illæ utique sunt formidandæ, quæ sunt durabiles sine fine. Hæ autem pœnæ sunt parvæ, quia transitoriæ, et ad momentum durabiles. *Sapientia* [3] : « Si coram hominibus tormenta passi sunt, spes eorum immortalitate plena est. » Et addit : « In paucis vexati, in multis vero bene disponentur. » [4] « Id quod in præsenti est momentaneum, et leve tribulationis nostræ, » etc. In quo verbo ostendit, quod pœnæ nostræ sunt incommensurabiles gloriæ : tum quia leves, tum quia breves, tum quia partiales. Sed gloria hæc est magna, quia æterna, et immensa. Et hoc est, quod dicitur a Petro [5] : « Modicum oportet nunc contristari in variis tentationibus, ut probatio fidei vestræ multo pretiosior sit auro, quod per ignem probatur. » Unde dicitur animæ afflictæ [6] : « Ad punctum et in modico dereliqui te, et in miserationibus congregabo te : in momento indignationis abscondi faciem meam parumper a te, et in misericordia sempiterna misertus sum tui. » Exemplum de B. Anastasio, quem cum vellent cum restibus suffocare, ille considerans pœnam tam levem, et tam velociter transeuntem, ait ad carnifices : « Ego pro Christi amore a vobis membratim concidi optaveram. Verumtamen, si hujusmodi, quem vos minamini, obitus me commanet, gratias Deo meo inexhaustas replico, quod me suorum Martyrum participem gloriæ dignatus est facere tam parvo supplicio. » Et beata Agatha dicebat : « Sicut frumentum non potest poni in horreum, nisi ejus theca fuerit fortiter conculcata in paleis; sic nisi per miserias corpus meum fortiter a carnificibus attrectetur, non potest anima mea in regnum intrare cum palma martyrii. » B. Ignatius desiderabat non solum bestiis ad devorandum tradi; sed carnem pectinibus ferreis discerpi, costas nudari et radi, et omnia ossa comminui : tantum ut Christum his suppliciis posset adipisci. Sciebat enim verum esse, quod B. Andreas in sua passione protulerat dicens : « Tanto Regi meo ero acceptior, quanto pro ejus amore fuero permanens in tormentis confessor. » Sic enim Deus est promptior ad miserandum, quam ad condemnandum. Et juxta Apostolum [7], « unusquisque juxta laborem suum est mercedem recepturus. » Sicut [8] « juxta mensuram peccati est plagarum modus, » sic multo fortius, quanto labor in pœnis major, tanto et merces sublimior. Ad hanc gloriosam mercedem perducat nos Deus, etc.

SERMO V [9].

Justi autem in perpetuum vivent [10]. Quantum bonum sit vita, quis exprimat lingua carnis? Nam vita est tantum bonum, quod quamvis cœlum sit corpus nobilissimum, ex luce formatum, situ altissimum, et influentia maximum (quia omnis generationis quodam modo causa, et principium est); tamen eo est nobilius quodcumque vivum, in quantum vivum. Unde tam Philosophus [11], quam doctor eximius Augustinus [12], in hac sententia pari mente concordant, quod omnis substantia vivens est sublimior et nobilior omni substantia non vivente. Nam vitæ nobilitas ex ipso appetitu naturæ probatur : cum omnia viventia, ut conservare possint vitam, omnia refugiunt vitæ contraria, et appetunt vitæ conservativa, sicut patere potest ad sensum discurrenti per singula. Unde enim tanta cura humana? ad quid tot cibariorum genera? ad quid vina tam optima? ad quid plurima vestimenta? ad quid tot medicamentorum genera, nisi ut conservari valeat vita? Magnum bonum est vita, pro qua servanda, tanta cura est naturæ. Et si tam nobilis est vita ima, quam nobilis est vita summa? Sed si sic amatur vita miseriis plena, quid est vita omnia continens in se bona, et nulla penitus mala? Si est sic vita terrena, quæ cito des-

[1] *Judith*, VIII, 22-23. — [2] Surius, die 30 nov. — [3] *Sap.*, III, 4, 5. — [4] II *Cor.*, IV, 17. — [5] I *Petr.*, I, 7. — [6] *Isa.*, LIV, 8-10. — [7] I *Cor.*, III, 8. — [8] *Deut.*, XXV, 2. — [9] Hunc habet edit. Hageno. an. 1496. — [10] *Sap.*, V, 16. — [11] Arist. — [12] Aug., *de Lib. Arb.*, lib. II, c. III, n. 7, et *de Civit. Dei*, lib. VII, c. III.

truitur, quid est vita beata perpetuo duratura? Ergo si ad hanc vitam venire volumus, non ultra mori timeamus, sed justi esse laboremus. Et ideo dictum est : *Justi autem in perpetuum vivent.* In quo verbo ad Martyrum honorem assumpto notantur maxime duo : primo, status Martyrum militantium, et laborantium nunc in pugna; secundo justorum triumphantium, et gloriantium jam in corona. Primus status est cumulativus meritorum, quibus splenduerunt in via; secundus status est susceptivus præmiorum, quibus gloriantur in patria. Notatur ergo primo status meriti, quo sunt justitiam operati, cum dicitur : *Justi.* Secundo notatur status præmii, quo sunt in gloria coronati, cum dicitur : *In perpetuum vivent.* Est ergo circa justitiam hic notandum, quod quadruplex est justitia, quam operari debemus, sicut sancti Martyres eam operati sunt. Nam primo est justitia, per quam redimus ad Deum celeriter; secundo est justitia, per quam exercemur humiliter; tertio est justitia, qua nos punimus veraciter; quarto est justitia, qua servimus perseveranter. Prima justitia est ad Deum redeuntium; secunda est virorum humilium; tertia est veraciter pœnitentium; quarta est in bono proficientium.

Dico igitur, quod primo est justitia per quam redimus ad Deum celeriter. Nemo est, qui non peccet, et humanum est peccare; sed diabolicum est sic stare in eo. Et ideo si peccamus, ad Deum redire studeamus. Sic enim dicitur in *Ecclesiastico* [1] : « Ante obitum operare justitiam, quia non est apud inferos invenire cibum : » quasi dicat : Nunc de peccato pœnitere, nunc confiteri, nunc eleemosynas dare studeamus, quia nulla ista possunt esse post mortem; nec tunc est cibum invenire, quo tuam famem valeas reparare. Unde dicitur in eodem, ubi supra [2] : « Ante mortem benefac amico tuo, et secundum vires dispergas (*a*) pauperi. » Quam turpe et indecens est, quod leo de sua præda faciat eleemosynam; et homo manum stringat per duritiam, cum tamen teneatur ex debito facere eleemosynam! Non sunt nostra superflua, fratres; sed sunt pauperibus danda, et tanquam sua reddenda : et ideo appellatur justitia, eo quod reddit pauperibus sua debita. O quam felices, qui pro hac justitia facienda, tradunt omnem pecuniam! Dicitur enim in *Proverbiis* [3] : « Non proderunt divitiæ in die ultionis; justitia vero liberabit a morte. » Unde dicitur in *Tobia* [4] : « Ex substantia tua fac eleemosynam, et noli avertere faciem tuam ab ullo paupere. » Quare? quia si ita facis, ut dicitur [5], « non avertetur a te facies Domini. » Et addit modum dandi [6] : « Quantum enim poteris, esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue; si exiguum, etiam libenter impertiri stude. » Et addit hujus justitiæ causam : « Præmium, » inquit [7], « bonum tibi thesaurizas in die nativitatis : quia ab omni peccato eleemosyna, et a morte liberat, et non patietur animam ire in tenebras, » etc. Bernardus [8] : « Veniet dies illa, in qua plus valebúnt opera justa, quam marsupia plena. » Quid profuit epuloni sua pecunia? quid vestimenta purpurea? quid splendida fercula, cum nullam vellet facere eleemosynam? Nam sicut hic fuit absque misericordia, sic totus ardebit in flamma. Scias ergo, quod qui diversa vina habuit, guttam aquæ habere non potuit. O quanto consultius et melius fecisset, si Lazarum pavisset, cujus auxilio evasisset pœnas æternas! Hoc enim est consilium Domini [9] : « Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. »

Secunda est justitia, quæ est Deo servire humiliter. Unde Dominus dat nobis exemplum humilitatis in *Matthæo* [10] : « Sic decet nos adimplere omnem justitiam, » id est humilitatem. *Omnem* dicit, quia est primum genus humilitatis, sicut Glossa tangit, quo homo se subjicit majori; est secundum genus humilitatis, quo homo se subjicit æquali; et est tertium genus humilitatis, quo se homo subjicit minori, sicut Christus Joanni, cum ab eo voluit baptizari. In his enim tribus perfecta humilitas, et per consequens perfecta justitia monstratur. Nam primum, respectu superioris, redditur ex necessitate; secundum, quod est respectu paris, redditur ex congruitate; sed tertium, quod est respectu inferioris, redditur ex superabundanti bonitate. O quam meritorium! o quam laude dignum, se subjicere homini omni propter Deum! Nam quia sancti Martyres hoc fecerunt, apud Deum sublimati sunt. « Omnis enim [11] qui se humiliat, exaltabitur; » et semper juxta modum inclinationis, est modus exaltationis. Aqua enim quanto ex alto descendit, tanto ex parte Exemplum.

[1] *Eccli.*, XIV, 17. — [2] Ibid., 12. — [3] *Prov.*, XI, 4. — [4] *Tob.*, IV, 7. — [5] Ibid. — [6] Ibid., 8-9. — [7] Ibid., 10-11. — [8] Bern., *ad Robert.*, epist. 1, n. 7. — [9] *Luc.*, XVI, 9. — [10] *Matth.*, III, 15. — [11] *Luc.*, XIV, 11.

(*a*) *Vulg.* vires tuas exporrigens da.

opposita ascendit. Arbor quanto profundius radices in terram figit, tanto amplius erigitur sursum. Unde cucurbita, quæ radices modicas terræ infigit, cito deficit et arescit : sic superbi, quia radices in humili situ non ponunt, citissime ruunt. Non enim est tutum, sed valde stultum, super arenæ fundamentum altum ponere, vel elevare palatium, quia ruit ad modicum aquilonis impulsum. Unde Boetius docet [1] super humile saxum domum collocandam, non super montem altum, ubi fortium ventorum patiatur impulsum. Fiunt enim sæpe fulgura in montibus, quando quietæ sunt valles. Quare superbi similes sunt fumo, qui ascendendo non proficit, sed statim vanescit. Psalmista [2] : « Vidi impium superexaltatum et elevatum, sicut cedros Libani : et transivi, et ecce non erat : et quæsivi eum, et non est inventus locus ejus. »

Tertia est justitia, quæ est pœnitere veraciter. Justum est enim, ut qui peccat, pœnitentiam agat, plangat, et gemendo se puniat, ut Deo satisfaciat. Exemplum. Nam et lupus, dum de nocte ad caulam vadit, ut a canibus sentiri non possit, contra ventum vadit, seu incedit, et plane valde vadit ; sed si casu pedem ad lapidem percusserit, et strepitum fecerit, tanquam qui offenderit, in seipsum tanquam sceleris ultor insurgit, et pedem qui in culpa fuit, fortiter dente stringit. Ergo si sic se bestia punit, quæ neminem nisi seipsam offendit, quid debet facere homo, qui divina mandata confregit, proximum læsit, et seipsum peccando corrupit? Est ergo pœnitendum veraciter, cum peccamus. Unde dicitur [3] : « Nisi abundaverit justitia vestra, » etc. Illi in solis exterioribus pœnitentiam ostendebant ; sed corda hypocrisi et malitia plena erant. Unde Dominus assimilat eos sepulcris exterius dealbatis, sed immunditia intus plenis [4]. Vere enim homo, et non ficte, debet se pro peccato punire, medici more, qui ægroto non parcit, ut sanari possit. Nam, ut exemplis utar, Hieronymus [5] : « Putridæ carnes cauterio curantur et ferro, et venena serpentina curantur antidoto. » Sicut enim clavus clavo repellitur, sic majori dolor dolore curatur. Tunc enim medicus miseretur, quando non parcit ægritudini, ut curetur. Tunc enim crudelis esset, si parceret ; quia eum tunc occideret, et non curaret. Ille ergo sibi parcit, qui vere justitiam de se facit, et qui, secundum morbi quantitatem, curativam medicinam et sanativam apponit. Nam, sicut Apostolus dicit [6] : « Si nosmetipsos judicaremus, non utique judicaremur. »

Quarta justitia est, qua Deo servimus perseveranter. Nihil enim valet pœnitentiam inchoare, et eam usque ad medium trahere, si non adsit perseverare. Nam et leopardus, quando post bestiam currere incipit, si mox eam non arripiat, gressum figit, et non perseveranter post eam vadit, et tunc laborem assumptum, et bestiam simul perdit. Quid valet domum fundare, parietes fortes et grossos erigere, si remaneant sine culmine? Requirit ergo justitia, ut perseveremus in pœnitentia, nec ulla frangamur prorsus injuria. Unde vir sanctus dicit in persona omnium talium [7] : « Iram Domini portabo, quia peccavi ei, donec judicet (*a*) causam meam, et fiat judicium meum, et ducat me in lucem, ut videam justitiam ejus. » Exemplum.

Sed nota hic diligenter, quia a justitia, qua redimus ad Deum velociter, alieni sunt mundi potentes ; a justitia, qua servimus humiliter, alieni sunt præsumentes ; et a justitia, qua nos punimus veraciter, alieni sunt multi judices, et rectores ; sed a justitia, qua nos Deo servimus perseveranter, alieni sunt omnes ad vomitum revertentes. Dico igitur, quod a justitia, qua convertimur ad Deum velociter, alieni sunt mundi potentes, quia non solum ad pœnitentiam non veniunt, sed viventes despiciunt et contemnunt. Si autem nunc tales attenderent, quid in inferno dicturi sunt, quando super se viderint, quos deriserunt? Unde Sapiens [8] : « Tunc stabunt justi in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt, et qui abstulerunt labores eorum. At illi videntes, turbabuntur timore horribili, dicentes intra se, pœnitentiam agentes : Ii sunt, quos aliquando habuimus in derisum, et in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, » etc. « Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, » etc. Et concludent contra seipsos conclusionem irrevocabilem, dicentes : « Ergo nos erravimus a via veritatis, et sol intelligentiæ non est ortus nobis. » Lege totam historiam in *Sapientia*, quia supra modum prædicabilis est, et pulchra, et ad pœnitentiam inductiva. Secundo, a justitia, qua Deo servimus humiliter, alieni sunt præsumentes, qui nolunt

[1] Boet., *de Consol. philos.*, lib. II, metr. 4. — [2] *Psal.* XXXVI, 35. — [3] *Matth.*, V, 20. — [4] Ibid., XXIII, 27. — [5] Hieron., *in Mich.*, c. II. — [6] I *Cor.*, XI,31. — [7] *Mich.*, VII, 9. — [8] *Sap.*, V, 1-6.

(*a*) *Cæt. edit.* judicat.

esse humiles, sed solum quæ alta sunt appetentes. Tales enim dicunt se miseros, cum faciunt pœnitentiam. Nec attendunt quod dicitur [1] : « Si converterit se justus a justitia sua, et fecerit iniquitatem ; ponam offendiculum coram eo, et non erunt in memoria justitiæ ejus, quas fecit. » Tertio, a justitia qua nos punimus veraciter, deficiunt hodie multi rectores, qui nec in se justitiam agunt, nec subditos juste puniunt. Unde eis dicitur [2] : « Audite, reges, intelligite : discite, judices finium terræ, » etc. « Data est enim vobis potestas ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, et cogitationes scrutabitur. Quoniam, cum essetis ministri regni (*a*) ejus, non recte judicastis legem justitiæ : et ideo cito apparebit vobis, quoniam judicium durissimum his, qui præsunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia ; sed potentes potenter tormenta patientur. » Lege totam auctoritatem, quia valde prædicabilis est, et pulchra, et timoris est incussiva. Talibus enim dicitur [3] : « Væ qui justificant impium pro muneribus, et justitiam justi auferunt ab eo. » Item contra hos dicitur [4] : « Quomodo facta est meretrix fidelis civitas ? Justitia habitavit (*b*) in ea ; nunc autem homicidæ. Principes tui infideles, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones, » etc. Vide ibidem. Quarto, a justitia, qua bona agimus perseveranter, alieni sunt ad vomitum revertentes, et a bono cadentes. Talibus dicitur [5] : « Convertistis in amaritudinem judicium, et fructus justitiæ in absinthium. » Sic ergo patet status meriti, quo Sancti operati sunt justitiam in via, etc.

Secundo principaliter vocatur status præmii, quo sunt in gloria coronati, cum dicitur : *In perpetuum vivent.* Est ergo breviter notandum, quod est vita naturæ, de qua dicitur in *Genesi* [6] : « Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem. » Item est vita, quæ (*c*) dicitur culpæ, de qua dicitur illud [7] : « Si secundum carnem vixeritis, moriemini. » Item est vita gratiæ, de qua dicit Apostolus [8] : « Vivo ego, jam non ego ; sed vivit in me Christus. » Item ultimo est vita gloriæ, de qua hic agitur : et hæc sola est vita vera. Prima est vita illuminans ; secunda est vita delectans ; tertia est vita quietans ; quarta est vita æternaliter durans. Quis hanc vitam non appetat ? quis ad eam totis affectibus non aspiret ? Quid enim hac melius ? quid delectabilius ? quid durabilius ? Nam illa vita est mentis illuminativa ad cognitionem sublimissimæ veritatis ; est cordis delectativa, propter experientiam summæ suavitatis ; est summe satiativa, propter copiam ubertatis, et in bonis sublimibus copiositatem ; est tempore perpetuo durativa, propter absentiam defectibilitatis, vel propter præsentiam æternitatis. Dico, quod illa summa et beata vita, quæ est data Martyribus, est animæ illuminativa, conferens certam et veram scientiam, eo quod veritatis divinæ, sive sapientiæ Dei est ostensiva. Quid enim sublimius, quid dulcius, quam illum vere cognoscere, in quo [9] « sunt omnes thesauri sapientiæ ? » imo, quam videre et corde tenere Dei sapientiam ? Nam constat, et docetur in Metaphysica [10], quod « omnes homines naturaliter scire desiderant : » ob quam causam sensus amamus, quia per eos multa discimus : quia non sunt in intellectu, quæ prius non fuerunt in sensu. Unde ob amorem terrenæ scientiæ, Demosthenes, qui periit, cum centum et septem annorum esset, non velle se libenter mori dixit, quia se tunc incipere discere asseruit. Plato in uno et octoginta annis, quibus vixit, a lectione nunquam cessavit. Socrates in nonaginta novem annis sic doctrinis intendit, quod etiam in agone disputavit. Magnum igitur bonum est scientia, pro qua sic anxia est cura humana. Et si talis est ista scientia creata, qualis est sapientia increata, cui hæc comparata est penitus nulla, et quod hæc est, totum est ab illa ? Magnum ergo est bonum, quia summum, illa vita, qua divina sapientia est cognita. Nam quod hoc faciat Dominus, in *Joanne* docet dicens [11] : « Hæc est vita æterna, ut cognoscant te verum Deum, et quem misisti Jesum Christum. » Secundo, illa vita est animæ valde delectativa : nihil enim est aliud delectatio, quam convenientis cum convenienti conjunctio. Quare oculus delectatur in aspectu colorum, olfactus in perceptione odoris, gustus in perceptione saporis, quia convenit cum illis, et tanto magis, quanto unum convenit cum altero magis : quia magis delectantur sensus in mediis, quam in extremis, eo quod nimia objectorum excellentia sensus corrumpit, ut Philosophus dicit. Cum enim anima in illa beata vita suo conve-

Platonis et Socratis ætas.

[1] *Ezech.*, III, 20. — [2] *Sap.*, VI, 2-7. — [3] *Isa.*, V, 23. — [4] Ibid., I, 21, 23. — [5] *Amos*, VI, 2. — [6] *Gen.*, II, 7. — [7] *Rom.*, VIII, 13. — [8] *Gal.*, II, 20. — [9] *Coloss.*, II, 3. — [10] Arist., *Metaph.*, lib. I, c. I. — [11] *Joan.*, XVII, 3.

(*a*) *Cæt. edit.* regis. — (*b*) *Item* habitabit. — (*c*) *Item* qua.

nientissimo et desideratissimo sit conjuncta, tota a delectationibus est absorpta. Quid est illud summe delectabile conjunctum animæ? Utique Jesus Christus. Unde Apostolus [1] : « Cum Christus apparuerit, vita vestra, tunc et vos apparebitis cum illo in gloria. » Tertio illa beata vita est animæ quietiva et pacificativa, quia est omnis appetitus terminativa. Tantæ enim capacitatis est anima, sicut probat ipsa experientia, ut nulla re terrena, imo nec ulla creatura possit esse plena : quare solo summo bono possit esse beata, quia eo solo perficitur suus appetitus. Unde Propheta dicebat [2] : « Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo : delectationes in dextera tua usque in finem. » Et alio loco [3] : « Satiabor, cum apparuerit gloria tua. » [4] « Apud te est fons vitæ. » Quarto illa vita est duratione æterna : quis enim tam valenter quæreret omnia supradicta, si essent aliquando peritura, nisi quod doloris pariter et timoris essent possidentibus causativa? Poeta :

Nam venit ex sola prosperitate timor, *vel* dolor.

Unde Boetius dicit [5] quod infelicissimum genus fortunæ est fuisse felicem, quia dum felicitatis, facti miseri, recordantur, multo dolore afficiuntur. Est ergo, ut nihil ad beatitudinem desit, illa vita æterna. Unde dicitur [6] : « Ibunt hi in supplicium æternum ; justi vero, in vitam æternam. » Ab hac vita separati erunt in perpetuum mali : boni vero erunt bonis omnibus per contrarium immersi. Rogemus ergo, etc.

DE UNO S. CONFESSORE.

SERMO PRIMUS [7].

Beatus vir qui suffert tentationem : quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ [8]. Si vita christiana, secundum Hieronymum, est tota martyrum (*a*) pugna et bellum ; nulli vertitur in dubium, quin vita omnium sanctorum etiam Confessorum semper habuerit cum hoste conflictum. Quid est omnium Sanctorum conversatio, nisi militia et tentatio? Unde Hieronymus [9] *ad Eustochium* ait : « Quis sine certamine coronatus est? Respice ad Abel, et omnes justos : quis sanctus bellum cum hoste non habuit? Solus, » inquit, « Salomon fuit, qui in deliciis vixit : et ideo forsitan corruit. [10] *Quem diligit Dominus, corripit : flagellat autem omnem filium, quem recipit.* Nonne ergo, » inquit, « melius militi est brevi tempore dimicare, periculum ferre, arma portare, et lassescere sub lorica, ut postea victor gaudeat, quam in impatientia horæ unius servire perpetuo (*b*) ? » Et addit : « Respice, Jacob quanta pro Rachel habenda sustinuit uxore : cui tamen dies pauci videbantur ob magnitudinem amoris. Nihil enim amanti Deum est difficile (*c*). » Quia ergo hic Sanctus toto corde Deum amabat ; ideo tentamenta dæmonis sustinebat, et munus beatitudinis attendebat. Unde bene dicitur de eo : *Beatus vir, qui suffert tentationem.* In quo verbo describitur duplex perfectio : prima est perfectio viæ ; secunda, patriæ. Nam perfectio viæ militem Christi probat ; sed perfectio patriæ militem Christi probatum coronat. Prima perfectio consistit in pugna ; secunda est ab omni pugna secura. Notatur primo status pugnæ, cum dicitur : *Beatus vir qui suffert tentationem.* Notatur secundo status patriæ, cum dicitur : *Quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* Est igitur notandum, quod *vir* dicit virilitatem, et a virtute nomen accipit, eo quod, ad modum virtutis, nullis unquam superatur adversis. Dictus est autem hic Sanctus vir triplici ratione : primo, per rectam ordinationem ad Deum ; secundo, per rectam ordinationem ad seipsum ; tertio vero, per rectam ordinationem ad proximum. Vir a virtute.

Dico primo, quod fuit *vir* per rectam ordinationem ad Deum ; et hoc quadrupliciter : primo, respectu altissimæ majestatis, per humilem reverentiam ; secundo, respectu summæ potestatis, per devotam obedientiam ; tertio, respectu summæ et amabilis bonitatis, per veram amicitiam ; quarto, respectu venerabilis veritatis, per puram confidentiam.

Dico, quod hic Sanctus fuit vir respectu altissimæ majestatis, per humilem reverentiam. Si reverentur homines terrenum regem, et mortalem, utique ex necessitate naturæ moriturum, quanto ille est reverendus, qui est omnium regum Dominus, et nunquam est moriturus? Si hunc Regem summe angeli venerantur et orant, quid mortalibus faciendum sit, insinuant. Unde

[1] *Coloss.*, III, 4. — [2] *Psal.* XV, 11. — [3] *Psal.* XVI, 15. — [4] *Psal.* XXXV, 10. — [5] Boet., *de Consol philos.*, lib. II, pros. 4, in principio. — [6] *Matth.*, XXV, 46. — [7] Neque hunc, neque quatuor sequentes habet edit. Hageno. an. 1496. — [8] *Jac.*, I, 12. — [9] Hieron., *ad Eustoch.*, epist. XXII, col. m. 191. — [10] *Hebr.*, XII, 6.

(*a*) *Forte leg.* martyrium. — (*b*) *Cæt. edit.* semper care servire diabolo. — (*c*) *Apud Hieron.* Nihil amantibus durum est, nullus difficilis cupienti labor est.

dicitur [1] quod animalia quatuor, et angeli, et viginti quatuor seniores « prociderunt in facies suas, et adoraverunt Dominum. » Similiter de Moyse, qui fuit vir humilis valde, dicitur [2] quod erat « vir magnus coram populo. » Talibus enim viris, sic humilibus et devotis, sua beneficia Deus impendit. Unde et Moysi dixit [3] : « Ostendam tibi omne bonum. » Et David humilem de post fœtantes accepit pro Saul superbo, et eum regem instituit. Dixerat enim de eo ad Samuel [4] : « Inveni virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas. » Si falco, prædæ avis, aquilam regem avium in tantum expavescit, quod non audet prædari ea die, qua eam in aere sentit; quanta ad Majestatem divinam, creatricem cunctorum existentium, est ab omnibus exhibenda reverentia? Sed quidam sunt, qui verecundantur hodie ad ecclesiam ire, ibi adorare; qui tamen, adveniente die judicii, velint, nolint, cogentur Deum adorare, quamvis tunc eis inutile sit. [5] « Adorabunt eum omnes reges terræ, et omnes gentes servient ei. »

Exemplum.

Secundo, fuit *vir*, respectu altissimæ potestatis, per devotam obedientiam. Unde de eo potest dici illud *Proverbiorum* [6] : « Vir obediens loquetur victorias. » Si enim Christus, Filius Dei unicus, usque ad mortem imperio Patris obedivit, quis unquam Deo obedire contempserit? Si sic civitates obediunt potestatibus, sic provinciæ ducibus, si sic regimina suis regibus, si sic grues et anseres sui agminis ductoribus, si sic pupilli suis parentibus, quid est, quod soli Deo, Regi summo, non obedimus? Si Deo sic obediunt cœlestia corpora, si elementa, si omnia viventia, si cœlestia agmina; quid est, quod homo solus, propter quem factus est mundus, et Deus est humanatus, adeo incedit adversus Deum, nec ei obedire dignatur? Et ipse ideo dicit eis [7] : « Quia vocavi, et renuistis; extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret; despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis : ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo, cum vobis quod timebatis evenerit. » Quatuor in hac auctoritate ponit, quibus nos intendit ad se trahere : nam vocatio fit per exteriorem vocationem; manus extensio, per beneficiorum largitionem; consilium respicit internam inspirationem; sed increpatio fit per flagellorum immissionem. Qui ergo ad Deum nullo modo convertitur, digne a Deo irridetur, et petens misericordiam non auditur.

Tertio fuit amabilissimæ bonitatis (*a*), per veram cordis amicitiam. Amant animalia, et sunt suis benefactoribus valde fideles (*b*), sicut leonum, canum, equorum, probant multa exempla. Igitur solus homo rationalis, cui plus præ cæteris datum fuit a Deo, amicus non erit, nec fidem ei servabit, qui causa beneficiorum ejus fuit? Unde de hoc facto nostro potest dici illud [8] : « Vir fidelis multum laudabitur. » *Multum* ideo dicit, quia vix invenitur aliquis esse fidelis. Unde dicitur [9] : « Quis putas est fidelis servus, et prudens? » Attende, homo, attende quanta sit fidelitatas omnium corporum superiorum ad facienda officia sua : quanta fidelitas aquarum ad irrigandam terram, quanta fidelitas terræ ad semina mittenda, et germina producenda! Quid Deo infidelius existit, quam creatura rationalis, cui cunctis esse fidelior debuit ex acceptis? Sed « beatus vir, qui portat jugum Domini ab adolescentia sua, » sicut habetur in *Threnis* [10].

Exempla

Quarto, iste Sanctus fuit *vir*, respectu reverendissimæ veritatis, per certam confidentiam. Sciebat enim scriptum esse [11] : « Beatus vir, qui confidit in Domino. » Et [12] : « Maledictus vir, qui confidit in homine. » Quare? Quia solus Deus verax est : « omnis autem [13] homo mendax. » Unde dicitur [14] : « Non est Deus ut homo, ut mentiatur; nec ut filius hominis, ut mutetur. Dixit ergo et non faciet? locutus est, et non implebitur? » Ergo si in verace, et non in mendace, confidendum est, in Deo tantum, et non in homine, sperandum est. Item est alia ratio : non enim est homini confidendum in vano, sed tantum in solido. Numquid non stultus transiens profundum flumen, habens lapideum pontem, vellet super pontem vitreum transire? Nonne stultus est, qui positus in periculo, confidit in baculo arundineo, totaliter interius perforato? Sed homo est fragilior vitro, et vanior baculo perforato: ergo non est confidendum in eo. Quod si mihi non credis, audi Prophetam [15] : « Universa vanitas, omnis homo vivens. » *Universa vanitas*, ideo dicit, quia vanitas omnis in homine existit magis quam in aliis rebus. Cum autem omnia præter Deum sint vana, juvare se non valen-

[1] *Apoc.*, IV, 10. — [2] *Exod.*, XI, 3. — [3] Ibid., XXXIII, 19. — [4] I *Reg.*, XIII, 14. — [5] *Psal.* LXXI, 11. — [6] *Prov.*, XXI, 28. — [7] Ibid., I, 24-26. — [8] *Prov.*, XXVIII, 20. — [9] *Matth.*, XXIV, 45. — [10] *Thren.*, III, 27. — [11] *Jerem.*, XVII, 7. — [12] Ibid., 5. — [13] *Psal.* CXV, 11. — [14] *Num.*, XXIII, 19. — [15] *Psal.* XXXVIII, 6.

(*a*) *Cæt. edit.* veritatis. — (*b*) *Leg.* fidelia.

tia: quomodo aliud sustentabit, quod in se vanum existit, et se sustentare non potest? Nam domus, vel arbor, dum cadit, aliam cadentem sustentabit? et non potius, dum una alteri incutitur, gravior casus efficitur? Numquid non tota die videmus homines ruere, et morte deficere? Ergo non est ullo modo spes ponenda in homine, sed in solo stabili Creatore. [1] « Bonum est sperare in Domino, quam sperare in principibus. » Et in alio loco [2] : « Nolite confidere in principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus. » Sic ergo Sanctus iste fuit *vir* per rectam ordinationem ad Deum.

Secundo, fuit *vir* secundum rectum ordinem ad seipsum ; et hoc quadrupliciter : primo, per veram innocentiam, quam servavit; secundo, per veram continentiam, qua gulam frænavit; tertio, per virginalem munditiam, qua omnem illicitum actum vitavit: quarto vero, per spiritualem lætitiam, qua Domino jubilavit.

Dico quod fuit *vir* per veram utriusque hominis innocentiam, quam servavit, ut esset [3] innocens manibus, et mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo. » In his tribus consistit vera innocentia, scilicet : si sunt munda opera; si munda sunt corda; si munda sunt verba. Quia ergo iste Sanctus fuit sic innocens, ideo totus pulcher fuit. Et signatus fuit in Job, de quo dicitur [4] « vir simplex, rectus ac timens Deum, et recedens a malo. » Et de Absalom dicitur [5], quod « in omni Israel non erat vir pulchior illo, quia a planta pedis usque ad verticem non erat in eo ulla macula. » Sed quis hodie talis? quis non turpis et fœdus? Sed vere adimpletum est illud *Isaiæ*, contra illud, quod de Absalom dictum est supra [6] : « A planta pedis usque ad verticem non est ulla sanitas in eo, » id est ulla virilitas ad servandam innocentiam baptismalem. Unde dicitur quod non est vir. Servant hirundines loca sua munda, et apes, et docent pullos ejicere de nidis stercora, et fugiunt omnia immunda et fœtida; et non curat homo fœdare suam innocentiam, et maculare vitam? [7] « Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. »

Exemplum.

Secundo, fuit *vir* per continentiam. Turpe est, ut homo amet gulam, per quam de paradiso ejectus est. Scriptum est enim [8] : « Cum viro religioso tracta de justitia. » De qua justitia? De ea, quæ est gulæ punitiva, subtrahens superflua, tradens ei omnia necessaria. [9] « Vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum, et ad planctum, ad calvitium, et ad cingulum sacci : et ecce gaudium, et lætitia, occidere vitulos, et jugulare arietes, comedere carnes, et bibere vinum. [10] Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad sectandum ebrietatem! » O quanta mala ebrietatem sequuntur, dum ratio subvertitur, dum secreta omnia revelantur, dum omnia turpia committuntur, dum rixæ, et sæpe homicidia generantur ! Unde dicitur [11] : « Cui iræ? cui rixæ? cui foveæ? cui sine causa vulnera? cui suffossio oculorum? Nonne his, qui morantur in vino, et student calicibus epotandis? Non (*a*) » ergo, etc. Nam non multi sunt anni, cum esset in Roma servus in aula cujusdam militis, dum cum multis aliis probaret, quis plures biberet calices, septem (ut ferebant qui aderant) calices potavit : cumque nocte cum porco amplexatus jacuisset in stabulo, sequenti die, cum vellet redire ad propria, et cum esset in via, oculi ejus a capite volaverunt. Est ergo turpe, et reprehensione dignum, ut non abstineat humana gula, ubi manent bruta jejuna. Nam lupus est animal valde gulosum, et tamdiu famem portat; et si nimium esurit, terram manducat. Sed homo non potest portare famem; et famescens, non est contentus pane, sed diversa fercula vult habere. Nullum est animal ita gulosum, quod non sit contentum uno ferculo carnium, nec tamen coctarum; sed homo, cui donavit natura os parvum, appetit ferculum, et ferculum.

Exemplum.

Tertio, fuit *vir* per virginalem pudicitiam. Nulla major virilitas, quam si homo concupiscentias carnales vincat, et continue frænum carni ponat. In cujus figura *Actuum* [12] : « Cum discipuli intuerentur (Dominum) in cœlum ascendentem, duo viri steterunt juxta illos in vestibus albis. » Quid per vestimenta alba, nisi continentia figuratur? Color albus virginalis munditiæ est significativus : quia, sicut nullus color picturis apponitur, cui non albedo substernatur, sic nulla virtus habetur omnino, cui non saltem conjugalis continentia supponitur.

[1] *Psal.* CXVII, 9. — [2] *Psal.* CXLV, 2. — [3] *Psal.* XXIII, 4. — [4] *Job*, I, 1. — [5] II *Reg.*, XIV, 25. — [6] *Isa.*, I, 6. — [7] *Psal.* XIII, 3. — [8] *Eccli.*, XXXVII, 12. — [9] *Isa.*, XXII, 12-13. — [10] Ibid., V, 22. — [11] *Prov.*, XXIII, 29-31. — [12] *Act.*, I, 10.

(*a*) *Vulg.*, ne, *scilicet* intuearis vinum.

Unde Gregorius dicit [1] quod « neque castitas est magna sine opere bono, nec bonum opus est aliquid sine castitate. » Opus carnis est actus particulæ sensualis : et ideo magis ad bestias, quam ad homines pertinet. Sicut dicit Bernardus [2] : « Turpe est, et contra rationem, ut magis actus carnis vigeat in hominibus, quam in brutis. » Sed [3] « mutatus est color optimus, et obscuratum est aurum, » quia absque comparatione major est hodie luxuria hominum, quam brutorum. Nam bruta, præter aliqua pauca, habent ad luxuriam certa tempora, extra quæ nunquam sunt luxuriantia; imo inter pisces nulla sunt unquam adulterina connubia. Sed homini ad peccandum nulla sufficiunt tempora, nec contentus est sua, nisi inveniat extranea scorta. O humana miseria, quando non possunt ad tempus homines servare, quod temporibus omnibus servant volucres, et apes, nullis alienis unquam aliquo tempore se commiscentes, sed omni tempore continentes!

Quarto, fuit *vir* propter veram cordis lætitiam. Dicitur enim [4] quod « ex risu (*a*) cognoscitur vir. » Nam risus exterior est hominum stultorum, vane se dissolventium; sed lætitia spiritualis interior, est hominum perfectorum, de solo summo bono gaudentium. [5] « Non est census super censum salutis corporis : non est oblectamentum super cordis gaudium. » Sed mali solum gaudent in vanis, nec delectantur in bonis. Quibus Dominus dicit [6] : « Væ vobis, qui ridetis, quia flebitis. » Hic est risus, qui [7] « dolore miscetur, et extrema gaudii luctus occupat. » Unde quærit Job [8] : « Quare impii vivunt, sublevati sunt, confortatique divitiis? Semen eorum, » etc. Et sequitur [9] : « Tenent tympanum et citharam, et gaudent ad sonitum organi. » Sed numquid impune? Audi quid sequitur [10] : « Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt. »

Tertio, hic sanctus fuit *vir* per rectam ordinationem ad proximum. Et hoc quadrupliciter : primo per veram animi compassionem ; secundo, per rectam instructionem ; tertio, per malorum tolerantiam; quarto, per devotam ad Deum orationem.

Dico, quod fuit *vir* per veram ad proximum cordis compassionem. Nonne omnia membra corporis nostri mutuo compatiuntur sibi? Sed major debet esse compassio, ubi est major unio. Sed major est unio membri spiritualis ad spirituale, quam carnalis ad carnale : ergo et major compassio debet esse inter se. Sed nos sumus membra spiritualia Christi : ergo debet homo magis compati fratri suo, sive proximo, quam membrum corporis naturalis compatiatur membro naturali. Unde et vir iste sanctus dicebat [11] : « Flebam quondam super eum, qui afflictus erat, et compatiebatur anima mea pauperi. » Et alibi dicitur [12] : « Benefacit animæ suæ vir misericors. » Et quid mirum est in homine compassio, quando invenitur pietas et misericordia in animalibus de rapina viventibus? Nam, ut de multis omittam, falco, avis regia, vivens continue de rapina, filium, quem aquila de nido projicit, clementia multa colligit, et in nido suo cum filiis reponit, et tanquam proprium eum nutrit. Exempla.

Secundo, fuit *vir* per proximorum eruditionem. Nam, sicut dicitur [13] : « Vir peritus multos erudivit. » Docent enim animalia pullos suos nunc volare, nunc dimicare, nunc saltare, nunc hostium insidias declinare. Ergo non docebit homo proximum suum, amicum suum, et dilectum fratrem suum, secum ad eamdem gloriam ordinatum? Docent ergo Sancti, arguunt, prædicant, et increpant, ut eos ad viam Dei convertant. Unde et Job, suos amicos arguens, dicebat [14] : « Quare detraxistis sermonibus veritatis, et ad increpandum verba componitis, et subvertere nitimini amicum vestrum? »

Tertio, fuit *vir* per malorum superationem. Hoc enim inter omnia solum probat Sanctos, an sint viri. Non enim agnoscitur vir sapiens, nisi in consilio; nec vir fidelis, nisi in commisso; nec vir fortis, nisi in bello. Nam quilibet qualis intus existit, exterius bellum probat. Unde dicitur [15] : « Melior est patiens viro forti. » Quare? Quia vir fortis sæpe turbatur; sed patiens, etiamsi cædatur, vulneretur, aut occidatur, nunquam tamen a mentis tranquillitate deflectitur : sicut cœlum, quantumcumque inferiora turbentur, ipsum tamen cum omni tranquillitate movetur. Aer etiam si ventis fortibus agitetur, radius tamen, qui in eo est, non mo-

[1] Greg., *in Evang.*, hom. XIII, n. 1. — [2] Bern. — [3] *Thren.*, IV, 1. — [4] *Eccli.*, XIX, 26-27. — [5] *Eccli.*, XXX, 16. — [6] *Luc.*, VI, 25. — [7] *Prov.*, XIV, 13. — [8] *Job*, XXI, 7-8. — [9] Ibid., 12. — [10] Ibid., 13. — [11] Ibid., XXX, 25. — [12] *Prov.*, XI, 17. — [13] *Eccli.*, XXXVII, 22. — [14] *Job*, VI, 27. — [15] *Prov.*, XVI, 32.

(*a*) *Vulg.* visu.

vetur. Et ob hanc causam de Moyse dicitur [1], quod erat « vir mitissimus super omnes Orientales. » Contra quem cum populus murmuraret, et se sæpe in seditionem erigeret, a sua tamen pace non recedebat Moyses; sed, tanquam pater, pro eis orabat, et divinam iram placabat. Nam et agnus adeo est benignus, quod si sit vellere spoliatus, sive ligatus, et ad macellum deportatus, in nullo omnino commotus, placido vultu respicit suum occisorem. Et ideo Christus non absque valde rationabili causa appellatus est Agnus.

Quarto, fuit vir per devotam orationem ad Deum. Nam istud quartum ad omnia supradicta est necessarium: quia, cum nihil possimus, nisi per Deum, cujus in omnibus est auxilium implorandum, ideo continue est orandum. Unde dicebat Apostolus [2] : « Volo viros ubique (*a*) orare. » Quid enim est, quod sancti Confessores suis orationibus non obtinuerunt? Nam dum tempore quodam non plueret, et quidam cuidam sancto Patri de perditione fructuum conquereretur, ille ait : « Quare non oratis ? Venite ergo, et pariter oremus. » Qui statim ut genua terræ infixit, Deus eum exaudivit, et abundanter terræ pluviam dedit. Exemplum lege [3], quod « Helias erat homo similis nobis, passibilis, et oravit, et non pluit annis tribus, et mensibus sex : et rursum oravit, et cœlum dedit pluviam. » Rogemus ergo Dominum, etc.

SERMO II.

Qui se humiliat, exaltabitur [4]. Si quis non mente et corpore cæcus velit animo diligenti pensare, et res omnes consilio prudenti inspicere, in omnibus rebus aperte videbit, quod nulla res incrementum naturaliter accipit, quæ prius a parvitate non cœperit. Nam in his, quæ certa sunt, manifeste videmus, quod omnes ædificantes fundamentum sub terris incipiunt; et scriptores prius litteras discunt, postea componunt. Videmus etiam, quod natura dum corpus humanum componit, a corde [5], membro modico, incipit. Sicut ergo est in artibus et naturalibus, sic est invenire in moribus, ut qui vult esse magnus, prius necesse habet (*b*) ut sit parvus. Quomodo ergo eriges altum ædificium, si ei non posueris humile fundamentum? Quomodo arbor multum ascendere poterit, si radices in terra profunde non fixerit? Est enim certissimum, experientia certa probatum, quod quanto aliquid plus ab imo surgere incipit, tanto amplius in altum se erigit. Nam omne quod movetur, a contrario in contrarium, Philosopho teste, et sensu probante, movetur. Unde quod movetur a sursum, necessario movetur deorsum; et quod movetur deorsum, movetur necessario sursum. Unde recessus ab uno contrariorum locorum non est aliud, quam accessus ad alterum : nec potest unquam inveniri contrarium. Sed per humilitatem homo situatur inferius : ergo dum ab hoc situ receditur, necesse est, ut ascendat superius ; et tanto altius, quanto hic sedet inferius. Unde aqua, quanto in suo motu ab alto descendit, tanto ex parte opposita sursum tendit, sicut certa nobis experientia ostendit. Item, sicut quanto quis a loco sublimiori cadit, tanto fortius ima petit; sic e contrario, quanto quis ab inferiori loco moveri incipit, tanto vehementius sursum tendit. Ergo qui appetit exaltari, laboret humiliari; quia tanto exaltabitur amplius, quanto vixerit in terra humilius. Quoniam omnino nullum augmentabile est, quod possit ascendere, si a sui ipsius parvitate non cœperit. Unde, ad commendationem hujus venerabilis Confessoris, quem sic humilitas exaltavit, verbum supradictum accipitur, cum dicitur : *Qui se humiliat, exaltabitur.* In quo verbo certo veroque (quia ab ore Veritatis prolato), de hoc venerabili Sancto dicuntur maxime duo : nam primo describitur status vilificationis ipsius in via, quo seipsum contempsit; secundo, status sublimationis ejus in patria, quo Deus eum honoravit. Primus status, quo humiliter vixit in Ecclesia militanti, fuit ad cumulum operum bonorum. Secundus status, quem jam Deo donante obtinuit in Ecclesia triumphante, fuit ad cumulum gaudiorum. Notatur ergo primo status vilitatis in mundo, cum dicitur : *Qui se humiliat.* Secundo notatur status suæ sublimitatis in regno, cum additur : *Exaltabitur.* Ut ergo simul totum tractemus, quia eadem omnino est via, qua ab uno oppositorum receditur, et qua ad alterum acceditur, est hic notandum primo, quod humilitas est animæ illuminativa; secundo, est malorum omnium eradicativa; tertio, est operationis fortificativa, eo quod divini auxilii sit acquisitiva; quarto,

[1] *Num.*, XII, 3. — [2] I *Tim.*, II, 8. — [3] *Jac.*, V, 17-18. — [4] *Luc.*, XIV, 11. — [5] Hoc Secundum Philosophos, qui cor primum generari asserunt : Medici enim jecur generationis primum esse docent.

(*a*) *Cæt. edit.* utique. *Vulg.* in omni loco. — (*b*) *Leg.* habeat.

est bonorum custoditiva; quinto, est mentis consolativa; sexto, est in fine exaltativa.

Dico, quod humilitas est animæ illuminativa, quia disponit animam ad divinam refulgentiam. Modo constat ad sensum, quod quantum corpus, in ordine universi, est magis infimum, tanto fit in ipso, et circa ipsum, major aggregatio cœlestium radiorum. Unde terra est omnium corporum infima : ideo radiorum solarium est susceptiva magis : propter quod maxime est fœcunda. Sic in moribus est : quia humilitas facit hominem situ infimum, ideo in eo maxime fit divinorum radiorum aggregatio. Sed ubi radii uniuntur, lumen maximum, et incendium generatur : ergo vera humilitas, dum in obsequium Christi intellectum captivat, ipsum ad divinum lumen et incendium præparat. Duarum causarum contrariarum et immediatarum, si una ad aliquem unum effectum disponit, ad effectum altera illi contrarium disponit. Exemplum accipe de humoribus, in quibus excessiva qualitas est, quia ponit distemperantiam et febrilem malitiam : et ideo medicus, humorum æqualitate adepta, ponit temperantiam sanativam, quæ est illi febri contraria. Sed quia humilitas et superbia sunt immediate contraria, ergo cum superbia sit animæ excæcativa, humilitas erit illuminativa. Unde dicitur [1] : « Ubi humilitas, ibi sapientia. » Ptolemæus philosophus dicit [2] : « Inter sapientes ille est sapientior, qui est humilior. » Bernardus [3] : « Bonus fundus humilitas, » qua veritas inquiritur, claritas acquiritur, irradiationes sapientiæ percipiuntur. Dicitur in Vitis Patrum, quod quidam frater dubitans de quodam verbo Scripturarum, septuaginta octo hebdomadas jejunavit, ut Deus ei veritatem revelaret. Qui cum in nullo proficeret, surrexit, ut ad alium fratrem iret, a quo de verbo quæreret. Tunc Angelus ei apparuit dicens : « Septuaginta octo hebdomadæ, quas jejunasti, non te fecerunt proximum Deo; sed postquam te humiliasti, ut ad alium ires, quare missus sum te docere. »

Exemplum.

Secundo, humilitas est omnium malorum eradicativa. Nam in omni genere rerum est ponere unum principium in illo genere summum. Exemplum de sole in lucendo, et de igne in calefaciendo, etc. Sed superbia inter omnia vitia est principium, et ideo inter vitia est summum, et potissimum. Sed humilitas omnino hanc exterminat: ergo per consequens omnia alia peccata condemnat; quia, capite truncato, omnia membra contabescunt. Numquid stabit (*a*), ejus fundamento præciso ? Numquid fluet rivulus, fonte desiccato ? Numquid fluvius, mari absorpto ? Numquid virebit ramusculus, pede arboris desiccato ? Numquid stabit in arbore (*b*) radius, sole remoto ? Ergo nec ullum vitium stare poterit, si superbia virtute humilitatis fuerit detruncata. Exemplum et auctoritas de hoc habetur in primo *Regum* [4], ubi David humilis contra Goliam pugnavit, eumque dejecit : quo dejecto, quia caput superborum erat, omnes in fugam conversi sunt. Nam et sanctus Antonius, dum omnes laqueos in terra videret, et suspirans diceret : « Domine, quis poterit istos effugere ? » audivit Antonius : « Humilitas. » Cum enim diabolus sit superbissimus, et propter hoc sit de cœlo ejectus, a nulla re sic vincitur, sicut a virtute, quæ superbiæ immediate opponitur. Numquid ignis melius, quam per aquam extinguitur? Numquid frigus melius, quam per calorem expellitur ? Contraria contrariis curantur. Et ideo Virgo humillima, Domina nostra, omne robur dæmonum evacuavit, dum Holofernem jugulavit. Lege Judith et Esther historiam, ubi ista in figura sunt narrata.

Tertio, humilitas est omnis nostræ virtutis et operationis fortificativa, et omnis spiritualis roboris augmentativa. Cujus ratio duplex est : una, quia ponit omnes vires nostras ac operationes super solidum fundamentum. Non enim statuit homo sedere in alto, ubi est ventorum impulsio; sed in imo, in solido saxo. Nullus enim cadit, nisi qui in alto existit; et tanto gravius, quanto altius sedet. Ergo, cum humilitas in loco infimo sedem ponit, hominem in esse stabilitat, et omnibus operibus ejus robur donat. Secunda ratio est, quia facit hominem Deo recte subjacere. Et regula est probata, quod quanto alicujus agentis influentia rectius tendit in suum objectum, in illo imprimit efficaciæ majoris effectum. Unde lapis qui directe super aliquid cadit, fortior fit casus, quam si caderet a latere, aut sinistris, aut dextris. Cum ergo humilitas recte Deo subjiciat, ad majus divinum auxilium mentes parat. Unde [5] : « Deus superbis resistit; humilibus autem dat gratiam : » et tanto majorem, quanto invenerit mentem humiliorem. Et propter hoc

[1] *Prov.*, XI, 2. — [2] Ptolem. — [3] Bern., *de Consider.*, lib. II, c. VI, n. 13. — [4] I *Reg.*, XVII. — [5] *Jac.*, IV, 6.

(*a*) *Suppl.* domus. — (*b*) *Leg.* aere.

dicit Petrus [1] : « Humiliamini sub potenti manu Dei; » quasi dicat : Si humilis fuerit, Deum auxiliatorem habebit, quo fortis erit, nihilque timebit. [2] « Custodiens parvulos Dominus : humiliatus sum, et liberavit me. » Quis decipi timeat, si secum habeat omnia scientem? Quis violentari, si secum habeat Omnipotentem?

Quarto, humilitas est bonorum omnium custoditiva, et conservativa : quia, dicit Gregorius [3], « Qui sine humilitate virtutes congregat, quasi pulverem in ventum portat. » Parum aurum diligit, qui illud latronibus exponit; nec multum argentum amat, qui in publico illud portat. Vere deprædari desiderat, qui thesaurum, si habeat, non occultat; maxime, si cum latronibus vadit. Sic et spiritualem thesaurum non amat, si istum ab humanis oculis non occultat. Sed humilitas est virtus bona celans, apparere non amans : quare virtus recta est, quæ omnia bona conservat, ne per vanam gloriam evanescant. Si formica novit sub terra sua grana celare, si apes sua mella noverunt abscondere, nonne homo probat se stultum esse, qui thesaurum nobilissimum, quo emitur regnum cœlorum, negligit occultare, et pro vanis laudibus non curat illum amittere? Ergo bona est virtus humilitas, quæ omnia bona acquisita conservat. Inutilis et pœnosa thesauri acquisitio, si non adsit conservatio. Humilitas ergo omnia bona custodit, quia ea evaporari non sinit. Nam quanto aliquid suæ propriæ virtuti remotius est, tanto magis est evaporativum; et quanto vicinius est, tanto magis illius virtutis est conservativum. Exemplum de vino, quod citius virtutem perdit, si clausum in vase non steterit, sed evaporari poterit. Similiter aromata si teneantur aperta, perdunt virtutem, et efficaciam. Similiter ignis cito extinguitur, nisi cineribus cooperiatur. Ergo homo cito omnia bona perdit, nisi ea sub humilitatis cinere cooperiat; sic enim per humanam laudem evanescere possent. Item humilitas omnia bona custodit, quia omnia, quæ facit, Deo adscribit. Et dum virtutem a principiato ad principium reducit, vel redire facit, ipsam facit fortiorem : nam omnis virtus, quando a principiato recedit ad sua principia, revertetur a principiis ad principiata cum majori efficacia. Exemplum de spiritu animali, et calore naturali, quæ in somno redeunt a membris, quæ sunt principiata, ad emunctoria, quæ sunt principia : soluto somno, redeunt fortiora ad membra. Exemplum est etiam in fabri prunis, quibus aspersis modica aqua, virtute eorum interius refrænata, et ad sua principia interiora reducta, fortius postea egreditur extra. Hæc est ratio etiam, quare scriptores ante se tenent specula, quibus se respiciunt : quia visiva virtus, quæ ex aspectu scripturæ continue fatigatur, dum per aspectum speculum ad suum fontem revertitur, ad videndum fortius reparatur. Unde omnia flumina, quæ a mari recipiunt aquam, dum eam in mare refundunt, semper renovando accipiunt. Hæc ergo omnia intendens David, seipsum condemnabat, despici volebat, et dicebat uxori suæ, quæ eum nudatum coram arca Domini viderat [4] : « Ludam, et vilior fiam, plusquam factus sum : et ero humilis in oculis meis. » Revera enim Saul, qui aliquando optimus fuit, in superbia elatus evanuit; et David, quia humilis erat, semper ad majora provexit.

Exemplum.

Exemplum.

Exemplum.

Quinto, humilitas est sui possessoris consolativa. Unde dicitur [5] : « Expectemus humiles consolationem ejus. » Et [6] : « Qui consolatur humiles, consolatus est et nos. » Ratio hujus est, quia, si unum oppositorum fuerit afflictionis causativum, reliquum erit consolationis inductivum : et quanto suo contrario fortius opponitur, tanto per ipsum amplior consolatio introducitur. Exemplum est in morbo, et medicina illi morbo opposita : quia sicut morbus est causa afflictionis, ita medicina consolationis : et tanto magis, quanto opponitur perfectius morbo. Sed superbia est in nobis causa omnis afflictionis, quia primus parens per eam corruit, et nos omnes in afflictionem induxit : ergo humilitas est causa omnis consolationis. Item quantumcumque per aliquod nocivum alicujus natura læditur, tunc suus actus primus nobilissimus ei aufertur, et non nisi per illius nocivi oppositionem, illi restituitur. Exemplum de oculo, vel alio membro læso, et de medicina illi membro, vel læsioni opposita, restituente oculo visum, et pedibus gressum. Sed humana natura fuit vulnerata per superbiam, et perdidit nobilissimum suum actum, scilicet divinæ degustationis dulcedinem, sive internam consolationem : ergo per humilitatem reperit ipsam perditam delectationem.

Exemplum.

Sexto, humilitas est sui subjecti exaltativa.

[1] I *Petr.*, v, 6. — [2] *Psal.* CIV, 6. — [3] Gregor., Explan. III, *Psal. Pœnit.*, n. 3. — [4] II *Reg.*, VI, 22. — [5] *Judith*, VIII, 20. — [6] II *Cor.*, VII, 6.

[1] « Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles. » Quis unquam in cœlum ascendit, nisi qui fuit? Augustinus [2] : « Arborem non videtis, quæ radicem in infimo figit, ut sursum tendere possit. » Nam qui sine humilitatis radice altitudinem petit, non proficit, sed descendit. [3] « Bonus fundus humilitas, in quo omne ædificium spirituale constructum, crescit in templum sanctum in Domino. » Per humilitatem ergo, inquam, ascende ad sublimitatem, quia hæc est via, et non est alia præter eam; imo si aliter sursum tendit, cadit prius quam ascendat. Ratio est ad hoc : quare contrarii sunt motus, quare terra movetur deorsum, sed ignis sursum? Quia terra est gravis, sed ignis est levis. Sed constat, quod superbia hominem dejicit, sicut in Lucifero, et in primo parente patuit : ergo humilitas, per contrarium, hominem sursum vehit. Item, quanto aliquid plus participat de forma rei, tanto et plus occupat de loco ejus : sed forma Christi capitis nostri, humilitas ipsius fuit, et loco ejus est in cordibus bonis : ergo quanto plus homo habet de humilitate, tanto plus habet de Christi sublimitate. Aqua enim de montibus, sive de tumore montium, fluit ad valles. Unde super librum *Vegetabilium* dicit Commentator, quod omnes agri in convexis declivium collium positi sunt macilenti et sicci, eo quod humor et pinguedo fluunt ad convalles : propter quod frumentum, et omne legumen habens granorum soliditatem et humiditatem, melius innascitur, quia sicut terra juvat, sic semina juvantur. Unde oportet eorum bonitates ad magnum venire augmentum propter circulare auxilium. Exemplum accipe de corpore hominis, quod primo alterat cibum, quem recipit, dum illum transmutat, et assimilat membris; sed ultimo ipsum alteratur a cibis. Sic similiter et semina se habent ad agrum, et etiam semina virtutum ad cor humanum : dum homo prius per ea alteratur, ipse se per ea exercitans, ad majora semper bona disponit. Et quia hoc fit maxime per humilitatem, quæ facit hominem vallem, et supernæ influentiæ capacem : ideo humilitas vera est subjecti exaltativa, etc.

SERMO III.

Quanto major es, humilia te in omnibus [4]. Fortissima quæstio est, et difficilis ad solvendum, quæ sit ratio, quod cum Deus sit altissimus, et super omnia sublimissimus, quod non ei approximamus ascendendo, sed potius descendendo; non superbiendo, sed potius dejiciendo? « Videtur » autem, ut Augustinus dicit [5], « esse contrarium : » nam cum cœlum situ sit altum, non proximior est ei, qui in altissimum montem ascendit, quam ille, qui in profundissimam vallem descendit. Quis unquam in arborem altam, quis in domum elevatam, quis in turrim altissimam ascendit se inclinando, et non se potius elevando? Nam ad hoc fiunt scalæ in turribus, ut per gradus ad summum perveniamus. Videtur enim quod magis debemus proximare Deo, nos elevando, quam dejiciendo. Sed (*a*) contrarium est Psalmus [6], ubi dicitur : « Accedet homo ad cor altum, et exaltabitur Deus. » Mira res, quia quanto plus te elevas, tanto plus a Deo distas. Sed attende, quod in rebus creatis, quæ situm habent in loco, et inter se distant, sicut ab eis loco distamus, sic et loco earum, si volumus, proximamus, et per locales gradus ad eas ascendimus. Nulla enim res creata inferior infra cœli circumferentiam adæquate est conclusa, licet intra eam sit in certa proportione, et finita, contenta : quæ utique mensurata est, et finita, quia si cœlum infinitum esset, utique mensurari non posset, sicut Philosophus [7] dicit. Cum inter creata distantia sit finita, dum partes medias pertransimus, illi cœlo approximamus; imo cum montem ascendimus, cœlo proximiores sumus. Exemplum de illis [8], qui ædificaverunt turrim Babel, ut in cœlum ascenderent. Sed nota, quod non sic Deo approximamus. Deus enim est immensus, et infinitus, nullo loco conclusus; sed est ubique totus, ut sine eo omnino nullus sit locus : ergo nec loco ab eo distamus. « Nec ei, » ut dicit Augustinus [9], « loco, sed actionibus (*b*) approximamus : » quod non facimus nos exaltando, sed ei nos potius subjiciendo. Nam, cum ipse a nobis distet in infinitum, cum infinitum pertransiri non possit, ut dicit Philosophus [10], ideo sic ei non approximamus. Nos ergo per nos non possumus accedere ad Deum; sed ipsius est ad nos inclinare, et nos ad se levare, cum sit potentiæ

[1] *Luc.*, I, 52. — [2] Aug., *de verb. Dom.*, serm. XXXVIII, al. CXVII, n. 17. — [3] Bernard., *de Consider.*, lib. II, c. VI, n. 13. — [4] *Eccli.*, III, 20. — [5] Aug., *de Civit. Dei*, lib. XIV, c. XIII, n. 1. — [6] *Psal.* LXIII, 8. — [7] Arist., *de Cœl.*, lib. III, text. 19. — [8] *Gen.*, XII. — [9] Aug., *de verb. Apost.*, serm. II, al. CXXXI, n. 2; Enarr. *in Psal.* CXLIV, n. 3. — [10] Arist., ubi sup.

(*a*) *Suppl.* in. — (*b*) *Leg.* affectibus.

infinitæ. Cum ergo humilitas nos Deo perfecte subjiciat, Deum ad nos inclinat, cujus gratia nos exaltat. Unde Augustinus [1]: « Est aliquid humilitatis, quod miro modo sursum faciat cor; et est aliquid elationis, quod deorsum faciat cor. Contrarium, » ut ait, « videtur, ut humilitas sit sursum, elatio deorsum. » Sed non est contrarium : nam, quia Deum sublimissimum constat esse, « ideo humilitas exaltat, quia facit ut homo perfecte Deo se subjiciat. » Hæc Augustinus. Propter hoc Bernardus dicit [2] : « In veritate nihil comperi melius esse ad gratiam promerendam, ad gratiam conservandam, ad gratiam augmentandam, quam si omni tempore inveniaris, non altum sapere, sed timere, » id est, humilis esse. Cum ergo per nostram magnitudinem non possimus Deo approximare, sed sola humilitate, ut est dictum a Sapiente : *Quanto major es, humilia te in omnibus*; ideoque Sanctus iste, hoc considerans, viam totius humilitatis elegit, et mundi sapientiam a se ejecit. In verbo ergo præmisso, quod dici potest cuilibet Sancto, notantur principaliter duo : unum ex parte Sancti; alterum ex parte Dei. Ex parte Sancti notatur humilitas, qua Deo perfecte se subdidit; sed ex parte Dei notatur benignitas, qua Sancto gratiam contulit. Primo Sapiens ad humilitatem nos invitat, cum ait : *Quanto major es, humilia te in omnibus*. Secundo fructum humilitatis explanat, cum addit : *Et invenies gratiam coram Domino*. Circa ergo humilitatem hic vertitur sermo. Et quia ad humilitatem inducit, nec non humilitatem nobis diligendam relinquit, igitur notandum, quod triplex est humilitas : prima est humilitas cordis; secunda est humilitas oris; tertia est humilitas operis. Primam inducit vera cordis contritio; secundam, vera oris confessio; tertiam, perfecta operis satisfactio.

Dico primo, quod prima humilitas est cordis, quæ in vera cordis contritione consistit. Humilitas enim cordis aliarum humilitatum radix existit, sicut cor est omnium membrorum radicale fundamentum. Quare si cor vere humile erit, homo humilitate oris et operis non carebit : quia causa rei necessaria si ponatur, necessario ponitur ejus effectus. Non enim est possibile ignem ponere, quin eum ponas calefacere, et lucere pariter. Nec est possibile solem in nostro hemisphærio existere, et de se radios in terram non dispergere. Et sic in omnibus est invenire. Cum ergo humilitas cordis sit necessaria causa humilitatis oris, et operis; est impossibile ut cor sit humile, et non ejus humilitas in opere appareat, et ore. Et ad destructionem consequentis, quem vides arrogantem in ore, et superbum in opere, scias non esse humilem in corde. Cum enim dies sit necessarius effectus solis, necessario concluditur : Si dies non est, sol non est super terram. Sic et necessario sequitur : Qui non habet humilitatem oris et operis, non habet humilitatem cordis. Studendum est ergo ante omnia, ut humilitatem cordis habeamus, et sic in omnibus aliis humiles esse possimus, et per consequens divinam gratiam acquiramus. [3] « Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies. » *Cor contritum et humiliatum* dicit, quia ad veram humilitatem requiritur contritio cordis, ut homo vere doleat, quia Deum offendit Creatorem potentissimum, Redemptorem piissimum, et Patrem providentissimum. In tantum verecundatur accipiter, si avem non arripit, ad quam missus volavit, quod vix illa die ad manum redit. Ergo homo, avis cœlestis, non dolebit, si Deum offendit, et non facit quod debuit?

Secunda humilitas est oris, quæ in vera peccatoris confessione consistit. Magna certe humilitas, quando homo propter Dei honorem non timet quæcumque turpia confiteri. Et de hoc habetur [4] : « Humilia presbytero animam tuam. » Tunc enim presbytero humiliat, quando illi omnia mala sua manifestat. Et illa humilitas necessaria est ad salutem : nam peccatum est vulnus animæ, sacerdos est medicus spiritualis : sed videmus in rebus sensibilibus, quod qui vulnus corporis celat, medicum non advocat, aut medicinam non postulat, et ideo mortem sibi adjudicat, et sui est homicida. Sed sapiens æger, dum vulnus habet, medicum petit, et vulnus curandum illi exponit, ut salutem accipere possit. Unde Boetius [5] : « Si opera medicantis expectas, necesse est, ut vulnus detegas tuum. » Confitere peccatum tuum, nec abscondas. Unde [6] : « Qui abscondit scelera sua, non dirigitur a Domino. » Summa stultitia, perpetuo vituperio confundenda, tantam habere curam de vulneribus carnis, et advocare medicos corporis pro modica causa doloris, et non curare de vulnere mentis, nec medicum advocare salutis.

[1] August., *de Civit. Dei*, lib. XIV, c. XIII, n. 1, paucis mutatis. — [2] Bern., *in Cant.*, serm. LIV, n. 9. — [3] *Psal.* L, 19. — [4] *Eccli.*, IV, 7. — [5] Boet., *de Consol. philos.*, lib. XII, pros. 4. — [6] *Prov.*, XXVIII, 13.

Quis unquam sic stultus, ut per unum annum teneat vulnus carnis, vel mensem, vel diem, qui non vocet medicum, petat antidotum, et spondeat præmium? Heu! heu! quia peccavimus, Deum offendimus, animam lethaliter vulneravimus; et nec in tota vita medicum postulamus; imo vix in morte, de propria morte et salute curamus. Nec est mirum, hominibus raro confitentibus, si confiteri non curant, et seipsos negligunt: quia, sicut dicit Bernardus [1], exemplum videmus : vetusto vulnere et neglecto, callus obducitur: putridæ enim carnes non dolent. Unde tales homines, qui raro confitentur, putrescunt, dum in malis ipsa mala non sentiunt, sed ad omnia mala quasi insensibiles sunt, et ideo medicinam curativam non quærunt. Unde Bernardus scribens ad Eugenium Papam, qui sublimatus erat ad sedem apostolicam, ait ei [2] : « Si doles, condoleo; si non doles, doleo; tamen scias longe a salute esse membrum, quod obstupuit, et ægrum non sentientem periculosius laborare. » Unde Propheta dicebat [3] : « Humiliatus sum nimis, et silui a bonis, et dolor meus renovatus est; » quasi dicat : Quia a bonis silui, id est, confiteri nolui, ideo Deus in pœna me humiliavit, et dolorem super me innovavit. Quod maxime facit, cum hominem ad infernum ducit.

Tertia humilitas est operis, quæ in satisfactione vera consistit. Hinc dicitur [4] quod Esther « corpus suum humiliavit. » Quid enim fuit corpus humiliare, nisi in cilicio, vigiliis et jejuniis arctare, et sic divinam iram placare? Propter quod Propheta dicebat [5] : « Humiliabam in jejunio animam meam. » Nota hic exempla innumera Patrum : quam continue orabant, quam assidue vigilabant, quam forti jejunio carnem domabant, et servire spiritui vim inferebant! Nam quidam sanctus Pater, cum esset fortis valde corpore, sex annis continue orans stabat, non dormiens, non sedens, non pausans, modicum panis et aquæ post vesperas corpori donans; et tunc sic faciens, fortitudinem corporis non amisit; imo, dum semel quatuor latrones ad ejus res furandas cerneret, ipse eos accepit, et ligavit, et super collum, ubi sancti Patres convenerant, portavit, et ante eos posuit. Sanctus Macarius requisitus de vita, dixit, se viginti annis nunquam satiatum pane, nec aqua, nec somno. Ergo in deliciis damnationis filii jacent, et dormiunt in lectis amplis, nunquam orant, nunquam jejunant. Et hæc est via, teste Veritate, quæ ducit ad mortem : quia non lata et spatiosa, sed [6] « arcta et stricta est via, quæ ducit ad vitam. » Quare vosipsos decipitis? Attendite, quis Sanctorum per delicias transivit ad vitam æternam? Numquid meliores estis Petro, qui est pro Christo crucifixus? Numquid meliores Paulo, qui toties verberatus, lapidatus, paupertate attritus, ultimo capite est privatus? Discurrite per omnes Sanctos : nullum invenietis per aliam viam venisse ad patriam. Ergo vos soli eritis exceptæ actionis, ut transeatis ad gloriam absque pœnis? Recolite Lazari pauperis, et mendici, ac vulneribus pleni transeuntis ad requiem; et e converso divitis purpurati, splendide quotidie comedentis, et deinde ad infernum deducti [7], qui non in flamma minimam habere guttam aquæ poterat. Ergo, fratres, si volumus gaudere cum Sanctis, sustineamus mala mundi cum eis, sicut Augustinus dicit [8] : quia qui eos non, in quantum potuerit, voluerit imitari, ad eorum beatitudinem non poterit pervenire. Ad hæc enim, ut dicit Augustinus [9], festa celebramus, ut dum quid fecerint attendimus, imitari pro posse studeamus. Nam pueris discere volentibus, traduntur figuræ exemplares, secundum quas apices alios facere student. Rogemus ergo Dominum, etc.

SERMO IV.

Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles [10]. Si quis diligenter legit antiquorum historias, et cursus regum et principum, similiter et regnorum, aperte invenit verum esse, quod verbum præmissum continet. Nam si ad tempus superbi videntur florere, et homines humiles viles esse, semper tamen in fine illi dejiciuntur, et isti e contrario exaltantur. Nam quid factum est de regno illo Assyriorum, quod ultra mille annos monarchiam tenuit Orientis? nonne ad nihilum est redactum? Nam et Babylonia, ut dicit Hieronymus [11], caput ipsius regni fuit : quæ tantæ fortitudinis fuit, et magnitudinis, ut vix ab audientibus credi posset. Erat enim, ut Hieronymus ait, ipsa civitas disposita in quadrum, ha-

[1] Bernard. — [2] Id., *de Consid.*, lib. I, c. I, n. 1. — [3] *Psal.* XXXVIII, 3. — [4] *Esth.*, XIV, 1. — [5] *Psal.* XXXIV, 13. — [6] *Matth.*, VII, 14. — [7] *Luc.*, XVI, 19 et seq. — [8] Aug., serm. CCCXXV, n. 1, quoad sensum. — [9] Ibid. — [10] *Luc.*, I, 52. — [11] Hieron., *in Isa.*, c. XIV, ex Herodiano, lib. I, qui ait ab angulo ad angulum quindecim milliaria, et per circuitum quadringenta octoginta stadia fuisse Babylonem.

bens in circuitu sexaginta milliaria, quindecim in qualibet fronte. Muri, fusi bitumine, habebant quinquaginta cubitos in altitudine : atque circa murum amplissima fossa, in quam per circuitum fluvius decurrebat : et cum tanta esset, una tamen noctium fuit capta, et cum rege suo superbissimo velut scintilla ignis periit. Ubi est regnum Persarum, quod multis annis centum viginti septem provinciis [1] imperavit? Nonne Cyrus, nobilissimus rex ejus, a quadam regina Massagetarum Thomyri captus, et in capite diminutus [2]? Caput ejus in utrem sanguinis misit, dicens ei improperando : « Satia te sanguine, quem sitisti. » Ubi est nunc regnum Græcorum, quod mille ducentis annis duravit? Nonne Alexander rex ejus, postquam universa subjecit, veneno interiit [3]? Quid factum est de Friderico imperatore Romanorum, qui sicut ferrum perdit quodcumque metallum, sic perdidit omne regnum; ut non esset invenire in mundo angulum, qui ejus non persensisset gladium? Nonne quasi ad nihilum est redactum, ut vix Roma ad duo milliaria teneat imperium? Nonne Cæsar, qui monarcha solus fuit, et imperium tenuit, a Romanis totus perforatus, puerorum stylus [4] erat? Et sic quære per singulos, et invenies omnes superbos in fine turpiter corruisse, e contra viros humiles exaltatos a Deo fuisse. Nam Deus Saul superbissimum de regno dejecit, et David humilem exaltavit. Et ut innumera omittam, considera quis unquam regum, quis imperatorum sublimium sic a mundo honoratur, ut piscator Petrus, et Joannes rusticus, et Matthæus telonearius; imo, ut verum fatear, nobilissimi reges Petrum adorant, Jacobum visitant, et ad eorum ossa, seu reliquias, se inclinant. Verissimum ergo verbum est, cum sit Reginæ virginum, imo omnium sanctorum et angelorum, quæ portare meruit Dei Verbum, dicentis : *Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles.* In quo verbo notantur principaliter duo : primum est depressio personarum sublimium, quæ per superbiam tumuerunt; secundum est erectio personarum humilium, quæ se propter Deum dejecerunt. Primi sunt mali, et ideo fugiendi; secundi sunt boni, et ideo imitandi. De primis dicitur : *Deposuit potentes.* De secundis adjungitur : *Et exaltavit humiles.* Sed quia nunc nobis est sermo de Sanctis, omissis primis, dicamus aliquid de secundis; quia cum de uno agitur, per consequens de quolibet aliquid tangitur. Cum enim humilitas, et superbia, contrarientur sibi, dum humilitas exaltanda ostenditur, superbia detestanda relinquitur. Quidquid enim dicitur a medicis in laudem sanitatis, redundat in vituperium ægritudinis. Verum, quia in commendationem humilitatis multa dicta sunt supra, ideo hic videamus quæ sunt (*a*) ad humilitatem inducentia : quæ sunt maxime tria : primum est consideratio Dei; secundum est consideratio sui; tertium est consideratio proximi : ut sic consideretur bonum supra, bonum intra, et bonum infra.

Primum est consideratio Dei, quæ erit sub triplici ratione : primo, sub consideratione Factoris; secundo, sub consideratione Redemptoris; tertio, sub consideratione Ultoris : ut scilicet consideratio prima sit de Dei omnipotentia; consideratio secunda sit de Dei misericordia; consideratio vero tertia sit de Dei justitia. Dicamus ergo primo, quod si vis humilis fieri, considera Dei potentiam, quæ nos fecit [5] : quia « ipse fecit nos, et non ipsi nos, » ut Psalmus dicit. [6] « Nos oves pascuæ ejus. » Hæc est enim pro omnibus nobis confessio. « Nunc, » inquit [7], « Domine, pater noster es tu; nos vero lutum. Tu factor (*b*) noster; nos opera manuum tuarum. » Omnes ergo nos, si lutum sumus, necessario habemus nos humiliare, quia nihil in nobis est, ex quo superbire possimus. Apostolus : « Quid, » inquit [8], « habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? » In solo ergo Deo est præ omnibus gloriandum; et nobis non restat, nec aliquid superest, nisi quod simus humiles, divinæque potentiæ semper laudatores. Unde dicitur [9] : « Humiliamini sub potenti manu Dei. » Cujus rationem Augustinus assignat *super Genesim* dicens [10] : « Ipsi omnia bona nostra sunt tribuenda, qui vocat, qui præcipit, qui viam veritatis ostendit, qui ut velimus invitat, et vires implendi ea, quæ præcipit, subministrat. » Sed non est hodie, qui recogitet ista; non est, qui de bonis acceptis laudet donantem potentiam. Sed sunt multi, qui dicunt illud [11] : « Manus nostra excelsa, et non Dominus, fecit hæc omnia. » [12] « Qui dixerunt :

[1] *Esth.*, VIII, 9. — [2] Justin., ib. I; Herodot., lib. II; Valer. Max., lib. IX, c. X, extern. n. 1; Oros., lib. II, c. VII. — [3] Quint. Curt., lib. IX, c. X, *de reb. gest. Alex.* — [4] Locus corruptus. — [5] *Psal.* XCIX, 3. — [6] *Psal.* XCIV, 7. — [7] *Isa.*, LXIV, 8. — [8] I *Cor.*, IV, 7. — [9] I *Petr.*, V, 6. — [10] Aug., *de Genes. ad litt.* — [11] *Deut.*, XXXII, 27. — [12] *Psal.* XI, 5.

(*a*) *Leg.* sint. — (*b*) *Vulg.* fictor.

Linguam nostram magnificabimus, labia nostra a nobis sunt; quis noster Dominus est? » Secundo, si volumus humiliari, consideremus divinam misericordiam, quæ nos redemit. Nam de ipso Redemptore dicitur [1] : « Nos reputavimus (*a*) eum quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum. [2] Unde nec reputavimus eum. » Ergo, fratres charissimi, si Dominus Salvator noster sic est humiliatus propter salutem nostram, quis hominum audet plus contra eum superbire? Augustinus [3] : « Si bene se humiliavit Dei potestas, superbire quomodo audebit humana infirmitas? » Constat non esse justum, non esse usitatum, sed rationi contrarium, et a justitia alienum, ut sit servus supra dominum, et discipulus supra magistrum, vilissimus supra Deum : ergo ubi se Deus inclinavit, quis hominum se erigere audebit? Unde et Apostolus hoc considerare docet, cum dicit [4] : « Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu : qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo : humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. » Si ergo Dominus et Rex noster humiliavit se usque ad carnis nostræ susceptionem, usque ad diaboli tentationem, usque ad irrisionem, usque ad corporis flagellationem, usque ad conspuitionem, usque ad coronæ spineæ coronationem, usque ad vilissimæ mortis tolerationem, quis de cetero audeat superbire? Bernardus [5] : « Quid intumescis, o pellis morticina? quid extenderis, o tabies fœtida? quid inflaris, o caro misera? Princeps tuus est humilis, et tu membrum inflaris? » Camelus genua flectit, dum a suo domino onus accipit, a quo nihil accepit, sed nec expectat in fine aliquod laboris munusculum; et tu vilis, non te humiliabis ei, a quo accepisti esse, vivere, sentire et intelligere, et totum mundum in possessionem? Tertio, si humiles volumus fieri, attendamus divinam justitiam, qua malos affligit. Nam cum justitiæ tempus advenerit, sic severus erit, quod nullis precibus, nullisque donis poterit inclinari. Nonne, pro uno motu cordis, nobilissimos angelos de cœlo ejecit? Nonne, pro modico cibo, primos parentes de paradiso ejecit? Ergo qui majoribus non pepercit, quomodo et vilioribus parcet membris? Et propterea dicitur [6] : « Humilia valde spiritum tuum. » Nam, sicut Isidorus dicit [7], « humilitas casum non novit. » Quare? Quia, ut supra dixi, nullus cadit, nisi ab alto : quare, cum humilis situetur tantum in imo, non est, a quo cadere possit, locus. Dicebat enim quidam sanctus Pater, quod talem cogitationem deberet homo facere, qualem facit ille, qui est in carcere, expectans continue judicem, qui eum veniat punire et occidere : semper enim videtur sibi, quod præco clamet, campanam pulset, quod vocetur, ut exeat, ut collum extendat, ut ictum mortis accipiat : nunquam (*b*) talis risibus vacat; numquid solatia postulat? numquid de peccatis, non quidem raro, sed continue plorat, et divinum auxilium totis affectibus implorare non cessat? Ergo et nos nostrum judicem cogitemus citissime affuturum, quia forte, dum loqueris, morieris. Quid, homo, superbis? Hodie es, et cras forte non eris. Hodie vivis, et cras morieris. « Esto, » inquit[8], « parvulus in oculis tuis, ut Dei oculis magnus sis : quia tanto es apud Deum pretiosior, quanto es ante oculos tuos despectior. » Sic ergo patet causa motiva, quæ sumitur ex parte Dei.

Secunda causa humilitatis sumitur ex parte nostri. Nam si humiles esse volumus, nosipsos ulterius considerare debemus, unde venimus, ubi sumus, et quo ibimus. Bernardus [9] : « Considera unde venis, et erubesce : ubi sis, et ingemisce : quo vadis, et contremisce. » Unde dicitur [10] : « Humiliatio tua in medio tui, » quasi dicat : Quid per diversa vagaris? quid diversa inquiris! Apud te habes, unde te humilies. Cogita ergo de qua materia generatus sis, de quo abominabili cibo nutritus sis, cum quali veste sis natus, quibus curis expositus, ad quem finem necessario sis venturus, et mirum erit, si superbire audebis. Nam etiam Bernardus adhuc ita ait [11] : « O mira vanitas, o mira fatuitas cordis nostri, cujus elationem non perfecte dirimere, nec cervicosos potest domare tanta humilitatis materia, quin adhuc superbiat vilis cinis! » « Quid, » inquit Ecclesiasticus [12], « superbis, terra et cinis? » Utinam exemplum pavonis attenderet homo, et sua humilitate suam superbiam coarctaret! Nam pavo, dum caudam erigit oculatam, plurimum gloriatur in ea, quia re- Exemplum.

[1] *Isa.*, LIII, 4. — [2] Ibid., 3. — [3] Aug. — [4] *Philip.*, II, 5-8. — [5] Bern. — [6] *Eccli.*, VII, 19. — [7] Isid. — [8] Bernard. — [9] Id., *de Divers.*, serm. XII, n. 1. — [10] *Mich.*, VI, 14. — [11] Bern. — [12] *Eccli.*, X, 9.

(*a*) *Vulg.* putavimus. — (*b*) *Forte leg.* numquid.

vera est valde pulchra, in tantum ut homo se ea ornet, et sibi inde faciat sertum; dum autem ad pedes, quos turpes habet, oculos flectit, verecundia ductus suæ turpitudinis, mox caudam deponit, et totam destruit, quam erexit. Sic homo, cum de quocumque bono superbit, si oculos suos ad vilia sua deflexerit, ad humilitatem facillime se inclinabit. Bernardus [1] : « In sordibus generamur, in tenebris confovemur, matres nostras plurimum oneramus, in doloribus parturimur, et in nostro exitu ventres more vipereo laceramus. » Nudi nascimur; membris omnibus impotentes, mundo exponimur; et a ploratu vitam incipimus, et cum ploratu vitam finimus. Unde ergo corpus hominis gloriatur, cum sit saccus stercorum, cibus vermium, et materia pulverum fœtidorum? Numquid es cæcus, o homo, nec vides, quia sentinam fœtoris ad nasum semper fers? Quare non attendis, quod arbores sive herbæ de se producunt odores; tu de te nihil producis nisi fœtores? Illæ producunt fructus visu pulcherrimos; tu vero lendes, et pediculos, et lumbricos? Ergo, juxta dictum propheticum [2] : « Humiliatio tua in medio tui. » Sic est ex parte naturæ; sed quid esset ex parte culpæ, si divinas offensiones vellemus attendere? Unde dicebat Daniel [3] : « Humiles sumus in universa terra, Domine, propter peccata nostra. » Si se humiliant bestiæ, dum dominos suos offendunt, et donec satisfecerint (*a*), elevare oculos non præsumunt; quid sit hominibus faciendum, ipso facto bestiæ ostendunt. Exemplum de hoc accipe leonis S. Hieronymi, quod in ejus legenda [4] narratur; quod hic propter brevitatem omittam.

Tertia causa ad humilitatem motiva accipitur ex parte proximi. Melius enim homo sua mala, quam proximi mala novit. Et ideo, si omnes attenderent, invenirent copiosam materiam humilitatis. Nam de malo proprio certus est homo; sed potest semper dubitare de alieno, quia potest esse, quod quem statim vidisti peccantem, mox habuerit gratiam expiantem. Et propterea dicitur *ad Philippenses* [5] : « In humilitate superiores sibi invicem arbitrantes. » Bernardus [6] : « In anima non est timenda quantacumque humiliatio; sed est horrenda, in totumque pavenda nimis præsumpta erectio. » Et concludit ex hoc dicens : « Noli ergo, o homo, te comparare majoribus, noli minori, non alicui, noli vel uni. » Sed diceret aliquis apud se : Quomodo possum cum conscientia cogitare, si me videam innocentem, neminem offendentem, quod ego sim pejor, quam ille, quem ego video facere omnia mala mundi? Sed habeas ad hoc considerationem, et sancti Francisci responsionem. Fuit enim quidam Pater in extasi raptus, cum quamdam sedem altissimam vidisset in cœlo, quam audivit humili servari Francisco; volens, postquam ad se rediit, probare, quæsivit ab eo, quid de se sentiret. Cumque vir humillimus se maximum omnium peccatorum assereret, ille ait : « Cum qua conscientia potes hoc dicere, cum sint innumeri homines, qui pejora faciunt, quam tu facias? » Ad quem vir sanctus ait : Ego puto, quod nullus sit in mundo ita peccator, qui non esset melior, et operaretur melius, si Dei dona et gratiam accepisset, quam ego habeo a Deo. Revera consideratio nobilissima : non debet homo considerare, si vult humilis esse : Ille fur est, et latro, fornicator et homicida; sed ego non facio talia. Sed debet dicere : Si ille accepisset gratiam, quam ego accepi, melior me fuisset. Item sit responsio : Si Dominus me deseruisset, sicut illum deseruit, illo pejora fecissem. Augustinus [7] : « Non est peccatum, quod faciat unus homo, quod non faceret alter homo, si deesset auctor, a quo factus est homo. » Unde dicit in libro *Confessionum* [8], quod « tantum, vel plus tenetur Deum laudare, Deoque servire, qui nunquam peccavit, quam qui omnia mala fecit, quem et Dominus per gratiam liberavit. » Exemplum exponit de medico, et duobus hominibus, quorum unum medicus non permitteret infirmari, alter infirmari permitteret, sed curaret; dicit enim quod majus est beneficium primi, quam secundi. Et propter hæc omnia, dicit Bernardus [9] : « Si videris fratrem tuum peccantem, excusa actum, si potes; si non potes, excusa intentionem, dicens : Non mala intentione hoc fecit. Si vero et hoc non potes, quia ibi nulla bona intentio esse potest, dicas : Gravissima fuit tentatio; quid fecissem, si in me irruisset? » Simus ergo humiles, fratres, qui per solam humilitatem jus nobis acquirimus apud Deum.

Exemplum insigne de humilitate.

Exemplum.

[1] Bernard., Serm. in fer. IV. hebd. sanctæ, n. 6. — [2] *Mich.*, VI, 14. — [3] *Dan.*, III, 37. — [4] *Vit. S. Hieron.* — [5] *Philip.*, II, 3. — [6] Bern., *in Cant.*, serm. XXXVII, n. 7. — [7] Aug., serm. XCIX, al. XXIII, ex hom. L, n. 6. — [8] Id., *Conf.* — [9] Bern., *in Cant.*, serm. XL, n. 5.

(*a*) *Edit. Vat.* satisfecerunt.

Bern. Apud Deum, fratres, jus habere non possumus, quoniam in multis eum offendimus : sed nec eum fallere possumus, quia ipse novit abscondita cordis nostri; nec ei resistere possumus viribus, cum sit potentissimus. Quid ergo nobis restat, nisi ad humilitatem confugere ? Et quod in aliis minus habemus, de ipsa supplere debemus, etc.

SERMO V.

Orate pro invicem, ut salvemini [1]. Ultimum Sanctorum refugium oratio est. In campo enim certaminis militamus, sine pugna esse non possumus; fortissimum, et sagacissimum hostem habemus, qui, ut Gregorius dicit [2], « illos solum impugnare negligit, quos quieto fœnore (*a*) se possidere sentit. » More enim leonis in Sanctos desævit, contra eos fortissime rugit, ut (*b*) quem devoret, sollicite quærit. Non enim comedit, neque bibit, nullo unquam tempore dormit ; sed semper suspirat ad prædam. Cum ergo ipse sit fortissimus, et nos infirmi ; ipse sagacissimus, nos ignari ; ipse solertissimus, nos negligentes et pigri : necesse haberemus succumbere, si nobis auxilium divinum non adesset. Ut ergo divinum auxilium imploremus, necesse est nobis ut oremus. Et propterea Apostolus, frater Domini dictus, eo quod fuit ei simillimus, in verbo præmisso notabiliter duo facit : primo, invitat ad mutuum charitatis officium, quo plurimum indigemus in via ; secundo, sui dicti causam assignat et fructum, quem consequitur in patria. Primum respicit statum pugnæ, quam continue experimur; sed secundum respicit statum gloriæ et coronæ, qua Deo in cœlo perfruimur. Invitat ergo primo nos ad orationem mutuam, cum dicit : *Orate pro invicem.* Secundo, assignat rationem et causam, cum additur : *Ut salvemini.* Ad hoc enim pro invicem orare debemus, ut salutem consequamur. Sed nota, ad hoc quod oratio Deo sit grata, quadruplici conditione debet esse vestita. Nam primo, debet esse devota; secundo, debet esse secreta; tertio, debet esse importuna; quarto debet esse continua : ut sic sit devota, quantum ad seipsum ; sit secreta, quantum ad laudis impulsum; sit importuna, propter instantem actum; sit continua per affectum. Nam si cesset aliquando actus, nunquam debet tamen cessare effectus.

Dicamus ergo, quod oratio debet esse devota, ut sit tota ignea, sit lacrymis perfusa, et ad modum aquæ bullientis fervida. Oratio sic facta nullam potest a Deo pati repulsam, quia, sicut dicit Bernardus [3], « oratio Deum ungit, sed lacryma pungit. » Exemplum hujus orationis nobis in cruce Dominus tradidit. Unde *ad Hebræos* [4] : « In diebus carnis suæ preces supplicationesque ad Deum, qui posset illum a morte salvum facere, cum clamore valido, et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia. » Si ergo Dei Filius ploravit, quis amplius orare audeat siccis oculis ? Nam et de eodem jam passioni proximo dicitur [5], quod « factus in agonia, prolixius orabat, et factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. » Cogita, o anima christiana, qualis debeat esse oratio tua, quam calida, quam devota, cum tam fervens fuerit oratio Salvatoris, quod eum in sudorem adduxit! Quis unquam sic oravit ? Qui autem devote cum lacrymis orat, impetrat omne quod postulat. David orans largiter flevit, veniam a Domino impetravit [6]. Nonne Petrus, postquam Christum negavit, dum amare flevit [7], veniam negationis accepit ? Nonne Magdalena, quæ peccatis omnibus plena fuit, veniam sibi pro peccatis et gratiam obtinuit, postquam lacrymas fudit [8] ? Nonne Ezechias, rex Juda, oratione et lacrymis [9] sententiam divinam mutavit, mortem sibi prophetice nuntiatam evasit, vitæ longitudinem meruit, et regressum solis in signum accepit ? Quid est ergo, quod oratio devota non possit ? Nonne, ut habetur [10], Helias orando cœlum clausit, et iterum ipsum orando aperuit ? Nam quidam quodam tempore dixit gemens cuidam seni : « Affligemur, Pater, propter siccitatem, quia non pluit. » Cui senex dixit : « Credo, quod non devote oratis. Et si vis scire, quia sic est, venite, oremus pariter. » Cumque manus ad cœlum tetendit, continuo pluit. Nota exemplum de Tobia [11], cum lacrymis Deum orans, meruit exaudiri. Item dicitur de B. Arsenio [12], qui omni tempore vitæ suæ, etiam sedens ad opus manuum suarum pannum tenebat in sinu, propter lacrymas ab ejus oculis defluentes : unde dum jam mortuus esset Arsenius, Pastor de eo di-

[1] *Jac.*, v, 16. — [2] Greg., *Moral.*, lib. XXIV, c. VII, al. XI, n. 27. — [3] Bern. — [4] *Hebr.*, v, 7. — [5] *Luc.*, XXII, 43-44. — [6] II *Reg.*, XII, 2; *Psal.* VI, 7. — [7] *Matth.*, XXVI, 75. — [8] *Luc.*, VII, 38, 48. — [9] *Isa.*, XXXVIII, 3 et seq. — [10] *Jac.*, v, 17-18. — [11] *Tob.*, III, 1. — [12] Surius, die 19 jul.

(*a*) *Al.* jure. — (*b*) *Forte leg.* et.

xit : « Beatus es, Arseni, qui te in hac vita flevisti, ut non fleres in alia. » Impossibile est enim nobis hic ridere, et ibi non flere. Unde Dominus [1] : « Beati qui lugetis, quia ridebitis. » Et : « Væ vobis qui ridetis, quia flebitis. » Unde Macarius dicebat fratribus : « Producant oculi vestri lacrymas, antequam illuc veniamus, ubi lacrymæ nostræ nostra corpora comburunt. » Quanto quisque sanctior est, et sancto desiderio plenior, tanto est in orando ejus fletus uberior.

Secundo, oratio debet esse secreta, ut non quærat orans laudem humanam, sed tantum divinam. In cujus exemplum, ut habetur [2], Dominus, relicta turba, ascendit in montem solus orare; Dominus enim, ut Gregorius dicit[3], « dum aliquid tacitus faciebat, quid nobis faciendum esset, ostendebat. » Quia omnis ejus actio, est nostra instructio. Hæc est enim doctrina, quam tradidit Apostolis[4] : « Cum oratis, non eritis, sicut hypocritæ, tristes, qui amant in synagogis et in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Tu autem, cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito; et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. » Exemplum Tobiæ, qui orare volens, ivit in superius cubiculum domus suæ [5], ut videri non posset. Superbia enim, et humanæ gloriæ appetitus, meritum tollit orationis, et hominem cadere facit. Nam et quidam fuit Sanctus, qui ob meritum orationis ad tantum culmen gratiæ pervenit, quod de cœlo mittebatur sibi quotidie panis, quo reficiebatur paululum post orationem; semper enim, dum orationem compleverat, cellam intrabat, et panem sibi albissimum et sapidissimum paratum inveniebat, quem devote comedebat. Postquam autem mentem superbia invasit, ut donum Dei suis appropriaret meritis, mox permissione divina pulsare eum cogitationibus immundis diabolus cœpit; cumque sibi orare non saperet, et circa jam carnalia animum volveret, et (*a*) post orationem cellam intravit, panem invenit paratum, et totum sordidum et infectum, quasi a serpentibus esset corrosus. Cumque hoc signum pluries invenisset, compunctus corde non est; sed desperans, cella dimissa, ad mundum redibat. Cumque ad quoddam monasterium appropinquasset, illi ejus adventum præscientes, ei tanquam sanctissimo Patri omnes obviam processerunt : erat enim famosissimus apud omnes. Quem cum, quanto melius poterant, refecissent, verbum admonitionis postularunt ab eo. Cumque optime prædicasset, ad se reversus fuit, et ait : « Quod alios doces, teipsum non doces ?» Divina ergo gratia tactus, valefaciens fratribus, ad cellam rediit, et tamdiu ploravit, quousque a Deo misericordiam impetravit.

Tertio, oratio debet esse importuna, ut ipsa nimia importunitas, quod petit, accipiat; nam et ipse Dominus docet multis exemplis sic importune esse orandum. Unde, cum discipuli Domino dicerent[6] : « Doce nos orare ; » et cum illos Dominicam orationem docuisset, addidit ibi [7] : « Quis vestrum amicum habebit, et ibit ad illum in media nocte dicens : Amice, commoda mihi tres panes; » usque ibi : « Et si ille perseveraverit pulsans, dico vobis, et si non dabit illi surgens eo quod amicus ejus sit, propter tamen improbitatem ejus surget, et dabit ei quotquot habet necessarios ? » Et concludit [8] : « Et vos petite, quia accipietis : quærite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis. » In quorum occultatione verborum importunitatem valere ostendit. Unde exemplum aliud ponit dicens [9], quod « erat judex quidam, qui Deum non timebat, et hominem non reverebatur : » cumque quædam vidua ab eo peteret, ut eam vindicaret de adversario suo, et illi non attenderet; dum mulier non cessaret, sed incessanter eum affligeret, ille intra se ait [10] : « Et si Deum non timeo, et hominem non revereor : quia tamen mihi molesta est mulier, vindicabo eam. » Et concludit dicens [11] : « Si hoc fecit judex iniquitatis, Dominus non exaudiet servos suos clamantes ad se? » quasi dicat : Certum est quod exaudiet. Quia, sicut dicit Gregorius [12] : « Qui nos ad petendum invitat, utique dare desiderat : si enim dare non vellet, quomodo sic instanter ad petendum invitaret? » Apud nos enim proverbium est, quod importunus vincit avarum; et si avarum, qui non libenter dat, quanto fortius Deum, qui ad petendum invitat! Exemplum de Chananæa [13], cui petenti misericordiam Dominus non respondebat; sed quia petere non cessavit, sed importune institit, omne, quod voluit, impetravit. Ad hoc membrum

[1] *Luc.*, VI, 21, 25. — [2] *Matth.*, XIV, 23. — [3] Greg., *Dial.*, lib. I, c. IX. — [4] *Matth.*, VI, 5-6. — [5] *Tob.*, III, 10. — [6] *Luc.*, XI, 1. — [7] Ibid., 5-8. — [8] Ibid., 9. — [9] Ibid., XVIII, 2. — [10] Ibid., 4-5 — [11] Ibid., 6-7, quoad sensum. — [12] Greg. — [13] *Matth.*, XV, 22 et seq.

(*a*) *Del.* et.

posset reduci quod in fine Chananææ responsum est, scilicet, ut orans non hæsitet in fide, sed fideliter credat, seque speret accepturum, quia Dominus docuit ita esse orandum [1] : « Quidquid postulaveritis credentes, accipietis, et fiet vobis a Patre meo. » Et [2] : « Postulet autem in fide, nihil hæsitans : qui autem hæsitat, similis est fluctui maris, » etc.

Quarto, oratio debet esse continua, ut, sicut nunquam deficit pugna, sic nunquam cessemus petere misericordiam. Numquam miles, existens in pugna, deponit arma ante obtentam victoriam. Sed arma nostra sunt orationes, quibus contra adversarium pugnamus, et divinum auxilium impetramus. Ergo, antequam vincamus, cessare ab orando non debemus. Verum ante mortem nulla certa est victoria, quia semper restat pugna : ergo ab oratione non est cessandum ante mortem. Unde dicit Apostolus [3] : « Sine intermissione orate. » Et Dominus, in nostrum exemplum, pernoctabat in orationibus [4]. Unde et filii Israel dicebant Samueli [5] : « Non cesses pro nobis ad Deum orare. » Sed forte dices : Quomodo possum semper orare? Numquid non necesse est manducare? numquid non necesse est laborare? numquid non opus habemus dormire? Sed attende, secundum Augustinum [6], quod non desinit unquam orare, qui non desinit benefacere. Plus est enim orare corde et opere, quam ore. Non ergo orare desinit, qui benefacere non desistit. Unde vir sanctus, sive sit operans, sive manducans, sive dormiens, cum ista omnia propter Deum faciat, ut servire Deo melius valeat, utique semper orat. Ad hoc enim dormit, ut postea melius in servitio Dei vigilare possit; ad hoc manducat, ut Deo serviat, ut pondus pœnitentiæ portare valeat. Sine his enim, cum sint de necessitate naturæ, non possumus Deo servire. Ergo semper est orandum, quia semper benefaciendum, et Deo semper serviendum. Sed hic est notandum, quod si volumus orare, debemus nos prius præparare, omnia exteriora dimittere, et ad intimum animi reducere, ibique oculos cordis ad Deum dirigere, et nihil aliud, quam de Deo cogitare. Unde dicitur [7] : « Ante orationem præpara animam tuam, et noli esse sicut homo, qui tentat Deum. » Est ergo purganda anima orantis a tribus : primo, a mentis elatione; secundo, a carnis delectatione; tertio, ab exteriori occupatione. Nunquam enim poterit oratio Deo esse grata, si oranti affuerit elatio mentis, si delectatio carnis, si cogitatio rei temporalis et familiaris. Dico quod, antequam ad orationem accedas, purganda est anima ab omni elatione mentis per veram humilitatem cordis. Si enim Deus superbis resistit, quomodo eos orantes exaudit? Unde exemplum ponitur [8] de duobus hominibus, qui ascendebant in templum ut orarent : unus Pharisæus; alter Publicanus. Pharisæus superbus; Publicanus humilis, qui longe stabat, pectus percutiebat, oculos non levabat, et misericordiam postulabat. Sed e converso Pharisæus, quantum poterat, corpore approximabat, corde superbo orabat, in oratione sua bona jactabat, et proximum contemnebat. Pharisæus igitur peccator recessit, ubi Publicanus omne, quod petiit, impetravit; quia, sicut dicit Augustinus [9] : « facile meretur veniam, qui ex reverentia se subtrahit ab altari. » [10] « Oratio humiliantis se, nubes penetrat, et donec appropinquet, non consolabitur : et non recedit (*a*), donec aspiciat Altissimus; et ideo Dominus non elongabit. » [11] « Respexit in orationem humilium, et non sprevit preces eorum. » Habet nescio quid latentis virtutis vox dulcis et humilis, ita ut iratorum impetus frangat, et ad mansuetudinem ducat. [12] « Verbum dulce multiplicat amicos, et mitigat inimicos. » Et iterum [13] : « Responsio mollis frangit iram. » Secundo, anima est purganda ab omni delectatione carnis : numquam enim bene orat, qui carnalia cogitat, sive quem caro delectat : unde nec impetrat a Deo quod postulat. [14] « Cum multiplicaveritis orationes vestras, non exaudiam : manus enim vestræ plenæ sunt sanguine. » In sanguine, carnalem delectationem intellige. Unde etiam orabat Propheta [15] : « Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ. » Exemplum de hoc accipe de *Judith* [16], ubi dicitur quod Judith primo se lavabat in fonte aquæ, et sic ascendebat adorare Deum. Ciconia postquam fuerit adulterata, sive carne fœdata, ad virum non audet redire, nisi prius lota aqua; similiter

[1] *Marc.* x, 24, quoad sensum. — [2] *Jac.*, I, 6. — [3] I *Thess.*, v, 17. — [4] *Luc.*, VI, 12. — [5] I *Reg.*, XII, 23. — [6] Imo auctorem serm. LV, al. IV inter hom. L, n. 1, *Oper.* Aug. Append. tom. VI, ubi legitur : Vere novit recte vivere, qui recte novit orare. — [7] *Eccli.*, XVIII, 23. — [8] *Luc.*, XVIII, 10 et seq. — [9] August. — [10] *Eccli.*, XXXV, 21-22. — [11] *Psal.* CI, 18. — [12] *Eccli.*, VI, 5. — [13] *Prov.*, XV, 1. — [14] *Isa.*, I, 15. — [15] *Psal.* L, 16. — [16] *Judith*, X, 3.

(*a*) *Vulg.* discedet.

Exempla. nec leæna ad leonem. Quomodo anima a carnalitate non lota ad Deum accedere erit ausa? Exemplum habere poteris in Esther orante, si ejus historiam volueris legere [1]. Tertio, purganda est anima ab omni tumultu rei familiaris. Unde dicitur in libro *de Spiritu et Anima* [2], quod anima debet se retrahere ab omnibus sensibus corporis, tanquam impingentibus et perstrepentibus, et redire ad se mentis acies. Nam sicut nubes, interposita inter nos et solem, non sinit solares radios ad nos descendere; sic tumultus cogitationum divinos radios subtrahit ab aspectu animæ, sine quibus anima non potest sollicite orare. Unde dicitur de talibus [3]: « Opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio. » Quantumcumque enim quis oculos ad cœlum levet, nunquam radii visuales ad solem pervenient, Exemplum. si in medio spatio fuerit interposita nubes. Unde quidam sanctus Pater dicebat: « Sicut impossibile est, ut videat in aqua turbida quis faciem suam, sic anima, nisi fuerit purgata a cogitationibus vanis, Deum bene orare, vel contemplari non poterit. » Nam videmus in aqua non mota, sed bene quieta, ubi sicut in speculo videt homo faciem suam, etc.

DE PLURIBUS SS. CONFESSORIBUS.

SERMO PRIMUS [4].

In omnibus divites facti estis in illo [5]. Tria divitiarum genera esse clamat omnis Scriptura divina : nam quædam sunt divitiæ æternales; quædam sunt divitiæ spirituales ; quædam sunt divitiæ temporales. Nam divitiæ æternales sunt divitiæ gloriosæ [6] : « Gloria et divitiæ in domo ejus. » Divitiæ spirituales sunt divitiæ gratiosæ, et de his dicitur in themate, quæ non sunt aliud, quam divinæ virtutes et gratiæ, quibus repletur anima Sanctorum. De his dicitur per contrarium [7] : « Sic (*a*) est ille, qui thesaurizat, et non est in Deum dives. » Talis est omnis, qui divitiis spiritualibus carens, possidet solum divitias temporales. De primis duobus generibus divitiarum, quibus sunt divites viri sancti, thema assumptum est, in quibus describitur status et vita Sanctorum, primo, ex parte largientis; secundo, ex parte gratiæ sanctitatis; tertio vero, ex parte copiositatis donorum innumerorum. Nam Sancti ex donantis potentia facti sunt famosi, et ex donorum copia facti sunt fructuosi. Notatur autem primo divina auctoritas, vel potestas, cum dicitur: *In illo*, id est in Deo, qui, sicut Sanctis naturam, ita contulit et gratiam. Secundo notatur animæ sanctitas, cum interponitur : *Divites facti estis*. Tertio vero donorum copiositas, sive universalitas, cum præmittitur : *In omnibus*. Adeo enim divites fuerunt, ut, sicut ibidem dicit Apostolus, *nihil* deesset eis in omni gloria, vel *in ulla gratia*. Tertium vero genus sunt divitiæ temporales, et sunt divitiæ onerosæ. Unde dicitur in Psalmo [8] : Divitiæ si affluant, nolite cor apponere. » Sancti ergo sunt, qui nunc possident divitias æternales, et habuerunt divitias spirituales in via, et contempserunt omnino divitias temporales. Et hoc triplici ratione : primo, quia vanæ et inefficaces; secundo, quia nocivæ et inutiles; tertio, quia sunt infirmæ et debiles, sive potius impotentes.

Dico quod ideo Sancti divitias temporales contempserunt, quia sunt penitus falsæ, vanæ et inefficaces, quia illud non faciunt, ad quod sunt. Philosophus enim in *Meteorologicis* docet [9], quod omne, quod non facit, ad quod erit, desinit esse, quod est. Lux enim, si non luceret, quia ad hoc est, lux esse desineret. Similiter ignis si non calefaceret , ignis esse cessaret. Ergo, si divitiæ non illud, propter quod requiruntur, efficiunt, tamquam quæ nihil sunt, a sapientibus contemnendæ sunt. Stultus enim esse probatur, qui utitur aliquo ad aliquid, cujus virtus est ad oppositum. Nonne stultus medicus esset, qui patienti dysenteriam [10], aliquod laxativum, et non ad restringendum, materiam daret? Nonne stultus esset, qui sitim vellet extinguere, et sal manducaret, cujus est sitim incendere, et non extinguere? Ergo et a simili stultus est, qui volens animæ capacitatem implere, et sitim habendi extinguere, si non desinat congregare, cum hoc sitim non auferat, sed magis augeat, et semper majorem inducat. Poeta [11] :

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.

Unde dicitur [12] : « Avarus non impletur pecu-

[1] *Esth.*, XIV et XV. — [2] *De Spir. et Anim.*, c. II, inter *Oper.* Aug., Append. tom. VI. — [3] *Thren.*, III, 44. — [4] Hunc habet edit. Hageno. an. 1496. — [5] I *Cor.*, I, 5. — [6] *Psal.* CXI, 3. — [7] *Luc.*, XII, 21. — [8] *Psal.* LXI, 11. — [9] Arist., *Meteorol.*, cap. ult. — [10] Dysenteria est intestinorum exulceratio. Cicer., *Epist.*, lib. VII, 26, *Gallo;* Plin., lib. XXII. — [11] Juven., *Satyr.*, lib. V, XXXIV. — [12] *Eccle.*, V, 9.

(*a*) *Cæt. edit.* Scilicet.

nia. » Cujus dicti ad præsens duplex est ratio : una sumitur ex parte pecuniæ ; alia, ex parte animæ. Est ergo ratio prima, quare pecunia non satiat animam : quia est res vana. Si enim de homine dicitur [1], quod « universa vanitas omnis homo vivens, » propter quem pecunia facta est, quanto magis ipsa pecunia vanitas est? Iterum si *omnia vanitas,* Salomone teste [2], ergo et pecunia vanitas est. Sed constat, quod vanum non replet locum ; unde umbra, quæ est vana, nullius loci est repletiva : ergo ex pecunia tota vana non potest repleri anima. Quare anima, congregata quantacumque pecunia, semper remanet vacua : et cum nihil vacuum patiatur natura [3], tunc semper homo attrahit, nec repleri potest, et nunquam congregare desinit, donec vivit. Alia ratio est ex parte animæ, cum sit, quemadmodum dictum est, capacitatis infinitæ, solo summo bono repleri possibilis. Nulla est enim commensuratio finiti ad infinitum [4]. Quare si anima est capacitate infinita, omnis autem mundi pecunia est finita, impossibile est ut repleatur ex ea; imo si multiplicaretur semper pecunia, adhuc tamen semper esset finita, semper anima remaneret vacua. Etiam posset dici, quod appetitus hominis se habet ad divitias, sicut intestinum ventris ad cibariorum delicias : nam stomachus est talis naturæ, quod si pauca recipit, se restringit, et paucis contentus sit ; sed quanto plura cibaria accipit, tanto amplius se extendit, et ad alia recipienda capacior semper fit. Unde et ad litteram videmus, quod magis in suis paucis contenti sunt pauperes, quam in suis multis divites sunt. Unde Salomon vanitatem divitiarum assignat maxime a duobus : primo, ex parte possessoris ; secundo, ex parte hæredis. De primo enim dicitur [5] : « Ubi multæ sunt opes, multi sunt qui comedunt eas. Et quid prodest possessori, » inquit, « nisi quod cernit divitias oculis suis ? » Ita enim sua frumenta comedunt comites, sicut et milites, sicut et populares. Ergo quid ultra pauperem habet dives, nisi quod divitias oculis suis videt, quas oculis suis manducare videt ab aliis ? Quanto enim divitiæ sunt plures, tanto divites necessario pluribus comestoribus indigent. Et sic suum possessorem faciunt magis indigentem, dum ad custodiendum supellectile pluribus indigere necesse est eos, qui plurima possident. Ex quibus apparet, quod divitiæ non faciunt hominem sufficientem, sed potius indigentem. Secunda ratio Salomonis sumitur ex parte hæredis : nam relinquunt quidam suas pecunias viro justo, quidam viro stulto, quidam vero viro extraneo. Dico ergo, quod aliquis est, qui præter propositum laborans in vanum, reliquit quod lucratus fuerit, viro justo. [6] « Peccatori dedit Deus afflictionem, et curam superfluam. » Et addit : « Et ut aggreget, et tradat ei, qui placuit Deo. Sed hoc, » inquit, « vanitas, et cassa sollicitudo mentis. » Item vanum est, eo quod relinquit aliquando viro stulto. Unde iterum [7] : « Detestatus sum omnem industriam meam, qua sub sole studiosissime laboravi, habiturus hæredem post me, quem ignoro, utrum sapiens, vel stultus futurus sit : et dominabitur in laboribus meis, quibus desudavi, et sollicitus fui. Et est quidquam tam vanum ? » Item vanum est, quod viro extraneo relinquit. Unde dicitur [8] : « Vir cui dedit Deus divitias, et substantiam, et honorem, et nihil deest animæ ejus ex omnibus, quæ desiderat ; nec tribuit ei potestatem, ut comedat ex eo : Sed homo extraneus vorabit illud. Et hoc vanitas, et magna miseria est. » Et addit [9] : « Unus est, et tamen non habet filium, non fratrem; et tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi ejus divitiis, nec recogitat dicens : Cui laboro, et fraudo animam meam bonis ? Et hoc vanitas est, et afflictio pessima. »

Secundo, divitiæ non solum sunt vanæ et inefficaces; sed etiam sunt nocivæ et inutiles, ut Boetius [10] : « Divitiæ enim possessoribus suis sæpe nocuerunt, cum timore servantur, et cum dolore perduntur. » O quot sunt, quibus, quia divites sunt, ponuntur insidiæ, capiuntur, ligantur, tormentis exponuntur, occiduntur, ut ab eis quod lucrati sunt auferatur? Unde dicitur [11] : « Qui amat divitias, fructum non capiet ex eis : » Et [12] : « Saturitas divitis non sinit eum dormire. » Et addit [13] : « Est et alia infirmitas pessima sub sole : divitiæ conservatæ in malum domini sui ; pereunt enim in afflictione pessima : filium generavit, qui in summa egestate erit, » etc. Ex effectu ejus, qui divitias consequitur, probantur divitiæ esse inutiles, et nocivæ. Nam quod vi-

[1] *Psal.* XXXVIII, 6. — [2] *Eccle.*, I, 1. — [3] Arist., *Problem.*, sect. IX, q. IX. — [4] Id., *de Cæl.*, lib. I, text. 64 et 52, et *Physic.*, lib. VIII, text. 15. — [5] *Eccle.*, V, 10. — [6] Ibid., II. 26. — [7] Ibid., 18-19. — [8] Ibid., VI, 2. — [9] Ibid., IV, 8. — [10] Boet., *de Consol. philos.*, lib. II, pros. 5. — [11] *Eccle.*, V, 9. — [12] Ibid., 11. — [13] Ibid., 12-13.

num febricitanti noceat, ptisana [1] vero conferat, quod venenum hominem perimat, et quod theriaca [2] venenum expellat, quomodo scitur, nisi per effectum, qui ista consequitur? Ergo ex effectibus consequentibus, quales sint divitiæ, cognoscuntur. Audi Apostolum [3] : « Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa et nociva, quæ mergunt in interitum et in perditionem. » Quid istis pejus? Si de peccato agitur, audi *Ecclesiasticum* [4] : « Si fueris dives, non eris immunis a peccato. » Exemplum de Saul, qui antequam veniret ad regnum, non erat vir in Israel melior eo; sed ditatus, non erat forte pejor eo. Bernardus [5] : « Quis David sanctior? quis Salomone sapientior? et tamen, succedentibus prosperis, unus ex toto desipuit : » quia, secundum Boetium [6], « magis timenda est fortuna prospera, quam adversa. » Nonne dicitur [7] : « Mortuus est dives, et sepultus est in inferno? » Quales ergo sunt divitiæ, quam inutiles, et quam nocivæ, et quam totis affectibus fugiendæ, cum animam periculis multis exponant, gratiam auferant, peccatorem constituant, et ultimo ad inferna deducant!

Tertio divitiæ sunt infirmæ et impotentes, nullos suos juvando possessores ad vires habendas. Cujus debilitatis ratio ex hoc patet: quandocumque enim aliquod agit ad aliqua operanda, ipsum oportet aliqua multa habere, quæ possent fieri ab alio æque per pauca; illa multa ipsi agenti primo sunt vana; imo semper natura operatur per pauciora, quantum potest, ut philosophi docent. Ergo cum videamus, quod qui vult temporalem necessitatem excludere, oportet eum divitias innumerabiles congregare, nec sufficiunt paucæ, certum est eas valde debiles esse, maxime cum multæ non possint necessitatem excludere. Quod autem multitudo in rebus singulis sit signum debilitatis, multis probatur exemplis. Exemplum ergo primum accipe in natura : nam videmus multa reptilia corpore exigua, multipedia, et vermes breves, et culices, in quibus propterea multi sunt pedes, quia omnino valde sunt debiles. Quare, si cum debilitate pauci essent pedes, corpora sustentare non possent, et sic gressum, et per consequens vitam perderent. Sapiens ergo natura, quia talibus crura proportionabilia dare non potest, debilitatem multitudine pedum supplevit. Nam videmus, ubi pedes validi sunt, et fortes, inveniuntur pauciores esse. Unde hæc est causa, quare plures culex quam elephas habet pedes, cum hoc sit animal exiguum, hoc autem maximum. Item in rebus artificialibus videmus, quod quanto panni sunt minoris virtutis ad fomentum naturalis caloris, tanto necesse est, ut ex eis homo induat plures. Item quanto navem trahentes sunt debiliores, tanto necesse est eos esse plures : ut quod non potest debilitas paucorum, multitudo suppleat. Ex hac enim causa est, quod plura sunt mineralia, quam vegetabilia, et plura vegetabilia, quam sensibilia ; et plura sensibilia quam rationalia : quia quanto sunt plura, tanto ignobiliora, et tanto debiliora, et minus valentia. Quare plus est de argento, quam de auro; plus de plumbo, quam de argento; et plures quercus, quam cedri; et plures viles lapides, quam pretiosi; et plures homines viles, quam nobiles; et plures sunt stulti homines, quam sapientes; et plures sunt milites, quam barones; et barones plures, quam reges, et plures simplices presbyteri, quam episcopi; et plures episcopi, quam archiepiscopi; et summus Pontifex tantum unus, quia plenitudo potestatis est in eo. Ex his exemplis certissimum est, quod divitiæ ideo quæruntur plures (paucis enim contenti non sunt homines), quia sunt debiles, quod promittunt efficere non valentes. Nam promittunt suum possessorem beatum, et faciunt totum contrarium, dum auferunt regnum supernum, et ducunt ad infernale supplicium. Ob hanc causam Dominus dicit [8] : « Facilius est camelum transire per foramen acus, quam divitem in regnum cœlorum : » quia sicut camelus non potest portam, quæ Acus dicitur, intrare, nisi onus deponat; sic homo in regnum cœlorum intrare non potest, nisi desinat dives esse. Istis considerationibus, et multis aliis, Sancti divitias contempserunt vanas; et hoc propter Deum, quem contempserunt multi homines propter mundum. Quid mirum, si contempserint Christiani, quod contempserunt Pagani? Dicit enim Seneca [9], quod « nemo dignus Deo est, qui divitias non contemnit. » Bernardus [10]:

Notandum de summo Pontifice

Porta quæ Acus dicitur.

[1] Ptisana est hordei cremor, vel succus, sive aqua. Plin., lib. XVIII, c. VII, et lib. XXII, c. XXV. — [2] Theriaca ex viperina carne fit. Plin., lib. XX, c. XXIV, et lib. XXIX, c. IV. — [3] I *Tim.*, VI, 9. — [4] *Eccli.*, XI, 10. — [5] Bernard. — [6] Boet., *de Consol. philos.*, lib. II, pros. 8. — [7] *Luc.*, XVI, 22. — [8] *Matth.*, XIX, 24. — [9] Senec., epist. XVIII. — [10] Bern., *in temp. Resurrect.*, serm. III, n. 1.

« Magna abusio, et penitus nimis magna, ut dives esse velit vermiculus vilis, propter quem tam pauper voluit esse Dominus majestatis. » Quærat, inquit, Paganus divitias, cum sine Deo existat : quærat et divitias Judæus, qui eas in promissionem accepit; sed qua fronte Christianus divitias quærit, postquam Christus pauperes beatos esse prædicabat? Multi enim Romanorum fuerunt consules, qui propter amorem suæ civitatis nihil omnino accipientes, adeo in morte inventi sunt pauperes, ut non haberent, unde exequias funeri facere potuissent. Sunt et in Judæa et in Æthiopia populi, ut historiæ narrant, qui nihil penitus congregant, sed de his, quæ sponte terra gignit, simpliciter vivunt, sicut omnes homines ante diluvium faciebant. Quæ ergo est hæc tanta avaritia, quæ Christianos invasit, ut eis non seminare sufficiat, non colligere, nisi insuper usuris variis, et mercationibus infinitis, quibuscumque peccatis congregent peritura? Seneca [1] : « In obsessa via diviti nulla pax est; qui vero pauper est, nullam calumniam timet, nullas formidat lites, nullas timet alias passiones. » Et ideo inquit : « Paupertas est donum Dei a paucis cognitum. » Gregorius [2] : « Quid in hac vita laboriosius, quam terrenis desideriis æstuare? quid quietius, quam nihil præter Deum in hac vita appetere? Ad patriam, » inquit, « liberius incedimus, si in via onere caremus. Nam qui onus divitiarum abstulerit, ad currendum citius se expedivit. » Rogemus ergo, etc.

SERMO II [3].

Charitas benigna est [4]. Virtus charitatis quam sit nobilissima, quantis præconiis honoranda, quantis laudibus prædicanda, nulla potest exprimi carnea lingua. Nam apostolica teste sententia [5], si quis lingua utatur angelica, si prophetica, si omnium rerum scientia, si fide faciente miracula, si pauperibus distribuat omnia, et si in mortem dederit carnem suam; frustra omnia sunt, si charitate non sunt formata. « Sola enim hæc virtus, » secundum Augustinum [6], « piorum virorum est et sanctorum; cum cæteræ virtutes bonis et malis communes sint. » Magna enim virtus est fides; sed dæmones credunt, et contremiscunt. Magna virtus est spes, quam in magnis peccatoribus videmus. Quid prudentia nobilius judicamus? sed, teste Domino [7], major est in filiis tenebrarum, quam lucis; [8] major in serpentibus, quam in nobis. Quid temperantia melius dici potest, quæ sive respectu gulæ, sive luxuriæ, major, quam sit in christianis, inventa est in paganis? Multæ enim fuerunt mulieres paganæ, ut testantur historiæ, quæ prius, quam corrumpi, voluerunt occidi. Quid fortitudine, quid patientia potest esse melius? quam quasi in summo possederunt philosophi. Magna virtus et ardua paupertas existit, quæ in multis tam (*a*) philosophis, et paganis resplenduit. Sola enim charitas est, quæ nullo modo convenit, nisi solummodo viris justis, eo quod deformari non possit. Nunquam ignis potest infrigidari, quamvis posset extingui : sic et charitas potest quidem per peccatum auferri, sed nunquam informis fieri : et ad modum vitri potest quidem totaliter frangi, non autem plicari. Quia igitur hæc virtus proprie sanctorum est, et per ejus operationes et actus maxime cognoscuntur [9] : « Ex fructibus enim eorum cognoscetis eos : » ideo præmissum verbum ad Sanctorum gloriam est assumptum. In quo describitur ista virtus Sanctorum esse maxime quantum ad duo : primo, quantum ad habitum, qui consistit in corde : secundo, quantum ad actum, quo fulgent in opere. Primo, per habitum Sancti sunt facti justi quoad seipsos; secundo, per actum facti sunt luminosi quoad fratres et proximos. Notatur ergo primo habitus mentem sanctificans, cum dicitur : *Charitas*; notatur secundo actus, quem charitas inspiravit, cum infertur : *Benigna est*, id est, hominem benignum facit. Licet enim quælibet virtus unum specialem actum habeat, quem eliciat (sicut fides, credere; spes, sperare; charitas, diligere, vel amare), tamen charitas omnes actus virtutum imperat, quamvis eos non eliciat; sicut Apostolus dogmatizat dicens [10] : « Charitas omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet, » etc. Nam sicut esse benignum charitas imperat; sic ipsa benignitas probabiliter charitatem adesse denuntiat; sed defectus benignitatis ex necessitate concludit, quod animæ charitas non assistit, etc. Dicamus ergo : *Charitas benigna est.* Licet charitatis non sint certa experimenta, nisi per revelationem divinam; sunt tamen aliqua probabilia signa, quibus ad credendum inducimur, quod

Exempla.

[1] Senec., epist. XIV. — [2] Gregor. — [3] Neque hunc, neque sequentem habet edit. Hageno. an. 1496. — [4] I *Cor.*, XIII, 4. — [5] Ibid., 1. — [6] *Sent. ex Aug. decerpt.*, VII. — [7] *Luc.*, XVI, 8. — [8] *Matth.*, X, 16. — [9] Ibid., VII, 16. — [10] I *Cor.*, XIII, 7.

(*a*) *Del.* tam, *vel leg.* tamen.

charitatem habeamus : primum est conscientia munda; secundum est patientia firma; tertium est compassio fraterna; quartum est communicatio libera.

Dico, quod primum signum quod charitatem habeamus, est interior conscientia, si inveniatur munda, nullis delictis moralibus fœda, non cogitans turpia, non amans mundana, sed solum divina : non gaudens ad mala, sed ad omnia bona. Unde Apostolus dicit [1] : « Charitas non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati; » id est : non potest esse, ut si charitas sit in anima, ut anima sit fœda, ut sit frigida ad divina, et calida ad humana, cum charitas, ad modum materialis ignis, virtus sit purgativa, calefactiva et maturativa. Unde etiam Dominus, loquens de charitate, dicit [2] : « Ignem veni mittere in terram; et quid volo, nisi ut ardeat (*a*)? » Ergo si charitas est ignis, ipsa habet purgare, quia ignis est aeris purgativus, et in ferro est omnis rubiginis consumptivus. Si ergo conscientia est peccati rubigine plena, certum est, quod ab igne charitatis est vacua. Item ignis omnia, quæ sibi approximantur, calefacit, quia omne frigus a rebus expellit, sicut experientia certa ostendit. Ergo ubi charitatis ignis non requiescit, frigus etiam non desinit. Ergo, si ad divina et spiritualia bona te ferventem et calidum invenies, et e contra ad terrena frigidum reperies, signum est charitatis in te existentis. Si autem frigidus es ad divina, et calidus ad terrena, scias, quod charitas non ardet in anima tua. Item ignis est crudorum maturativus. Unde videmus, quod poma cruda et immatura in igne decocta fiunt sapida et dulcia, eo quod a virtute ignea omnis ejus acerbitas sit consumpta, et saporositas sit introducta. Ergo si tu inveneris in te maturas affectiones dulces, et saporosas de Deo cogitationes, probabile valde est, quod a divino igne hæc habes. Si autem e contrario cogitationes de mundo tibi sunt dulces et sapidæ, et de Deo sunt crudæ, crede mihi, et scias certissime, quod divino non ardes hoc igne. Notandum tamen, quod in omnibus istis argumentis, sive argumentandi modis, semper probabile est assertivum; sed necessarium est negativum. Ubi ergo Apostolus dicit [3] : « Charitas non agit perperam, » id est, perverse : « non est ambitiosa : » si ego (*b*) ita dicam : « Iste non agit perperam, non est ambitiosus : ergo charitatem habet; » hoc tantum est probabile assertivum, non autem necessarium, quia tunc posset homo pro certo scire, si esset in charitate. Si autem sic dicam : « Iste ambitiosus est, et perverse agit; ergo charitatem non habet : » argumentum non est probabile tantum, sed est necessarium. Unde et scire certitudinaliter non possumus, quod in charitate sumus, eo quod non, quia bona facimus, charitatem habemus; certitudinaliter tamen scire possumus, quod in charitate non sumus, dum mala charitati contraria facimus, eo quod quia facimus mala, mali sumus.

Secundum signum, quod charitatem habeamus, est patientia firma. Charitas enim sic hominem in adversis firmat, et ad modum lapidis quadri stabilitat, ut nullis omnino moveatur adversis, sed ex eis potius crescit, sicut in aspersione aquæ ignis potius invalescit, et omne contrarium ad præsentiam sui contrarii vigorescit. Nam et charitas dicitur similis esse bitumini, quod est terra adeo conglutinosa, et tantæ tenacitatis, ut ea, quæ unit, nec igni, nec aqua, nec ferro dissolvi ab invicem possint. Unde vir sanctus hoc bitumine Deo unitus, non solum mundi mala non fugit, sed etiam appetit. O quot fuerunt Sancti, qui pro Christo voluerunt occidi, et mortem quæsierunt mente fideli, quamvis a Deo ad aliud essent ordinati! Nonne venerabilis vir Franciscus mare transivit, Soldanum adiit, et fidem constantissime prædicavit, quamvis ad alia reservatus fuerit? Hoc ergo bitumine Christo conjunctus Apostolus dicebat [4] : « Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an persecutio? an nuditas? an periculum? an gladius? » Et addit : « Certus sum, quod neque mors, neque vita, nec angeli, nec principatus, neque instantia » mala, « neque futura, » scilicet mala, « neque fortitudo, nec altitudo » quorumcumque Principum, « neque alia creatura poterit nos separare at charitate » Christi, quæ est tantæ tolerationis. Ideo certe amor omnia gravia levia, et amara dulcia facit : « Nihil enim est amanti difficile, » ut Bernardus dicit [5]. Charitas enim est similis virtuti conversivæ, quæ est in oliva et vite. Nam virtus illa conversiva humorem vitis et olivæ, qui amarus est in radice, vertit in multam dulcedinem, sicut probat experientia, quia coquit

Exemplum.

[1] I *Cor.*, XIII, 5-6. — [2] *Luc.*, XII, 49. — [3] I *Cor.*, XIII, 4. — [4] *Rom.*, VIII, 35, 38. — [5] Bern., *in Dom. Palm.* serm. 1, n. 2; *de Convers. ad Cleric.*, c. XXI n. 38.

(*a*) *Vulg.* accendatur. — (*b*) *Cæt. edit.* ergo.

vitis uvas, et olivæ baccas maturas : est enim similis quadrigæ, cujus naturæ est, quod majus pondus equi pertrahunt cum quadriga, quam possint facere sine ea. Amor enim facit pœnas contemnere, et ipsam mortem appetere, imo facit quasi non sentire. Unde similis est mandragoræ [1], cujus cortex in vino decoctus, bibentem ad omnes dolores insensibilem reddit. Unde ad potandum illis dari consuevit, quorum corpora sunt secanda. Dicit enim Dionysius, quod hæc herba decocta in vino, et fortiter sic potata, hominem dormire facit, ut vulnera sentire non possit. Et propterea in *Canticis* dicitur [2], quod « aquæ multæ, » id est, tribulationes variæ, « non potuerunt extinguere charitatem. » Imo non solum non extinguunt, sed eam incendunt; quia videmus, quod solares radii majorem calorem generant in aqua, quam in terra : quia cum aqua magis sit calori contraria, quam sit terra, dum majus (*a*) contrarium in aqua inveniunt, fortius ad victoriam radii contrarii exardescunt : quia, ut supra jam dixi, omne contrarium fortius insurgit, dum suum contrarium adesse persentit. Sic et charitas, dum pœnas extinguentes, vel ad malum allicientes adesse persentit, ad resistendum eis se recolligit totam, et majores ex hoc assumit vires. Et hoc dicere Propheta voluit, cum ait [3] : « Dum superbit impius, incenditur pauper. »

Tertium signum, quod homo habeat charitatem, est compassio fraterna. Nobilius est enim corpus spirituale, quam materiale : ergo major debet esse unio membrorum spiritualium, quam materialium. Sed membrorum corporalium tanta est unio, teste Apostolo [4], quod « si patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra, » et gaudenti congaudent : et est impossibile aliter esse : ergo si major est unio membrorum spiritualium, impossibile est membrum pati, quod non sit compassio aliorum membrorum. Ergo si fratri, vel proximo patienti, te invenies compati, probabile signum est, quod habeas charitatem, et sis corporis Christi membrum. Si autem proximo patienti te non inveneris posse compati, non dico tibi probabili, sed argumento infallibili tibi concludi, quod non es membrum corporis Christi : quia impossibile est, si homo alterum vere amat, quod ei dolenti non pleno corde condoleat, et se cum afflicto affligat. Et si hoc facit amor carnalis, quid amor spiritualis faciet, si intus affuerit? Nunquam in corde poterit esse ignis, et non ardebit. Proverbium est quod amor et tussis celari non possunt. Quare concluditur ulterius, quod si proximo vere compateris, ejus necessitatibus pro viribus subvenis. Quod si non facis, scias quod charitatis ignis in te funditus est extinctus. Non enim est possibile, ut ignis in lignis ardeat, et non calefaciat. Et propterea dicitur [5] : « Qui viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? » quasi dicat : Impossibile est ita esse. Ergo, fratres mei, probetis habere vos hanc charitatem corde compatiendo, et opere toto posse subveniendo, quia diligendus est proximus, non solum corde et ore, sed etiam opere : quod si possibilitas operis non adsit, sufficit compassio cordis cum consolatione sermonis. Turpe est, ut majora signa amoris inveniantur in brutis, etiam ad bruta extranei generis, quam in hominibus, qui sunt omnes ejusdem generis, ab uno omnes principio, cum bruta omnia habuerint (*b*) principia, scilicet fœminam et masculum. Nam cornices, quæ sunt aves, præter hoc quod ad parentes sunt miro modo clementes, quia in senectute propriis pennis eos fovent, sunt etiam circa ciconias valde diligentes. Nam cum ciconiæ partes has derelinquunt, ut ad partes calidas transeant, eas cornices in domibus suis cum magna sedulitate suscipiunt; et quando in itinere sunt aves, quæ ciconiis sunt infestæ, cornices eas turmatim associant, et contra infestas aves fortissime pugnant, ita ut pro eis vulneribus et morti se exponant. Qui homines tantæ hospitalitatis sunt, sicut cornices, et sic proximos diligunt (*c*), ut se pro eis in vulnera tradant, et mortem? O humana miseria, et plorabilis defectus amoris! quia si cadit elephas, tunc est qui ex sociis auxilium ferat; capitur passer, et sunt alii passeres, qui succurrant; porcus vociferatur, et pro posse alii adjuvant : sed homo si ruat, non est qui ad auxilium manum mittat, vel extendat.

Exemplum.

Exempla.

Quartum signum, quod homo habeat charita-

[1] Mandragoræ virtus, ex Dionysio, scriptore medico, qui a Varrone, lib. I, *de Re rust.*, nominatur; et a Plinio, lib. XII, XIII et XXI de herbis scripsisse memoratur; item ex Dioscoride, lib. IV, c. LXXVIII, et lib. VI, c. XVI — [2] *Cant.*, VIII, 7. — [3] *Psal.* X, 2. — [4] 1 *Cor.*, XII, 26. — [5] 1 *Joan.*, III, 17.

(*a*) *Leg.* magis. — (*b*) *Suppl.* duo. — (*c*) *Cæt. edit.* diligant.

tem, est communicatio libera, ut homo se et sua communicet proximo; quia sic dicitur [1] : « Charitas non quærit quæ sua sunt, » sed tantum quæ Jesu Christi. Exemplum de discipulis, quibus erant omnia communia [2] : « Et nemo quidquam proprium possidebat, sed erant illis omnia communia. » Ciconiæ simul vadunt, simul terram petunt, simul comedunt, et quiescunt. Apes simul exeunt, simul surgunt, et simul cibum communem accipiunt. Turpe igitur valde est, quod homo non communicet proximo, cum brutum communicet bruto, et major, quam inter rationabilia, amor appareat inter bruta. Teneamus ergo charitatem : quia ubi est charitas, ibi Deus est, et [3] « qui charitatem habet, in Deo manet, et Deus in eo. » Quod Bernardus exponens, sic ait [4] : « Si Deus charitas est, nihil melius charitate : si quis manet in charitate, et per consequens in Deo manet, nihil charitate securius. Si vero Deus in eo manet, nihil charitate jucundius. » Verum est ergo, quod dicit Apostolus [5] : « Charitas patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati : omnia sustinet, et omnia suffert : charitas nunquam excidit. » Qui ergo charitatem Dei habet, charitatem proximi habet : quod si ergo charitatem proximi non habet, nec Dei charitatem habet; quia ad destructionem consequentis, sequitur destructio antecedentis. Rogemus, etc.

DE UNO S. DOCTORE.

SERMO PRIMUS.

Refulsit sol in clypeos aureos, et resplenduerunt montes ab eis [6]. Augustinus dicit [7] quod ordo de necessitate requirit primum, et ultimum : et quia, ut ait, non potest perveniri ad ultimum, nisi per medium; concludit, quod necessario omnis ordo requirit primum, medium, et postremum. Unde in angelis triplex est hierarchia [8], scilicet : prima vel suprema, media, et infima : ita quod est influentia supremæ in mediam, et mediæ in infimam : ut (a) ima per mediam, et media per supremam purgetur, illuminetur, et perficiatur, sicut dicit Dionysius [9]. Similiter videmus et hunc ordinem in cœlis, quod primum est empyreum, medium est aqueum, tertium et infimum est sidereum; et primum influit in medium, et medium in postremum. Cum ergo Ecclesia a Deo sit ordinata, necesse est ut habeat in se ista tria. Quia in Ecclesia Dei quidam sunt primi, et primates sunt appellati; quidam medii, ut episcopi; quidam infimi, ut omnes alii minores prælati, sicut sacerdotes parochiales. Vel aliter : quidam sunt tantum doctores, et hi sunt supremi; quidam tantum audientes, et hi sunt infimi; quidam simul audientes et docentes, et hi sunt medii, qui ea, quæ audiunt a summis, more lunæ refundunt. Nam luna lumen, quod a sole recipit, reddit terris. Isti ergo tres ordines, docentium scilicet, et audientium, et medio modo se habentium, notantur in themate. Nam tantum docentes assimilantur soli, et stellis; tantum audientes assimilantur montibus altis, ad recipiendum lumen dispositis : qui licet sint infimi respectu docentium, sunt tamen montes alti, in comparatione vallium, id est, nihil colligere valentium. Nam montes prius suscipiunt radios solares, quam colles depressi, et valles; audientes simul, et docentes similes sunt scutis aureis, quæ lumen, quod a sole accipiunt, terris oppositis sibi reddunt. Et dicuntur notanter clypei, quia sicut pro defensione corporis exponuntur clypei in bello ictibus, sic isti debent se exponere pro utilitate animæ proximi, et pro defensione fidei, et si necesse fuerit, propterea mori. Ut ergo sermonem reducamus ad hunc Doctorem eximium, cujus hodie festum colimus; hic quantum ad tria in præmisso verbo describitur : primo, quantum ad ejus eximiam sanctitatem, qua intus exarsit; secundo, quantum ad luminosissimam veritatem, qua ut sidus emicuit; tertio, quantum ad doctrinæ utilitatem, qua mundo profecit. Notatur ergo primo ejus sanctissima vita, qua Deo servivit, cum dicitur *Sol;* secunda, notatur ejus admiranda doctrina, qua claruit, cum dicitur : *Refulsit in clypeos aureos;* tertio, ejus doctrinæ efficacia, qua profecit, cum subditur : *Et resplenduerunt montes ab eis.* Verum, quia ista omnia in sole tantum possunt notari, ideo de ipso sole fiat hic sermo. Est ergo notandum quod circa solem nobis consideranda sunt quinque : primo, ipsius essentia;

[1] I *Cor.*, XIII, 5. — [2] *Act.*, IV, 32. — [3] I *Joan.*, IV, 16. — [4] Bernard., *in Cant.* — [5] I *Cor.*, XIII, 4-8. — [6] I *Mach.*, VI, 39. — [7] Aug., *de Music.*, lib. I, c. XII, n. 20, 21. — [8] Dion., *de Cæl. Hierarch.*, c. III. — [9] Ibid., c. VIII.

(a) *Cæt. edit.* et.

secundo, ejus forma; tertio, ipsius figura; quarto, motus et natura; quinto, ejus influentia. Nam secundum essentiam est corpus altissimum; secundum formam est corpus venustissimum; secundum figuram est corpus rotundissimum; secundum motum, sive naturam, est corpus velocissimum; secundum influentiam est corpus virtuosissimum. Sic et Doctor noster eximius fuit altissimus per eximiam sanctitatem; fuit speciosissimus per scientiæ claritatem; fuit rotundissimus per arctissimam paupertatem; fuit velocissimus per obedientiæ humilitatem; fuit virtuosissimus per miraculorum efficacitatem.

Dico, quod corpus solis, secundum suam naturam et essentiam consideratum, est corpus in firmamento positum, et ideo altissimum; corpus lucidum, et ideo speciosissimum; corpus rotundissimum, et ideo (*a*) nobilissimum. Quid enim cœlo sublimius? quid inter corpora inanimata cœlo dignius? Unde dicitur [1]: « Altitudinem cœli quis dimensus est? » Hoc et ipsa experientia probat, et viæ longitudo, quæ corpora tam grandia sic a nobis celat, ut nobis videantur permodica. Sed ea hic non pono, quia in Dominicalibus Sermonibus me recolo dixisse, et posuisse de hujusmodi. Sufficiat igitur dicere secundum Scripturæ testimonium, quia fidelibus est certissimum, quod cœlum est altissimum, et in summo locatum, sicut patet ad sensum. Sed sol in cœlo est situatus : ergo est corpus situ altum. Minor probatur per *Genesim* [2], ubi dicitur quod « Deus fecit duo luminaria magna, » scilicet solem et lunem, « et posuit ea in firmamento cœli. » Unde quæ sint hæc luminaria, docet dicens [3] : « Qui fecit luminaria magna : solem in potestatem diei, et lunam in potestatem noctis. » Sic et beatus hic Doctor fuit ad modum cœli altus per vitæ eminentiam; fuit solidus per veram patientiam; fuit non porosus per humanam gloriam; et fuit in firmamento positus per fidei constantiam. Omnia ista possunt hic discuti; sed sufficiat dicere, quod fuit altus per vitæ sanctitatem, qua conversabatur in cœlis, non carne, sed mente. Erat enim de illis, qui cum Apostolo dicere poterant [4] : « Nostra conversatio in cœlis est. » Unde dicere poterat illud [5] : « Ego in altissimis habito. » Sed quis hodie conversatur in cœlis? Quis hodie est, qui non totus inhæreat terris? Vere terreni sumus, quia non cœlestia, sed terrestria cogitamus; non de Deo, sed de mundo loquimur; non pro Deo, sed pro mundo operamur. « Adhæsit enim [6] pavimento anima nostra, » et [7] « conglutinatus est in terra venter noster. » « Qui enim [8] de mundo est, de mundo loquitur. » Et quia non cœlestes, sed terreni sumus, ideo sumus illis stellis similes, quæ de cœlo cadunt in terram. Nam et illæ impressiones, quæ dicuntur vulgariter stellæ cadentes, ideo cadunt, quia vere stellæ non sunt, nec in firmamento locatæ sunt. Et sic forte illi homines, qui in terram ruunt, nunquam in Deo, sive in cœlo, vere firmati fuerunt, quia qui vere inhæreret, non tam faciliter caderet. Nam videmus, quod arbores, quæ fortes radices ponunt in terra, non facile ventis evelluntur; sed illæ potius ventis cadunt, quæ radices debiles terræ infigunt. Ergo multo fortius non facile caderent, qui per amorem verum Deo inhærerent.

Secundo, sol est forma speciosissimus. Nam illud dicitur esse pulcherrimum, quod nihil habet turpitudinis admixtum; sicut illud dicitur esse albissimum, quod non est nigredine permixtum. At luci sola tenebra est opposita : igitur est lucidissimum, et per consequens speciosissimum, quod nihil habet tenebrositatis admixtum. Sed Deus, sicut habetur [9], « divisit lucem a tenebris. » Ergo dum lucem a suo contrario separavit, purissimam ac pulcherrimam eam fecit. At corpus solis est fons lucis, sicut ipsum nomen ad sensum ostendit : nam ideo ipsa Scriptura ipsum solem appellat, eo quod solus luceat, et cuncta illuminet, et pulchra faciat : non enim est aliud dies, quam sol super terram lucens. Sol ergo, dum lucem in summo corporum obtinet, pulcherrimus omnium corporum est. Item, ut Damascenus dicit [10] : « Tolle solem a rebus, quid sunt omnia nisi tenebra? » Ergo omnis pulchritudinis ostensiva causa est solis præsentia. Sed propter (*b*) unumquodque tale, et illud magis [11] : ergo si omnia sunt pulchra, et apparent propter solis præsentiam et virtutem manifestativam, multo fortius est in se pulcherrima solis rota. Unde dicitur [12] : « Dulce lumen, et delectabile est oculis, videre solem. »

[1] *Eccli.*, I, 2. — [2] *Gen.*, I, 16. — [3] *Psal.* CXXXV, 7, 8. — [4] *Philip.*, III, 20. — [5] *Eccli.*, XXIV, 7. — [6] *Psal.* CXVIII, 25. — [7] *Psal.* XLIII, 25. — [8] I *Joan.*, IV, 5. — [9] *Gen.*, I, 4. — [10] Damasc., *Fid. Orthod.*, lib. II, c. VII. — [11] Arist., *Poster. analyt.*, lib. I, text. 5. — [12] *Eccle.*, XI, 7.

(*a*) *In cæt. edit. vel minime ista, vel præpostere posita sunt.* — (*b*) *Suppl.* quod.

Nam et si oculus noster non audeat solem respicere in rota, causa est debilitas in virtute visiva; sicut videmus ad sensum, quod oculus lippus vel infirmus refugit lumen solis, nec potest sustinere splendorem aeris. Sed ubi deficit noster oculus, ibi supra modum delectatur oculus aquilinus; in quo etiam aquila est filiorum suorum probativa, sicut dixi supra. Sic et hic Doctor egregius totus fuit speciosus per sapientiæ veritatem. Miro enim modo sapientia facit hominem speciosum, et Deo, et hominibus, dum per eam fit homo circumspectus in corde, modestus in ore, et honestus totus in opere, et corpore. Nam videmus ad sensum, quod illi, qui erant valde dissoluti, dum scientias inferiores audiunt (*a*), miro modo in moribus se componunt, dum ad Leges, vel Decretales, vel Theologiam transeunt. Unde Doctori nostro totaliter pulchro potest dici illud [1] : « Totus pulcher es, dilecte mi. » Hic signatus fuit in Absalone, de quo dicitur [2] quod « a planta pedis usque ad verticem non fuit in eo ulla macula : » sic et iste Doctor erat pulcher in corde, sive in affectu; erat pulcher exterius in affatu, gravis in incessu, honestus in visu, et similiter in auditu, temperatus in habitu, et in cibo similiter et in potu. Sed quis hodie speciosus? quis in verbo, quis in visu et auditu est honestus? quis in vestitu, cibo et potu sobrius? Vere sol hodie obscuratus est, et non lucet : non est pulcher, sed totus est niger factus. Sicut enim in *Apocalypsi* docet Joannes [3], et Joel dicit [4], sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum; stellæ cadent de cœlo. Accipe per solem intellectum; per lunam, voluntatem; et per stellas accipe affectiones, vel operationes, et expone.

Tertio, sol est figura rotundissimus Nam constat firmamentum, in quo corpus solis est positum, et cujus motu ducitur, moveri sphærice, sicut ad sensum probant illæ stellæ, quas circa polum arcticum moveri conspicimus. Verum sol, sicut cæteræ stellæ, Philosopho hoc probante [5], et ad inconvenientia plurima inducente, non movetur motu proprio, sed potius motu orbis sui. Ergo, cum suus orbis sphærice moveatur, quia in (*b*) ortu firmamenti deducitur ad meridiem, et hinc ad occidentem; restat quod sol sphærice moveatur. Sed motus, ut dicit Philosophus, attestatur figuram : ergo habet sphæricam figuram. Item nobilissimo, speciosissimo et simplicissimo corpori, nobilissima, speciosissima et simplicissima figura debetur : ergo cum corpus solis sit tale, sol sphericæ figuræ existit. Et satis claret, ubi sic dicitur [6] : « Oritur sol, et occidit, et ad locum suum revertitur : gyrat per meridiem, et flectitur ad aquilonem, lustrans universa per circuitum. » Ecce quod circularem habet motum. Sic et hic venerabilis Sanctus totus fuit sphæricus et rotundus per altissimam paupertatem. Nam corpus sphæricum, si moveatur super planum, teste Philosopho [7], non tangit planum nisi in puncto, eo toto alio corpore elevato. Sic et vir sanctus terram non nisi in puncto tetigit, quando solam ab eo (*c*) necessitatem accepit : sic totus ab ea alienatus extitit, dum omnia superflua dereliquit. Unde poterat dicere cum Apostolo [8] : « Omnia arbitratus sum ut stercora. » Ipse etiam dicere poterat cum Apostolis [9] : « Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te. » Sed quis est hodie talis? Quis est, qui relinquat omnia, aut saltem superflua relinquat? Quis non potius dispersa congregat? Recte hodie sol sub terra latet, et umbra terræ, quam projicit, hunc mundum miserum obscuravit, ut sol verus videri non possit [10] : « Supercecidit ignis, et non viderunt solem. » Quis hic ignis, qui consumit omnia, et nunquam dicit : *Sufficit* [11], et solem nobis abscondit, nisi amor cupiditatis? Nam dum luna inter nos, et solem intercidit, solem a nobis abscondit; et ad nos radios solares venire non sinit, sed noctem mundo inducit, sicut factum est temporibus nostris, dum sol obscuritatem incurrit. Quid luna per sui status continuam mutationem signat, nisi mundialem machinam, sive mundanam pecuniam, quæ volvitur mutatione continua, et ab una persona transit ad aliam, quæ ab aspectu nostro solis est ablativa? Si enim modicum pulvis sic oculum lædit, ut solem intueri non possit, quomodo avarus, qui habet tot domos, tot agros, tot nummos in oculis, verum solem videre poterit? Unde contra avaritiam potest exponi illud [12] : « Obtenebrentur (*d*) stellæ caligine ejus, » scilicet avaritia. « Expectet lucem, et non videat, nec ortum surgentis auroræ. » Quid intelligimus per sidera cœlum

[1] *Cant.*, I, 15. — [2] II *Reg.*, XIV, 25. — [3] *Apoc.*, IX, 2. — [4] *Joel.*, II, 10. — [5] Arist., *de Cœl.*, lib. II, text. 44. — [6] *Eccle.*, I, 5-6. — [7] Arist., *de Cœl.*, lib. III, text. 69. — [8] *Philip.*, III, 8. — [9] *Matth.*, XIX, 27. — [10] *Psal.* LVII, 9. — [11] *Prov.*, XXX, 15. — [12] *Job*, III, 9.

(*a*) *Leg.* audirent. — (*b*) *Leg.* ab. — (*c*) *Leg.* ea. — (*d*) *Cæt. edit.* obtenebrantur.

ornantia, nisi sanctorum exempla? Quid per auroram lucem solarem prævenientem, nisi prævenientem gratiam? Sed avaritia non attendit sanctorum exempla, et fugiens gratam veri solis præsentiam, non sinit videri lucem divinam; sed excæcat animam, et totam facit tenebrosam interius.

Quarto, sol est velocissimus motu : nam currit in una die totum cœli spatium; quamvis non in die, sed in anno tamen (*a*) redeat ad eumdem punctum Zodiaci. Velociter enim currit, nec exemplum in his naturalibus poni potest, cum nec illi comparari possit sagitta egrediens a ballista, nec navis currens ad vela plenissima. Unde dicitur : Magna est terra, et excelsum est cœlum, et velox est occursus solis : convertit enim gyrum cœli in locum suum in una die. Sic et iste Sanctus fuit velocissimus per obedientiæ humilitatem. Virtutes enim istæ duæ sunt valde cognatæ : quia opus humilitatis est obedire, nec unquam aliquis vere obedit, nisi vere sit humilis : ergo hic Sanctus venerabilis sic divinis mandatis obedivit perfecte, quod nunquam in partem contrariam declinavit. Unde poterat dicere illud Samuelis [1] : « Loquere, Domine, quia audit servus tuus. » Nam et dicitur [2] : « Stetit sol in medio cœli, et non festinavit occumbere spatio unius diei : et non fuit ante, et non postea tam longa dies, obediente Domino voci hominis. Ergo si sol contra motum suum sic Deo obedivit, quid sit homini faciendum, patenter ostendit. Sed quis hodie obedit, imo quis non resistit? Nam et dicitur [3] quod sol rediit retro, significans multos, qui non vadunt, sed redeunt; non currunt, sed retrocedunt, dum ire creduntur. Quid enim est retrocedere, nisi Deo non obedire, divina mandata fugere, et ad vomitum sicut canis redire?

Exemplum. Tales etiam sunt similes leoni, qui comesta ejicit, et iterum ea comedit : quod etiam canes facere certum est, juxta illud [4] : « Canis reversus ad vomitum suum, et sus lota in volutabro luti. »

Quinto, sol est influentia maximus, cum substantia primi mobilis sit dominativa, directiva, aeris purgativa, sive luminis commendativa, frigidorum corporum inflammativa, gravium leviativa, et mineralium generativa : quæ Sancto nostro omnia possunt esse convenientia. Sed hic accipiamus solum illam influentiam, qua influxit per exempla mirifica, per documenta altissima, per divina miracula. Nam de istis tribus potest exponi illud [5] : « Sol in aspectu annuntians in exitu : » hoc quoad documenta. « Vas admirabile, opus Excelsi : » quantum ad exempla. « In meridiano exurit terram : » quantum ad miracula, quæ sunt valde incensiva. « Et in aspectu ardoris ejus quis poterit sustinere? » Hoc quantum ad dicta omnia. Unde subdit [6] : » Tripliciter sol exurens montes, et radios igneos exufflans. » Nam in Legendis sunt quærenda vitæ exempla, quærendaque miracula, et narranda. Rogemus ergo, etc.

SERMO II [7].

Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde [8]. Naturale est, et ad sensum manifestum, quod omnes aquæ fluunt ad valles : sic spiritualiter omnes scientiæ fluunt ad humiles. Et in tantum est verum de aquis, quod si aqua fluat per aliquod planum, et obviet ei aliquod concavum, statim in illud incurrit; nec ultra pertransit, donec illius vacuitatem repleverit. Natura enim aliquid vacuum non sinit esse [9]; nec sine loco locatum esse permittit. Cum igitur vir humilis se totum evacuet, dum nihil se esse reputat, divina largitas sua gratia et scientia eum replet. Magis enim est creatricis essentiæ proprium, nihil relinquere vacuum, quam sit naturæ creatæ. Ergo si hæc creatura nihil esse vacuum sinit, multo fortius hoc facit natura creaturarum [10]. Nam etiam videmus ad sensum, quod solares radii dum ad speculum concavum veniunt, se multiplicando et coarctando, tantum splendorem et calorem ibi efficiunt, quod illi oppositam stupam incendunt. Sic et divinæ gratiæ et scientiæ, dum ad humile cor perveniunt, totum igneum et splendidum reddunt. E contra corpus solidum et opacum, radio solari non pervium, dum opponitur advenienti, resistit, ipsum in suo profundo non recipit; sed in sola ejus superficie radius se diffundit. Sic lumen scientiæ si (*b*) oblatum arrogantibus et superbis, non penetrat ad intima cordis; sed tantum superficialiter in eis existit, ut sint tantum sapientes secundum humanam apparentiam, non secundum veram existentiam. Nam et talibus, ut dicit Philosophus, magis operæ

Exemplum.

[1] I *Reg.*, III, 9. — [2] *Jos.*, X, 13-14. — [3] *Isa.*, XXXVIII, 8. — [4] II *Petr.*, II, 22. — [5] *Eccli.*, XLIII, 2. — [6] Ibid., 4. — [7] Hunc habet quoque edit. Hageno. an. 1496. — [8] *Matth.*, XI, 29. — [9] Arist., *Problem.*, sect. IX, q. IX. — [10] Loc. corrupt.

(*a*) *Leg.* tandem. — (*b*) *Cæt. edit.* se.

pretium est videri esse sapientes, quam esse et non videri. Ob quam causam Didymus ille philosophus Alexandro Magno quærenti, quomodo sapiens esse posset, talia ei responsa mandavit:

Exemum. « Deus præsto est dare tibi sapientiam; sed non habes ubi teneas eam, cum superbia plenus sis. » Vas enim vini liquore plenum non recipit alterum, nisi ille prius fuerit effusus. Sed vas vacuum suspicit intra suum concavum quidquid fuerit illi infusum. Et propter hæc omnia dicit Hugo [1]: « Fundamentum scientiæ est humilitas. » Ad quam tria spectare videntur: ut nullam scripturam vilem habeas; ut a nullo homine discere erubescas; et, cum scientiam adeptus fueris, alios non contemnas. In verbo enim veritatis præmisso, et ad honorem hujus Doctoris assumpto, et in nomine ejus dicto, maxime notantur duo: nam primo ad divinam Sapientiam nos invitat; secundo viam, qua ad eam perveniendum est, manifestat. Necesse est enim, quod qui vult donum scientiæ cum Doctore hoc percipere, non ignoret principium viæ; quia, ignoratis principiis, artem ignorare necesse est, sicut Philosophus docet. Sic nec ad veræ scientiæ bravium pervenitur, si via, qua ad eam pervenitur, ignoratur. Et ideo Doctor eximius hoc advertens, primo, invitat nos ad sapientiam, qua anima informatur, cum dicitur: *Discite*. Secundo ostendit sapientiæ viam, qua ad eam citius pervenitur, cum addit: *quia mitis sum, et humilis corde*. Nec videatur mirabile, quod humilitas, cum sit habitus affectivus, sit mentis illuminativus, quia hoc non facit per se illuminando, sed potius tumorem evacuando, et sic viam lucis præparando. Ob quam causam dicitur [2]: « Ubi humilitas, ibi sapientia. » Sed quia de humilitate jam multa dixi supra, nunc dicendum restat de sola scientia, quæ est suo modo animæ perfectiva. Scientia enim et virtutibus, ut dicit Philosophus [3], perficitur anima. Dicit ergo hic Doctor: *Discite a me*. Discite, inquam, primo causam scientiæ, propter quam. Discite secundo scientiæ formam, secundum quam. Discite tertio scientiæ materiam, circa quam. Nam circa addiscendi materiam, illa tria sunt sollicite addiscenda, et attendenda: primo, causa, qua debemus nos ad discendum moveri; secundo, forma, secundum quam debemus regulari; tertio, materia, circa quam debemus negotiari.

[1] Hug. — [2] *Prov.*, XI, 2. — [3] Arist., *Moral. Nicomach.*, lib. II, c. VI. — [4] Greg., *Moral.*, lib. X, c. XV, al. XVI, vel XI, n. 26, quoad sensum. — [5] Ambros., *de Cain et Abel*, lib. II, c. IV, n. 16. — [6] *Prov.*, XVII, 16. — [7] I *Cor.*, VIII, 1. — [8] Bern., *in Cant.*, serm. XXXVI, n. 6 et seq., et serm. LXIX, n. 2.

(a) *Apud Ambros.* malitiæ.

ARTICULUS PRIMUS.

Dico, quod primo omnium debemus videre causam, propter quam ad scientiam moveri debemus. Non igitur causa vana, non lucrativa; sed causa animæ perfectiva nos debet principaliter ad scientiam movere. Et talis causa est triplex: prima, ut recedamus a malo; secunda, ut proficiamus in bono; tertia vero, ut locemur in optimo: ut recessus a malo sit incipientium; profectus in bono sit proficientium, sive laborantium; sed status in optimo sit pervenientium.

Dico: si bene discere volumus, primo necesse habemus ut recedamus a malo. Non enim potest quis inchoare bonum, nisi prius deserat malum. Omnis enim homo est bonus, vel malus: sunt enim immediate contraria. Ergo nullus potest esse bonus, nisi desinat esse malus, sicut nullus unquam poterit esse sanus, nisi prius desinat esse infirmus. Nam, teste Gregorio [4]: « Qui volunt in agro seminare, prius studeant ex eo herbas noxias removere. » Nullus enim, nisi stultus, seminat inter spinas; sed in terra novo aratro sæpius scissa, et sic seminibus apta. Sic est et in anima, quia non est apta suscipere Dei dona, nisi deserat mala, et per dolorem fiat trita, et disposita divinam accipere gratiam. Unde Ambrosius [5]: « Egressus vitii (*a*), virtutis operatur ingressum. » Unde dicitur [6]: « Qui evitat discere, incidet in malum. » Ergo e contrario sensu, qui studet discere, sciet vitare mala: non enim potest vitari malum, nisi cognitum. Numquid non avis laqueum declinaret, si eum cognosceret? Ideo enim bruta declinat sua nociva, quia de eis habent naturalem scientiam. Est ergo sufficiens scientia ad cognoscenda peccata, ad salutem necessaria: eo quod vitari non possint, nisi cognita; et non vitata, obligant nos ad pœnam: quam pœnam non minuit ignorantia, quæ licet excuset a tanto, non tamen a toto. Et propterea Bernardus, exponens illud Apostoli [7]: « Scientia inflat, charitas ædificat, » dicit [8], quod ista duo, charitas et scientia, sunt ad salutem necessaria; eo quod scientia sine charitate inflat, et charitas sine scientia errat. Multi enim fuerunt viri sanctissimi, qui propter defectum scientiæ

facti sunt hæretici. Exemplum de pauperibus de Lugduno [1], qui fuerunt prius boni, et ab Ecclesia dilecti; dum tamen ex simplicitate hæresim prædicare cœpissent, corrigi renuerunt, et se in suis hæresibus confirmaverunt. Unde hoc fuit, nisi ex ignorantia mali? Quare Dominus post resurrectionem [2] « aperuit discipulis sensum, ut intelligerent Scripturas, » ut et ipsi mala vitanda cognoscerent, et ignorantes de ipso instruerent. Unde dixit Dominus ipsis discipulis [3] : « Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ. » Nonne serpens mala vitat, dum se a veneno mortifero, quo ægrotat, esu herbæ amarissimæ purgat, et pellem veterem abjiciens, totum se renovat? Nonne serpens mala vitat, dum pro defensione capitis, sine quo non vivit, totum corpus exponit? Nonne serpens mala vitat, dum incantatoris vocem declinat [4], et ne eos audiat, aures obturat? Turpe enim est, ut non faciant homines, quod faciunt tanta cura serpentes, sibi noxia declinantes.

Exemplum.

Secundo, non solum discere debemus, ut recedamus a malo; sed ut etiam proficiamus in bono. Non enim sufficit abstinere a malo, nisi fiat quod bonum est. Sed quomodo bonum facies, si bonum ignoras? Quomodo etiam bonum scies, si scientia cares? Numquid eris albus absque albedine? Numquid sanus absque sanitate? Ergo nec sciens absque scientia potes esse. Sed quia necessarium est scire bonum, constat quod talium bonorum scientia necessaria est ad salutem. Necessarium ergo est ad salutem, cognoscere peccata capitalia, ut eviten-tur; cognoscere divina mandata, ut observentur; et scire fidei documenta, ut non erremus. Unde animalia bruta cognoscunt sibi salutaria, et salutifera cibaria. Nam formica viget tanta prudentia, ut sciat distinguere inter grana, et grana : quia derelinquens hordeacea, eligit frumentina. Apes etiam sciunt distinguere inter flores, et flores, et de bonis sciunt eligere meliores. Et homo creaturarum dignissima non cognoscit sua antidota, cujus anima sola est capax veræ scientiæ. Ob hanc causam Apostolus Timotheum ad studium litterarum invitat, ut quæ jam didicit, in eis perseveret [5] : « Tu, » inquit, « permane in his, quæ didicisti, et quæ credita sunt tibi, sciens a quo didiceris. » Et ne putet aliquis in vanis studendum esse, addit : « Ab infantia sacras litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem. Omnis, » inquit, « Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia : ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus. » Est ergo studendum, secundum doctrinam Apostoli, in litteris sacris et divinis præceptis, ut cognoscamus quæ facienda sunt, et quæ vitanda; ut sciamus peccata, cognoscamus remedia; et sciamus mala, et quæ bona in futuro sunt parata. Non autem studendum nobis est in vanis rebus et mundanis, non in poetarum fabulis; non in scientiis lucrativis, non in legibus Justinianis, et similibus. Sed completum est hodie illud Apostoli [6] : « Erit, » inquit, « tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt homines; sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus; et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur. » Hoc maxime de hæreticis verum est, qui docent fabulas, narrant placentia secundum audientium desideria, et, more piscatorum, ponunt hamum mortis sub apparentia escæ dulcis. Nam et auceps sub voce dulcis modulationis cor perforat avis, et sub esca et paleis occultat avibus retia mortis. Sic et hæretici sub facie pallida feralia gerunt corda, et sub voce modula occultant suæ doctrinæ venena, non attendentes doctrinam Christi, sed potius Manichæi. Unde contra omnes tales Propheta dicit [7] : « Narraverunt mihi iniqui fabulationes; sed non ut lex tua. » Non talis hic Doctor, etc.

Exempla.

Tertio, non solum discere debet homo, quomodo recedat a malo, et crescat in bono; sed etiam, ut stabiliatur in optimo, id est, firmetur in summo bono. In hac vita, sicut dicit beatus Bernardus [8], non est vera scientia, sed opinio nutans, et dubia. Et ideo laborandum esset, ut ad eum nostra mens veniret, quem dum cerneret, omnia certa ratione cognosceret. Unde ad hoc invitamur. « Disce, inquit [9], ubi sit sapientia, ubi sit virtus, ubi sit prudentia, ubi sit intellectus; ut scias simul ubi sit longiturnitas vitæ, et victus, ubi sit lumen oculorum, et pax. Quis invenit locum, » inquit, « ejus? Et quis intravit in thesauros ejus? » Quam pauci sunt hodie, qui inveniant hanc sapientiam! Sed, sicut dicitur in eodem [10] : « Exquisierunt sapientiam (*a*), quæ

[1] Pauperes Lugdunenses in *Prateolo*, lib. XIV, cap. XIII. — [2] *Luc.*, XXIV, 45. — [3] *Matth.*, X, 16. — [4] *Psal.* LVII, 56. — [5] II *Tim.*, III, 14, 15-16. — [6] Ibid., 3-4. — [7] *Psal.* CXVIII, 85. — [8] Bern. — [9] *Bar.*, III, 14-15. — [10] Ibid., 23.

(*a*) *Vulg.* prudentiam.

de terra est; » et ideo terrena amant, et de terra tota die tractant, et solum terrenis vacant. Sed qui mente Deo adhærent, veram scientiam ab eo et certam percipiunt, qua se in optimis situabunt. Quam stulti sunt, qui ponunt domum suam non in solido, sed ponunt eam in vento; et dum eam fundare possent in petra, collocant in arena! Dicitur de columba, quod nunquam est secura, nisi quando sedet in foramine petræ. Sic nec nos, nisi simus avibus stultiores, nunquam securi esse debemus, nisi quando in foraminibus veræ petræ, vulnerum scilicet Jesu Christi, quiescere possumus. Nam et capreæ in altissimis montibus, petris et rupibus habitant, ut ab hostibus tutæ vivant. Sic ergo patet causa, propter quam debemus ad discendum moveri.

Exemplum.

ARTICULUS SECUNDUS.

Sed sequitur de forma, secundum quam debemus addiscendo regulari. Est autem hæc forma triplex : prima est, ut audiamus humiliter; secunda, ut cogitemus vivaciter; tertia, ut experiamur efficaciter. Nemo enim bene discit, si Doctoris verba non reverenter audit, si audita non sæpe ruminat, et si cogitata experimento non probat.

Dico, quod verba Dei ab ipsis Doctoribus sanctæ Ecclesiæ audienda sunt reverenter. Quis enim militum regis terreni, cum omni reverentia, non dico regem, sed etiam nuntium, quamvis vilem, non devotus accipiat, et verba ejus, sive litteras sibi directas, non videt, et obedit, sive audit? Nam si non audiret, sed contemneret, filius mortis esset, et tantæ pœnæ subjaceret, quasi regem personaliter contempsisset. Est enim proverbium, quod non tantum quis debet canem respicere, sed cujus sit canis advertere. Exemplum de rege David [1], qui cum ad filium regis filiorum Ammon, patre mortuo, ad eum super patris interitu consolandum, nuntios misisset, et ille eos turpiter derisisset, graviter tulit, et eos devastari præcepit. Lege historiam. Nam etiam brutorum filii parentum doctrinam non tantum audiunt, sed, quod docent, efficiunt. Ergo si sic est inter bruta, si sic homo audit vocem terreni regis, quomodo vox summi et immortalis Regis sit audienda attende. Unde Dominus dixit ad Hieremiam, ejusdem querimoniam ponens [2] : « Vade, et dic viris Juda : Numquid non obedietis verbis meis? Prævaluerunt sermones Jonadab filii Rechab, quos præceperat filiis suis, ut non biberent vinum : et non biberunt usque in diem hunc, quia obediebant præcepto patris sui. Ego autem locutus sum ad vos, et non obedistis mihi. » Audiamus ergo reverenter verba Domini, ac nuntiorum ejus, ut esse possimus sapientes. Unde dicitur [3] : « Non despicias narrationem presbyterorum sapientum, sed disce ab eis sapientiam. » Idem [4] : « Si accommodaveris aurem tuam reverenter, tunc sapiens eris. » Sed quidam sunt qui audire sapientes renuunt, prædicatores fugiunt, admonitiones contemnunt, nec antiquorum exempla attendunt, qui usque ad canos sapientiam quæsierunt. Audi quid de his Hieronymus in Prologo super Bibliam, ad Paulinum, de omnibus divinæ historiæ libris dicat [5] : « Legimus quosdam lustrasse provincias, novos adisse populos, maria montesque transisse, ut eos, quos ex libris noverant, coram quoque viderent. » Quis inter philosophos Pythagora nobilior? quis Platone famosior et sapientior? Et tamen, ut ipse ait [6], « Pythagoras Memphiticos vates, Plato vero Ægyptum et ipsam Italiam laboriosissime peragravit; et qui Athenis magister erat, discipulus factus est, malens aliena verecunde dicere, quam sua impudenter ingerere. »

Secunda forma addiscendi est meditari vivaciter. Frustra quidem verbum auditur, nisi mente teneatur, sæpius ruminetur, et vivaci intelligentia cogitetur. Quid enim scholari valet, si ad scholas primus omnium vadat, et magistri verba aure percipiat, si nihil ex auditis retineat? Quid valet naturæ secreta exquirere, subtilia multa more philosophico invenire, sed nihil ex inventis memoriæ commendare? Quid valeret aurum quærere, et plumbum invenire, si, dum in via esset, oblivisci contingeret? Sic etiam non valet ad prædicationem ire, et ex auditis nihil penitus retinere. Unde in lege Moysi [7] animalia illa immunda erant, quæ non ruminabant. Quid enim est spiritualiter ruminare, nisi divina verba, et consilia, et præcepta mente revolvere, et sic oblivioni non tradere? Sed quid erit ungulas fissas habere, nisi pro male gestis corda scissa portare, ut sic essent corda per contritionem divisa, et per ruminationem divinorum verborum devota? Plus

[1] II *Reg.*, x, 1 et seq. — [2] *Jerem.*, xxxv, 13-14. — [3] *Eccli.*, viii, 9. — [4] Ibid., vi, 33. — [5] Hieron., *ad Paulin.*, epist. cxiii, in princ. Idem referunt Chrysost., *in Joan.*, hom. i; Valer. Max., lib. VIII, c. vii; Laert. et alii. — [6] Ibid. — [7] *Levit.*, xi, 26; *Deut.*, xiv, 8.

enim delectatur ovis ruminando quod carpsit, quam carpendo quod invenit. Ergo si ignores ista, o mulier pulcherrima, o omnium creaturarum dignissima, videlicet rationalis creatura, vade juxta Salomonis sententiam [1] et doctrinam, post gregum vestigia, et disce a brutis sapientiam. Sic [2] : « Vade ad formicam, o piger, et considera vias ejus, et disce sapientiam. » O si consideraret homo formicam tam exiguam carne, quam ex ossibus nullam, quam sit prudentissima acervos sibi faciendo, quam prudentissima sit grana in cibum sibi quærendo, quam prudentissima sit inter grana non hordeacea, sed frumentina potius eligendo, et colligendo, quam sit prudentissima in ea, quæ colligit, conservando; numquid non stupebit, imo admirationem incurret? Ergo si verbum prædicationis cibus est mentis, quia, ut dicitur [3], « non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei; » quomodo, dum in prædicationem vadis, more formicæ meliora non eligis, et in memoria ad perpetuam dulcedinem non reponis? Turpe enim est, ut major prudentia sit in brutis, quam in prudentissimo animali, quod ultra bruta rationem accepit. Et, ut dicitur [4] : « Interroga jumenta, et docebunt te; volatilia cœli, et indicabunt tibi, et narrabunt pisces maris. Quis enim ignorat, quod omnia hæc manus Domini fecerit (*a*)? » Hic possent poni innumerabilia exempla de prudentia animalium, volatilium, piscium et gressibilium.

Tertio, forma addiscendi est experiri veraciter et efficaciter. Quid enim prodesset domum ædificare, et nunquam eam inhabitare? Quid valeret cibos multos et divitias congregare, et nunquam ex eis sumere? Ergo non valet, si verbum audias et corde retineas, si juxta verbum operari desistas. Nam operari est finis eorum, quæ homo audit, et conservat vivacitate mentis; imo sicut omne est vanum quod non assequitur finem suum, cum omne opus sit ex fine laudandum; sic vanum est dicere, vanum est memoriæ commendare, si desit et facere. Quare non est laudanda felicitas navigantis, quamdiu inter fluctus maris incedit; sed solum dum ad portum perveniet. Nec laudandus est dux bellorum, quantumcumque sibi prospere succedat, quamdiu aliquid restat, nisi prius victoriam plenam obtineat. Ergo nec multum laudandi sunt homines, qui solum prædicationes audiunt, et secundum audita non faciunt. Non enim sufficit, si tantum speculativam habeat scientiam, nisi habeat experientiam, quia experientia facit artem. Et propterea Salvator noster, cum esset medicus animarum omnium, nostras voluntates voluit experiri, an posset compati more boni medici, qui cum infirmis dicitur infirmari. Unde dicitur [5] : « Didicit ex his, quæ passus est, obedientiam. » Et ideo dicitur nobis [6] : « Estote factores verbi Dei, et non auditores tantum, fallentes vosmetipsos. » Unde [7] : « Dicunt, et non faciunt. » Non talis erat Apostolus, qui dicebat [8] : « Nihil audeo loqui eorum, quæ per me non effecit Christus. » Et quid mirum de viris sanctis, cum hoc fuerit in philosophis? Nam Tullius dicit quod prius est artis facere, quæ ipse doces.

[1] *Cant.*, I, 6. — [2] *Prov.*, VI, 6. — [3] *Deut.*, VIII, 3; *Matth.*, IV, 4. — [4] *Job*, XII, 7-9. — [5] *Hebr.*, V, 8. — [6] *Jac.*, I, 22. — [7] *Matth.*, XXIII, 3. — [8] *Rom.*, XV, 18.

ARTICULUS TERTIUS.

Tertio, visa causa, propter quam debemus ad discendum moveri, et addita forma, secundum quam debemus ad discendum regulari et dirigi, ponenda est materia, circa quam debemus negotiari. Est autem materia secundum tria, quæ debemus addiscere : nam primo debemus addiscere timorem reverentiæ; secundo, amorem benevolentiæ; tertio, rigorem justitiæ : ut sic homo discat timorem reverentiæ circa Deum, et amorem benevolentiæ circa proximum, et rigorem justitiæ in seipsum.

Dico ergo primo, quod homo debet discere timorem reverentiæ circa Deum. Nam timere Deum, omnis boni est fundamentum, quia per eum homo dimittit peccatum, et incipit agere bonum, et aspirat ad optimum, et impeditur ne recidivet in malum [9] : « Per timorem Domini recedet omnis a malo. » [10] « Si non in timore Domini habueris te constanter, convertetur cito domus tua. » Quis enim peccator non timet judicem omnia cognoscentem, et universa subtiliter exquirentem, et omnia mala punientem? [11] « Quis non timebit te, o Rex gentium? » Si sic timet gallina pro filiis milvum, si sic columba nisum, si sic falco, avis regia, aquilam avium reginam, ut præsente ea non audeat exire ad prædam; quantum est timenda, et reverenda illa summa potentia, cui nulla potest resistere

Exempla.

[9] *Prov.*, XV, 27. — [10] *Eccli.*, XXVII, 4. — [11] *Jerem.*, X, 7.

(*a*) *Cæt. edit.* fecerat.

creatura? Et propterea Dominus dicit ad Moysen [1] : « Congrega ad me omnem populum, ut audiat sermones meos, et discat timere me omni tempore. » Unde Psalmista [2] : « Timeat Dominum omnis terra ; ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem. » Nam, sicut dicitur [3] : « Vobis timentibus nomen meum orietur sol justitiæ. » Nam et reges mundi, et principes, multum amant milites, quos vident circa se reverentes, et reverenter suis imperiis obsequentes ; sed disperdunt et opprimunt contrarium facientes.

Secundo, discere debemus amorem benevolentiæ circa proximum. Ut scribit Apostolus [4] : « Ipsi enim vos a Deo didicistis, ut diligatis invicem. » Certe hoc docet, et prædicat omnis Scriptura, et hoc etiam docet ipsa natura. Quid enim aspide serpente crudelius ? et tamen sic suum comparem diligit, ut absque eo vix vivere possit : unde si quis eorum aliquem occidere vult, alter eorum miro modo persequitur occisorem, et illum ubicumque invenit, invadit eum, et mori pro compari parvipendit. Quid enim mundus esset, qui tam diversa in unum unit, si amor creaturarum non esset ? Quis enim complete enarret columbarum, struthionum, gruum et anserum amorem simul incedentium, simul quiescentium ? Ergo si ita est in avibus, si ita in serpentibus, quid in hominibus, qui sunt ab uno Deo quodam modo specialiter, qui sunt ab uno solo homine orti, et ad unam beatitudinem ordinati, qui de ipsa dilectione mutua ad fratrem, aut proximum, divinum acceperunt (*a*) præceptum ? Amemus igitur nos, fratres, non solum lingua, sed et sermone ; et non tantum corde, sed etiam opere : quia, ut Gregorius dicit [5], « probatio dilectionis, exhibitio est operis. »

Tertio, discere debemus rigorem justitiæ in nosipsos. Unde et Propheta dicebat [6] : « Confitebor tibi in directione cordis, in eo quod didici judicia justitiæ tuæ, » id est, didici me corrigere. Nam et leo cauda se ferit ; lupus acerrimo dente pedem offendentem stringit ; gallus se alis percutit, nec canere præsumit, antequam se percusserit : quia revera nullus ad cantum æternum valebit pervenire, qui se hic non afflixerit. Hæc omnia sancti Doctores fecerunt, sicut eorumdem nobis scripta ostendunt. Unde ipse Doctor gentium nobis dicebat [7] : « Castigo corpus meum, et in servitutem redigo : ne cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar. Exemplum sancti Hieronymi, quomodo carnem suam attrivit in orationibus, et jejuniis, et vigiliis [8]. Lege ejus Legendam.

Exemplum.

DE UNA S. VIRGINE.

SERMO PRIMUS [9].

Veni de Libano, veni : coronaberis [10]. Vix est servus tam malus, sicque perversus, qui ad dominum suum, vocatus, renuat venire. Nam et catuli, a dominis verberati, redeunt mox vocati ; redeunt ad manus dominorum et accipitres ; redeunt et falcones, quamvis sint aves valde crudeles, de sola rapina viventes. Quæ est ergo ingratitudo nostra, quæ est arrogantia nostra, quæ est stultitia nostra, cum vocati a Domino, non ad corporalem et periturum cibum, nec ad supplicium, sed ad æternum regnum vocantem non attendimus, non audimus, sed contemnimus, quem terra tremit, mare audit, et infernus expavescit ! Hæc Virgo non talis fuit ; sed fuit Virgo sancta, Virgo pudica, Virgo mente et corpore præfulgida ; sed a Christo vocata, primo servivit in gratia, et secundo vocata ad gloriam, accessit obediens ad coronam. Bene ergo dicitur ei : *Veni de Libano*, etc. In quo verbo commendabilis redditur, et quantum ad statum viæ, quo militavit in sæculo, et quantum ad statum patriæ, quo triumphat in cœlo. Nam status primus respicit viæ meritum, quo fuit gratia adornata ; sed status secundus respicit patriæ præmium, quo nunc est gloria coronata. Commendatur ergo primo a merito, quo claruit luculenter in via, cum dicitur : *Veni de Libano*. Secundo, commendatur a præmio, quo sublimata claret in patria, cum additur : *Veni, coronaberis*. Dicit ergo Dominus et Salvator noster : *Veni de Libano*. Libanus *candidatio* interpretatur, qua status meriti designatur, eo quod in candore munditia hominis utriusque accipitur. Est ergo notandum, quod triplex est candor, sive munditia, quo aliquis candescit : nam primo est candor, quo quis splendet in mente ; secundo, est candor, quo quis fulget in carne ;

[1] *Deut.*, IV, 10. — [2] *Psal.* XXXII, 8. — [3] *Malac.*, IV, 2. — [4] I *Thess.*, IV, 9. — [5] Gregor., *in Evang.*, hom. XXX, n. 1. — [6] *Psal.* CXVIII, 7. — [7] I *Cor.*, IX, 27. — [8] Hieron., *ad Eustoch.*, epist. XXII, post initium. Idem refertur in ejus vita, quæ scripta est in limine operum ejus. — [9] Neque hunc, neque tres sequentes habet edit. Hageno. an. 1496. — [10] *Cant.*, IV, 8.

(*a*) *Cæt. edit.* acceperant.

tertio, est candor, quo quis lucet in opere, vel in exteriori conversatione. Nam tunc est homo vere mundus et candidus, quando est candidum corpus, et est candidus animus, et est candidum opus.

Dicamus ergo : Ad veram munditiam, primo requiritur candor in mente. Dicitur autem candida anima, quando nulla culpa est deturpata, nec ulla immunda fœdata cogitatione. Et hæc munditia mentis omnes alias munditias antecedit, tanquam aliarum omnium fundamentalis et radicalis. Nulla enim est pulchritudo in arbore, quæ non venit a radice ; nihil pretiositatis in lumine, quod non descendit a sole. Ergo nihil est pretiositatis et pulchritudinis in corpore, vel sermone, nec in opere, quod non descendit a fonte, scilicet corde, a quo membra omnia et moveri habent et vivere, sicut habet ramusculus a radice. Nunquam potest homo esse vere mundus exterius, si immundus fuerit interius, quia immunditia exterior immunditiæ interioris apertissimum est signum : quia, sicut dicit Augustinus [1] : « Impudicus oculus, impudici cordis est nuntius. » Similiter et impudica verba, et impudica opera et immunda esse probant corda immunda. Hoc ergo attendens hæc Virgo sancta, volens candida esse in carne et opere, studuit prius esse candida in mente, ne frustra laboraret inter cætera, cordiali munditia derelicta. Unde de ea potest convenienter accipi illud [2] : « Candor est lucis æternæ, et speculum sine macula. » Lux enim nihil habet immunditiæ admixtum; imo in tantum est pulchra, ut non fiat immunda, transiens etiam per immunda : sic et virgines plures, etsi potuerunt ad lupanaria duci, non tamen potuerunt fœdari. Sed quis hodie habet hanc munditiam cordis ? [3] «Quis potest dicere : Mundum est cor meum? » Si fœda sunt hominum corda, tunc fœdæ sunt et hominum conscientiæ. Similes sunt homines nostri temporis leænæ, quæ est animal adeo luxuriosum et fœdum, ut semper aspiret ad coitum : quare sibi leo non sufficit, sed miscet se pardis. Unde dicitur [4] : « Omnia munda mundis : et infidelibus nihil mundum, sed coinquinata est eorum mens, et conscientia. »

Secundo requiritur candor in carne. Candor enim, sive munditia carnis, pendet ex munditia mentis, cum corpus nunquam coinquinari possit, nisi de consensu mentis. Unde sancta Lucia dicebat : « Si me invitam violari feceris, castitas mihi duplicabitur ad coronam. » Et ideo de hac S. Virgine N. potest exponi illud [5] : « Pulchriores sunt oculi tui vino, et dentes tui lacte candidiores. » Quid per oculos, quibus universa videmus, nisi potentia cognitiva signatur ? Quid per dentes, quibus cibum accipimus, dividimus et masticamus, nisi potentia affectiva, quibus omnia ruminamus? Quid per lac candidum, nisi corpus virgineum? Quid enim est lac, nisi sanguis bis coctus in ubere? Et constat [6], quod vita carnis maxime in sanguine consistit. Quare in lacte accipitur corpus, et proprie in ejus candore candor venustatis virgineæ. Est etiam notabile, quod lac est candidum non solum exterius, sed etiam per totum interius, quia non est perfecta munditia, quæ est in sola carne, nisi sit et in mente. Unde Philosophus dicit, quod non dicitur continens omnis qui se ab immunditia abstinet; sed si continet, et hoc ipso gaudet. Nulla enim virtus, loquendo proprie, existit in corpore ; sed intus in mente, et tunc redundat in carnem. Unde virginitas virtus habitus est animæ, redundans foris in carne. Sed quis hodie virgo existit? Quis carnem suam virginitate custodit? Quæ bruta, quantumcumque lasciva, sicut homines, sunt immunda? Numquid tantæ continentiæ sunt homines, ut sunt elephantes? Valde luxuriosi sunt equi et canes ; sed magis homines, cum tamen eis præceptum sit [7] : « Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus. » Et notabiliter dicitur *intellectus*, quia animalia intellectu carent, et tamen sensibilia de sui natura sunt totaliter ad lasciviam prona (*a*) : sed intellectualia, quæ sunt a sensibilibus elevata, sunt ad finem alium ordinata. Sed est hodie natura mutata et variata, sunt opera perversa, dum natura rationalis, Deo mente similis, plus vacat luxuriæ, quam brutalis. Nam videmus, quod bruta solum in vere coeunt ; sed homines omni tempore, ita quod nec festa custodiunt. Bruta coeunt ad generationem, unde suam valeant conservare speciem ; homo communiter ad solam delectationem carnis : unde nec cessat a muliere prægnante, cum multa sin animalia, quæ post conceptum fœtum abstinen a fœmina. Bruta etiam in actu carnali modum naturæ non mutant, sed servant, præter pauca ;

[1] Aug., *Regul. ad serv. Dei*, n. 6. — [2] *Sap.*, VII, 16. — [3] *Prov.*, XX, 9. — [4] *Tit.*, I, 15. — [5] *Cant.*, IV, 10. — [6] *Levit.*, XVII, 11. — [7] *Psal.* XXXI, 8.

(*a*) *Cæt. edit.* proni.

sed homines naturæ modum sæpius mutant, et cum uxoribus non servant: sicut etiam fuit ante diluvium, quando propter hoc mundo diluvium est inductum. Unde scribitur [1] : « Omnis quippe caro corruperat viam suam super terram. Videns ergo Dominus, quod cuncta cogitatio cordis humani intenta esset ad malum omni tempore, dixit ad Noe : Finis universæ carnis venit coram me, et repleta est terra iniquitate : et ego disperdam eos cum terra. » Et ecce si sic modo est, ut tunc erat, ergo non restat, nisi ut finis mundi veniat, et omnes rapiat ad infernum. Nam et Dominus ipse prædixit dicens [2] : « Sicut fuit in diebus Noe, sic erit in adventu Filii hominis. » Nam sicut illi tempore Noe non credebant, sed eum fabricantem arcam deridebant ; sic nec vos creditis hunc mundum finiendum, donec pœna doceat, quod conscientia nunc scire recusat. « Cum enim, » ut ait Apostolus [3], « dixerint : Pax et securitas ; tunc repentinus eis superveniet interitus, et non effugient. » Sæpe enim avis capitur laqueo, piscis hamo, quia dum securus uterque vadit, paratum sibi periculum non advertit. Unde dicitur [4] : « Sicut pisces capiuntur hamo, et aves laqueo ; sic homines capiuntur in tempore malo. »

Tertio requiritur, ut sit candor in opere. Sic enim perfecta est nostra munditia, quando non solum munda sunt corda, sed etiam verba et opera. Debet enim munditia mentis resplendere in visu, in auditu et in tactu, in incessu, et in habitu, et effectu. Non enim potest esse, ut, ubi sunt vere (*a*) munda corda, quod verba et opera sint immunda : quia immunditia verborum, vel operum, signum certissimum est immunditiæ cordis. Unde mulier quædam sancta dicit in Vitis Patrum, quod non est vera castitas apud homines sæculares, eo quod sunt omnium sensuum corruptores suorum. Hæc ergo Virgo sancta candorem, quem gerebat in corde, portavit et in opere, et in omni sua conversatione. Sciebat enim scriptum esse [5] : « Omni tempore sint vestimenta tua candida. » Et illud quod de Domino Salvatore habetur [6] : « Vestimenta ejus candida fuerunt sicut nix. » Quid per vestimenta candida, nisi opera munda? Sicut vestibus calefimus exterius, sic operibus inflammamur interius. Item, sicut vestimentis contra injurias aeris tegimur, sic contra diabolum bonis operibus defensamur. Item, sicut vestibus homo exterius adornatur, sic bonis operibus et sanctis totus homo luminosus efficitur. Ergo, in hac virgine sancta, vestimenta candida fuerunt ipsa opera luminosa. Sciebat enim a Domino esse præceptum [7] : « Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona. » Unde de ea potest dici illud, quod dicitur de uxore Agni, quæ est Dei Ecclesia, [8] « non habens maculam, neque rugam. » « Datum est, » inquit Joannes [9], « ei, ut cooperiat se bysso candido et splendenti. » Byssus candidus et splendens, est opus ex toto luminosum et pulchrum. Sed quis est hodie, cujus opera sint undique splendida et candida, et non sordida et immunda? Sunt enim hodie homines porcis similes, qui semper lutosa quærunt, et diligunt lutum, et tota die in luto se volvunt, nec ejus fœtorem sentiunt, quem odorem delectabilem esse credunt. Fugiunt aves fœtida, amant odorifera ; sed luxuriosi, divinæ imaginis obliti, solo fœtore luxuriæ sunt contenti. O rabies detestanda! o frenesis inaudita, ut humana scientia sit cæca, et non sentiat sibi fœtida et nociva, cum his non deficiat formicarum prudentia, nec multorum brutorum industria! Sequitur : *Coronaberis*. In quo notatur sublimitas præmii, qua est præmiata in patria. Nam corona est res pretiosa ex parte materiæ, et est res speciosa ex parte formæ, et est æternitatis significativa ex parte figuræ. Et sic vita illa beata est summe pretiosa, propter summum bonum ; et summe speciosa, propter summum pulchrum ; et est æterna, propter summe immensum. Sed de his quære in Sermonibus de Martyribus, supra et infra.

SERMO II.

In perpetuum coronata triumphat [10]. Dignum est, et justitiæ consonum, ut qui fortiter pugnat, et hostem suppeditat, coronam triumphalem accipiat. Unde dum tales coronantur, cæteri ad victoriam animantur. Unde antiquitus victores bellorum coronati coram omnibus incedebant : et sic ad bellandum omnes fortiter animabantur. Dum enim de capta præda aliquid canibus datur, contingit, ut ad bestias capiendas amplius concitentur. Multi ad bellandum milites animantur, quando munus eis proponitur. Unde cum magnus Alexander magna dona mi-

[1] *Gen.*, VI, 12-13. — [2] *Matth.*, XXIV, 38-39. — [3] I *Thess.*, V, 3. — [4] *Eccle.*, IX, 12. — [5] Ibid., 8. — [6] *Marc.*, IX, 2. — [7] *Matth.*, V, 16. — [8] *Ephes.*, V, 27. — [9] *Apoc.*, XIX, 8. — [10] *Sap.*, IV, 2.

(*a*) *Cæt. edit.* vera.

litibus dabat, in tantum eos ad prælia animabat, quod nulla pericula subire titubabant, et fortissime dimicabant. Sic Virgines sacræ, quamvis debiles corpore, tanta pollebant fortitudine animæ, dum respicerent ad mercedem, ut gladiis, sive ignibus, superari non possent. Et ideo de una earum bene dicitur verbum propositum : *In perpetuum coronata triumphat.* In quo verbo commendabilis ostenditur a duobus : primo, ex parte adversarii quem devicit; secundo, ex parte præmii quod accepit : ut sic ostendatur ejus victoria triumphalis, qua hostem dejecit in via; et insuper ostenditur ejus gloria æternalis, qua coronata est in gloria. Notatur ergo primo victoriæ adeptio, quam de hoste obtinuit, cum dicitur : *Triumphat.* Secundo notatur præmii assecutio, quod accepit, cum additur : *In perpetuum coronata.* Verum, ut simul tractemus totum meritum et præmium breviter, est notandum, quod hæc Virgo sancta quadruplici corona coronata existit, correspondente gratia, quam possedit in via. Nam primo coronata fuit corona luminosa, propter splendorem sapientiæ, qua refulsit; secundo coronata fuit corona speciosa, propter pulchritudinem carnalis munditiæ, quam servavit; tertio, coronata fuit corona pretiosa propter pretiosum donum patientiæ, quo pugnavit et vicit; quarto, coronata fuit corona gloriæ, propter virtutem pœnitentiæ, quam portavit.

Dico, quod hæc sancta Virgo fuit a Deo coronata corona luminosa, sive radiosa, propter radium sapientiæ, qua refulsit. Innumerabiliter utique sapientia splenduit, dum viam pœnitentiæ virtutis elegit, dum suam virginitatem Christo servavit, dum coram judicibus sic sapienter respondit, dum pro Christo mori non timuit, sed magis optavit. Usa est enim prudentia parvuli cujusdam piscis, qui echinus [1] appellatur a multis : qui dum tempestatem maris futuram præsentit, calculo se capit, et pondere sic in maris fundo se stabilitat, ut a fluctibus moveri non possit. Sic et hæc sancta Virgo, dum in tempestuoso mundi mari degeret, sapientia piscis pollens, lapidem scilicet arripuit, cujus stabilita domo, dono virtutis inter fluctus remaneret immobilis. Nam [2] « sapiens (*a*) manet in sua sapientia, sicut sol; sed stultus, sicut luna mutatur. » Exemplum hujus sapientiæ accipe in sancta Catharina, Barbara, Cæcilia, Agnete, Anastasia, et Agatha, quæ tanta sapientia refulserunt, quod omnes judices et mundi sapientes verbis suæ sapientiæ confuderunt. Propter hanc ergo sapientiam tota hæc Virgo sancta a Deo est coronata corona radiosa, ex stellis fulgentibus fabricata. Unde de ea potest exponi illud [3] : « Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta sole, » propter refulgentiam sapientiæ et veritatis, sive propter incendium charitatis; « et luna sub pedibus ejus, » propter contemptum terrenorum; » et in capite ejus corona stellarum duodecim, » propter altitudinem dignitatis. Non enim coronantur, nisi personæ altissimæ in dignitate, ut reges, et reginæ. In numero duodecim stellarum, quem numerum asserunt sapientes esse perfectum, ex duobus senariis aggregatum, juxta numerum duodecim apostolorum intellige perfectionem et abundantiam præmiorum. Sed quis est hodie, qui obtineat coronam hanc radiosam? Sic patet, quod hæc corona radiosa redditur sapientiæ. Ergo qui in hac vita sapiens non est, juxta Domini sententiam ad coronam hanc pervenire non potest. Sed hodie non habetur sapientia vera, sed vana; non cœlestis, sed terrena; non divina, sed humana; non serpentina, sed vulpina, et fraudulenta, quæ non est dicenda sapientia, sed astutia, et malitia. Unde [4] « sapientes sunt, ut faciant mala; bene autem facere nesciunt. » Stultus enim factus est omnis homo a sapientia sua. Quis est hodie sapiens, nisi ad malum cogitandum, et ad malum loquendum, et malum contra proximum loquendum et operandum? Utinam haberemus sapientiam serpentinam, qua serpens utramque claudit aurem, ne vocem audiat adversarii incantantis [5]; et per arctum foramen ingrediens, veterem pellem deponit, et novam assumit; et pro suo capite defendendo totum corpus morti exponit [6]! Nos ergo debemus aures cordis nostri claudere, ne suggestiones diabolicas audiamus; et per arctum foramen pœnitentiæ incedere, ut vitam peccatorum veterem abjiciamus, et novam vitam virtutum induamus, et pro Christo nostro capite satagere, ut pro ipsius honore nos et omnia nostra ponamus. Sed quis hodie ista facit? Sed adhuc hodie regnat in mundo vulpina sapientia. Vulpes enim semper tortuose incedit, ne ejus via

[1] De echino pisce, vide Plin., lib. IX, *Natur. Hist*, cap. I. — [2] *Eccli.*, XXVII, 12. — [3] *Apoc.*, XII, 1. — [4] *Jerem.*, IV, 22. — [5] *Psal.* LVII, 5-6. — [6] Quomodo serpens exuat senectutem, vide Arist. *de Hist. animal.*, lib. VIII, cap. XVII, part. V.

(*a*) *Vulg.* sanctus.

a canibus deprehendi valeat; sed et in dextram claudicat partem, et in sinistra se elevat, et gallinis insidiari non cessat. Sic et hominum vita, vel via, tota est tortuosa, et malitiis tota plena; claudicat ad omnia bona, et se erigit ad omnia mala; et contra proximum tota die est insidiosa.

Secundo, coronata fuit corona speciosa, propter pulchritudinem virginalis pudicitiæ, quam servavit. O quam speciosa fuit, dum carnis immunditiam declinavit, dum luxuriæ fœtores abhorruit, et dum suam carnem a corruptione servavit! nihil turpius, vel fœtidius, quam, porcorum more, nasum in luto tenere. Si apes se custodiunt virgines, quid nostræ debent facere mulieres? Si virgines multæ Romanæ, quamvis paganæ, virginitatem suam idolis dedicarunt, quid Virgines pro Christo facere deberent, ostenditur. Nam sicut albedo omnium colorum est fundamentum, sicut ostenditur in arte pictorum, sic munditia bonorum omnium est fundamentum. Unde Gregorius, exponens illud verbum Domini [1] : *Sint lumbi vestri præcincti*, etc., sic ait [2] : « Lumbos enim præcingimus, cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus; et lucernas ardentes in manibus portamus, cum per bona opera proximis nostris lucis exempla monstramus : quia nimirum nec castitas aliquid est sine bono opere, nec bonum opus penitus aliquid est sine castitate. » Hoc enim attento, hæc Virgo sancta studuit per omnia esse casta, et pulchra, et munda, absque macula, ut posset attingere ad coronam fulgidam ex auro sibi præparatam. Nihil enim inter omnia metalla auro pulchrius ; imo nulla omnino pictura sine auro est pulchra, quia aurum est omnium colorum pulchritudo. Item nihil est auro solidius, et quasi nihil est eo ponderosius, ut dicit Philosophus [3] : « Omne corpus, quanto est solidius, tanto est compactius, et minus porosum : et ideo ponderosius. » Et dicit, quod hæc regula solum fallit in plumbo et ferro [4]. Nam cum ferrum sit magis solidum, quam plumbum, est tamen minus ponderosum, sicut utrumque patet ad sensum. Dignum ergo fuit, ut hæc Virgo sancta, propter pulchritudinem et munditiam suæ carnis, necnon et integritatem suam, coronam de auro fulgido et incorrupto susciperet loco mercedis. Unde potest ei convenire illud [5] : « Corona aurea super caput ejus, » supple, mittitur. Sed quis ad hanc hodie meretur coronam pervenire? Quis hodie mundus a sorde? Quis munditiam carnis servat? Quis non more bestiarum, scilicet canum et equorum, luxuriæ vacat? Ergo si corona aurea speciosa redditur castis et nitidis, nullus immundus hanc obtinebit. Unde dicitur [6] : « Foris canes (*a*) impudici. » Et Apostolus [7] : « Fornicatores et adulteri regnum Dei non possidebunt. » Sed anima, quæ vixit caste, poterit dicere illud [8] : « Gaudens gaudebo in Domino, et exultabit anima mea in Deo meo : quia induit me vestimento salutis, » scilicet charitate; « et indumento justitiæ circumdedit me, » id est, castitate, per quam homo, quia peccavit, juste se punit : « et tanquam sponsam decoravit me corona, » id est, speciositate. Nihil enim pulchrius forma rotunda, quæ splendet maxime in corona. Consueverunt enim puellæ tempore æstatis, dum suas coronas construunt ad bellandum, eas gemmis parvulis, et auro, et argento, binis sertis et corrigiis pretiosis ornare.

Tertio, fuit coronata corona pretiosa, ex lapidibus pretiosis et caris formata, propter fortitudinem patientiæ, quam in pugna servavit. Lapis enim aliquis pretiosus tantam soliditatem habet, et fortiter sibi partes inhærent, ut nec ferro dividantur, nec igne rumpantur [9]. Unde per coronam lapideam pretiosam est signata patientia, quæ pretiosior est omni gemma, et solidior omni petra, licet nullum sit genus lapidis, quod aliqua arte frangi non possit : unde adamas [10] sanguine hircino frangitur, et etiam, si inter plumbum collocetur, et malleo feriatur. Sic nec patientia vera exuritur, nec ferro rumpitur, nec aquis (*b*) irruentibus superatur, nec ipsa morte vincitur; sed ad modum auri purissimi nunquam sub malleo frangitur, nunquam scinditur; sed tantummodo dilatatur. Nam insulæ est simillima, quæ aqua undique percussa non dissolvitur, sed amplius solidatur. Nam et ad modum ursi ictibus impinguatur quia hæc Virgo sancta sic in tentatione pinguis, et bellis fortissima, et solidissima fuit, ideo coronam lapideam et pretiosam accepit [11] : « Posuisti, Domi-

[1] *Luc.*, XII, 35. — [2] Gregor., *in Evang.*, hom. XIII, n. 1. — [3] Arist., *Physic.*, lib. IV, text. 85, part. 4. — [4] Ferrum est minus ponderosum quam plumbum. — [5] *Eccli.*, XLV, 14. — [6] *Apoc.*, XXII, 15. — [7] *Ephes.*, V, 5. — [8] *Isa.*, LXI, 10. — [9] Hieronymus de adamante hoc dicit, *in Amos.*, c. VII. — [10] Aug., *de Civit. Dei*, lib. XXI, c. IV, n. 1 ; Plin., *Hist. nat.*, lib. XXXVII, c. VII. — [11] *Psal.* XX, 4.

(*a*) *Suppl.* et. — (*b*) *Cæt. edit.* aliquibus.

ne, in capite ejus coronam de lapide pretioso. » Sed quis est hodie, qui injuriis etiam levibus non turbetur, qui non statim ad modicum signum scandalizetur? Qui non portat ferrum, Exemplum. non portabit ictum. Sunt etiam homines hodierni de natura oleæ, quæ nullo modo vult percuti; imo si eam percusseris, nullum fructum in sequenti anno portabit. Quidam habent naturam ursi, qui volunt se de omnibus vindicare. Unde si post aliquem currit, et alius eum percusserit, statim primum dimittit, et alium invadit. Quidam etiam naturam habent apis, quæ pro se vindicanda vitam suam exponit. Sæpe tamen vindicare se volenti accidit, sicut cani, qui lapidem sibi projectum dentibus rapit, et dum lapidem lædere quærit, sibi potius dentem lædit. Proverbium apud nos certum est : Qui male injurias suas vindicat, dum vindictam quærit, in pejus incidit, quia injurias accipit, quas injurias (*a*) primis addit. Qui ergo tales sunt, ad coronam pretiosorum lapidum non attingunt. Scriptum est [1] : « In patientia vestra possidebitis animas vestras. » Non enim posset triticum in horreum poni, nisi prius in paleis fuerit fortiter tribulatum; similiter nec in doleis vinum, nisi in pila fuerit fortiter conculcatum : non redolet unguentum, nisi fortiter fuerit agitatum. Ergo nec tu intrabis in regnum cœlorum, nisi prius hic pressus fueris per tormenta. [2] « Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit. »

Quarto, coronata fuit hæc Virgo sancta et gloriosa propter castitatem et humilitatem, quam in via portavit. Dignum est enim, ut qui se in via propter Christum humiliat, ut in patria coronam gloriosam accipiat, et tanto gloriosiorem, quanto se habere potuit viliorem. Secundum enim mensuram humilitatis in mundo, mensura præmii respondet in cœlo, vel in regno. « Qui enim [3] se humiliat, exaltabitur; » et qui magis se humiliat, eo maxime exaltabitur; ut aqua, quæ quanto ab altiori monte in vallem magis profundam descenderit, tanto magis in montem illi oppositum sursum tendit. Sic etiam nullus mons est, ut constat, qui apud se vallem non habeat. Sic omnino necessarium existit, ut juxta profunditatem vallis, altitudo sit sui montis. Contrariorum enim contraria est natura. Quare sicut aliquis, quanto plus ascendit, tanto, dum cadit, profundius ima petit; sic e contrario, quanto quis amplius descendit, tanto amplius sursum tendit. Sic ergo secundum mensuram temporalis gloriæ, est mensura temporalis ruinæ, sicut de Lucifero dicitur, qui quanto altius ascendere voluit, tanto profundius est demersus. Sic juxta mensuram vilitatis pœnitentiæ, est mensura gloriæ. Exemplum de beatissima Virgine Maria, quæ summe humilis fuit; ideo summe exaltari promeruit. Unde dicitur [4] : « Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date ei tormentum et luctum. » Ergo a contrario sensu licet inferre : quantum se humiliavit hic, tanto gloriosior sit corona mercedis. Unde de hac Virgine humili dicitur [5] : « Spiritus Domini super me; eo quod unxerit me. Ad annutiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, et prædicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem, ut prædicarem annum placabilem Domino, et diem ultionis Deo nostro : ut consolarer omnes lugentes: ut ponerem fortitudinem lugentibus Sion, et darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris. » Et addit in sequenti capitulo, loquens de Virgine [6] : « Et eris corona gloriæ in manu Domini, et diadema regni in manu Dei tui. » Nec mirum, quia, ut dicitur, ipse ponit humiles in solio, et mœrentes erigit in sospitate. Sed quis hodie venit ad coronam hanc gloriosam? imo quis non pervenit ad confusionem æternam? Si enim omnes quærimus sublimari, necesse habemus humiliari : et tanto amplius, quanto plus ascendimus, juxta regulas, quas supra posuimus. Ergo, charissimi, si volumus cum hac Virgine corona gloriæ sublimari, studeamus cum ea humiliari, et vilitate pœnitentiæ opprimi. Quid enim igne pulchrius? Sed non apparet ejus pulchritudo, quamdiu operitur cinere; sed amotis cineribus, statim lucet. Quid auro fulgidius? Sed non apparet, quamdiu in terra latet. Quid enim margarita candidius? Sed quamdiu latet in occulto, non apparet. Quid arbore foliis, et floribus adornata, et fructibus, potest cogitari venustius? Sed ejus pulchritudo non apparet, quandiu in radice latet, unde omnis pulchritudo procedit. Sic etiam non apparet Sanctorum gloria, quamdiu sub cinere pœnitentiæ latent in via. Sed cum virtus Solis æterni ducet eos ad publicum, et tradiderit eis regnum

[1] *Luc.*, XXI, 19. — [2] II *Tim.*, II, 5. — [3] *Luc.*, XIV, 11. — [4] *Apoc.*., XVIII, 7. — [5] *Isa.*, LXI, 1 et seq. — [6] Ibid., LXII, 3.

(*a*) *Leg.* injuriis.

ab æterno præparatum; tunc, quales fuerint, omnibus apparebit, etc.

SERMO III.

Gaudeamus, et exultemus, et demus gloriam ei : quia venerunt nuptiæ Agni, et uxor ejus præparavit se[1]. Commune est apud omnes homines, ut gaudeant et solemnizent in nuptiis, cantent et vacent conviviis propter amorem sponsi et sponsæ in unam carnem conjunctorum. Et apud nos proverbium certum est, quod in nuptiis agnoscuntur amici. Non enim amicus credi debet, qui in nuptiis amici non gaudet, vel in morte non dolet. Sed si sic gaudendum est in nuptiis perituris, qualiter gaudendum est in nuptiis æternaliter permansuris? Et si sic amici gaudent, dum mortalis sponsa mortali traditur sponso, quantum tunc gaudendum est, dum mortalis sponsa traditur Deo, sponso incorruptibili et æterno? Ergo gaudeamus mente, et exultemus opere, et demus gloriam Deo ore, quia venerunt nuptiæ Agni, et hujus sanctæ Virginis. Nam et in verbo præmisso notantur maxime duo : primum est sublimitas præmii, quod suscepit in patria; secundum est solemnitas festi, qua (*a*) solemnizat Ecclesia. Primum respicit Ecclesiam triumphantem, ad quam gaudens intravit; secundum vero, Ecclesiam militantem, a qua se hodie absentavit. Primum notatur, cum dicitur : *Venerunt nuptiæ Agni.* Secundum, cum dicitur : *Gaudeamus, et exultemus, et demus gloriam Deo.* De hoc secundo tantum hic dicendum est, quia in Sermone quodam in Dominica post Epiphaniam [2] de nuptiis recolo me dixisse. Ergo primo notandum, quod tria verba hic notabiliter ponit : *Gaudeamus*, etc., *exultemus*, etc., *demus gloriam Deo* : quia in hac tanta solemnitate tribus modis nobis gaudere convenit, videlicet : primo, corde; secundo, ore; tertio, opere. Tunc enim perfectum est gaudium, si cor interius jubilet, si os Deum laudet, et si opus istis testimonium reddat. Quamvis ergo tria sint verba, sententia tamen est una invitans ad gaudia. Et ideo est notandum, quod triplex est gaudium, scilicet primum, quo lætamur in corde; secundum, quo lætamur in ore; tertium, quo lætamur in opere. Nam gaudium cordis est Deum gaudendo amare; gaudium oris est Deum gaudendo laudare; gaudium vero operis est Deo gaudendo servire.

Dico, quod primum gaudium, quo in hac die sancta gaudere debemus, est gaudium cordis : quod nihil aliud existit, quam Deum amare cum lætitia mentis. Unde Dominus volens Apostolos ad amorem inducere, post multa dulcia verba, quæ eis dixerat, sic ait ad eos [3] : « Hæc locutus sum vobis, ut gaudium vestrum plenum sit, » id est, ut amor vester ad profectum veniat, toto corde, et tota mente, omnique virtute Deum diligatis. Hoc enim gaudium cordis summe est pretiosum, summeque jucundum. Unde dicitur [4] : « Non est census super censum salutis corporis; et non est oblectamentum super gaudium cordis. » Nam cordis gaudium est pro fundamento ponendum omnium gaudiorum : quia sicut cor a natura est membrum primum, et ante omnia membrum productum, et omnis motus aliorum membrorum, et vitæ principium; sic cordis gaudium est fontale principium omnium gaudiorum, quia sicut corde bene existente, omnibus aliis membris est bene, et eo male habente, cæteris membris est male, sic existente puro et sancto hoc gaudio cordis, purum et sanctum erit gaudium oris, et operis, quia, secundum Apostolum [5], qualis radix, tales et rami. Non enim potest aqua rivuli esse pura, si fuerit in fonte corrupta; nec ex corrupta pasta, placenta fieri poterit non infecta. Necesse est enim materiatum esse corruptum, si fuerit ex corrupta materia generatum. Unde videmus, quod si aliquis humor in corpore corrumpitur, toti corpori putredo inducitur, si ei medicamine citius non occurratur. Ergo, fratres, si volumus exteriora gaudia non esse infecta, sed Deo placita, laboremus quantum possumus, ut gaudia cordis sint munda. Sed quis est hodie, qui intus in corde non gaudeat vane? Quis est, qui immundis cogitationibus non potius gaudeat, quam mundis et puris? Sed quia, fratres, vane gaudemus, ideo vane ridemus, vane incedimus, et finaliter ad vana redimus. Unde [6] : « Risus dolore miscebitur; et extrema gaudii luctus occupat. »

Secundum gaudium, quo gaudere debemus, est gaudium oris, quod nihil esse constat, quam Deum gaudendo laudare. Et de hoc gaudio et plane dicitur in Psalmo [7] : « Repletum est gaudio os nostrum, lingua nostra exultatione. » Tunc enim vere gaudemus ore, dum pro bonis

[1] *Apoc.*, XIX, 7. — [2] Scilicet serm. 1, tom. XIII, pag. 86. — [3] *Joan.*, XVI, 24. — [4] *Eccli.*, XXX, 16. — [5] *Rom.*, XI, 16. — [6] *Prov.*, XIV, 13. — [7] *Psal.* CXXV, 2.

(*a*) *Forte leg.* quod.

naturæ, quibus in esse subsistimus; pro bonis fortunæ, quibus in esse servamur; pro bonis gratiæ, qua spiritualiter vivimus; et pro bonis gloriæ, quæ aliquando nos habere credimus, Deum pleno ore laudamus. Quid enim melius hoc gaudio? Quid, inquam, melius, quam quod in corde geramus, quod ore promamus, et calamo exprimamus Deo gratias? Hoc enim nec aliquid brevius dici, nec audiri lenius, nec intelligi gratius, nec agi fructuosius potest. Si sic attente laudat Deum avicula parva laudula, scilicet, ab officio sic dicta, vel vocata; quid debet faceret anima, creatura rationalis, creaturarum omnium domina? Omnis autem creatura suo modo divinis laudibus est intenta. Solus tamen homo Deum non laudat, sed potius beneficiorum immemor, ipsum blasphemat. Audi mirabile. Non est, qui in regno suo aliquem regem terrenum audeat blasphemare; non est qui contra principem aliquem, vel civitatis cujuscumque rectorem audeat maledictionis verbum proferre, quin capiatur, ligetur, verberetur, et morti sæpe tradatur. Sed a ribaldis et lusoribus tota die divina potentia blasphematur; sed nemo est, qui capiat tales, qui quodam modo divino zelo accensus, vindictam exquirat, cum tamen omnes tales digni sint morte. Gaudendo ergo laudemus Deum in hac sacra Virgine a Deo exaltata, divinam largitatem in ea laudibus extollamus. Nam et mos est apud omnes, ut in nuptiis instrumenta portentur, et cantibus dulcibus convivæ lætentur. Cur ergo non jubilabimus, cum nuptias Agni et Sponsæ advenisse cernamus?

Tertium gaudium, quo gaudere debemus, est gaudium operis : quod non aliud constat esse, quam gaudendo Deo servire. Non enim fortis dicitur, ut dicit Philosophus [1], qui mala sustinet; sed qui sustinet, et hoc ipso gaudet. Unde etiam viri sancti non solum mala eis inflicta patienter ferebant; sed hoc ipso valde gaudebant. Unde de Apostolis dicitur [2] : « Ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni sunt habiti pro nomine Jesu contumeliam pati. » Et Apostolus de seipso dicit [3] : « Gaudeo in tribulationibus meis pro vobis. » Ad hoc etiam exhortatur nos apostolus Jacobus in Canonica sua [4] : « Omne, » inquit, « gaudium existimate, fratres charissimi, cum in tentationes varias incideritis. » Gaudeamus ergo, fratres, corde; gaudeamus ore; gaudeamus et opere. Nam sicui domus perfecta non potest dici, nisi, fundamento jam erecto, tecti fiat additio; sic non est perfectum gaudium, quod existens in solo corde, non redundat in opere. Numquid potest ignis in stipula latere, et non foris in flammam prodire? Nam et canis, dum viam leporis invenit, mirabiliter gaudet in corde, et hoc ipsum manifestat in corpore, et in voce, et pariter in opere, quia post inventa vestigia, maxime incipit currere. Sic et hæc Virgo sancta gaudium, quod de Deo gerebat in corde, promebat ore, et explicabat opere. Quære de hoc in ejus Legenda, et apta ad propositum gaudia.

SERMO IV.

Audi, filia, et vide : et inclina aurem tuam [5]. Juxta philosophicam doctrinam [6], et quod manifestum est, omnes homines naturaliter scire desiderant : et non tantum ista, vel alia; sed appetunt scire omnia, tam cœlestia, quam terrena. Unde Dominus, cum vocatus a quodam cæco, diceret [7] : « Quid vis ut faciam tibi? » ille ait: « Domine, ut videam. » Non dixit hoc, vel hoc tantum : sed : « ut videam. » Videre appetunt omnes per naturam. Propter quod docet Philosophus [8], quod hæc est causa, quare sensus nostros amamus : quia per eos quasi omnia discimus, eo quod ex multis memoriis unum experimentum accipiatur, et ex multis experimentis unum universale colligatur, quod est principium artis et scientiæ. Et addit Philosophus [9], quod ideo sensum visus amamus præ cunctis, quia per ipsum plura, quam per alia discimus. Isti enim duo sensus, scilicet visus et auditus, sunt per quos multa accipimus. Dominus ergo volens hanc sanctam Virginem erudire, ideo eam ad hoc maxime invitat per hos duos sensus, dicens : *Audi, filia, et vide*, etc. In quo utique verbo eam, et nos in ea, invitat ad duo : primo, ad sui discipulatus humilitatem, ut ejus doctrinam, et disciplinam imitemur; secundo, ad intellectus vivacitatem, ut quidquid in Christi doctrina latet, contemplemur. Nam in auditu notatur reverentia, qua reverenter divina audita auscultamus; sed in visu notatur diligentia, qua divinis rebus exquirendis intendimus. Primo ergo invitat Dominus ad verborum suorum reverentiam, quando dicit : *Audi, filia*. Secundo, invitat ad eorumdem diligen-

[1] Arist., *Moral. Nicomac.*, lib. II, c. III. — [2] *Act.*, V, 41. — [3] *Coloss.*, I, 24. — [4] *Jac.*, I, 2. — [5] *Psal.* XLIV, 11. — [6] Arist., *Metaph.*, lib. I, c. 1. — [7] *Luc.*, XVIII, 41. — [8] Arist., ubi sup. prox. — [9] Ibid.

tiam, cum subdit : *Et vide*, id est, diligenter attende. Sed quia de visu, id est, quid videre debeamus, supra satis abunde in duobus Sermonibus de Apostolis [1] dictum est, hic de solo auditu dicendum est. Est ergo hic notandum, quod cum sancta Virgine debemus audire Christum : primo erudientem, ut prudentissimum consulem; secundo Christum præcipientem, ut potentissimum ducem; tertio Christum exhortantem, ut sanctissimum præsulem; quarto Christum consolantem, ut benignissimum patrem; quinto ipsum redarguentem, ut æquissimum judicem. Est ergo hic notandum, quod cum sancta Virgine quinque (*a*) debemus audire : ut sic verbum Domini nos docentis audiat anima mansuete, ut intelligat; verbum præcipientis audiat studiose, ut faciat; verbum exhortans audiat affectuose, ut non pereat; verbum consolationis audiat sollicite, ut pulsanti aperiat; sed verbum correptionis audiat tremebunde, ut pœnitentiam agat. Nisi enim hæc Virgo sancta hæc verba Domini sic audisset, ut ex ejus vita apparet, ad palmam victoriæ non venisset.

Dico ergo, quod primo audire debemus Christum nos erudientem; et hoc mansuete, tanquam prudentissimum consulem. Consueverunt homines libenter audire, quos vident sibi prudenter consulere utilia, et bene se docere : at Christus est divina sapientia, in qua [2] « omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei sunt absconditi. » Ergo omne, quod docet, est consilium firmum, et est audienti proficuum : ergo est pacifice audiendum. Unde ipse per Moysen clamat [3] : « Audite, cœli, » hoc est cœlestes viri, « quæ loquor, et audiat terra, » id est, corda terrenis infixa, « verba oris mei. » Ad terram loquitur de doctrina sua, quam mansuete docet esse audiendam, cum addit idem [4] : « Concrescat ut pluvia doctrina mea, » quasi dicat : Fiat in vobis doctrina mea sicut pluvia in terra, quæ a terra recepta, eam mollificat, et eam impinguat, et ad fructificandum eam præparat. Sic et Domini nostri doctrina mansuete audita, id est, in terra cordis nostri suscepta, removet ab ea cordis duritiem; impinguat eam, dum eam facit esse devotam; et ad fructum præparat eam, dum eam ducit ad pœnitentiam. Et propterea in Dei persona dicitur ad hominem [5] : « Audi, fili mi, verba mea, et ea quasi fundamentum in corde tuo construe. » Et [6] : Audi, Israel, verba, sive mandata vitæ. » Vitæ verba sunt doctrina Christi, eo quod ad vitam sunt inductiva. Unde ipse dicit [7] : « Verba, quæ locutus sum vobis, spiritus, et vita sunt : » eo quod spirituales homines faciunt, et ad vitam æternam observata perducunt. Sed sunt hodie multi, qui doctrinam Christi nolunt audire; sed prædicatores fugiunt, et sacerdotes non consulunt, et sic, ut bene agant, intelligere nolunt. O summa dementia, et ratio totaliter cæca, nolle audire patris benignissimi monita, quibus pervenitur ad vitam, et sine quibus pervenitur ad damnationem æternam ! Audiebant Romani olim suorum consulum monita, et observabant eorum decreta; tenent medici ad litteram Hippocratis dicta; conservabant antiqui Romani edicta Justiniani, et jurisconsulta; imitantur dialectici Aristotelis argumenta : sed non est, qui audiat, et conservet incommutabilis Dei sapientiæ verba, et quæ nequeunt esse falsa, nec suspecta, nec unquam fallentia; sed sunt vera, et stabilia, et sunt firma, et æterna. « Cœlum, » inquit Dominus [8], « et terra transibunt; verba autem mea non transibunt, nec peribunt. » Unde Apostolus, arguens a minori, sic ait [9] : « Abundantius oportet nos servare ea, quæ audivimus, ne forte pereffluamus. Si enim, » inquit, « qui per angelos dictus est sermo, factus est firmus, et omnis prævaricatio et inobedientia accipit mercedis retributionem, quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? » Et ideo ibidem dicit [10] : « Irritam quis faciens legem Moysi, sine omni miseratione, duobus vel tribus testibus, moritur; quanto magis putatis majora mereri supplicia, qui Filium Dei, » id est, verba Filii Dei, « conculcaverit (*b*), et sanguinem testamenti, » quo confirmatum est testamentum novum, « pollutum duxerit, et spiritui gratiæ contumeliam fecerit? » Vide, quam grave et damnabile est doctrinam Dei non audire, cum a suis parentibus discant animalia bruta, nec unquam recedant a parentum doctrina, sicut in cervis, et elephantibus, et aliis animalibus sunt exempla; imo, quod majus est, et ab hominibus discunt bruta : sicut videmus, quod canes discunt sedere, et coram dominis candelam tenere; et picæ discunt verba humana formare; et elephantes, regem cognoscere, eumque ado-

[1] Scilicet serm. V et VI, sup., pag. 11, 15 et seq.— [2] *Coloss.*, II, 3. — [3] *Deut.*, XXXII, 1. — [4] Ibid., 2. — [5] *Tob.*, IV, 2. — [6] *Bar.*, III, 9. — [7] *Joan.*, VI, 64. — [8] *Matth.*, XXIV, 35; *Marc.*, XIII, 31; *Luc.*, XXI, 33. — [9] *Hebr.*, II, 1 et seq. — [10] Ibid., X, 28.

(*a*) *Suppl.* modis. — (*b*) *Cat. edit.* concalcabit.

rare. Quomodo ergo non faciunt homines in Christi doctrina, quod in doctrinis hominum, repugnante natura, inveniuntur facere bruta?

Secundo, audire debemus Christum præcipientem; et hoc studiosissime, sicut potentissimum ducem. Quis est in regno Franciæ, qui respuat verba regis, et qui ejus præcepta contemnat, qui ultionis gladio non succumbat? Si sic grave est contemnere regis terreni mandata, quam grave est tunc contemnere Christi mandata? Si sic grave est contemnere Christi doctrinam, quam grave est contemnere Christi mandata? Plus est enim mandare, quam docere: quia illud est magistrorum, hoc autem dominorum. Nam obediunt suis magistris leones; obediunt bubulcis boves, et obediunt suis dominis canes. Unde vocati veniunt, repulsi recedunt, missi ad bestiam currunt, omne, quod capiunt, domino suo custodiunt. Turpe est, et detestanda res, ut dum videmus grues, apes, et anseres, et homines infideles suis regibus obedire; et quod nos fideles Regi potentissimo et immortali omnino non obediamus, sed ejus præcepta pedibus conculcamus. Audi quid dicatur [1]: « Fili mi, si susceperis sermones meos, et mandata mea absconderis penes te, ut audiat sapientiam auris tua, inclina cor tuum ad cognoscendam prudentiam. » Quid est enim prudentiam agnoscere, nisi mandatis Dei credere, et ea servare? Unde in *Proverbiis* [2]: « Fili, ausculta sermones meos, et ad eloquia mea inclina aurem tuam, nec recedant ab oculis tuis. Custodi, » inquit, « ea in medio cordis tui, quia vita sunt invenientibus ea. » Unde dicere deberet unusquisque nostrum illud, quod Samuel dixit a Domino vocatus [3]: « Loquere, » inquit, « Domine, quia audit servus tuus. » O quam felices essemus, si sic obedientes essemus! Quam sancte viveremus, quam secure moreremur, et quam jucunde ad patriam migraremus! [4] « Nunc, Israel, audi præcepta mea, quæ doceo te, ut faciens ea, vivas, et ingrediens possideas terram, quam Dominus Patrum vestrorum daturus est vobis. » Sed conqueritur Dominus per Prophetam dicens [5]: « Populus, quem non cognovi, servivit mihi; in auditu auris obedivit mihi. » [6] « Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui; populus autem meus non cognovit me. » Quid est Deum non cognoscere, nisi mandata ejus nolle servare?

Tertio, audire debemus Christum exhortantem nos; et hoc affectuose, tanquam sanctissimum præsulem: ipse enim dixit [7]: « Si volueritis, et audieritis me, bona terræ comedetis. » Miro modo animabantur martyres ad bellum, quos verbis et exemplis præsules animabant. Quis enim non animetur ad pugnandum, attendens summum Pontificem Christum nos animare verbis, et animare exemplis, et insuper animare auxiliis? Nonne valde animatus est Stephanus primus Martyr, dum ad auxiliandum Christum paratum aspexit? [8] « Ecce, » inquit, « video cœlos apertos, et Jesum stantem, » et pro me pugnantem, meque adjuvantem. Exhortatio enim majorum, miro modo valet in bono, et nocet in malo. Et quid mirum, cum falcones sic animantur clamoribus? Miro modo canes animosi fiunt, cum suos dominos confortantes advertunt. Boves facilius jugum ferunt, dum bubulcos se confortare audiunt, et maxime cantando hoc faciunt, eo quod melodiam libenter audiunt. Valde gaudent equi in præliis, dum vocem tubæ audiunt exhortantis. Miro modo pugiles animantur, cum clamoribus excitantur. Fiunt ad pugnam milites proniores, et fortius agitant lanceas strictosque mucrones, dum voce clamantis principis animantur. Exemplum de Mathathia [9], quomodo exhortatoriis verbis ad moriendum pro defensione legis filios animavit; et de Juda Machabæo [10] in verbis suis, quomodo omnes animabat ad pugnam, ut essent parati, et non solum homines, sed et bestias penetrarent. Nam et apes quantumcumque fatigatæ fuerint in volando, mirabiliter mox confortantur, viso suo rege. Ergo quis non animabitur, dum a Rege omnium regum fuerit confortatus? Exempla. Exemplum.

Quarto, audire debemus Christum nos consolantem; et hoc sollicite, tanquam benignissimum patrem. Unde Propheta dicebat [11]: « Audiam quid loquatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem suam. » Mira dulcedo, et inæstimabilis delectatio, et admirabilis animæ pacificatio, dum Deus in suis intimis alloquitur animam, et fit quædam delectabilis unio animæ cum divina essentia. Nihil enim est delectatio, quam amantis cum suo amato conjunctio. Si sic delectantur cervi, dum audiunt cantum; si sic apes, dum audiunt cymbalum; si sic cygni, dum audiunt aliquem dulcem so- Exempla.

[1] *Prov.*, II, 1. — [2] Ibid., IV, 20-21. — [3] I *Reg.*, III, 9. — [4] *Deut.*, IV, 1. — [5] *Psal.* XVII, 45. — [6] *Isa.*, I, 3. — [7] Ibid., 19. — [8] *Act.*, VII, 55. — [9] I *Mach.*, II, 50 et seq. — [10] II *Mach.*, XV, 11. — [11] *Psal.* LXXXIV, 9.

num; quantum putas delectari animam, divinum audire colloquium, et dulce ipsius experiri convivium? Unde [1] : « Ecce ego sto ad ostium, et pulso; si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, ego intrabo ad eum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum. » O summa delectatio, cœnare cum summo bono, in quo est omnis dulcedo in infinitum, plus quam lingua dicere poterit, vel cogitatio cordis attingat! Quid enim melle dulcius? sed in infinitum magis est animæ Deus dulcis. Tantæ enim dulcedinis est Deus, ut nullis pœnis anima gravetur, dum divina dulcedo animæ est præsens, sicut in sanctis Martyribus apparet, qui gladios contempserunt, et ignes : eo quod delectatio, quam interius sentiebant, pœnam omnem extrinsecus superabat. Tantæ enim dulcedinis est clara Dei visio, et dulcis ejus fruitio, quod si homo Deum videret, pœnam in inferno non sentiret.

Quinto autem audire debemus Christum corripientem nos ; et hoc verecunde, et tremebunde, et tanquam severissimum judicem. Unde Adam primus parens ait [2] : « Audivi vocem tuam in paradiso, et timui. » Quis enim non timeat judicem potentissimum, omnia potentem, et nullum formidantem, nec ullius personam accipientem? Quis non timeat judicem sapientissimum, omnia cognoscentem, et exquirentem, et examinantem? Quis non timeat judicem justissimum, nulli omnino parcentem, sed pœnam omnibus, ut dignum est, inferentem? Ergo nullum formidabit, quia omnipotens est. Nullius fallaciis decipi potest, quia omnisciens est. Nullius mercibus corrumpi potest, quia justissimus est. Vis scire, quia omnipotens est? [3] « Si fortitudo quæritur, robustissimus est. » Et ibidem [4] : « Quis restitit ei, et pacem habuit? Qui transtulit montes, et nescierunt hi, quos subvertit in furore suo. Qui commovet terram de loco suo, et columnæ ejus concutiuntur. Qui præcipit soli, et non oritur; et stellas claudit quasi sub signaculo. Qui extendit cœlos solus, et graditur super fluctus maris. Qui facit Arcturum, et Oriona, et Hyadas, et interiora Austri. Qui facit magna et incomprehensibilia, quorum non est numerus. » Et addit : « Si repente interroget, quis respondebit ei? vel quis dicere potest : Cur ita facis? Deus, cujus iræ nemo resistere potest, et sub quo curvantur, qui portant orbem. » Vis scire, quia scit omnia? Audi Job eodem capitulo dicentem : « Sapiens corde est; et si voluero contendere cum eo, non potero ei respondere unum pro mille. » Et ibidem : « Qui etiam si habuero quippiam justum, non respondebo, sed meum judicem deprecabor. » Vis audire, quia severissimus est? audi Job in eodem capite : « In turbine conteret me, et multiplicabit vulnera mea etiam absque causa. Non concedit requiescere spiritum meum, et implet me amaritudinibus. » Et ibidem : « Si quæritur, » inquit, « æquitas judicii, nemo audebit testimonium reddere : et si me justificare voluero, os meum condemnabit me : et si innocentem me ostendero, pravum me comprobabit. » Lege totum capitulum, et finaliter duodecimum capitulum *Sapientiæ*, ubi de hac materia sunt multa, et pulchra, quæ timoris sunt incussiva. Et dicas cum Job in eodem capitulo [5] : « Verebar omnia opera mea, sciens, quod non parceres delinquenti. » Rogemus, etc.

[1] *Apoc.*, III, 20. — [2] *Gen.*, III, 10. — [3] *Job*, IX, 19.

SERMO V [6].

Diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum [7]. Quis, quantacumque scientia polleat, etiamsi linguam eruditam possideat, digne laudare valet, quam Deus in nobili prærogativa electam hanc, et dilectam sibi Virginem, gratia decorante in via, et gloria consummante in patria, statuerit? Omnis enim humana perfectio, vel respicit statum viæ, in quo merita cumulantur, vel statum patriæ, in quo præmia condonantur. Dignum est enim, quod qui legitime bellat, coronam post triumphum accipiat. Nam ante triumphum nemo laudandus, et nemo coronandus est. Non est enim laudanda navigantis felicitas, donec navim in littore statuat, et portum tranquillitatis obtineat : quia quamdiu hinc inde a ventis flantibus mare saltat, et inter tumentes fluctus ambulat, incertum est, ad quem finem perveniat. Similiter nec miles laudandus est, quamdiu de bello aliquid restat, quia sicut vincere potest, sic et perdere similiter potest. Hanc ergo sanctam Virginem, similiter et Martyrem, quæ jam navem suam collocavit in littore, et plenam victoriam reportavit ab hoste, in verbo præmisso a duobus legimus commendatam a sancto Propheta : primo, ab eloquentia virtuosa,

— [4] Ibid., 4 et seq. — [5] *Job*, IX, 28. — [6] Hunc habet edit. Hageno. an. 1496. — [7] *Psal.* XLIV, 3.

qua refulsit in merito; secundo, ab excellentia gloriosa, qua splendet in præmio. Primum enim respicit vitam mortalem in qua cum hoste pugnavit; secundum respicit vitam immortalem, in qua de hoste triumphum accepit. Primum est meritoria causa; secundum est merces, sive præmium. Primum notatur, cum dicitur : *Diffusa est gratia in labiis tuis.* Secundum notatur, cum dicitur : *Propterea benedixit te Deus in æternum.* Dicit ergo Propheta : *Diffusa est gratia.* Non enim solum habuit gratiam oris; sed etiam cordis. Et require in ejus Legenda, quantum fuerit Deo grata. Ut ergo nos possimus habere divinam gratiam, tria sunt attendenda : primum, quis sit ad eam perveniendi modus; secundum, quis sit ejus effectus, et usus; tertium vero, quis sit ejus fructus.

Est ergo notandum primo, et videndum de modo, quo habenda sit gratia. Nota igitur, quod ad gratiam possidendam, et conservandam, quatuor sunt necessaria : primo, ut sit cor mundum et purum; secundo, quod sit profundum; tertio, quod sit latum, et amplum; quarto, quod etiam sit clausum : ut sic primo sit purum per munditiam castitatis in carne; secundo sit profundum per infimum humilitatis in mente; tertio sit latum per effectum charitatis in opere; quarto sit clausum per conservationem taciturnitatis in ore; ut sit castitas contra fœtorem luxuriæ; sit humilitas contra tumorem superbiæ; sit charitas contra livorem invidiæ; sit taciturnitas contra nimietatem eloquentiæ.

Dico, quod ante omnia cor debet esse purum per munditiam castitatis in corpore, contra fœtorem luxuriæ. Et de hoc exponitur illud [1] : « Succingite lumbos mentis vestræ : sperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam. » Nullus potest sperare accepturum se gratiam, nisi mentis et corporis perfecte teneat succinctos et strictos lumbos. Unde dicitur [2] : « Sint lumbi vestri præcincti, » etc. Quod exponens Gregorius, ait [3] : « Lumbos enim præcingimus, dum carnis luxuriam per continentiam coarctamus. » Quis non fugiat luxuriam, cum animalia detestentur adulterina connubia? Propter quod leo punit adulterantem leænam cum pardo, et ciconia masculus fœminam. Et etiam detestantur turpitudinem et fœtorem luxuriæ, ut elephas, post coitum cum uxore, nunquam ad socios ire præsumit, nisi prius aquis se laverit. Et si faciunt bruta, quid tunc facere debent rationalia? Et, si sic est cum uxore propria, quid tunc, si coeat cum aliena? Sed, heu! quia facti sunt hodie Christiani, non solum ut Pagani, sed [4] « equi amatores et emissarii in fœminas, ut unusquisque ad uxorem proximi sui hinniat (*a*). » Et addit Propheta : « Numquid non hos (*b*) visitabo, dicit Dominus, et in gente tali non ulciscetur anima mea? »

Exempla.

Secundo, debet cor esse profundum per infimum humilitatis, contra tumorem superbiæ. Ad valles enim currunt aquæ, et in montibus altis non inveniuntur aquæ : quia cum interius sint cavernosæ, propter naturam vacuitatis, quam natura non admittit, aquas a mari attrahunt, et sic fontes foras erumpunt, et flumina magna faciunt. Sic et vir humilis, dum se vacuum credit, divinam gratiam ad se trahit; et tanto amplius, quanto se humiliat profundius. Sic superbus, quanto magis ascendit, tanto fortius inde ruit. Unde enim Saul superbissimus cecidit, illuc David humilis ascendere meruit : et tanto magis, quanto magis se humiliavit. Unde dicitur in Cantico Dominæ nostræ [5] : « Respexit Dominus humilitatem ancillæ suæ. » Et iterum : « Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles. » Et quid mirum, quod ita sit, cum dicat Apostolus [6], quod Dominus « superbis resistit, humilibus autem dat gratiam? » Quomodo ascendere poterit, cum Omnipotens contra dicit? Numquid gallina audet se ibi erigere, ubi scit vulpem esse? Numquid agnus se ibi erigit, ubi lupus ei resistit? Quis in regno Franciæ caput audeat erigere, vel erigi in sublime, rege sibi resistente? Ergo superbus ascendet, et non potius ruet, qui Omnipotentem contra se habet? Unde ipse ad superbum loquitur per Abdiam prophetam [7] : « Superbia cordis tui extulit te habitantem in scissuris petræ; qui dicis in corde : Quis detrahet me deorsum? Sed si exaltatus fueris, et inter sidera posueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus. »

Exempla.

Tertio debet cor esse latum per effectum charitatis in opere, contra livorem invidiæ. Numquid ignis in stipula potest esse, et non ardere, et fumum non facere? Numquid potest ignis esse, et corpus propinquum non calefacere? Numquid non carbo ignitus carbones extinctos

[1] I *Petr.*, I, 13. — [2] *Luc.*, XII, 35. — [3] Gregor., *in Evang.*, hom. XIII, n. 1. — [4] *Jerem.*, V, 8, 9. — [5] *Luc.*, I, 48, 52. — [6] *Jac.*, IV, 6. — [7] *Abd.*, VIII, 3-4.

(*a*) *Cæt. edit.* hinniet. — (*b*) *Vulg.* super his non.

accendit, quos juxta se invenit? Nonne candela accensa incendit extinctam, si illi fuerit applicata? Sed charitas ignis est : ergo quomodo in anima poterit esse, et proximum non accendere? Quid autem est proximum inflammare, nisi eum per beneficia ad amandum movere? Unde Apostolus [1] : « Si esurierit inimicus tuus, ciba illum : et si sitit, potum da illi : hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus, » id est, inflammabis eum ad amandum te. Nam, ut dicitur [2], « qui viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo? » Propter hæc omnia dicitur [3] : « Si diligitis eos, qui vos diligunt, quæ vobis est gratia? Nam et peccatores diligentes se diligunt. Et si benefacitis his, qui vobis benefaciunt, quæ vobis est gratia? Si quidem peccatores hoc faciunt. » Ergo omnibus benefaciendum est.

Quarto, debet cor esse clausum per observantiam taciturnitatis in ore, contra vitium linguæ. Unde dicitur [4] : « Audi tacens : et pro reverentia accedet tibi bona gratia. » Nam ibidem [5] : « Sapiens in verbis seipsum amabilem reddit; sed gratia fatuorum (*a*) effunditur (*b*). » Debet ergo homo, secundum beatum Jacobum [6], « velox esse ad audiendum, et tardus ad iram, et tardus ad loquendum : » quia taciturnitas disponit ad gratiam, et loquacitas ad iram. Ob quam causam magistra nostra natura posuit linguam inter duo claustra, ne faciliter prosiliret in verba. Multum monachi proficiunt, qui claustra custodiunt; sed cito deficiunt, qui sæpius foras vadunt. Quare lingua nostra servanda est intra claustra, ne in vana verba leviter prorumpat; quia, ut ait Propheta [7], « vir linguosus non dirigetur in terra. » Sic ergo patet modus, per quem venimus ad gratiam, et in nobis ipsam augmentamus. Restat quis ejus usus sit.

Nota ergo, quod usus gratiæ consistit in quatuor : primo, in honorando divinam majestatem, per reverentiam honorantem; secundo, in refrænando propriam voluntatem, per temperantiam cohibentem; tertio in relevando proximi paupertatem, per misericordiam subvenientem; quarto, in tolerando mundanam adversitatem, per patientiam tolerantem.

Dico primo, quod primus usus gratiæ est in honorando divinam majestatem, per reverentiam adorantem, et usque ad pedes se humiliantem. Si tantam reverentiam exhibent præsules summo Pontifici, si tantam milites suo regi, sive barones imperatori, ut pro magno habeant, si eorum pedibus possunt advolvi, quanta est reverentia exhibenda summo Domino, universa scienti, et omnia gubernanti, et singula disponenti? Unde dicitur [8] : « Habemus gratiam, per quam serviamus placentes Deo cum metu et reverentia. » Quis unquam ad Domini thronum sic reverenter accessit, et non, quod petiit, impetravit? Exemplum de Publicano, qui reverenter accessit et justificationem, et veniam reportavit. Sed e contra Pharisæus, qui irreverenter accessit, nihil a Deo obtinuit, sed potius culpam auxit. Unde dicitur [9] : « Accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ ejus, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. » Si enim tantam reverentiam exhibent animalia suo regi, scilicet leoni, quod ad ejus rugitum timeant, gradum figant, expectent cum tremore quid jubeat, nec circulum, quem cauda designat, pertransire præsumant [10]; quid omnium animalium, imo omnium creaturarum faciendum est Creatori? Nam et apes sic suum regem honorant, ut ad ejus jussum alveolum exire non præsumant; et ad ejus imperium castra ponunt, quem fatigatum in humeris portant : ita ut ad ejus obsequium universæ se offerant, quem summe diligunt et honorant. O ingratitudo magna, superbia humana, digna ut aliquando confundatur! Nam animalia bruta leonem in reverentia habent, et metu, quem tyrannum crudelissimum ad se devoranda præsentiunt : et apes suo regi sic serviunt, a quo nihil accipiunt, et tamen servitia multa præstant, dum eum regem faciunt. Et homo, creatura dignissima, a Deo formata, et omnibus rebus mundi præposita, pretioso sanguine redempta, et de morte ad vitam reducta, renuit suo Regi servire. Unde ipse de hoc conqueritur dicens [11] : « Ego honorifico Patrem meum, et vos inhonorastis me. » Et [12] : « Si ego Pater vester, ubi est honor meus? »

Exemplum.

Secundus gratiæ usus est in refrænando propriam voluntatem, per temperantiam constrin-

[1] *Rom.*, XII, 20. — [2] I *Joan.*, III, 17. — [3] *Luc.*, VI, 32. — [4] *Eccli.*, XXXII, 9. — [5] Ibid., XX, 13. — [6] *Jac.*, I, 19. — [7] *Psal.* CXXXIX, 12. — [8] *Hebr.*, XII, 28. — [9] Ibid., IV, 16. — [10] Hieron., *in Ose.*, c. XI. — [11] *Joan.*, VIII, 49. — [12] *Malac.*, I, 6.

(*a*) *Cæt. edit.* fautorum. — (*b*) *Vulg.* gratiæ fatuorum effundentur.

gentem. Turpe est, et rationi contrarium, ut ubi se refrænat brutalis natura, quæ tota in lasciviam prona est, ut sine fræno vivat rationalis creatura, quæ sensualitatis et carnis est domina, et non ancilla. Nam elephas cum uxore propria, quando in duobus annis quinque diebus luxuriæ vacat, tunc valde se occultat, ut videri non valeat; quæ postquam conceperit, ad eam ulterius non accedit; imo per tres annos cessat, postquam conceperit. Sed quis hominum ista facit, imo non dico cum uxore, sed quis abstinet a fornicatione? Nam multi pagani etiam ab uxoribus se conservarunt, dum fœtorem luxuriæ attenderunt. Unde Tullius, nobilissimus philosophus, dum uxori simul et philosophiæ non posset incumbere, libellum repudii dedit ei. Cumque a quodam suo amico ad secundas nuptias rogaretur, ait : « Non sufficio, amice, philosophiæ, et uxori intendere. » Et ideo notandum est hic, quod Areolus philosophus in quodam suo libro dicit de nuptiis : quærit enim an vir sapiens debeat ducere uxorem, si sit pulchra, si sit casta, si bene morigerata, si ex honestis parentibus nata, etc., quæ in muliere sunt commendanda; et ait : « Raro ista omnia conveniunt in aliqua; quæ etsi conveniant, a sapiente tamen uxor ducenda non est. » Et rationem assignat, quare : « Uxores, » inquit, « quærunt pretiosas vestes, supellectilem variam, aurum, et gemmas, et obsequentes ancillas; et tamen, » ut ipse addit, « tota nocte proponunt marito suo tales quæstiones garrulas : « Talis, » inquit, « ornatior me hodie processit ad publicum. Talis ab hominibus honoratur, et ego in contemptu fœminarum, quasi ancilla despicior. Tu etiam, » ait viro, « talem inspexisti vicinam; dic mihi, quid loquebaris cum ancilla? » De foro etiam veniens : « Quid mihi, » inquit, « portasti? » Et sic fit, quod nec amicum, nec sodalem habere possumus, quia uxor alterius amorem suum odium suspicatur aliarum. Et adhuc aliam causam reddit, quare uxor non sit ducenda : eo quod nulla sit uxoris electio, sed qualiscumque fuerit, est supportanda; si scilicet iracunda, si fatua, si superba, si penitus deformata, etc. Et addit : « Equus, bos, asinus, bestia, et servus prius videntur, et probantur, quam a quocumque emantur; sola uxor homini occultatur, ne forte antea displiceat, quam ducatur. » Ex quibus omnibus manifeste concludit, quod a sapiente non sit uxor ducenda. Ergo si cum uxore tam gravis sit cohabitatio, et periculosa, qualis tunc erit cum aliqua aliena? Et propter hæc omnia bene frænanda est luxuria, et in manibus fræna tenenda. Unde et dicebat Apostolus [1] : « Cumque placuit ei, qui me segregavit ex utero matris meæ, et vocavit per gratiam suam, continuo (*a*) non acquievi carni et sanguini. » Sed quis est hodie talis, qui elephanti sit similis? Quis non canibus similis, et equis? Utinam equis essemus similes, qui cum matribus et sororibus suis non libenter vadunt in grege, eo quod nolunt cum eis concumbere, nec ab eis videri vólunt! Exemplum de equo Philosophus [2] narrat, qui dum facie cooperta super matrem ascenderet, tandem cum matrem cognosceret, ruptis vinculis, fugit, et per quamdam rupem se præcipitavit, et sic in mortem se dedit.

Tertius usus est in relevando fraternam necessitatem, per misericordiam sublevantem. Unde dicit Apostolus [3] : « Unusquisque, prout accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes. » Turpe est, ut misericordiam, quam exhibent sibi bruta, non exhibeat homo, animal mansuetum a natura. Nam videmus quod passeres, parvæ aves, non solum proprios, sed alienos nutriunt filios, casu quocumque a matribus derelictos. Et si passer cadat in laqueum, omnes undique concurrunt, et subsidium omne, quod possunt, impendunt, ipsumque in vinculis pascunt. O crudelitas humana! O corda dura, tigridis lacte nutrita, unde vobis tanta crudelitas? Constat, quod Deus crudelitatem prohibet, et misericordiam docet; imo omnia ejus opera prima, media, sive infima, ad misericordiam movent. Naturalia etiam suprema, sive media, sive infima, clamant misericordiam, dum cœlestia corpora, dum terrena, dum quatuor elementa tot nobis impendunt beneficia. Ergo tantum in hominibus tanta crudelitas est, ut mutuo se non pascant, neque subveniant, mutuis vulneribus dum intra se crudelius, quam animalia bruta, pugnant?

Quartus usus gratiæ est tolerando humanam adversitatem, per patientiam supportantem. Unde [4] : « Hæc est, » inquit, « gratia, si propter justitiam Dei sustinet quis tristitias, patiens injuste. Quæ est, » inquit, « gratia (*b*), si peccantes colaphizati suffertis? Sed si benefa-

[1] *Gal.*, I, 15-16. — [2] Aristot., *De natur. animal.*, c. XLVII. — [3] I *Petr.*, IV, 10. — [4] Ibid., II, 19-20.

(*a*) *Cæt. edit.* continue. — (*b*) *Vulg.* gloria.

cientes sustinetis patienter, hæc est gratia apud Deum. » Non est tamen negandum, sed firmiter confitendum, quod etiam peccatores et de peccato dolentes, et pro peccato se punientes, inveniunt gratiam apud Deum : quia si sic non esset, sacramentum pœnitentiæ nullum esset; nec latro ille misericordiam invenisset, qui a Deo audire meruit [1] : « Hodie mecum eris in paradiso. » Sed non est tanta gratia, si patienter sustineat ille, qui peccavit, sicut illius est, qui pati non meruit : et sic de aliis paribus. Debemus ergo mala omnia sustinere corde tranquillo, ut nullis frangamur adversis; sed flantibus ventis, et marinis impellentibus undis, navem nostram jactis anchoris tamdiu inconcussam servemus, donec pervenire contingat ad portum. Nam et ipse pisciculus parvus, echinus, dum tempestatem præsentit, calculum in ore capit, quo quasi anchora inter fluctus se regit, ut sic perire non possit [2]. Nos ergo, piscis exemplo, dum procellis tentationum atterimur, Christum lapidem recipiamus, ut ejus auxilio evadamus periculum, et clamando, sive ipsum orando, ad portum æternæ gloriæ perveniamus. Nam et merguli, dum præsentiunt tempestatem adesse, quam docente natura cognoscunt, ad terram clamando confugiunt.

Sic ergo patet, quis gratiæ modus, quis quoque ejus sit usus. Restat videre, quis ejus fructus.

Est ergo notandum, quod est quadruplex ejus fructus : nam gratia primo animam impinguat, sive interius delectat, propter nitorem conscientiæ : secundo, vitam exterius pulchrificat, per honestatem vitæ; tertio a malo liberat, finiendo statum præsentis miseriæ; quarto, in bono confirmat, per excellentiam gloriæ.

Dico primo, quod gratia animam interius delectat, dum eam vivificat, et a culpa expurgat. Sicut enim lux purgat a tenebris aerem, et ipsum subtiliat, dum vapores in ipso consumit, sic et gratia purgat mentem, dum vapores peccatorum in ea consumendo repellit. Gratia enim similis est igni, cujus virtus est purgativa, et a metallo rubiginis expulsiva. Unde quod ignis auro, quod lima ferro, quod tribula grano, hoc facit gratia viro justo, dum eum purgat, justificando ab omni peccato. Unde Apostolus per gratiam expurgatus, et intus in conscientia factus totus luminosus, dicebat [3] : « Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ ; quoniam in simplicitate nostra, et non in sapientia carnali, sed in Dei gratia conversati sumus in mundo. »

Secundo, gratia totam vitam nostram pulchrificat et colorat, per honestatem morum et vitæ. Non potest esse, si homo sit pulcher interius, quin sit pulcher exterius, quia exterior pulchritudo ab interiori causatur. Sicut posita causa, ponitur consequenter et effectus, ut, posito sole, ponitur lumen ejus, et posito igne, ponitur calor ejus; sic posita pulchritudine mentis, ponitur consequenter pulchritudo oris et operis. Qui igitur est pulcher interius in affectu, pulcher est et exterius in aspectu, pulcher in incessu, pulcher in auditu, pulcher totus et honestus in tactu, pulcher totus et honestus in habitu et vestitu. Unde per omnia talis est homo gratia adornatus, qualis est calor ignis, qui foris et intus est igni simillimus. Unde dicitur de muliere gratiosa [4] : « Erat enim formosa valde, et incredibili pulchritudine, omnium oculis gratiosa, et amabilis videbatur. » Et ideo, propter hanc pulchritudinem tam exteriorem, quam interiorem, de anima gratiosa dicitur [5] : « Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te. » Nix enim est tota alba, quia non solum exterius, sed etiam est alba per totum interius : sic et anima plena gratia, quia intus et extra est alba, ideo dicitur pulchra.

Tertio, gratia ab omni malo nos liberat, dum finit dolores, et mala præsentis vitæ, sive miseriæ : quod maxime fit in morte. Tunc enim gratia in anima invalescit, dum vitam miseram fine concludit, et omnem culpam, quæ esse potest causa mortis, in anima ipsa consumit, ita quod etiam sæpe maculas veniales abstergit. Ob hanc itaque causam dicit Apostolus [6] : « O infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus ? » Et addit : « Gratia Dei per Dominum nostrum Jesum Christum. » O quam deberemus gratiam hanc amare, per quam a malis omnibus liberamur totius vitæ præsentis, quæ sunt quasi innumerabiles dolores, scilicet paupertates (*a*), variæ tentationes, infelicitates, febres insuper et mors ! Amant enim animalia suos amatores, sive adjutores, et suos benefactores, suosque liberatores. Unde panthera, crudelissima fera, quamvis pulcherrima, quia tota oculata, et albis oculis superpicta, Exemplum.

[1] *Luc.*, XXIII, 43. — [2] Idem sup., pag. 94, col. 1, in serm. *de una Virg.*, II, et in ordine XXXIII. — [3] II *Cor.*, I, 12. — [4] *Esth.*, II, 15. — [5] *Cant.*, IV, 7. — [6] *Rom.*, VII, 24, 25. — (*a*) *Forte leg.* paupertas.

cum catuli sui in quamdam foveam cecidissent, de qua exire non poterant, sed quidam homo, casu ibi transiens, illos liberaverit, dilectione illa comperta, et beneficio non ingrata, illi quantum potuit arridebat, et læta cauda grates referebat, ita quod per totum desertum associavit, et a feris defendit, et viam illi ostendit. Ergo non amabimus gratiam, imo gratiæ largitorem, cujus gratia a culpis purgamur, et ad bona omnia illustramur, et a malis pœnarum omnium liberamur?

Quarto, divina gratia nos in bono confirmat, dum nos perducit ad excellentiam gloriæ, et ad lumen claritatis æternæ. O quando hoc erit, ut beati intremus ad regnum, ubi summa lux in seipso videtur; ubi vere summum bonum toto corde amatur, tenetur, et stringitur; ubi manducatur quidquid desideratur, ut nihil aliud appetatur; ubi est visio clarissima, degustatio dulcissima, pax securissima, requies opulentissima, et absque omni malo lætitia sempiterna? Unde nihil est omnino aliud gloria, quam gratia consummata, et in suo summo bono constituta, ut crescere non possit. Unde et Apostolus dicebat [1] : « Stipendia peccati mors est; gratia autem Dei vita æterna. » Ad hanc perducat nos Christus summi Regis Filius, qui cum Patre, et Spiritu sancto, vivit per infinita sæculorum sæcula. Amen.

Bene ergo dictum est : *Diffusa est gratia,* etc. In quo est commendata eloquentia virtuosa, in qua refulsit in merito. Sequitur : *Propterea benedixit te Deus in æternum* : in quo notatur excellentia gloriosa, quæ nunc splendet in præmio. Dignum enim est, et rationi consonum, ut quæ gloriose vixit in via, gloriose regnet in patria; et quæ in vita per gratiam facta est munda, sit semper in patria benedicta. Unde dicitur [2] : « Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum habebit amicum Regem » summæ gloriæ : non regem utique qualemcumque, sed Regem benevolentiæ, et Regem universa scientem, et Regem omnipotentem, et Regem omnia disponentem. Propter quod huic Virgini sanctæ dicitur : *Propterea benedixit te Deus in æternum.* Benedixit, inquam, non benedictione tantum temporali, de qua dicitur [3] : « Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Deus; » nec tantum benedictione spirituali, de qua Abraham dictum est [4] : « In semine tuo benedicentur omnes tribus terræ; » sed etiam benedictione sempiternali, de qua dicitur [5] : « Terra sæpe supervenientem imbrem bibens, » hoc est in via per lacrymarum gratiam, « et generans (*a*) herbam » bonam operationum sanctarum, « illis, a quibus colitur, accipit a Deo benedictionem, » supple in patria, per gratiam consummatam. *Terra* enim ista, hæc sancta Virgo fuit, quæ dicitur *terra*, quia fuit, ad modum terræ, infima per humilitatem, fuit sole illustrata per fidem, fuit solis ardore excocta per charitatem, fuit arida per castitatem, fuit fœcunda per operationis strenuitatem, fuit firma per patientiæ firmitatem. Et ideo potest de ea illud accipi Psalmistæ [6] : « Benedixisti, Domine, terram tuam. » Unde hæc fuit Abigail, cui benedixit David [7] : « Benedictum eloquium tuum : » hoc quantum ad benedictionem viæ; « et benedicta tu : » hoc quantum ad benedictionem gloriæ. Unde hæc fuit illa Judith sancta, cui dicitur [8] : « Benedixit te Dominus in virtute sua, qui per te ad nihilum redegit inimicos nostros, ut non deficiat laus tua in ore hominum. » Laudemus ergo eam, ut ipsa laudata assistat pro nobis apud divinam clementiam, reddens eam nobis placatam, adjuvante nos et cum ea Matre Dei sanctissima, quæ omnium Virginum est Regina, imo etiam totius mundi Domina : cujus supplicatio pia non potest apud Dominum esse cassa. Amen.

DE B. SEMPERQUE VIRGINE MARIA.

SERMO PRIMUS [9].

Suspice cœlum, et numera stellas, si potes [10], » etc. Virgo regia, ex davidica stirpe nata, a Deo ab æterno prædestinata, et creaturis cæteris præelecta, a Patriarchis præfigurata, a Prophetis prænuntiata, ab Angelo salutata, et ab Apostolis prædicata, omni laude dignissima, plus quam valeat dici ulla lingua, ita ut omne, quod dici poterat de ea, quæ Dei Mater est facta, minus sit semper. Unde ad ipsius excellentiam designandam, quamvis deficiant cunctæ figuræ, cunctæ scripturæ, et cunctæ pariter creaturæ; cœlum tamen, cum sit situ altissimum, qualitate præfulgidum, natura purissimum, figura rotundum, et influentia permaximum, ipsius

[1] *Rom.*, VI, 23. — [2] *Prov.*, XXII, 11. — [3] *Gen.*, XXVII, 27. — [4] *Gen.*, XXII, 18. — [5] *Hebr.*, VI, 7. — [6] *Psal.* LXXXIV, 2. — [7] I *Reg.*, XXV, 32, 33. — [8] *Judith*, XIII, 22. — [9] Hunc et sex quoque sequentes habet Codex Assis. sæc. XIII. — [10] *Gen.*, XV, 5.

(*a*) *Cæt. edit.* generat.

est maxime signum : et ideo satis congrue verbum propositum est assumptum, quod a Deo cuilibet nostrum potest sub metaphora esse dictum : *Suspice cœlum, et numera stellas*, etc. In quo utique verbo, subtili mente discusso, regia Dei Virgo triplici commendatur præconio, memoriæ perpetuæ commendando. Nam describitur verbo, ut admirabilis animæ intuenti, ut sic sit admirabilis propter ipsius altissimam potestatem, ut venerabilis animæ intuenti propter ipsius eximiam sanctitatem, ut ineffabilis homini eloquenti, propter divinorum omnium ubertatem. Igitur primo probatur esse admirabilis potentiæ cognitivæ, propter prærogativam dominii, cum dicitur : *Suspice*, id est, magnitudinem ejus admirare. Secundo probatur esse venerabilis potentiæ amativæ propter excellentiam meriti, cum adjungitur : *Cœlum*, quia omnis sanctitatis est signativum. Tertio ostenditur ineffabilis potentiæ narrativæ propter multitudinem donorum Dei, cum additur : *Numera stellas, si potes*, quasi dicat : Hoc divinum cœlum tantis est donis adornatum, ut numerato ad numerandum semper restat. Verum quia ejus alta sublimitas, ipsius eximia sanctitas, donorum ejus varietas, et ubertas potest accipi ex solo cœlo, ideo de nomine cœli solo hic tenendus est sermo : et quia in sermonibus de festivitatibus ejus, multa dixi de proprietatibus cœli, et Virgini adaptavi; nunc alia via procedendum est. Est igitur hic notandum, quod licet multis modis fiat distinctio cœlorum (aliquando decem, vel novem, aliquando octo, vel septem a pluribus esse dicuntur); ab iis tamen, qui magis sunt famosi, et divinis litteris nominati, quinque cœli esse dicuntur. Nam primum cœlum est aereum, secundum sui superiorem partem purissimum; secundum cœlum est igneum, calidissimum; tertium est cœlum sidereum, solidissimum; quartum est cœlum aqueum, frigidissimum; quintum vero est cœlum empyreum, luminosissimum. Domina ergo nostra fuit cœlum aereum, per utriusque hominis puritatem omnimodam; fuit cœlum igneum, per ardentissimam charitatem; fuit cœlum sidereum, per patientiæ firmitatem, et gratiarum olim (*a*) copiositatem; fuit cœlum aqueum, per frigidissimam castitatem; fuit cœlum empyreum, per totius sapientiæ claritatem.

Cœlorum numerus varius.

Dicamus ergo, quod primum cœlum dicitur aereum, quod præ cæteris est nobis propinquum, et in superiori parte sui purissimum, nullis vaporibus vel exhalationibus perturbatum, et nulli est extraneæ naturæ permixtum : quod sic ab antiquis Philosophis est probatum. Mons Olympus est mons altissimus, ultra medium spatium aeris in altum projectus, in quem, ut inde aliqui possent considerare de astris, ascendebant; sed quia ibi erat tanta aeris puritas, quod natura ferre non poterat, spongias ad nares ferebant aqua plenas, ex quibus grossum aerem attrahebant : cumque illuc ascenderant (*b*), digito in pulveribus ibi scribebant, quas litteras sequenti anno inveniebant intactas, cum montem denuo ascendebant : quod esse nequaquam potuisset, si ibi ullus ventus, vel aquarum inundatio fuisset. Ex quibus omnibus manifeste colligitur, quod aereum cœlum est illa parte purissimum, nullisque vaporibus est infectum. De hoc itaque cœlo accipitur illud [1] : « Considerate volatilia cœli, quæ non serunt, nec metunt, nec congregant in horrea; et tamen Pater cœlestis pascit illa : » constat enim certissime, quod in alio cœlo aves non sunt, quam in aere. Fuit igitur Virgo regia cœlum aereum, per omnimodam utriusque hominis puritatem : unde ipsa fuit figurata in stella clarissima, quæ in cœlo aereo generata, Magos duxit ad Christum : quia Domina nostra tota, ad modum illius stellæ, fuit purissima, omni carens penitus macula, tam in corpore, quam in anima. Unde ipsi soli convenit illud [2] : « Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te. » Non solum ait : *Pulchra es*, in quo notat eam omnem pulchritudinem habuisse hominis; sed addit : *Et macula non est in te* : in quo notat eam nullam maculam admisisse, ut sic fuerit summe pulchra per omnis boni præsentiam, et fuerit absque macula per omnis mali et culpæ absentiam. Et hoc est, quod dicit Anselmus [3] : « Decebat, ut illius hominis conceptus de matre purissima fieret. Nempe decens erat ut (*c*) ea puritate, qua major sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret (*d*). » Quid potest de ea dici sublimius? quid gloriosius? Hæc enim in tantum Deo proxima fuit, tantaque sanctitate resplenduit, et sic in summo bonorum omnium culmen obtinuit, ut creatura aliqua, non unita Verbo, capax majoris boni non sit. Nam si

Olympus mons, ejusque qualitas et altitudo.

[1] *Matth.*, VI, 26. — [2] *Cant.*, IV, 7. — [3] Anselm., *de Concep. Virgin.*, c. XVIII.

(*a*) *Leg.* omnium. — (*b*) *Cæt. edit.* ascenderunt. — (*c*) *Cæt. edit. desunt hæc verba* Nempe decens erat ut. — (*d*) *Item* Virgo illa niteret.

majoris boni creatura aliqua capax fuisset, quod Anselmus dicit verum non fuisset, scilicet quod Virgo beata tanta puritate fulsisset, qua major sub Deo intelligi nequiret, ut (*a*) haberemus aliquid tam excellentissimæ puritatis. Sed hodie impletum est illud [1] : « Cœli non sunt mundi in conspectu ejus. » Sumus enim similes cœlo aereo, secundum partem hanc inferiorem, in qua generantur tonitrua et coruscationes, fulgura et grandines, nives et pluvia. Quid est enim cœlum tonare, nisi potentes contra pauperes verba pomposa proferre? Quid coruscationibus timorem ingerere, et fulminibus quosque ferire, nisi verbis et factis minores arctare? Quid grandinibus terram percutere, nisi tempestates cordium, et discordias seminare? Quid ningere, nisi malis exemplis calida corda facere frigescere? Quid est impetuose pluere, et terras cultas dissipare, nisi ad guerras, et odia, pacifica corda movere, et corda bene gratia culta subvertere?

Secundum cœlum dicitur igneum, quod est summe calidum, summe actualissimum, ita quod juxta se est inflammativum, et omnis fœditatis ab aere sibi proximo abstractivum. Ignis enim, cum in rem sibi proximam agit, quod quidem est sibi contrarium, ab ea expellit, sicut patet in lignis viridibus, et metallis; deinde in eam suum calorem immittit, et eam inflammando dissolvit; et dum usque ad rei intima se immergit, omnem scoriam in ea consumit. Unde videmus, quod locus, ubi fit ignis continuus, magis est sanus, quam alius locus, quia per ignem expurgatur. De hoc igitur cœlo habetur, ubi Helias ad quinquagenarium principem ait [2] : « Si homo Dei sum, descendat ignis de cœlo, et devoret te, » etc. Et [3] : « Ignis Dei descendit de cœlo, et tactas oves, puerosque consumpsit. » Fuit ergo beata Virgo cœlum igneum, propter ardentissimam charitatem. Sicut enim ignis est in summo calidus, et in ultimo, id est, in quarto gradu; sic Domina nostra fuit charitate in summo ardentissima, quæ

Nec primam similem visa est, nec habere sequentem [4].

Unde Hugo dixit, quod in ea amor Spiritus sancti singulariter ardebat : ideo in carne ejus mirabilia faciebat. Et dicit singulariter, quia nulla postea creatura ita per amorem exardescet : quæ amantissimum filium suum, et unicum, quem mulier plus seipsa amavit, nobis dedit, et pro nobis obtulit. Quia igitur tota ardens fuit, omnes se amantes, eamque tangentes incendit : unde dici potest similis cuidam lapidi pretioso, qui manus se tangentis adurit. Est etiam similis carboni inflammato, quem quanto plus strinxeris, tanto amplius tibi manum urit. O quam felices, qui huic igni cœlesti approximant, ut ejus incendium ad se trahant! Si vis scire, an hunc recte habeas ignem, audi. Hoc facit divinus hic ignis in animo, quod nullus ignis facit in ferro : nam ferrum igne non tactum est frigidum, est durum, est rubiginosum, non pulchrum; sed dum ferro advenit ignis, ipsum utique calefacit, ipsum in mollitiem vertit, et si ejus actio est fortis, ipsum totaliter liquefacit, et ejus rubiginem ex toto consumit, ac in suam pulchritudinem ipsum vertit, sicut ipse sensus ostendit. Tu ergo, qui habes cor non carneum, sed ferreum, nimis utique durum, an hoc igne tangeris, et affectu calescis, et compassione mollescis, et omnis peccati rubigine spoliaris, et igneus totus efficeris, et totus amore liquescis, ut illud dicere possis [5] : « Anima mea liquefacta est, ut (dilectus meus) locutus est? » Unde si te invenis frigidum ad operandum, durum ad compatiendum, et sordidum ad peccandum, scias a te esse remotum hunc divinum ignem et hoc divinum incendium, quod cœlum igneum est dictum : nam, secundum Gregorium [6], « Amor Dei nunquam est otiosus : operatur enim magna, si est; si autem operari renuit, amor non est. »

Tertium cœlum dicitur sidereum, quod etiam appellatum est firmamentum : non quod sit immotum, cum moveri probetur ad sensum, per motum stellarum in eo fixarum; sed ideo potius, quia inter aquas superiores, et inferiores, quas dividit, uniformiter semper incedit : ita quod aquis inferioribus perturbatis, ventisque permotis, cœlum tamen nullatenus a sua parte recedit. De hoc cœlo habetur [7] : « Fiat (inquit Deus) firmamentum in medio aquarum, et dividat aquas ab aquis. » Et sequitur : « Et vocavit Deus firmamentum cœlum. » Hoc etiam cœlum, ut esset usquequaque perfectum, et per

[1] *Job*, XV, 15. — [2] IV *Reg.*, I, 10. — [3] *Job*, I, 16. — [4] Antiph. 2, ad *Laud.*, in Nativ. Dom.— [5] *Cant.*, V, 6. — [6] Greg., *in Evang.*, hom. XXX, n. 2. — [7] *Gen.*, I, 6, 7.

(*a*) *Leg.* siquidem.

omnia speciosum, ac virtute permaximum; tantis stellis præfulgidis est adornatum, ut soli Deo sit notus numerus earum. [1] « Magnus Dominus noster, et magna virtus ejus, et sapientiæ ejus non est numerus. » Unde hoc probatur [2] : « Qui numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocat. » Domina autem fuit cœlum firmamentum, uniformiter semper motum, per patientiæ firmitatem; et cœlum stelliferum, per omnium donorum et gratiarum Dei copiositatem. Sicut enim cœlum non est ullo modo porosum, sed solidum; sic Dei Mater pia nullo modo fuit porosa, vel vacua; sed solida, quia omni gratia fuit plena. Cujus admirabilis patientia, et soliditas non porosa tunc maxime claruit, quando prædulcem Filium suum mori conspexit. Nam licet in ea aquæ inferiores, id est, vires sensitivæ, vel sensibiles, fortissime fuerint concussæ ventis in sui Filii passione; superiores tamen a sua non fuerunt pace permotæ. Et licet sentina navis, id est, pars sensibilis, repleta tunc fuerit aquis maris; pars tamen superior navis semper ventis prosperis navigavit. Unde ipsa est illa petra, super quam domus fundata et firmata, quam etsi flumina ventique percutiant, tamen inter flumina illa immobilis perseverat. [3] « Mons Sion non commovebitur in æternum. » Unde ei potuit dicere Christus illud *Matthæi* [4] : « Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam : » quia in passione dominica, tota deficiente Ecclesia primitivorum in fide, sola Domina nostra firma in fide permansit, ut petra. Fuit ergo similis adamanti, cujus tanta est fortitudo [5], ut sanguine solo rumpatur hircino : quia Maria, regia Virgo, nunquam, nisi Christi sanguine recenter effuso, potuit esse turbata, quia nullo fuit alio tempore perturbata. Si enim, juxta philosophorum sententiam, non cadit perturbatio in sapientem virum, quanto magis Domina omnium sapientissima nunquam perturbationem mentis est passa? Seneca : « Non perturbabit bonum virum, quidquid ei acciderit : sciet enim accidere hoc ex lege divina, ex qua cuncta dependent. » Sed nota, quod hoc cœlum, quod dictum est firmamentum, stellis est innumeris adornatum, quia Domina nostra omnibus divinis gratiis fuit plena, in nullo dono aliqui sancto concesso penitus diminuta : quia non solum fuit plena, sed superplena, sicut dicit Anselmus [6]. Unde bene dictum est in themate : *Numera stellas, si potes;* quasi dicat : Dominæ notræ gratiæ sunt innumeræ, soli Deo notæ. Unde de ea potest exponi illud [7] : « Fecit Deus duo luminaria magna, et stellas : et posuit eas in firmamento cœli. » Duo magna luminaria, magis mundo famosa, et Ecclesiæ illuminativa, quæ fuerunt in mundi Regina, fuerunt virginitas similiter, et humilitas : e quibus ad eam inclinata est divina Majestas, ut quæ in se erat humillima, fieret sublimissima, omnibus gratiis Dei plena. Unde ipsa est tantum illa benedicta, de qua dicit Propheta [8] : « Benedixisti, Domine, terram tuam : » quia sicut in terra fit concursus, et multiplicatio omnium radiorum cœlestium, sic in Domina nostra omnia dona juncta sunt gratiarum. Unde docetur in scientia perspectiva, quod omne corpus perspicuum luminosum in quolibet puncto sui dirigit unam lineam radiosam in centrum, ut est ibi probatum; quod quanto una linea alterius est vicinior, tanto est potentior ad suum effectum imprimendum in centrum. Quare, cum terra sit cœli centrum, sive medium, et sit sicut punctum, comparata ad cœlum; tanta fit in ea multiplicatio radiorum, quod cum sit elementum frigidum et siccum, et sic generationi non aptum, fit tamen summe fœcundum, virtute cœlestium radiorum. Sic et in Dei nostri Matre tantus concursus factus est gratiarum, ut supra naturam facta sit fœcundissima, et Dei simul mater, et filia.

Exempla.

Quartum cœlum est aqueum, quia est effectu frigidissimum, et caloris siderei temperativum, secundum omnem doctrinam Sanctorum. De hoc autem cœlo dicitur in *Daniele* in Cantico trium puerorum [9] : « Benedicite, aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, Domino. » Et Psalmus [10] : « Aquæ, quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini. » Hoc cœlum Domina nostra fuit per eminentissimam castitatem, non solum carnis, sed et mentis, et omnium sensuum corporis. In tantum friguit, et calor omnis noxius in ea extinctus fuit, quod nunquam ullum (*a*) carnalem motum mentis habuit, vel carnis; imo a nemine concupisci potuit, quia ejus intuitus ita virtuosus erat, quod in aliis libidinem extin-

[1] *Psal.* CXLVI, 5. — [2] Ibid., 4. — [3] *Psal.* CXXIV, 1. — [4] *Matth.*, XVI, 18. — [5] August., *de Civit. Dei*, lib. XXI, c. IV, in princ.; Hieron., in *Amos*, cap. VII, et alia multa dicit de adamante Seneca, epistol. LXXVI. — [6] Imo Bern., *in Assump. B. Mar.*, serm. II, n. 2. — [7] *Gen.*, I, 16. — [8] *Psal.* LXXXIV, 2. — [9] *Dan.*, III, 60. — [10] *Psal.* CXLVIII, 4.

(*a*) *Cæt. edit.* illum.

guebat. Ideo ipsa dicta est Stella Maris, quia sicut stella est omnino incorrupta, sic Virgo hæc regia non solum in se fuit castissima, sed et castitatis in aliis causativa. Unde similis fuit illi lapidi pretioso, qui nullo potest igne calefieri, vel incendi. Unde in Luna est signata in Scriptura : quæ magnæ frigiditatis in rebus est causativa. Nam, sicut asserunt sapientes, tantæ frigiditatis est, ut omni mense pruinam terris induceret, nisi ejus frigus Solis caliditas temperaret. Stella etiam Saturni in tantum est frigidissima, quod caloris Solis est frænativa. Est etiam signata in lilio, quod est flos albus, odoriferus, in se natura frigidus, et aliorum infrigidativus. « Ego, » ipsa inquit [1], « flos campi, et lilium convallium. » Sed quis hodie castus? Quis gloriabitur mundum se habere cor [2]? [3] « Nemo mundus a sorde, » etc.

Quintum cœlum est cœlum empyreum, quod est creatione purum, situ altissimum, omnium contentivum, nulli motui subjectum; sed summe quietum, et per totum uniformiter luminosum. Et de hoc cœlo intelligitur illud [4] : « In principio creavit Deus cœlum et terram. » Nam cum secunda die factum fuerit firmamentum, et cœlum aqueum, ante omnem diem factum est cœlum empyreum cum materia quatuor elementorum, et innumera multitudine angelorum. Hoc cœlum fuit Domina nostra, per totius sapientiæ veritatem. Unde de ea dicit Bernardus [5] : « Maria totam divinæ penetravit sapientiæ abyssum, ut quantum, sine personali unione, creaturæ conditio patitur, illi luci inaccessibili videretur immersa. » Ex quo arguitur, quod in pura creatura non potuit major esse sapienta. Ob hoc enim dicitur *maris Stella*, quia est navigantium directiva ; vel dicitur etiam Luna, quia a Sole tota est illuminata, et accepti luminis refusiva.

Epilogus Ergo, qui vult habere utriusque hominis puritatem, ferventissimam charitatem, patientiæ firmitatem, corporis et animæ castitatem, et veri luminis claritatem, advocet hanc Dei Matrem. Unde Bernardus [6] : « In periculis, in angustiis, in rebus dubiis Mariam invoca, Mariam cogita : non recedat ab ore tuo, nec a corde ; et ut impetres orationis ejus suffragium, non deseras conversationis exemplum. » Rogemus, etc.

[1] *Cant.*, II, 1. — [2] *Prov.*, XX, 9. — [3] *Job*, XIV, 4, juxta LXX. — [4] *Gen.*, I, 1. — [5] Bern., *Dominic. inf. Octav. Assumpt.*, serm. n. 3. — [6] Bern., super *Missus est*, serm. II, n. 17. — [7] *Luc.*, I, 28. — [8] Arist., *de Cœl.*, lib. I, text. 4. — [9] *Deut.*, XXXII, 4. — [10] Arist., ubi sup. prox. — [11] *Sap.*, XI, 21. — [12] Arist., *Physic.*, lib. VI, text. 91. — [13] Ibid., lib. II, text. 24.

SERMO II.

Ave, gratia plena, Dominus tecum [7]. Perfecto, teste Philosopho [8], nulla possibilis est fieri additio. Non enim perfectum est, cui aliquid adjici potest : quomodo enim dici potest domus perfecta, quamdiu restat aliquid faciendum in ea? Cum ergo « Dei perfecta sint opera [9], » necesse est dicere, quod omne genus creaturæ, quantumcumque vile, habeat suum esse, dum tamen habeat quod ipsam decet habere, ut nihil omnino ei sit addere, vel ab eo detrahere : imo si ei aliquid adderes, genus rei mutares : quia si omni generi aliquid áddi posset, nihil perfectum a Deo factum esset : quare nec summe perfectus opifex ex opere appareret. Nam Philosophus [10] et Augustinus docent universum adeo esse perfectum, ut in nullo sit penitus diminutum, nec possit additamentum ei fieri ullum : non quia non posset Omnipotens addere, cum sit infinitæ potentiæ; sed quia creatura non potest ultra capere, quæ eo ipso quod creatura est, a Deo creata in numero, pondere et mensura [11]. Unde in libro *de Anima* dicitur [12], quod omnium natura constantium terminus est, et ratio magnitudinis et augmenti. Si enim creatura semper majoris boni, quam habet, capax esset, nunquam statum in ascendendo haberet; et sic nunquam perfecta esset, quia ad majus bonum omni tempore aspiraret. Ut ergo opera divina in suis generibus essent perfecta, creaturis omnibus est certa præfixa mensura, quam transgredi non est possibile in natura. Unde videmus, quod plantæ et alia animalia rectam habent in crescendo mensuram. Cum igitur in qualibet creatura hoc sit, rationalis tamen natura omnium naturarum dignissima est, eo quod sit ad beatitudinem ordinata, et inter omnium creaturarum genera summe perfecta, propter quam cætera sunt facta, ut habetur in *Physica* [13], et omnis attestatur Scriptura divina. Sed notandum est, quod ad perfectum cujuslibet generis creaturæ requiritur, ut varientur individua, ut se habeant in omnibus tamquam excedentia, et excessa : quia si omnia essent æqualia, frustra essent omnia. Si enim esset Sol in natura omnia cœli sidera, ubi Luna, ubi cætera luminaria, et efficacia tam diversa? Si

omnes homines essent reges, ubi servientes, et quibus imperarent? Nullus ergo rex esset, si omnes homines essent æquales. Item si in corpore nostro omnia membra oculus essent, ubi esset auditus, olfactus? ubi tactus? et si hoc, ubi corpus? Si ergo omnia membra essent oculus, nullum esset humanum corpus. Differunt ergo humani generis individua, ut esse possint omnia non solum esse inter se differentia, et gradus suscipere in natura, sed etiam in gratia, et cætera singula Dei dona : ita tamen quod in uno aliquo conveniant omnia, quæ per partes in cæteris sunt divisa. Unde, secundum Philosophum [1], ille est optimus equus, qui omnia illa habet, quæ illi generi sunt competentia. Unde dicit, quod si optimus equus melior est optimo asino, equus simpliciter asino est melior. Cum igitur summum individuum in humana natura sit mundi Regina, in qua omnia simul conveniunt Dei dona, quæ per partes sunt aliis sanctis distributa, ideo ipsa inter puras creaturas est in summo creaturæ perfecta, et in nullo penitus diminuta. Unde Hieronymus [2] : « Cæteris Sanctis per partes data est gratia ; sed in Maria totam se infudit gratiæ plenitudo. » Ex auctoritatibus in superiori Sermone jam dictis Anselmi et Bernardi, patet aperte, quod tanta fuit in ea gratia, tantaque sapientia, ut in creatura non unita divinitati major non possit intelligi. Quid magis potuit percipere creatura, quam Deum habere filium sibi subjectum? Nonne hoc admirabilissimum, valdeque stupendum, intra (*a*) creaturas vix contentum? Unde Bernardus [3] : « Mirare utrumlibet, et elige quod amplius mireris : sive Filii benignissimam dignationem, sive Matris excellentissimam dignitatem. Utrinque, » inquit, « stupor; utrinque miraculum : et quod Deus fœminæ obtemperet, humilitas sine exemplo ; et quod Deo fœmina principetur, sublimitas sine socio. » Unde et in alio loco dicit [4] : « Mariam in cœlo super omnia exaltatam, et in throno Dei quodam modo collocatam, Angeli omnes et Sancti laudibus honorant dignissimis. » Propter hanc ergo perfectionem summam, dicitur : *Ave, gratia plena.* In quibus verbis est summa ejus perfectio designata : nam summa perfectio in duobus consistit, scilicet in amotione omnis mali, et in plenitudine omnis boni : nec præsentia omnis boni absque carentia omnis mali potest facere plene beatum. Ut igitur nihil in Domina nostra perfectionis deesset, describitur primo per omnis mali absentiam, cum dicitur, *Ave,* quod est dicere : Sine væ. Secundo describitur per omnis boni præsentiam, cum infertur : *gratia plena.* Tunc enim vas dicitur esse plenum, quando in eo nihil manet vacuum, sed foras spargitur quidquid illi fuerit superfluum. Dicamus igitur : *Ave, gratia plena.* Est igitur hic notandum, quod licet Domina nostra fuerit omni gratia plena et superfusa, quadruplicem tamen habuit gratiam specialiter : nam primo plena fuit Domina gratia præveniente in sua sanctificatione, gratia præservativa contra turpitudinem culpæ ; secundo, gratia fœcundante in Filii Dei conceptione, gratia fœcundativa propter conceptum integritatis virgineæ ; tertio, gratia decorante in sua conversatione, gratia decorativa propter pulchritudinem vitæ ; quarto, gratia consummante in sua glorificatione, et ulterius gratia completiva, propter eminentiam gloriæ tam in anima quam in corpore.

Dico primo, quod Domina nostra fuit plena gratia præveniente in sua sanctificatione, gratia scilicet præservativa contra fœditatem originalis culpæ, quam contraxisset ex corruptione naturæ, nisi speciali gratia præventa, præservataque fuisset. Solus enim Filius Virginis fuit ab originali culpa immunis, et ipsa mater ejus Virgo [5]. Credendum est enim, quod novo sanctificationis genere in ejus conceptionis primordio, Spiritus sanctus eam a peccato originali (non quod infuit, sed quod infuisset) redemit, atque singulari gratia præservavit. Et de hoc potest exponi illud [6] : « Gratia super gratiam, mulier sancta et pudorata. » Mulier sancta et pudica fuit Virgo Maria, quæ non solum habuit gratiam cunctis communem ; sed super hanc habuit gratiam sanctificantem, ut non solum in conversatione, sed etiam fuerit sancta in ventre.

[1] Arist., *Moral. Nicomac.*, lib. II, c. VI. — [2] Hieron., in serm. *de Assumpt. Beatæ Mariæ*, paulo post initium, epist. X. — [3] Bern., super *Missus est*, hom. I, n. 7. — [4] Id., *in Assumpt. B. Mar.*, serm. I, n, 4, quoad sensum. — [5] « Beatam Virginem in peccato originali fuisse conceptam cum B. Bernardo, cum S. Thoma, et cum aliis B. Bonaventura in lib. III *Sent.*, dist. III, art. 1, quæst. I et II, omnino tuetur. Hinc serm. hunc B. Bonaventuræ non esse, omnino fatendum est, cum ipse multis aliis in locis opinionem in lib. III *Sent.* affirmatam, omnino et constanter defendat. » Hæc annotarunt Editores Romani; sed ad memoriam revocare juvat animadversionem quam posuimus in antecessum tomi IV, pag. XIII, necnon ea quæ diximus in antecessum, ex Prodromo, tomi hujus. — [6] *Eccli.*, XXVI, 19. — (*a*) *Cæt. edit.* infra.

Bernardus [1] : « Fuit profecto Domini Mater ante sancta, quam nata. Puto, » inquit, « quod tanta gratia sanctificationis in eam descenderit, quod non solum ejus sanctificaverit ortum, sed deinceps ab omni peccato servavit immunem. » In quo Jeremiam Prophetam, Joannem Baptistam, et omnes sanctificatos in ventre præcessit, quia nulli unquam peccato obnoxia fuit. Augustinus [2] : « Cum de peccatis agitur, nullam de Matre Domini volo habere quæstionem : qua sola excepta, si omnes Sancti simul, et omnes Sanctæ jungentur in unum, nihil aliud respondere possent, nisi quod dicitur [3] : *Si dixerimus, quod peccatum non habemus, vere nosipsos seducimus, et veritas in nobis non est.* Unde ipsa sola de omnibus potuit vere dicere illud [4] : « Non reprehendit me cor meum in omni vita mea. » In hoc dono, fratres, eam imitari non possumus : quia sicut in peccato concipimur, ita et nascimur. Sed in hoc considerare debemus, quod iste, qui tam mundum præservavit Virginis uterum, non fœdum, sed mundum requirit habitaculum. [5] « Domum tuam, Domine, decet sanctitudo. » Domus Dei est noster animus, qui debet esse per omnia mundus et sanctus, ne nobis illud dicatur [6] : « Domus mea domus orationis est; vos autem fecistis illam speluncam latronum. » Quis est tam rusticalis, qui non mundaret domum suam, si sciret regem Romanorum ad se in domum esse venturum? Valde enim turpe est, quod apes tam parvæ carne, et sanguine quasi nullæ, ab omni suas domunculas mundant sorde, nec ullum sine morte possunt pati fœtorem; et homo, creaturarum omnium dominus, non verecundatur fieri totus fœtidus, cum tamen inhabitator ejus sit Deus. Nam et passeres et hirundines, parvæ aves, omnes fæces de suis nidis ejiciunt, et filios ejicere instruunt. Sed quidam nostrum sunt scabronibus similes, qui odorifera fugiunt, et in fæcibus bovinis se totaliter involvunt. Unde de eis potest illud dici [7] : « Putruerunt (*a*) jumenta in stercore suo. » Homines dicuntur jumenta, dum, rationali relicta natura, fiunt similes brutis; propter quod Psalmus [8] : « Homo cum in honore esset, non intellexit, » etc.

Exemplum.

Secundo, Domina nostra fuit plena gratia fœcundante in fiiii sui conceptione : unde ei ab Angelo dictum est [9] : « Ne timeas, Maria : invenisti enim gratiam apud Dominum : ecce concipies, et paries filium, » etc. O quam magnum, quam altum præconium, quanta utique laude dignum, quod simul et semel Dei esset mater, et filia, et ancilla; virgo, et fœcunda! Quis unquam audivit tale quid? quis vidit huic simile? Verum propter hanc gratiam facta est Deo intima et amicissima super omne creaturam. Unde de Esther dictum est in figura, quæ interpretatur *præparata*, et hujus Virginis fuit persona signativa [10] : « Introducta est Esther, » inquit, « ad cubiculum regis, et adamavit eam rex super omnes mulieres, habuitque misericordiam et gratiam coram eo, et posuit diadema regis in capite ejus. » Quid hoc sublimius? quid gloriosius? mundi totius domina facta est et regina; hæc est enim, ut dicitur [11], « Mulier illa amicta Sole, et Luna sub pedibus ejus : corona stellarum duodecim. » Unde Bernardus dicit de ea [12] : « Quam familiaris es Christo, o Domina! quam illi proxima! quantam gratiam apud eum invenisti, ut maneret in te, et tu in ipso! vestis eum, et tu vestiris ab ipso : vestis eum substantia carnis; sed ille te vestit gloria suæ majestatis. » In hac tam sublimi gratia, si non sit Domina imitanda, est tamen omni hora benedicenda, et prædicanda, et laudanda, et in nostrum auxilium invocanda. In omnibus pressuris respice stellam maris, voca et clama Mariam : quia ipsa est, quæ dat in mari viam, et inter fluctus firmissimam semitam. Ipsa est enim anchora, qua navis in mari firmatur; et est navis, qua homo a tentationum fluctibus liberatur. Ille solus ab ejus abstineat laudibus, qui eam in tribulatione invocans, non fuerit exauditus.

Tertio, Domina nostra fuit plena gratia decorante in omni sua conversatione. Unde in figura ipsius dicitur [13] : « Erat formosa valde, et incredibili pulchritudine, omniumque oculis gratiosa et amabilis videbatur. » Hæc est illa Rebecca, de qua dicitur [14] : « Puella decora nimis, virgoque pulcherrima et incognita viro. » Unde ei dicitur [15] : « Tota pulchra es, amica mea. » *Tota*, dicit, quia in carne et in mente pulcherrima fuit, ut nunquam sibi similis fuerit. Unde Bernardus, super illo verbo : *Tota pulchra es*, ait [16] : « Facie quidem pulcherrima, mente in-

[1] Bern., epist. CLXXIV, n. 5. — [2] Aug., *de Nat. et Grat.*, c. XXXVI, n. 42. — [3] I *Joan.*, I, 8. — [4] *Job*, XXVII, 6. — [5] *Psal.* XCII, 8. — [6] *Matth.*, XXI, 13. — [7] *Joel.*, I, 17. — [8] *Psal.* XLVIII, 14, 21. — [9] *Luc.*, I, 30. — [10] *Esth.*, II, 16. — [11] *Apoc.*, XII, 1. — [12] Bern., serm. *in Octav. Assumpt.*, n. 6. — [13] *Esth.*, II, 15. — [14] *Gen.*, XXIV, 16. — [15] *Cant.*, IV, 7. — [16] Bern.

(*a*) *Vulg.* computruerunt.

tegerrima, et spiritu sanctissima. » Hieronymus [1] : « Si diligenter inspicias, nihil est omnino virtutis, nihilque speciositatis, nihil candoris et gloriæ, quod non ex ea resplendeat. Erat enim multis candidata meritorum virtutibus, et dealbata nive candidius, simplicitatem columbinam in omnibus repræsentans. » Ex hac enim multa pulchritudine vitæ, virtutem habuit adamantis : quia sicut adamas (*a*) ad se ferrum trahit, sic Virgo sancta ad se deduxit de supernis Verbum Dei. Unde Bernardus [2] : « Virgo regia, gemmis ornata virtutum, geminoque mentis et corporis candore præfulgida, et decore, specie sua et pulchritudine in cœlestibus cognita, cœlorum civium in se provocavit affectum et aspectum ; ita ut Regis animum ad se inclinaret, cœlestem nuntium ad se de supernis educeret. » In hac igitur tantæ conversationis gratia, etsi eam ex toto imitari non possumus, debemus tamen eam sequi , quantum valemus, ut cum ea habere laboremus mentis et corporis castitatem, mentis humilitatem, Dei et proximi charitatem, in adversis patientiæ firmitatem, et perseverantiæ in bonis longanimitatem. Nam et Bernardus dicit [3] : « Si vis in adversis ejus impetrare suffragium, vide ne deseras ipsius conversationis exemplum. » Sed multi sunt similes porcis : potius inveniri volunt in luto, quam in domo ; et potius in loco fœtido et lutoso, quam in floribus et odoribus plenis locis.

Exemplum.

Quarto, Domina nostra habuit gratiam consummantem in sua corporis et animæ glorificatione. Nihil est enim aliud gloria, quam gratia consummata. Unde de hoc potest exponi illud [4] : « Mulier gratiosa inveniet gloriam. » Et licet sit omnibus hoc commune, Domina tamen nostra, sicut (*b*) omnes creaturas præcessit in gratia, sic et præcedet in gloria. Quare necesse est, ut qui vult a Deo gratiam impetrare, ad hanc mediatricem accedat devotissimo corde : quia cum sit Regina totius misericordiæ, nihil omnino habens in regno justitiæ, nihil petenti poterit denegare. Nam, ut Bernardus [5] ait, « a peccatore rogata ostendit Filio pectus et ubera : Filius autem Patri latus et vulnera : quare nulla potest esse repulsa, ubi tot concurrunt charitatis insignia. » Unde ait Apostolus [6] : « Accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ ejus. » Nam et ipsa ait [7] : « In me omnis gratia vitæ et veritatis : in me omnis spes vitæ et virtutis. Transite ergo ad me omnes qui concupiscitis me, et generationibus meis adimplemini. » Bernardus [8] : « Quando misereri non poterit Mater omnipotentiæ ? quando misereri noluerit Regina misericordiæ ? cur ad Mariam fugere trepidat humana fragilitas ? Revolve totam seriem Scripturarum, et si quid asperum, si quid durum inveneris in Maria, deinceps suspectam eam habeas, et ad eam accedere verearis. Tota, » inquit, « est dulcis, tota suavis, tota misericors, omnibus offerens lac et lanam. » Rogemus ergo, etc.

SERMO III.

Ave, gratia plena [9]. Mos inolevit antiquitus, usque ad nostram ætatem, vel ad nostra tempora successive deductus, et est ipsa consuetudine approbatus, et quasi in naturam conversus, ut illos oris officio salutemus, quibus bonum appetimus. Angelus ergo sanctus de cœlo veniens, dum ad clausam Virginem intrat, eam approbato jam more salutat, et in verbo præmisso duo denuntiat : primo enim suum, quem habet ad Virginem, monstrat affectum ; secundo vero in Virgine monstrat gratiæ complementum. Primum facit, eam officiosissime salutando ; sed secundum adjungit, eam plenam gratia prædicando. Primum fuit, in Angelo annuntiante, indicium eximietatis ; secundum vero, in Virgine admirante, fuit signum insignissimæ dignitatis. Primo ergo præmittit salutationem, cum ait : *Ave*. Secundo vero donorum plenitudinem præostendit, cum dicit : *Gratia plena*. Verum quia in Sermonibus de ipsa salutatione ejus satis videtur dictum esse, nunc superest solum de ejus plenitudine Sermonem hunc contexere, quia de gratia dictum est in superiori Sermone. Est ergo notandum, quantum ad præsens sufficit, quod distinguitur plenitudo tripliciter : scilicet primo, plenitudo sufficientiæ sive gratiæ necessariæ ; secundo, plenitudo excellentiæ (*c*) prærogativæ virgineæ ; tertio, plenitudo redundantiæ, sive supereffluentiæ divinæ potentiæ. Dico, quod prima plenitudo sufficientiæ, sive gratiæ, ad salutem necessariæ, est communiter omnium salvandorum, quia sine hac plenitu-

[1] Hieron. — [2] Bernard., super *Missus est*, hom. II, n. 2. — [3] Ibid., n. 17. — [4] *Prov.*, XI, 16. — [5] Bern., *in Nativ. B. Mar. Serm.*, n. 7, quoad sensum. — [6] *Hebr.*, IV, 16. — [7] *Eccli.*, XXIV, 25-26. — [8] Bern., serm. *in Dominic. inf. Octav. Assumpt.*, n. 2. — [9] *Luc.*, I, 28. — (*a*) *Leg.* magnes. — (*b*) *Cæt. edit.* etc. — (*c*) *Suppl.* sive.

dine divinorum donorum, nullus unquam hominum ad regnum potuit pervenire cœlorum. Unde scriptum est [1] : « Repleti sunt omnes Spiritu sancto, » etc. Est tamen sciendum, quod plenitudo hæc eam habentibus non est æqualis ; sed minus et magis esse cernitur in diversis. Unde Apostolus [2] : « Divisiones gratiarum sunt, idem autem Dominus. » Et iterum [3] : « Unicuique datur gratia secundum mensuram donationis Christi. » Quia tamen sine hac plenitudine non est salus, seipsum homo diligenter scrutetur, ne vacuus ab ea inveniatur. Vis autem scire, si hanc plenitudinem habeas, et si Dei gratia plenus existas ? Nota pleni proprietates, quas inferius annotavi : de quibus, ut memini, in Sermonibus mortuorum aliqua dixi [4]. Nam quod est plenum aliquo refrigerativo, si in igne ponatur, nullo modo exuritur, sed integrum conservatur. Et est exemplum de vase metallino vel terreo : quæ si aqua impleantur, ab igne in nullo læduntur, sed vacua ad ignem si ponantur, corrumpuntur. Ergo, cum gratia sit animæ refrigerativa, nulla tribulatione rumpitur anima, quæ est gratia Dei plena : ergo si rumperis, Dei gratia plenus non existis. Item quod plenum est, stabile est et firmum ; nec facile movetur a vento percussum : imo ubi movetur vas vacuum, immobile permanet quod est plenum. Ergo si te in tentationibus non invenis esse firmum, scias te esse vacuum, et non plenum. Item vas plenum ab eo, quo est repletum, in nulla sui parte est separatum ; sed in omni puncto sui est illi conjunctum, et cum eo interius contiguum habet contactum : qualitercumque applicetur exterius, a suo contactu nunquam interius recedit : ergo si tu, propter cogitationem exteriorum, devotionem perdis interiorum bonorum, scias te esse vacuum, et non plenum. Item omne continens, et contentum in figura sunt conformia. Exemplum de nube, quæ cum nullius sit determinatæ figuræ, illius nubis figuram induit, cui immediate se unit. Unde et Philosophus [5] omnia elementa probat esse sphæricæ figuræ, quia cum primum continens sit cœlum sphæricum, necesse est illud esse rotundum, quod sibi immediate est conjunctum, quia aliter esset ibi ponere vacuum : quod esset naturæ contrarium. Quale igitur est continens primum, tale est primum contentum, et per consequens tale secundum, tertium, quartum, quintum, et sic usque ad ultimum. Igitur si tu Spiritu sancto plenus existis, forma et regula scilicet, nullo modo recedit [6]. Item omne plenum per omne foramen suum emittit foras de eo, quo est repletum ; nec aliquid potest emittere ab illo extraneum : ergo si Deo es plenus, de nullo alio, quam de eo, aliquid loqui potes ; quod si aliter, plenus Deo non es. Item quod aliquo est plenum, quotiescumque ad terram fuerit inclinatum, aliquid emittit de eo, quo fuerat plenum ante : ergo cum terrenis inclinaris, Deo evacuaris, etiam si non sentis. Item quod est aliquo liquore plenum, non potest alium recipere liquorem : unde vas aqua plenum, non potest recipere vinum, nisi illa primo fuerit effusa. Similiter et cor Deo plenum respuit omne mundanum ; quod si aliquid admittit, Deo plenum utique non existit. Item vas solido corpore plenum non sonat percussum, sicut patet in dolio, quod continet in se vinum ; sed sonat plurimum, si fuerit vacuum, sicut patet ad sensum. Sic et cor Deo plenum non murmurat, quantumcumque percussum : ergo si in malo murmuras, necesse est ut Deo vacuum te esse concedas. Sed diligenter attende, quod quidam non appetunt plenitudinem gratiæ, sed potius plenitudinem pecuniæ : cum tamen dicatur quod [7] « avarus non implebitur pecunia. » Nonne igitur stultum est, eo velle repleri, quo repleri est impossibile ? Sed quæ ratio, quare non potest homo impleri pecunia, cum sit res solida ? Quid enim solidius auro, quid compactius ? Sed oculo rationis attende, quæ dico : certo enim tenemus experimento, quod omne, quod natum est aliquod totum capere in seipso, non potest repleri aliquo minoris (*a*) illo. Exemplum de vase tres modios capiente, de quo certum est, ipsum uno vel duobus non posse repleri. At cor humanum est capax Dei, boni videlicet infiniti : ergo nullo modo bono finito potest repleri. Item cor quod non habet habitatorem Deum, omnino est vacuum, cum ad Deum continendum sit ordinatum : et quia natura non patitur vacuum esse aliquid [8], cor per naturam suæ nativitatis semper, ut repleri possit, aliquid attrahit : cum ex eis attractis satiari non possit, ab attrahendo non desistit. Quare avarus usque ad mortem congregare non desinit, quia nun-

Exemplum.

[1] *Act.*, II, 4. — [2] I *Cor.*, XII, 4. — [3] *Ephes.*, IV, 7. — [4] Nihil simile reperitur nter editos Sermones. — [5] Arist., *de Cœl.*, lib. II, text. 30. — [6] Hoc loco aliquid desiderari videtur, quia locutio est manca. — [7] *Eccle.*, V, 9. — [8] Arist., *Problem.*, sect. IX, q. IX.

(*a*) *Al.* minus.

quam plenitudinem assequitur, quam intendit. Nota etiam hic, quod omne vacuum illud maxime attrahit, quod sibi conforme existit; quare magnes, in præsentia omnium metallorum, nullum ex eis attrahit, nisi ferrum. Sic et carnales attrahunt sibi lasciviam, superbi sublimia, avari vero temporalia; et sicut terra defossa, ut est in puteis, ex omni parte oris sibi aerem attrahit, sic avari et grifonici, quia supervacui, quare divina gratia vacui, per fas et per nefas congregare non cessant. Sed nota hic avarorum stultitiam, dum non cessant congregare pecuniam, quia omnino faciunt contra naturam. Nam omne vacuum, si naturaliter agit, solum illud attrahit, unde repleri possit. Unde si contra vas vacuum essent aliquæ creaturæ corporeæ, non attraheret nisi corporeas, quia ejus vacuitas non posset impleri per alias : quare si illas attraheret, quibus repleri non posset, frustra ageret; cum tamen natura nihil penitus agat frustra : ergo summa est hominis amentia, et omnino contra naturam operans semper frustra, dum repleri volens, non attrahit nisi vana. Sed utinam consideraret, quod quando res attrahens plus debito attrahit, et plusquam sibi necesse sit; unde vivere diutius credidit, inde perit. Exemplum de candela, sive de lychno in lampade, quæ dum de humore plusquam sibi necesse sit, attrahunt, extinctionem suæ lucis incurrunt. Nam et terra, quando de aqua plusquam sibi necesse sit, accipit, fit omnino inutilis, et semina in se jacta corrumpit. Et sic etiam pereunt nostra corpora, quando plusquam vitæ necesse sit, attrahunt sibi vana. O fatuitas summa, ut deficiat nobilissima creatura, vana attrahendo, non solida bona, ubi non illa deficiunt, quæ penitus carent vita : nec etiam deficiunt ipsa bruta, cum nec terræ committant semina, nec congregent quidquam in horrea.

Exemplum.

Secunda plenitudo gratiæ est plenitudo supereminentiæ, qua aliquid dicitur cæteris supereminere : et hæc plenitudo fuit in beatissima Dei Matre, quæ omnia dona, quæ alii Sancti acceperunt in parte, ipsa omnino habuit in plenitudine. Nam, sicut in capite sunt omnes sensus, sed in aliis partibus corporis tantum est sensus tactus; sic Domina nostra omnia habuit Dei dona, quæ in Sanctis aliis sunt divisa, sicut ostensum est in primis duobus Sermonibus supra. Unde dicitur [1] : « In plenitudine sanctorum detentio mea. » Et est sensus : Totum teneo in plenitudine, quod alii sancti tenent in parte. Hieronymus [2] : « Cæteris per partes datur gratia; sed in Mariam tota se infudit plenitudo gratiæ. » In hac plenitudine eam imitari non possumus; sed laborare debemus, ut accipiamus partem, quam possimus, ne vacui bonis apud Deum inveniamur. Nam quando terra erat inanis et vacua, nullis fructibus plena, fuisse legitur tenebrosam [3] : « Et tenebræ erant super faciem abyssi. » Et Gregorius dicit [4] : « Si non possum ex messe multos manipulos ferre, numquid ad aream debeo vacuus redire ? Nam si multos ferre non possum, feram duos, vel unum : quia etsi Redemptor noster labores penset in retributione, tamen vires pensat cum pondere. »

Tertia plenitudo est plenitudo redundantiæ, sive supereffluentiæ, quando aliquid sic dicitur esse plenum, ut effundat circa se locum. Nam et fluvius, quando suas ripas impleverit, si adhuc aqua excrescit, in omnia loca se vicina diffundit, et de sua superabundantia locis vicinis impendit : quod in Nilo, fluvio Ægypti, semper fieri consuevit semel in anno, cum aqua ei ab eo impendatur, non de cœlo. Fluvius etiam quilibet, postquam suum locum impleverit, ad loca remotissima fluit ex abundantia, quam accipit. Flumina nutriunt hortos, et plantas rigare non desinunt, et usque ad mare fluxu continuo se diffundunt, ut aqua gratiarum illuc redeat, unde venit. Hæc autem gratia abundantiæ redundantis in Salvatore nostro, Dei Filio, Jesu Christo, primo et principaliter fuit. Unde de eo dicitur [5] : « De plenitudine ejus omnes accepimus. » Item [6] : « Plenum gratiæ et veritatis. » Ipse enim est lux, qua illustramur ad verum, et ignis, quo inflammamur ad bonum : potest tamen impetratorie et meritorie appropriari Dominæ nostræ hoc donum gratiæ, propter quod dicitur esse similis Lunæ, cujus est accipere lumen, et terris refundere. Radix etiam humorem abundantem, quem accipit, toti arbori distribuit. Sic et virtus nutrimentalis, cibum, quem accipit, membris universis distribuit. Et ideo de Domina nostra dicit Bernardus [7] : « De plenitudine ejus accipiant universi, æger curationem, captivus redemptionem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, Angelus lætitiam, tota Trinitas gloriam,

[1] *Eccli.*, XXIV, 16. — [2] Hieronym., *de Assumpt. B. Mar.*, epist. X, paulo post initium. — [3] *Gen.*, I, 2. — [4] Greg. — [5] *Joan.*, I, 15. — [6] Ibid., 14. — [7] Bern., serm. *in Dominic. inf. Octav. Assumpt.*, n. 2.

Filii persona carnis humanæ substantiam. » Ad hanc igitur accedamus, hanc honoremus, hanc in nostrum auxilium invocemus, quæ tanti apud Dominum est meriti, ut non possit repulsam pati, cum sit digna in omnibus exaudiri. In cujus figura rex Salomon matri advenienti assurrexit, et thronum matris juxta suum poni fecit, eique dixit [1] : « Pete, mater mea : non enim fas est, ut avertam faciem meam. » Julianus Imperator [2] a fide apostatans, habitum monachi projiciens, quem habebat, ut dæmones sibi obedientes haberet (nam necromantiam, vel magicam artem exercebat), crucem Christi undique destruebat; cumque contra Persas ad bellum iret, et dæmones sibi victoriam promitterent, omnisque Dei Ecclesia contra eum oraret, talem visionem Basilius vidit : Cum enim apud Cæsaream episcopus esset, sibi videbatur quod Domina nostra in ecclesiam majorem descenderet cum multitudine angelorum; in qua ecclesia quidam miles, nomine Mercurius, jacebat mortuus, et in eadem ecclesia arma sua reposita erant, quem Julianus pro fide occiderat. Domina autem ad exercitum astantem dicebat : Quis me de Juliano apostata vindicabit, qui me et filium meum blasphemare non cessat? Tunc tacentibus cunctis, illa ait : Vocate mihi Mercurium. Cumque ille advenisset, illa eum suis armis assumptis ad exercitum ire jussit, et ut Julianum occideret, imperavit. Tunc evigilans Basilius, ecclesiam intravit, et in tumulo corpus Mercurii non invenit, nec arma ibidem pendentia vidit. Secundo vero mane veniens, et corpus ejus et arma invenit. Tunc visionem veram esse credidit, et post paucos dies quidam de exercitu venit, qui eum a quodam milite interfectum narravit : quisquis ille fuisset, sciri non potuit. Fertur autem quod dum flueret ejus sanguis, ipse de proprio suo sanguine manum implevit, et contra cœlum projiciens ait : « Vicisti, Galilæe, vicisti : » appellabat autem Dominum Galilæum. Rogemus ergo, etc.

DE SS. ANGELIS.

SERMO PRIMUS.

Misit Dominus angelum suum, et liberavit (a) *me de manu Herodis* [3], etc. Naturale est, ut homines ibi libenter habitent, ubi concepti, ubi nati sunt, et nutriti; propter quam causam multi ex impulsu naturæ plus appetunt esse in vilissimo rure, quam in nobilissima civitate. Unde dicitur de ciconia, vermibus et serpentibus infesta, ac humanæ societatis amica, quod nidum suum primum nunquam deserit, si coacta non fuerit : sed quando, hyeme cogente, recedit, nidum terra replet, et nidi virgulas atque spinas cum luto conglutinat, ne ventus eas ejiciat, vel dissolvat; in reditu vero suo in vere eumdem locum occupat, et contra alias nidum occupare volentes acriter certat, vel pugnat. Vide ergo quanta sit angelorum charitas, qui in cœlo empyreo creati, tanquam in loco sibi convenienti, et apto divinæ contemplationi, pro divina obedientia et charitate ad proximum, habitant nobiscum in terra, in loco obscurissimo, cœlo empyreo comparato, et licet divina contemplatione non careant, quia Deum ubique contemplantur, tamen illius loci amœnitate privantur, et in terra Deum contemplantur, quæ corpori congrua esse probatur, sicut ex divina ordinatione ostenditur. Sunt ergo a nobis Angeli valde diligendi, valde honorandi, et valde prædicandi : ne ipsorum beneficiis videamur ingrati. Hoc igitur attendens Apostolus Petrus ait : *Misit Dominus Angelum suum*, etc. In quo verbo tria notat Apostolus : primo mittentis Dei auctoritatem, quid enim Deo sublimus? secundo missi nuntii dignitatem, quid Dei nuntio dignius? tertio, ipsius missionis utilitatem, quid a carcere liberari utilius? Mittit Dominus, mittitur Angelus, et liberatur captivus. Notatur ergo primo divina sublimitas, sive auctoritas, cum dicitur : *Misit Dominus*. Secundo vero notatur Angeli dignitas, cum infertur : *Angelum suum*. Tertio vero notatur missionis utilitas, cum adjungitur : *et liberavit me de manu Herodis*. Ut ergo omnia simul tractemus, et sub paucis membris multa, et quasi innumera Angelorum beneficia constringamus, dicamus, quod quatuor sunt beneficia Angelorum, ad quæ possunt reduci alia quæ nobis ab ipsis conferuntur. Nota ergo, quod in via sunt nobis quatuor necessaria, si volumus pervenire ad patriam : nam primo indigemus scientia illustrante, propter potentiam cognitivam; secundo indigemus gratia inflammante, propter potentiam affectivam; tertio indigemus fortitudine roborante, propter potentiam operativam; quarto indigemus victoria consum-

Exempla.

[1] III *Reg.*, II, 20. — [2] Hanc de Juliani Apostatæ morte visionem sub aliis nominibus conscriptam vide in *Niceph. Hist. Eccle.*, lib. X, c. XXXV. — [3] *Act.*, XII, 11.

(a) Vulg. *eripuit*.

mante, ut perveniamus ad patriam. Videte ergo beneficia Angelorum : nam primo per eos instruimur in accipienda scientia ; secundo eorum precibus adjuvamur in impetranda gratia ; tertio per eos roboramur in facienda justitia; quarto per eos defendimur in obtinenda victoria.

Dico, quod primum quo indigemus, est salutaris scientia, qua nostra perficitur cognitiva. Quid enim est homo absque scientia ? Est enim similis Lunæ, quando in nullo est illuminata, sed est tota opaca et obscura, et dicitur esse nulla. Est etiam anima absque scientia sicut domus, quæ clausa est undique, nullo lumine illustrata, quæ nullo usui, nisi incendio, est apta. Nullum enim est animal, quod si fuerit cæcum, et lumine ex toto privatum, quod non sit inutile ad suum officium exercendum. Quod hirundo dum industria naturali cognoscit, filios ad lucem succo cujusdam herbæ reducit, ut dicit Philosophus [1], si eos cæcari contigerit : quod et mustela similiter facit. Animal enim cæcum solum aptum est ad molendum, vel ut comedatur idoneum. Unde capones impinguandi a quibusdam cæcantur, ut amplius et citius impinguentur : et jumentum, dum pistrino ad molendum ponitur, in oculis velatur, ut circa molam facilius revolvatur. Unde omnes qui carent hac salutari scientia, vel more caponum fiunt diaboli esca, vel more animalium tota die volvuntur circa molam, id est circa mundi inutilem curam. Valde ergo honorandi sunt Angeli, qui sunt nostri magistri in obtinenda scientia. Unde officium Angelorum, secundum Dionysium [2], est illuminare, purgare et perficere : quod utique faciunt, non animas informando, quod convenit soli Deo, sed exterius exercitando (*a*) more doctoris optimi et nobilissimi. Unde Angelus dixit [3] : « Missus sum, ut docerem te, quia vir desideriorum es. » Et hoc signatum esse dicitur [4] : « Vade, accipe librum de manu Angeli. » Quid est enim librum accipere de manu Angeli, nisi per eum instrui et doceri ? Unde dicitur [5] : « Accepistis legem in dispositione Angelorum. » Et dicitur [6] : « Lex ordinata est per Angelos in manu Mediatoris. » Si ergo omnes homines, ut docet Philosophus [7], scire desiderant; nec scire possumus, nisi doceamur; quantum illos amare debemus, a quibus continue non in vanis, sed in salutiferis edocemur ? Quis adeo malus esset, qui, si cæcus esset, illum non amaret, qui sibi lumen redderet ? Sed omnes nascimur cæci, et omni scientia nudi, secundum intentionem Philosophi [8], et quod majus est, certi experimento : ergo quantum venerari debemus sanctos Dei Angelos, a quibus instruamur !

Secundo indigemus gratia inflammante, ut perficiatur in nobis potentia amativa. Nam, ut habetur in libro *de Anima* [9] : « Anima perficitur virtutibus et scientia. » Nam tolle gratiam virtutum ab anima, quid est nisi mortua, carens vita ? Sicut enim anima est corporis vita, sic animæ vita est gratia. Et ideo, gratia non habita, anima dicitur mortua : quia privata est vita, non quantum ad esse primum, sed quoad esse secundum, quo ordinatur ad Deum. Gratia enim Dei similis est Soli inflammanti, et omnia incendenti : Sol enim omnia inflammat, quæ sub eo sunt : tolle Solem a rebus, et omnia frigore contabescent. Nam si Sol non esset, Luna omni mense hyemem terris adduceret, et sic omnia deperirent. Unde terra, non Soli opposita vel a Sole respecta, est omnino infructuosa, ut probat ipsa experientia. Sic etiam est de gratia, qua non habita, frigida in tantum sunt omnia, ut omnis operatio omnino sit perdita, quia Deo non grata : imo cordis nostri terra est omnino infructuosa. Unde anima sine dono gratiæ est sicut carbo spoliatus igne, et sicut lucerna sine lumine, et sicut nox sole carens. Si ergo mortui, absque fructu et (*b*) sine gratia sumus, sequitur quod Angelos revereri debemus, quorum intercessionibus gratiam impetramus. Unde scribitur [10] : « Respondens Angelus Domino dixit : Usquequo, Domine exercituum, non misereberis Jerusalem ? » et sequitur, quod respondit Dominus Angelo « verba bona, verba consolatoria. » Quid enim respondere fecit hæc, nisi quia, ad preces Angeli deprecantis, per gratiam reconciliatus est illis ? Unde in figura dicitur [11], quod « Angelus alius venit, et stetit ante altare, » etc.

Tertio indigemus operatione bona, ut perficiatur nostra operativa. Quid enim valet scientiam habere operandi, quid valet habere gratiam ad operandum, nisi adsit operatio bona,

[1] Arist., *Histor. Animal.*, lib. VI, c. v, et *de Generat. Animal.*, lib. IV, c. vi. — [2] Dion. Areop., *de Cœl. Hier.*, c. III. — [3] *Dan.*, IX, 22, 23. — [4] *Apoc.*, X, 8. — [5] *Act.*, VII, 53. — [6] *Gal.*, III, 19. — [7] Arist., *Metaph.*, lib. I, text. 1. — [8] Id., *Ethic. Nicom.*, lib. VI, text. 30. — [9] Arist., *de Anim.* — [10] *Zach.*, I, 12, 13. — [11] *Apoc.*, VIII, 3.

(*a*) *Leg.* excitando. — (*b*) *Leg.* et absque fructu.

quæ appellatur justitia, eo quod totius vitæ sit completiva? Nam si in operatione bona ad operandum non adsit potentia, mortua est anima. Nam constat [1], quod « justus ex fide vivit : » nec minus constat, quod fides sine operibus mortua est; ergo si ex fide animæ vita est, et fides sine operatione mortua est, absque operatione bona non potest esse animæ vita. Ita charitas est vita animæ. Hugo [2] : « Scio, anima mea, quia amor est vita tua : sed ubi operatio non est, amor non est : ergo nec ibi vita animæ (scilicet gratia) esse potest. » Minorem probat Gregorius dicens [3] : « Amor Dei nunquam est otiosus : operatur enim magna, si est; si autem operari renuit, amor non est. » Quomodo potest planta vivere, et nullos fructus facere? Numquid, vivente radice, deficiet humor bonus in arbore? Quid est animal, quod vita non careat, si ea quæ sunt naturæ suæ, non agat? Ergo et homo mortuus est, et non vivit, si, quæ salutis suæ sunt, prætermittit. Revereri ergo debemus Angelos, per quos ad bona opera provocamur, et adjuvamur. Nonne coadjutores nostri sunt Angeli, ut juste possimus operari? [4] « Ecce ego mitto Angelum meum, » etc. Duo facit : quia præcedit ad opus auxiliando, et custodit impedimentum removendo. [5] « Angelis suis Deus mandavit de te, » etc. Exemplum de Angelo, qui apparuit beato Antonio propter tædium vacanti otio : qui accipiens coram eo folia palmarum, cœpit operari vasculum : cumque aliquantulum fecisset, genuflectebat, et orabat, et ad opus iterato surgebat. Cumque sic diu fecisset, dixit ad Antonium : « Sic fac, et salvaberis. »

Quarto indigemus contra hostes victoria consummante in gratia, et perducente ad gloriam. Quid enim valeret volenti Romam ire, si usque ad portam iret, nec intus introiret? Quid prodest scutum tota die tenere, fortiter hostem invadere, utraque manu pugnare, si nondum (*a*) obtenta victoria, projecto clypeo, contingat te fugere? Non ergo valet scientia, non prodest gratia, non adjuvant opera bona, si non sit in fine victoria, quæ est omnium malorum finitiva, et omnium collectiva bonorum : sola enim perseverantia coronatur, et omnis laus in fine canitur. « Non enim, » ut ait Apostolus [6], « coronabitur, nisi qui legitime certaverit. » Quid enim est legitime certare, nisi finem operi suo dare, et in bono perseverare? Prius enim est moriendum, quam diabolo cedendum, vel fugiendum. Exemplum de Juda Machabæo, qui, priusquam fugeret, voluit interire. Nam et leo, si se videri credit, nunquam hostes fugit : sed se videndum in medio campo omnibus jaculis exponit, prius volens mori, quam fugere. Si igitur tantum bonum est victoria, quantam illis debemus reverentiam, qui nostram pugnam faciunt, nec juvare nos cessant, nisi victoria prius obtineatur! Ipsi sunt propugnatores nostri, qui pro nobis adhuc viventibus bellant, qui in morte nos juvant, qui nos post mortem associant, qui nos Domino repræsentant, et nostros defectus coram eo suis orationibus velant. Nam dicitur [7] : « Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, » supple, tantum; « sed adversus, » etc. Sed ab his per Angelos liberamur. Unde in figura dicitur [8] : « Tollens se Angelus Domini, qui præcedebat castra, » etc.; et postea quomodo omnes inmersi sunt, filiis Israel liberatis. [9] « Factum est prælium, » etc. Exempla.

SERMO II.

Angeli eorum semper vident faciem Patris [10]. « Magna est, » ut dicit Hieronymus [11], « dignitas animarum : quia quilibet habet Angelum suum ad custodiam delegatum. » Quis enim in tot malis, in tantis periculis, tantisque diaboli tentamentis, tot mundi periculis et fallacibus blandimentis, et carnis tam innumeris incendiis posset esse securus, si non esset custos Angelus? Nam Angeli sunt ex natura potentes, et ideo ipsorum ministerium est beneficium; et ex dispensatione divina sunt nobis præsentes, et ideo est ministerium ipsorum continuum, semper tamen divinæ contemplationi conjunctum. Et ideo in verbo præmisso, quantum ad duo, Angeli describuntur : primo, quantum ad vim ministrativam, qua nobis serviunt, humanæ indigentiæ consulendo; secundo, quantum ad vim contemplativam, qua Deo semper assistunt, fontem divini luminis contemplando. Primum respicit humanam necessitatem; secundum vero, Angelorum felicitatem. Primum est officium charitatis; sed secundum est opus dignitatis. Notatur ergo primo virtus administrativa, cum dicitur : *Angeli eorum*. Notatur secundo virtus contem-

[1] *Rom.*, I, 17. — [2] Hug. — [3] Gregor., *in Evang.*, hom. XXX, n. 2. — [4] *Exod.*, XXIII, 20. — [5] *Psal.* XC, 11. — [6] II *Tim.*, II, 5. — [7] *Ephes.*, VI, 12. — [8] *Exod.*, XIV, 19. — [9] *Apoc.*, XII, 7. — [10] *Matth.*, XVIII, 10. — [11] Hieron., *in Matth.*, XVIII.

(*a*) *Cæt. edit.* nudum.

plativa, cum additur : *Semper vident faciem Patris.* Sed quia in superioribus Sermonibus multa, imo quasi omnia de ministerio Angelorum dicta sunt, nunc de contemplatione videamus. Est ergo notandum, quod ad visionem beatam quatuor requiruntur, videlicet primo, ut sit aperta; secundo, ut sit jucunda, tertio, ut sit plena; quarto, ut sit æterna. Quodcumque enim istorum deficeret, visio beata esse non posset. Cum enim, secundum Bernardum [1], beatitudo sit omnium bonorum plenitudo, et secundum Boetium [2], sit « status bonorum omnium aggregatione perfectus; » si aperta visio summi boni non esset clara serenitas, et visioni jucunditas, et jucunditati non jungeretur satietas, et satietati non jungeretur æternitas, non esset ibi bonorum omnium plenitudo : ergo nec vera beatitudo. Ut ergo nihil desit beatitudini Angelorum, primo vident Dominum visione apertissima; secundo, visione clarissima; tertio visione plenissima; et nihilominus quarto (*a*) vident visione securissima.

Dico primo, quod Angeli vident Deum visione serenissima, nullo ænigmate obumbrata, vel nullo medio convelata. Si enim non sic viderent, beati non essent, quia adhuc Deum videre in seipso appeterent, quia Angeli appetitus terminatus non esset : ergo nec omnis boni plenitudinem attingeret. Sicut (*b*) enim Apostolis in terra adhuc viventibus Christus dixit [3] : « Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis; » et dicitur [4] : « Abraham exultavit, ut videret diem meum : vidit, et gavisus est : » quanto magis illi dicendi sunt beati, qui non Christum in forma tantum humana, sed eum conspiciunt in divina? « Nunc enim, » ait Apostolus [5], « videmus per speculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem. » O felix visio, o desiderata contemplatio, illam summam essentiam cernere in seipsa, quæ omnis esse causa existit; et illam potentiam, quæ de nihilo tam magna produxit; et illam sapientiam, quæ tam multa, tam pulchra, tanta varietate distinxit; et illam bonitatem benevolam, quæ universa persistere facit! Quid hoc melius? quid sublimius? Unde Augustinus de visione hac refert Platonem Philosophum quædam (*c*) dixisse : « Tam, » inquit, « delicata est visio divina, tantoque amore dignissima, ut quidquid haberi possit, illa non habita, non faciat hominem beatum, sed miserum. » Vadant ergo miseri homines, lascivi, filii diaboli, et tota die vana conspiciant, politas mulierum facies advertant, et auro cupidorum (*d*) incendantur, et ab illa visione excellentissima se excludant, ut in futuro non Deum, sed dæmones videant; non gloriam inveniant, sed perpetuas pœnas luant. Quæ enim est causa, quod in sensibus nos superant bruta? Certe nos capræ præcedunt in visu, lupi nos superant in olfactu, et araneæ, ut videtur, in tactu. Et quare, creatura summæ nobilitatis, in sensibus superaris a brutis? Ut scias, quia tua bona non externa, sed interna : non terrena, sed superna : non cum brutis in terra, sed cum Angelis in cœlo quærenda. In sensibus ergo te superant bruta, quia facta sunt ad sola sensibilibus (*e*) bona : tu autem in sensibus deficis, ut per hoc docearis, ut ad bona rationis, quæ sunt animæ intima, revertaris. Qui ergo Deum videre desiderat, ab exterioribus omnibus oculos avertat, et ad se redeat, nec in vanis beatitudinem suam ipsius quærat. [7] « Averte oculos meos, » etc. Exempla.

Secundo, Angeli vident Deum visione jucunda. Quid enim valeret Deum videre, nec de visione gaudere? Imo quomodo posset summum delectabile videri, et in eo non delectari? Si pulchritudo pantheræ sic attrahit animalia ad se videndum; si sic delectat aspectus hortorum; si sic suavitas liliorum, rosarum, et violarum; si sic amœnitas agrorum florentium; si sic pulchritudo stellarum : quantum, credis, delectat cernere summum bonum, pulchritudinem omnium sæculorum, et pulchritudinis omnis principium? [8] « Dulce lumen, et delectabile est oculis videre Solem. » Et si sic delectat creatum hunc respicere Solem, quid delectationis putas illis esse, qui creantem intuentur Solem? Dicitur enim de aquila, quod tunc habet delectationem suam, quando Solem conspicit in rota : ergo quid est videre summam essentiam, omnibus delectationibus plenam? Non enim absque summa delectatione potest cerni divina essentia. Unde dicitur [9] : « Videntes (*f*) exultabitis lætitia inenarrabili; » quia ad eam exprimendam deficit omnis lingua. Si enim sic delectat gustum esus carnium quadrupedum, avium, piscium, et saporum; si sic contactus carnalium rerum, quid est de- Exempla.

[1] Bernard. — [2] Boet., *de Consol. Philos.*, lib. III, pros. 2. — [3] *Luc.*, x, 23. — [4] *Joan.*, VIII, 56. — [5] 1 *Cor.*, XIII, 12. — [6] Aug., *de Civit. Dei.* — [7] *Psal.* CXVIII, 37. — [8] *Eccle.*, XI, 7. — [9] 1 *Petr.*, I, 8.

(*a*) *Cæt. edit.* tertio. — (*b*) *Leg.* Si. — (*c*) quondam. — (*d*) auri cupidine. — (*e*) sensibilia. — (*f*) *Vulg.* credentes.

gustare summum bonum, in quo est plenitudo omnium delectationum, plusquam dicere sufficiamus in infinitum? Deficiunt enim omnes linguæ a narratione ejus, propter magnitudinem esse ipsius. Nam tam magna, tam ampla, tam summa est illa dulcedo, ut eam non exprimat ullus sermo. Unde Apostolus semel illuc raptus, vidit [1] « arcana Dei, quæ non licet homini loqui. » [2] « Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti diligentibus te. » [3] « Quam magna multitudo dulcedinis, » etc. Bernardus [4] : « Semel te gustavi, mi bone Jesu, semel te gustavi : et utinam millies mori possem, ut iterum te gustarem! » Utinam haberemus desiderium Prophetæ dicentis [5] : « Quemadmodum desiderat cervus ad fontes, » etc. « Sitivit, » etc. Sicut cervus nunquam est ita lassus, quin a gustu aquæ et transitu reparetur; sic nulla homini tribulatio gravis esset, qui illius summi boni modicam stillulam degustaret. Pereant ergo filii Belial, quos solum nunc vana delectant, ut a delectatione perpetuo se excludant. Nos ergo, qui credimus [6] « videre bona Domini in terra viventium, » fugiamus hunc vanum gustum, vanum aspectum, vanum auditum, et vanum olfactum, et omnem delectabilem sensum. Nam in *Job* dicitur [7] : « Videbitis faciem ejus in jubilo. » Est autem jubilus quædam indicibilis lætitia, ut Gregorius dicit [8], mentis, quæ non potest lingua exprimi, nec ex toto videri. Exemplum de cane leporario, qui, dum invenit vestigia leporis, tantam lætitiam concipit, ut a quibusdam vocibus imperfectis abstinere non possit.

Tertio, Angeli vident Deum visione plenaria. Si enim, ut tactum est, illud bonum plenum non esset, ita quod in ullo bono omnino deficeret, summum non esset, nec angelicum appetitum ex toto perficeret, cum semper majus bonum appetere posset. Necesse est ergo, ut illud sit plenissimum bonum, ut majus excogitari non possit. Unde Dominus dixit ad Moysen [9] : « Ego ostendam tibi omne bonum, » id est, perfectum bonum. Et quid est perfectum bonum, nisi bonum consummatum, cui non potest fieri additamentum? Unde Apostolus [10] : « Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ Deus præparavit iis, qui diligunt illum : » quasi dicat : Tam ampla, tam alta, tam innumera sunt illa bona, ut omnem excedant humanum intuitum, humanum auditum, et omnem animi cogitatum. Quare concludere licet, quod illud bonum tantum est, quod majus esse non potest [11]. « Inebriabuntur ab ubertate domus meæ, » etc. Et ibidem [12] : « Apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen. »

SERMO III.

Qui facit Angelos suos spiritus [13]. Quantum illi milites natura sublimes, virtute potentes, divinis revelationibus sapientes, pietate clementes, veloces, quos Scriptura omnes assistere Domino docet, quis verbis exprimere potest? Ipse solus eos perspicere novit, qui eos condidit, tam sublimes effecit, et suos Angelos, id est, suos nuntios constituit. Et ideo valde congrue dictum est : *Qui facit Angelos suos.* Est vero sensus : Ille qui cuncta creavit, qui universa perfecit, ut voluit, ille milites suos, qui ex natura spiritus sunt, ex nobilitate naturæ, fecit nuntios ex administratione. Unde Apostolus *ad Hebræos* [14] : « Omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capient salutis. » Videte ergo, fratres, ne recedat a corde, ne recedat ab ore, ne recedat ab opere, quantum Deum nostrum debeamus amare : quia non solum condidit mundum, et totum nobis dedit in usum, sed et Angelos tradidit in ministerium, et tandem seipsum in pretium. In verbo autem præmisso subtiliter explanato sancti Angeli describuntur quantum ad tria : primo, ex parte auctoritatis divinæ; secundo, ex parte generositatis naturæ; tertio vero, ex parte gratiæ, sive administrationis commissæ. Nam ex divina auctoritate nobis sunt venerabiles; ex naturæ sublimitate nobis sunt admirabiles; sed ex officii sui charitate et humilitate, simul et pietate nobis sunt diligibiles. Notatur ergo primo circa Angelos divina auctoritas, cum dicitur : *Qui facit.* Notatur secundo angelicæ naturæ sublimitas, cum additur : *Spiritus.* Hæc sunt in creatura ex sua natura accepta. Exigebat enim perfectio universa, ut sicut quædam natura, sive creatura, est simul corporalis et spiritualis, et quædam pure corporalis; ita esset quædam natura tantum spiritualis. Nam quarta doctrina esse non potuit, ut

[1] II *Cor.*, XII, 4. — [2] *Isa.*, LXIV, 4. — [3] *Psal.* XXX, 20. — [4] Bern. — [5] *Psal.* XLI, 2, 3. — [6] *Psal.* XXVI, 13. — [7] *Job*, XXXIII, 26. — [8] Greg., *Moral.*, lib. VIII, c. XXXI, al. LII, n. 88. — [9] *Exod.*, XXXIII, 19. — [10] I *Cor.*, II, 9. — [11] *Psal.* XXXV, 9. — [12] Ibid., 10. — [13] *Psal.* CIII, 4. — [14] *Hebr.*, I, 14.

esset aliqua creatura quæ nec corporalis esset, nec spiritualis. Tertio vero notatur mentis angelicæ charitas, sive humilitas, cum infertur : *Angelos suos*, id est, nuntios : non quod compellantur; sed voluntarie obsequuntur, divina reverentia et fraterna charitate devicti. Dicamus ergo : *Qui facit Angelos suos spiritus*. Ut ergo ista omnia simul tractemus, sciendum est, quod Angeli a Deo creati sunt nobilissimi principes : sunt divini culminis adoratores : sunt divini operis prædicatores. Nam primo admirantur et laudant divinam sapientiam, simul et providentiam, qua omnia disponuntur et variantur; secundo, venerantur et adorant divinam omnipotentiam, qua omnia producuntur ; tertio loquuntur et prædicant divinam benevolentiam, qua homines redimuntur.

Dico primo, quod sancti Angeli admirantur et laudant divinam sapientiam simul et providentiam, qua omnia distinguuntur et disponuntur. Dum enim considerant rerum omnium varietates, mutationes, successiones et dispositiones, divinam providentiam, quæ omnium talium est prima causa, admirantur et laudant. Unde Dominus ad Job[1] : « Ubi eras, cum me laudarent astra matutina? » Stellæ matutinæ, quæ maxime apparent fulgidæ, sunt potestates angelicæ, quarum est Deum continue laudare ex tanta operum diversitate et admiratione, ut de mutatione circa se facta non ploret, sed potius admiratione angelica Deum laudet (*a*). Nam et Psalmista [2] : « Laudent eum omnes Angeli ejus. » Et sequitur : « Quia ipse dixit, et facta sunt : ipse mandavit, et creata sunt. Statuit ea in æternum, et in sæculum sæculi : præceptum posuit, et non præteribit. » In quo verbo divina notatur providentia, formans et disponens omnia. Quis enim, nisi amens, non admiretur, et ex hoc Deum laudet? Ipsa supercœlestia agmina sunt tanta varietate distincta, ut quidam ex Angelis sint semper divinis aspectibus assistentes, qui sunt de superiori hierarchia ; quidam sunt præsidentes, et aliis imperantes, sicut qui sunt de media hierarchia; quidam sunt obedientes, et jussa complentes, sicut qui sunt de infima hierarchia. Quis non miretur, et Deum laudet, dum tantam videt doctrinam cœlorum, orbium, et stellarum, non solum in specie et claritate, sed etiam in virtute differentium? Quis non miretur, et Deum laudet, dum videt tantam diversitatem hominum, moribus et vita differentium, in quibus omnibus tanta est diversitas facierum, in modico, vel in nullo similium? Quis non miretur, et Deum laudet, dum conspicit in mundo tam modico tantam diversitatem terrarum, tantam diversitatem montium, collium, et vallium, tantam varietatem provinciarum, castrorum, civitatum et villarum, linguarum et morum, tantam varietatem saporum, odorum et florum? Quis non miretur, et Deum laudet, dum conspicit tantam varietatem lapidum, ac omnium metallorum? Quis non miretur, et laudet Deum, dum tantam cernit diversitatem fructuum et granorum? Quis non miretur, et laudet Deum, dum cernit tantam diversitatem animalium volatilium, gressibilium, et natatilium, tantam diversitatem pilorum, virtutum, et naturarum? Attende ergo, homo, quia omnia ista pro te facta sunt, et tibi in judicio objicienda sunt. A te gratiæ pro tantis bonis requirendæ sunt : in quibus si defeceris, graviter punieris. Si enim omnia animalia currunt, ut videant pantheram [3], quia tota varia est, albis maculis superpicta, quis non debeat admirari tantam circa nos divinam providentiam, tam sapienter disponentem tam multa? Quare non attenditis, quomodo dies succedat nocti, et nox pari modo diei? Si enim dies semper esset, Sol universa exureret; si vero nox semper esset, frigus universa vastaret. Disposuit ergo divina providentia, ut mutatio sibi succederet, ut se mutuis alternationibus temperarent. Consimili modo et succedit hyemi ver, æstas veri, et autumnus æstati. Item in minori mundo pueritia succedit infantiæ, adolescentia pueritiæ, senectus adolescentiæ : et sic est in aliis rebus invenire. Ergo cum sanctis Angelis admiremur, et laudemus tantam divinam providentiam, et tantam in rebus sapientiam, donec veniamus ad patriam, ubi est pro omnibus admiratio magna, et laus perpetua. Unde [4] : « Tunc videbis, » quanta sit in rebus divina providentia, « et afflues, » admirabili scientia, « et mirabitur cor tuum » circa singula Dei opera. Et adimplebitur illud Psalmi [5] : « Laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus, » id est, secundum quod apparuerit magnus in operibus

[1] *Job*, XXXVIII, 7. — [2] *Psal.* CXLVIII, 2 et seq. — [3] Hieron., de Cereo pasch., epist. XX, circa fin. — [4] *Isa.*, LX, 5. — [5] *Psal.* CL, 2.

(*a*) *Forte leg.* plorent... laudent.

suis. Nam secundum quod ipse magnus est, laudari a nemine sufficienter potest.

Secundo, sancti Angeli venerantur et adorant divinam omnipotentiam, qua producta sunt omnia. Quid enim est adorare, nisi ex divinæ potentiæ consideratione seipsum dejicere, et resilire in propriam parvitatem? Deum ergo adorant, dum altitudinem potentiæ suæ considerant, quam etsi in se comprehendere non possunt, in omnibus tamen venerantur et colunt. Unde dicitur in *Apocalypsi* [1] « Omnes Angeli stabant in circuitu throni, » etc., « et ceciderunt in facies suas, et adoraverunt Deum. » Et Psalmista [2] : « Adorate eum, omnes Angeli ejus. » Sic et nos omnipotentiam ejus exemplo angelico revereri et adorare debemus, quam pro nobis manifestavit in creatione, dum de nihilo universa tam magna, tam pulchra, tam multa, et tam utilia sola voluntate produxit. Tam enim excellens opus est creare, quod nulli philosophi potuerunt credere, aliquid de nihilo posse fieri; unde coacti sunt plura principia ponere, et maxime ipsam materiam, quam dicunt ingenitam esse. Unde Boetius [3] : « Communis omnium sententia est, cujus nullus unquam veterum contradixit, ex nihilo nihil posse fieri. » Tam enim altum est opus de nihilo operari, quod si omnis potentia creata, tam angelica, quam humana, cœlestis pariter et terrena in unum esset conflata, non posset ex nihilo minimam creaturam producere. Ergo non est ille adorandus, qui corpora cœlestia tam clara, quam alta, tam pulchra, quam multa, tantis virtutibus plena, et ipsam rationalem creaturam, ex nihilo, suo verbo produxit? Exemplum hoc accipiamus Magorum, quos venientes ad Christum adorandum, non retardavit longitudo viarum, non asperitas temporum, non magnitudo regalium expensarum; sed venientes, et [4] « intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria matre ejus; et procidentes adoraverunt eum : et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, » etc. Nota ordinem, quomodo debeas Deum adorare. Nam venerunt, prociderunt, adoraverunt, et obtulerunt : quia ad Deum veniendum est devotione, procidendum est toto corde, adorandum est corde et ore, sed offerendum est ei aliquid opere. Quomodo non adorabis, et timebis Omnipotentem, quando sic timent animalia suum regem? Nonne ad leonis rugitum omne animal figit gressum, ut nec audeat transire circulum, quem leo cauda descripserit? Nonne grues suum regem venerantur et colunt, ad cujus imperium terram petunt, et de terra se erigunt? Quid dicam de apibus, quæ suum regem venerantur adeo, ut omnes ad suum servitium se offerant, et si eum offendant, de seipsis ultionem expetant, et vulnere proprii aculei se occidant? Quod, inquam, regnum barbarorum, et aliarum nationum in veneratione non habeat regem suum? Solus Rex regum, et Dominus dominantium contemnitur a populo suo, nec ei debitus honor impenditur. Sed veniet dies illa, quando, velint nolint, adorabunt eum : sed misericordiam invenire non poterunt. Unde dicitur [5] : « Zelus, et furor viri, » id est Christi, « non parcet in die novissimo : nec acquiescet cujusdam precibus, nec accipiet pro redemptione dona plurima. »

Tertio, Angeli loquuntur et prædicant divinam misericordiam, qua homines redimuntur. Et hoc plane habetur [6], ubi, nato Domino, pastoribus vigilantibus Angelus apparuit dicens : « Ecce evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo : quia natus est vobis Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David. » Si Christus Deus natus est, ut nos, charissimi fratres, non Angelos, liberaret; et Angeli, non redempti, ob charitatem nostram sic Regem natum prædicant atque gaudent, ita ut *Gloria in excelsis Deo* cantarent : quid homo redemptus, Deo reconciliatus, ab hoste pessimo liberatus, facere debet? « Gaudete, » inquit Apostolus [7], « in Domino semper : iterum dico, gaudete, » quia « Dominus prope est. » Si sic gaudendum atque iterum gaudendum est ex Domini expectatione; quantum gaudendum est ex sua redemptione? O quam grave peccatum, et quam detestandum, et quam acriter persequendum, non prædicare, non amare tam grande beneficium, quod Angeli tripudiant, cœli exultant, elementa cuncta, et infernalia ululant, et deplorant! Bernardus [8] : « O duri, o insensati filii Adam, quos non emollit tanta benignitas Salvatoris, tam ingens flamma amoris! Quare, filii perditionis, non attenditis fœnum, non consideratis tam strictum præsepium, non Deum panniculis involutum, positum in medio animalium? Bos et asinus Deum adorant, stellæ prædicant, cœli admirantur et laudant, omnisque

[1] *Apoc.*, v, 11. — [2] *Psal.* xcvi, 8. — [3] Boet., *de Consol. Philos.*, lib. V, pros. 2. — [4] *Matth.*, ii, 11. — [5] *Prov.*, vi, 34. — [6] *Luc.*, ii, 10-11. — [7] *Philip.* iv, 4, 5. — [8] Bern.

Scriptura ipsum venisse denuntiat ; et solus homo, propter quem venerat, non laudat, non prædicat, sed persequitur venientem. Exemplum de Herode cum principibus sacerdotum, qui eum quærebant ad mortem. Unde ipse conqueritur per Isaiam [1] : « Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui ; Israel autem non cognovit me, et populus meus non intellexit. Filios enutrivi, et exaltavi : ipsi autem spreverunt me. »

SERMO IV.

Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis [2]. Admirabilis et stupenda, et laudum præconiis prædicanda circa nos Altissimi bonitas, et amabilis plurimum Angelorum militumque cœlestium charitas, simul et pietas ; et plangenda non parum nostra tam multa necessitas. Hæc enim tria, in auctoritate præmissa, sunt notata : nam primo notatur circa nos divina diligentia, procedens ex superadmirabili bonitate ; notatur secundo Angelorum sanctorum custodia, procedens ex intima charitate ; notatur tertio humana indigentia, veniens ex naturæ infirmitate. Nam divina diligentia, quam bonitas summa facit, notatur, cum dicitur : *Angelis suis mandavit de te.* Angelica cura, quam charitas summa gignit, notatur, cum additur : *Ut custodiant te.* Sed nostra indigentia, quam naturæ necessitas introducit, cum additur : *In omnibus viis tuis.* Quæ enim sunt viæ meæ, nisi in peccato culpæ originalis concipi, in doloribus nasci, in gemitibus conversari, et necessario mori? Ista sunt, pro quibus orabat propheta David, dicens [3] : « De necessitatibus meis erue me. » Ut ergo omnia ista simul tractemus, scire debemus, quod licet ex bonitate Dei permaxime omnibus hominibus Angelorum adsit custodia ; quatuor tamen genera hominum sunt, quibus maxime sancti Angeli assistunt. Nam recte conversantium quidam sunt vigilantes ; quidam sunt orantes ; quidam sunt laborantes ; quidam sunt sustinentes. Nam quidam vigilant ex prudentia ; quidam orant ex reverentia ; quidam laborant ex obedientia ; et quidam omnia mala portant ex mentis constantia. Assistunt sancti Angeli ex consideratione vigilantibus ; item devote supplicantibus ; item prompte obedientibus ; item viriliter mala portantibus.

Dico primo, quod Angeli assistunt vigilantibus ex consideratione. Vult enim Deus nos sollicite vigilare, vigiliis carnem atterere, et propriæ saluti intendere. Nam inter grues quædam semper vigiles sunt, et sollicite castra custodiunt. Unde Philosophus dicit [4], quod unum pedem tenent in terra, alterum vero tenent suspensum a terra, in quo lapillum tenentes, ejus casu, si dormierint, excitentur. Valde enim turpe est, et rationi contrarium, ut brutum volatile pro sua salute vigiliam teneat, et rationale animal dormiat, nec pericula sua advertat. Nam et leo, si cogente natura dormiat, semper tamen oculi vigilant, eo quod eos dormiendo non claudat : lepusculus etiam quando dormit, nunquam oculos claudit. In quibus omnibus sic docemur, ut semper quasi vigiles simus, juxta illud [5] : « Ego dormio, et cor meum vigilat. » Unde Dominus exemplo utens patrisfamilias, dicit [6] : « Si sciret paterfamilias quando fur venturus esset, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam : ideoque et vos estote parati ; quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet. » Quis enim est, qui in carcere esset, et judicem semper expectaret, ut eum tortori traderet, somno vacaret, et non fletibus potius intenderet? Unde B. Arsenius dixit, quantum vigilandum esset, quod scilicet monacho sufficeret, si una hora dormiret. Væ igitur illis miseris, qui tota nocte dormiunt, ut in die vanitatibus intendant. Quid enim de tempore accepto a Deo ad pœnitentiam pro animæ salute intendunt? Si enim sic tempus expendunt mercatores pro temporalibus lucris, si sic scholares pro temporalibus scientiis lucrativis, si sic mulieres in filis fuso contortis ; quid facere deberent homines pro divinis charismatibus obtinendis, quibus in cœlo obtineant regnum pacis? Sed attendendum est, quod sicut sancti Angeli assistunt vigilantibus, sic resistunt desidiæ vacantibus. Exemplum de Angelo, qui restitit Balaam in via, qui ab asina didicit, et correptus est. Lege historiam [7], et prædica eam ; quia satis est pulchra. Exempla.

Secundo, assistunt Angeli orantibus ex devotione. Unde Angelus [8] : « Quando orabas tu, et Sara uxor tua, ego obtuli orationem tuam coram Domino. » Et sequitur : « Ego sum Raphael Angelus, » etc. Multa enim est virtus orationis, quæ Deum lenit, Angelos ad se trahit, et dæmones dejicit et affligit. Narrat enim Historia Scholastica, quod tempore, quo Julianus Apostata

[1] *Isa.*, I, 3, 2. — [2] *Psal.* XC, 11. — [3] *Psal.* XXIV, 7. — [4] Arist., *Hist. Animal.*, lib. IX, c. X. — [5] *Cant.*, V, 2. — [6] *Luc.*, XII, 39. — [7] *Num.*, XXII et seq. — [8] *Tob.*, XII, 12, 15.

ad bellum procedebat in Persiam, sibi dæmonem parentem in Occidentem misit, ut scire posset, quid in partibus occidentalibus ageretur. Dæmon igitur iter arripuit, qui monachum, sive religiosum plurimum orantem in via invenit : cumque per decem dies ab orando non cessaret, et divina virtute orationis, ultra transire non posset, ad Julianum rediit, et quare transire non potuerit, indicavit. Nam et sanctus Pater vidit, quod cum Fratres orabant, dæmones extra cellam fugiebant; sed dum ab oratione cessabant, mox ad eos in cellam redibant. Si ergo vis Angelum tibi semper assistere, non cesses semper orare. Quis est enim, si multis malis pressus, et ab adversario potente obsessus, qui nuntium regis sibi auxiliantem, et eum ab omnibus periculis defendentem, non rogaret instanter, ut staret, et a se non recederet, et cordis affectu, et oris affatu, et oculorum nutu, et manu complicata ad manum, imo certe si cuncta membra corporis linguas haberent, omnia Angelum precarentur ut staret? Ergo continue est orandum. Nam et sicut Angelus assistit orantibus et humilibus, sic resistit superbientibus. Exemplum de Herode, qui indutus veste regia, sicut legitur in Historia Scholatisca (ex auro argentoque contexta, tanto fulgore, repercussa solaribus radiis, refulgebat); quem, cum populus astaret, aliquid in se divinum habere credebat : et ideo ipsi, quasi Deus esset, vocibus acclamabant. Cumque tantis applausibus exultaret, nec divinas laudes respueret, tunc ab Angelo est percussus morte. Tunc fertur dixisse ad populum : Quem tantis favoribus prædicatis, ecce Deus vester morior.

Tertio, assistunt Angeli obedientibus, et laborantibus in continua actione. Nec mirum : nam videmus, quod nuntii alicujus regis, si fideles sunt, vere regi multum assistunt, et favent illis, qui bene obediunt in palatiis regis, continue laborant in regalibus agris. Ergo si sic faciunt nuntii sæculares, quanto magis hoc faciunt angelicæ potestates? Unde scribitur quod Angelus tetigit Heliam, qui fessus erat, laboraverat enim; et confortavit eum dicens [1] : « Surge, comede, » etc. Et dicitur [2], quod « Petrus erat vinctus catenis duabus, et custodes ante ostium custodiebant carcerem. Et ecce Angelus Domini assistit, et lumen refulsit in habitaculo, » etc. Quis ergo, si non stultus sit, non debeat laborare, ut possit tam fortes auxiliatores habere ? Stultissimum est, non obedire potentissimo Regi, sola non sibi, sed nobis utilia imperanti, cum membra etiam corporis nostri sic obediant cordi, et animalia bruta leoni. Nam de corvis dicitur, quod postquam bellaverint inter se pugna forti, victus per omnia obedit victori. Simus ergo obedientes, in divinis operibus laborantes, si Angelos volumus habere assistentes. Nam non laborantibus, non obedientibus, sed voluptatibus et deliciis vacantibus resistunt Angeli [3] : « Fiat via illorum tenebræ et lubricum, et Angelus Domini persequens eos. » Exemplum est de sene luxurioso, et vacante a bono opere, cui Daniel ait [4] : « Ecce Angelus Domini, accepta sententia, scindet te medium, » etc. Exemplum de Angelis, qui Sodomam subverterunt, eo quod vacantes otio, luxuriæ intendebant.

Quarto, assistunt Angeli patienter se agentibus (*a*) in tribulatione. Quis enim tot mala, quæ caro suggerit, mundus ingerit, et dæmon impingit, portare posset, si Angeli non juvarent ? Quis etiam audeat desperare, et non viriliter agere, cum tam strenuos milites noscat sibi assistere ? Unde dicebat Tobias uxori suæ [5] : « Noli flere : credo enim, quod Angelus Dei bonus comitetur ei. » Exemplum de hoc habemus [6], ubi Ezechia cum aliis patienter tribulationem sustinentibus, Angelus Domini in ipsa nocte percussit in castris Assyriorum (*b*) octoginta quinque millia hominum pugnatorum. Item dicitur [7] : « Misit Deus Angelum suum, et conclusit ora leonum. » Lege historiam et narra; nam et ibidem dicitur [8], quod « Angelus Domini descendit in fornacem, et fecit medium fornacis quasi roris flantem. » Omnes istæ historiæ narrandæ sunt, quia valde sunt pulchræ, et angelicæ assistentiæ probativæ. Sed attendendum, quod sicut assistunt patientibus, sic resistunt vane de se gloriantibus. Exemplum [9]: dicitur enim quod cum David populum numerari fecerit, Angelus Domini ex populo octoginta millia interfecit, etc.

DE DEDICATIONE ECCLESIÆ.

SERMO PRIMUS [10].

Sanctificavi domum hanc, quam ædificasti, ut

[1] III *Reg.*, XIX, 5. — [2] *Act.*, XII, 6-7. — [3] *Psal.* XXXIV, 6. — [4] *Dan.*, XIII, 55. — [5] *Tob.*, V, 27. — [6] IV *Reg.*, XIX, 35. — [7] *Dan.*, VI, 22. — [8] *Dan.*, III, 49. — [9] II *Reg.*, XXIV, 1 et seq. — [10] Vid. tom. XIII, pag. 633, alium sermonem de Dedicatione.

(*a*) *Leg.* gerentibus. — (*b*) *Suppl.* centum.

ponerem nomem meum ibi in sempiternum [1]. Verba sunt Domini ad Salomonem : et videntur satis competere hodiernæ solemnitati, in qua dedicationem templi celebramus. In verbis autem propositis duo notantur. Primum est templi dedicatio, cum dicitur : *Sanctificavi domum hanc, quam ædificasti.* Secundum est dedicationis ratio, cum dicitur : *Ut ponerem nomen meum ibi in sempiternum.* Circa primum notandum, quod est triplex domus Dei, et triplex est sanctificatio correspondens : prima est materialis ; secunda est spiritualis ; tertia est cœlestis.

De prima domo, scilicet materiali, dicitur [2] : « Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis. » Et dicitur templum materiale domus Dei, quia Deus in eo colitur, et adoratur. Unde in Psalmo [3] : « Adorabo ad templum sanctum tuum. » Sanctificatur autem domus in dedicatione. Unde, quando Moyses dedicavit templum et altare, dicitur [4] quod sanctificavit illud. Dicitur autem Ecclesia in dedicatione sanctificari propter tria. Prima ratio est, quia sanctis operibus mancipatur, scilicet orationum frequentationi, lectionum recitationi, divinæ laudis dedicationi, et veri sacrificii oblationi. Hoc est, quod dicit Isaias [5] : « Lætificabo eos in domo orationis meæ : holocausta eorum placebunt mihi super altari meo, et domus orationis vocabitur. » Idem habetur [6]. Sed, heu ! multis hodie posset dici illud, quod subditur in *Matthæo* [6] : « Vos autem fecistis illam speluncam latronum : » illis autem videlicet, qui non veniunt ad ecclesiam propter laudes decantandas, sed potius propter bursas implendas ; sicut latro latet in spelunca, ut spoliet transeuntes. Ideo dicitur [7] : « Numquid spelunca latronum facta est domus ista, in qua invocatum est nomen tuum ? » quasi dicat : Sic. Si autem quod in ecclesia accipiunt, in bonis usibus expenderent, hoc esset tolerabile ; sed timendum est, ne possit dici illud, quod dicitur [8] : « Templum luxuria et comessationibus erat plenum, et scortantium cum meretricibus. » Ideo conqueritur Dominus [9] : « Quid est, inquit, quod dilectus meus in domo mea facit scelera multa ? » Isti quæstioni satis facile est respondere ; et respondet Dominus [10] : « Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, abundantia et otium. » Secunda ratio, quare domus dicitur sanctificari in dedicatione, quia tunc sanctorum Angelorum custodiæ deputatur. Unde [11] : « Circumdabo domum meam ex his, qui militant mihi, » id est, sanctis angelis, qui sunt milites mei : de quibus militibus dicitur [12] : « Numquid est numerus militum ejus ? » Isti enim milites domum istam custodiunt, quia astant orantibus. Unde in Psalmo [13] : « Prævenerunt principes, » id est Angeli, « conjuncti psallentibus, in medio juvencularum tympanistriarum, » id est, animarum sanctarum, in choro et tympano laudes decantantium. Ideo etiam dicit Apostolus [14], quod mulier orans debet velare caput suum propter Angelos. Valet enim reverentia ipsis astantibus exhiberi, et gloriosi angelici spiritus nobis adesse credendi sunt, cum divinis mancipamur obsequiis vel officiis, id est, cum ecclesiam ingressi, vel lectionibus sacris aurem accommodamus, psalmodiæ operam damus, vel orationibus incumbimus, vel missarum solemnia celebramus. Non dubitare licet, quod ubi Dominici corporis et sanguinis mysteria geruntur, supernorum civium adesse (*a*) conventus, qui monumentum, in quo venerabile corpus positum fuerat, et jam resurgendo abscesserat, tam sedulis excubiis servaverunt. Debet igitur eis adstantibus reverentia exhiberi. Quod est contra illos, qui non venerunt orare, sed potius garrulare in ecclesia, et maxime mulieres ; cum tamen dicat Apostolus [15] : « Mulieres in ecclesia taceant. Turpe est enim mulierem loqui in ecclesia. » Tertia ratio, quare sanctificari dicitur ecclesia in dedicatione, est, quia tunc pretiosis Sanctorum reliquiis adornatur. In cujus figura dicitur [16], quod, in dedicatione templi, Salomon et universus Israel arcam Domini posuerunt in templo, loco videlicet reliquiarum. De his omnibus simul dicit B. Bernardus [17] : « Quis enim ecclesiæ parietes sanctos dicere vereatur, quos manus sacratæ Pontificum tantis sanctificavere mysteriis ? Ex tunc quoque et deinceps inibi lectionum resultare frequentia, sanctarum (*b*) orationum devota murmurare susurria, sanctarum reliquiarum honorari beata præsentia, sanctorum spirituum indefessa noscitur custodia vigilare. » Propter igitur istas tres rationes dicitur

[1] III *Reg.*, IX, 3. — [2] *Joan.*, II, 16. — [3] *Psal.* V, 8. — [4] *Num.*, VII, 1. — [5] *Isa.*, LVI, 7. — [6] *Matth.*, XXI, 13. — [7] *Jerem.*, VII, 11. — [8] II *Mach.*, VI, 4. — [9] *Jerem.*, XI, 15. — [10] *Ezech.*, XVI, 49. — [11] *Zach.*, IX, 8. — [12] *Job*, XXV, 3. — [13] *Psal.* LXVII, 26. — [14] I *Cor.*, XI, 6, 10. — [15] Ibid., XIV, 34, 35. — [16] III *Reg.*, VIII, 6. — [17] Bern., *in Dedic. Eccl.*, serm. IV, n. 1. — (*a*) *Leg.* adsint. — (*b*) *Ita apud Bern. Cæt. edit.* Sanctorum.

ecclesia in dedicatione sanctificari; et sic apparet, quæ sit prima domus, et quomodo sanctificetur, scilicet in dedicatione.

Secunda domus est spiritualis, scilicet anima fidelis. De ista domo dicitur [1] : « Christus est tanquam filius in domo sua, quæ domus sumus nos. » Ista autem domus sanctificanda est, et dedicanda; quia, secundum quod dicitur in Psalmo [2] : « Domum tuam decet sanctitudo, Domine. » Et [3] : « Templum Dei sanctum est, quod estis vos. » Ad dedicationem autem istius templi spiritualis, sive sanctificationem, quatuor sunt temporaliter necessaria, sicut in dedicatione templi materialis quatuor fiunt, scilicet aspersio, signatio, inunctio, illuminatio. Aspergitur enim aqua; signatur cruce, quia fiunt cruces in parietibus; inungitur oleo; illuminatur lumine candelarum. Sic etiam debet fieri in sanctificatione templi spiritualis.

Primo enim debet aspergi aqua compunctionis, aspersorio humilitatis. De hoc aspersorio dicitur in Psalmo [4] : « Asperges me, Domine, hyssopo, » etc. Hyssopus est herba humilis, et pectoris purgatoria, et signat recte humilitatem. Isto aspersorio debet aspergi conscientia, aqua compunctionis. Hæc est illa aqua, de qua dicitur [5] : « Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. » Hæc est illa aqua expiationis, sine qua non poterat immundus mundari, sicut habetur[6]. Ad istam mundationem hortatur nos Dominus per Isaiam[7] : « Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum, » etc. Et Psalmus [8] : « Lavabo, » inquit, « per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. » Sed heu! hodie multi sunt, qui hac aqua nolunt aspergi; sed potius in aqua volunt immergi, in aqua scilicet carnalium voluptatum, vel deliciarum. Talibus in figura Pharaonis dicit Dominus [9] : « Ecce ego ad te, Pharao rex Ægypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum. » Et sequitur ibidem : « Bestiis terræ, et volatilibus cœli dedi te ad devorandum. » Hæc est illa aqua, super quam meretrix sedet, sicut dicitur [10]. Vere enim super aquam deliciarum sedet meretrix, id est, peccatum luxuriæ, quia nutritur in deliciis. Unde dicit Bernardus [11] quod « periclitatur castitas in deliciis. » Hoc autem figuratum fuit [12], ubi dicitur quod lumbare suum computruit in aquis. Per lumbare enim, quod est circa lumbos, castitas designatur, quæ bene computrescit in aquis deliciarum carnalium. Hæc est illa aqua pessima, per quam multos hodie diabolus trahit a bono proposito, sicut legitur [13], quod serpens misit post mulierem aquam tanquam flumen, ut faceret eam trahi a flumine : quando enim anima peperit aliquod bonum opus, id est sancte et bene vivere inchoavit, tunc serpens immittit tentationes carnis, aquam scilicet deliciarum carnalium, reducendo ad memoriam præteritas delicias, ut sic trahatur a bono scilicet inchoato, et involvatur iterum in flumine deliciarum. Qui in istis vult immergi, non dedicat domum suam Domino, sed potius diabolo. De diabolo enim dicitur [14] : « Sub umbra dormivit in secreto calami, in locis humentibus. » Istis igitur aquis non debet aspergi domus ista, sed potius aquis compunctionis.

Secundo debet signari cruce pœnitentiæ, et mortificationis carnis. De ista signatione dicitur [15] : « Dictum est viro, qui indutus erat lineis, » id est Christo, qui indutus est membris purissimis, de carne videlicet Virginis : « Signa thau super frontes virorum gementium et dolentium, » super eos, qui aspersi sunt jam aqua compunctionis. *Signa thau*, id est, signum crucis; ad litteram enim hæc figura thau in Hebræo habet modum crucis : et ideo recte signat crucem, sicut dicitur in Glossa. O quam bonum est isto signo signari! Hoc est signum, quod inter servos Dei, et servos diaboli distinguit; quia, sicut dicitur [16] : « Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. » Unde de illo signo dicitur [17] : « Nolite nocere terræ, et mari, neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum. » Hoc est etiam illud signum, quod dæmones fugat, et dejicit. Unde legimus in Dialogo B. Gregorii [18], quod dæmones dixerunt de Judæo signo crucis munito : « Væ, væ, vas vacuum et signatum : » vacuum scilicet gratia, sed signatum. Ideo dicebat David [19] : « Fac, » inquit, « mecum signum in bono, ut videant qui oderunt me, et confundantur. » Hoc est etiam signum, quod ab æterna morte liberat. [20] « Omnem, super quem vi-

[1] *Hebr.*, III, 6. — [2] *Psal.* XCII, 5. — [3] I *Cor.*, III, 17. — [4] *Psal.* L, 9. — [5] *Ezech.*, XXXVI, 25. — [6] *Num.*, XIX, 13. — [7] *Isa.*, I, 16. — [8] *Psal.* VI, 7. — [9] *Ezech.*, XXIX, 3, 5. — [10] *Apoc.*, XVII, 1. — [11] Bern., *de Convers. ad Cleric.*, c. XXI, n. 37. — [12] *Jerem.*, XIII, 7. — [13] *Apoc.*, XII, 15. — [14] *Job*, XL, 16. — [15] *Ezech.*, IX, 4. — [16] *Gal.*, V, 24. — [17] *Apoc.*, VII, 3. — [18] Greg., *Dialog.*, lib. III, c. VII, pag. 292. — [19] *Psal.* LXXXV, 17. — [20] *Ezech.*, IX, 6.

deritis signum thau, » id est, signum crucis pœnitentiæ, « nec occidatis. » Hoc figuratum fuit [1], ubi dicitur : « Erit vobis sanguis, » etc., id est, memoria sanguinis, sive imitatio passionis Christi, signum est in ædibus nostris, et per illud signum, sicut dicitur ibidem, « liberati fuerunt ab exterminatore. » Sed licet hoc signum ita sit utile, hodie tamen pauci sunt, qui isto signo signari velint; imo potius istud signum vehementer abhorrent. De quibus dicitur in Psalmo [2] : « Timebunt, qui habitant terminos, » id est homines vitiosi, qui habitant in terminis, id est, in vitiis : virtus enim consistit in medio, sicut dicit Philosophus [3]; sed vitium in extremitatibus comprobatur. Qui igitur habitabunt istos terminos, timebunt a signis tuis, Domine Jesu; quæ signa sunt humilitas, paupertas, et pœnalitas. De quibus signis dicitur [4] : « Hoc vobis signum : Invenietis infantulum, » ecce humilitas; « pannis involutum, » ecce paupertas; « et positum in præsepio, » ecce pœnalitas. Per præsepium enim, in quo est locus arctus, arctitudo pœnitentiæ, et pœnalitas intelligitur. Inter ea vere, bone Jesu, positus es tu, et crux tua, in signum tibi : hodie a multis contradicitur, sicut dicit Simeon [5]. Signa enim omnino contraria suscipiunt : signum scilicet superbiæ, in apparatu vestium, contra Christi humilitatem et paupertatem. De isto signo dicitur [6] : « Tu scis, Domine, quod abominor signum superbiæ. » Signum etiam voluptatis et lasciviæ, contra Christi pœnalitatem; de quo dicunt miseri peccatores [7] : « Coronemus nos rosis, antequam marcescant; vino, et pretiosis unguentibus impleamus nos, et non pertranseat nos flos temporis, nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra. » Et sequitur : « Ubique relinquamus signa lætitiæ. » De isto etiam signo dicitur [8] : « Ad omne caput viæ ædificasti signum prostitutionis tuæ. » Vere qui istis signis sunt signati, non dedicant domum suam Christo, sed potius Antichristo. Tales enim portant characterem Antichristi, sive bestiæ in fronte, id est in corde; et in manu, id est, in operatione, sicut dicitur [9]. A talibus quæretur in judicio [10] : « Cujus est imago, et superscriptio? » Et non poterunt respondere, nisi : « Cæsaris, » id est, diaboli. Et tunc præcipiet Dominus : « Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari; et quæ sunt Dei, Deo. » Isto igitur signo non debet signari domus Dei spiritualis; sed signo crucis, id est, pœnitentiæ. Isto signo signatus erat Apostolus, qui dicebat [11] : « Stigmata Domini Jesu in corpore meo porto. » Glossa : « Stigmata, id est, signa militiæ, quæ me probant esse militem ejus, scilicet tribulationes. »

Tertio debet inungi oleo lætitiæ spiritualis, sicut etiam ad litteram inungitur domus Dei materialis oleo materiali. Ista inunctione inunctus fuit excellenter Christus. Unde in Psalmo [12] : « Unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ. » De isto oleo dicitur alibi [13] : « Ut exhilaret faciem in oleo. » Sed advertendum est, quod sicut videmus ad litteram in dedicatione domus materialis, quod unctio ponitur super cruces; sic unctio ista divina lætitiæ, videlicet spiritualis, ponenda est super crucem pœnitentiæ. In tribulationibus enim immittitur specialiter divina consolatio, secundum illud Psalmi [14] : « Secundum multitudinem doloris in corde meo, consolatio tua lætificavit animam meam. » Istam enim unctionem non merentur accipere, qui crucem pœnitentiæ recusant portare. Unde Bernardus, in sermone *de Ascensione* [15] : « Præoccupatos sæcularibus desideriis animos delectatio sancta declinat : nec misceri poterunt vera vanis, æterna caducis, spiritualia corporalibus, summa imis, ut pariter quæ in cœlo sunt, sapias, et quæ sunt super terram. » Hoc est quod dicit alibi : « Delicata est divina consolatio, non datur admittentibus alienam. » Et iterum : « Ubi crapulam ructantis inter pocula senserit Christus, sua vina, quæ super mel et favum dulciora sunt, propinare non dignatur : ubi ciborum curiosa diversitas, ubi divitis supellectilis discolor varietas oculos simul pascit, et ventrem, panis cœlestis jejunam deserit mentem. » Qui igitur vult unctionem istam recipere, necesse est, quod prius sciat crucem pœnitentiæ portare. Nec tamen omnes, qui crucem portant, istam unctionem percipiunt. Distinguit enim Bernardus inter portantes crucem pœnitentiæ in quodam Sermone de Ascensione, sic dicens [16] : « Advertere potes in omnibus fere religiosis congregationibus viros repletos esse consolatione, superabundantes gaudio, jucundos semper, et hilares, ferventes

[1] *Exod.*, XII, 13. — [2] *Psal.* LXIV, 9. — [3] Arist., *Moral. Nicomach.*, lib. II, c. VI, et *Moral. Eudem.*, lib. II, c. V. — [4] *Luc.*, II, 12. — [5] Ibid., 34. — [6] *Esth.*, XIV, 16. — [7] *Sap.*, II, 7-9. — [8] *Ezech.*, XVI, 25. — [9] *Apoc.*, XIV, 9. — [10] *Matth.*, XXII, 20-21. — [11] *Gal.*, VI, 17. — [12] *Psal.* XLIV, 8. — [13] *Psal.* CIII, 15. — [14] *Psal.* XCIII, 19. — [15] Bernard., *in Ascens. Dom.* serm. V, n. 8. — [16] Ibid., n. 7.

spiritu, » etc., « quibus amabilis disciplina, dulce jejunium, breves vigiliæ, labor delectabilis manuum, et universa denique hujus sanctæ conversationis austeritas refrigerium videatur. Contra sane invenire est homines pusillanimes, deficientes sub onere, virga et calcaribus indigentes : quorum remissa lætitia, pusillanimis tristitia est : quorum rara, et brevis compunctio, » etc. Et enumerat ibi multa mala de ipsis, et postea subjungit : « Nonne tibi vita horum inferno penitus appropinquare videtur? Socii plane sunt tribulationis, sed non consolationis. » Patet ergo, quod non omnes portantes crucem pœnitentiæ percipiunt unctionem spiritualis lætitiæ; sed illi soli (*a*) in angaria portant crucem, sicut ille, de quo dicitur [1] quod « angariaverunt eum, ut tolleret crucem Jesu. » Quæ autem sit ista unctio, dicit Apostolus [2] : « Qui unxit nos, et qui signavit nos, et dedit nobis pignus spiritus » gloriæ, id est, arrham de possidenda vita æterna. Differt enim pignus, et arrha : arrha enim est pars pretii, pignus non [3]. Arrha ergo est quædam prægustatio æternæ beatitudinis imperfecta : hic enim modicum prægustatur, sed in futuro pleno calice bibitur. In Psalmo [4] : « Et torrente voluptatis tuæ potasti eos. » Hæc ergo unctio est quædam prægustatio futuræ dulcedinis æternæ, propter quam sanctis, quidquid hic patiuntur, non solum leve videtur, sed etiam dulce. Hoc est, quod dicitur [5] : « Issachar asinus fortis, accubans inter terminos : et vidit requiem, quod esset bona, et terram, quod esset optima; et supposuit humerum suum ad portandum. » Issachar interpretatur *memoria Domini*, vel *vir mercedis* : et signat virum, qui in omnibus operibus suis est memor Dei, et omnia facit intentione mercedis æternæ; qui *asinus fortis* dicitur, propter passionum tolerantiam; *accubans inter terminos*, propter desiderium cœlestis patriæ. Dicit enim Glossa : « Habitare in terminis est non de mundanis quærere, sed ultimum desiderare. *Vidit requiem, quod sit bona, et terram, quod sit optima*, quando de delectatione, quæ erit in patria, datur ei modicum prægustare; et tunc *supposuit humerum suum ad portandum* : « Jugum » Domini [6] « leve, et onus suave. » Unde dicit Glossa : « Qui ad promissam requiem ire desiderat, mandatorum onera libenter portet. » Hæc est sanctorum consolatio, quam non novit, nisi qui accipit. Qui istam unctionem semel sentiret, libenter crucem pœnitentiæ portaret. Sed, sicut dicit B. Bernardus [7] : « Multi pœnitentiam fugiunt, qui crucem vident, sed non unctionem. » Si igitur abhorres crucem, respice unctionem, considera præmium; quia, sicut dicit Gregorius [8], « Consideratio præmii minuit vim flagelli. » Sic igitur debet ista domus inungi oleo lætitiæ spiritualis, quod fluit (*b*) desuper, scilicet ex consideratione æternæ beatitudinis.

Quarto debet illuminari, et lucere lumine honestæ conversationis. De quo lumine dicitur [9] : « Sitis sine querela, et simplices filii Dei in medio nationis pravæ et perversæ, inter quos lucetis, » id est, lucere debetis, « sicut luminaria in mundo. » Non enim debet sufficere viro sancto, quod in se ardeat; sed debet foris lucere per conversationis honestatem, ut in eo adimpleatur illud, quod dicitur [10] : « Ambulabunt gentes in lumine tuo, » id est, gentiliter viventes proficient ad exemplum tuum. Ideo dicit Dominus de Joanne [11] : « Ille erat lucerna ardens et lucens; » ardens interius charitate, et lucens exterius honestate. Et vere, quando sic est, quod domus ista spiritualis sit illuminata, tunc est Deo perfecte dedicata; quia tunc Deus in ea laudatur, et glorificatur. Unde [12] : « Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est. » Sed, heu! domus illa sanctificata a multis polluitur. Unde conqueritur [13] : « In multitudine iniquitatum tuarum, et iniquitate negotiationis tuæ, polluisti sanctificationem tuam. » Hoc est etiam, quod dicitur [14], quod « ascendentes in montem Sion, viderunt sanctificationem desertam, et altare prophanatum, et portas exustas, et in atriis virgulta nata, sicut in saltu, vel in montibus, et pastophoria diruta. » Tunc sanctificatio deserta efficitur, quando cor hominis, quod erat Deo sanctificatum a gratia, per peccatum deseritur. Tunc etiam altare prophanatur, quando cor, in quo solebat immolari hostia laudis, per peccatum polluitur. Tunc portæ exuruntur, cum incentiva

[5] *Matth.*, XXVII, 32. — [2] II *Cor.*, I, 21-22. — [3] Ex August., serm. XXIII, al. *de divers.*, CXXII, n. 9; serm. CLVI, al. *de verb. Apost.*, XIII, n. 16; serm. CCCLXXVIII, al. inter Vignerianos XXIV. — [4] *Psal.* XXXV, 9. — [5] *Gen.*, XLIX, 15. — [6] *Matth.*, XI, 30. — [7] Bern., *in Dedic. Eccli.*, serm. I, n. 5. — [8] Gregor., *Moral.*, lib. X, c. XVI, al. XII, n. 32, quoad sensum. — [9] *Philip.*, II, 15. — [10] *Isa.*, LX, 3. — [11] *Joan.*, V, 35. — [12] *Matth.*, V, 16. — [13] *Ezech.*, XXVIII, 18. — [14] I *Mach.*, IV, 38.

(*a*) *Suppl.* qui. — (*b*) *Leg.* fluat.

vitiorum per sensus ad animam ingrediuntur. Tunc virgulta in atriis nascuntur, cum multitudo superfluarum cogitationum in corde generatur. Tunc pastophoria (*a*) diruuntur (*b*), cum secreta mentis per illicita desideria dissipantur. Hanc destructionem deplorat Propheta dicens [1] : « Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, » scilicet diaboli, « polluerunt templum sanctum tuum. » Sed vere, qui ita templum Dei polluerunt, timere debent illam sententiam Apostoli [2] : « Quicumque templum Dei violaverit, disperdat illum Deus. » Sic igitur patet de dedicatione domus spiritualis.

Est iterum tertia domus, domus scilicet cælestis, de qua dicitur in Psalmo [3] : « Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi : in domum Domini ibimus. » Et alibi [4] : « Unam petii a Domino, hanc requiram : ut inhabitem in domo Domini, » etc. Vere optimum est habitare in domo ista. Hæc est enim domus securissima propter loci altitudinem : « Fundamenta enim ejus in montibus sanctis, dicitur [5] de domo ista. Et alibi [6] : « Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion, » etc. usque « in Hierusalem. » Et quare, subjungit causam [7] : « Montes, » id est, sancti angeli, « in circuitu ejus, » ipsam custodientes; « et Dominus in circuitu populi sui. » Hæc est domus maxima propter loci latitudinem : ibi nulla erit pressura. Ideo dicitur [8] : « O Israel, quam magna est domus Dei, et ingens locus possessionis ejus ! Magnus, et non habens finem, excelsus, et immensus. » Hæc est domus amœnissima propter loci pulchritudinem. De isto decore dicitur in Psalmo [9] : « Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ. » Ad pulchritudinem autem ipsius facit etiam mansionis pulcherrima dispositio, secundum quod dicitur [10] : « In domo Patris mei mansiones multæ sunt. » Propter istam admirabilem pulchritudinem dicebat Psalmista (*c*) [11] : « Hæc recordatus sum, et effudi in me animam meam, » etc., usque « ad domum Dei. » Hæc est domus jucundissima propter suavis melodiæ, quæ ibi auditur, dulcedinem. Ideo dicitur de ista domo [12] : « Sicut lætantium omnium habitatio est in te. » Et alibi [13] : « Beati qui habitant in domo tua, Domine, » etc. Hæc est domus opulentissima, propter omnis boni pulchritudinem [14] : « Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos. » [15] « Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciæ, et in requie opulenta. » Propter omnia ista bona, quæ in hac domo reperiuntur, dicebat David [16] : « Melior est dies una in atriis tuis super millia, » scilicet in mundo. Et sequitur : « Elegi abjectus esse, » id est minimus, « in domo Dei » nostri, etc. Dedicatio autem, sive sanctificatio istius domus, est plena et perfecta liberatio ab omni culpa et miseria. Quamdiu enim habitamus domos luteas, « corpus, quod corrumpitur [17], aggravat animam, « et ideo sine peccato et miseria esse non possumus. Unde [18] : « Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est. » Et [19] : « Quis potest dicere : Mundum est cor meum? Mundus sum a peccato? » quasi dicat : Nullus. Sed in illa domo nulla est culpa, nulla est macula; sed plena sanctitas, et perfecta puritas [20] : « Populus qui habitabit in ea, auferetur ab eo iniquitas. » Tunc enim exhibebit Christus « sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, neque rugam, » sicut dicitur [21]. Nulla erit etiam ibi miseria, quia tunc « absterget Deus omnem lacrymam ab oculis » suis, « et non erit amplius, » etc., usque « quia (*d*) prima abierunt, » sicut dicitur [22]. « In ista ergo perfecta liberatione a culpa et miseria consistit hæc domus dedicatio. Sic igitur patet primum principale, in quo notatur templi dedicatio.

Sequitur secundum principale, in quo tangitur dedicationis ratio, cum dicitur : *Ut ponerem nomen meum*, etc., id est, ut habitarem ibi, etc. Ad hoc enim dedicatur Ecclesia, ut fiat Dei speciale habitaculum. Unde nota quod in ista domo triplici, tripliciter dedicata, habitat Dominus tripliciter. In prima enim domo materiali habitat Dominus per corporalem præsentiam, scilicet sub sacramento ; in secunda per gratiam ; in tertia per gloriam.

Primo dico, habitat in domo materiali dedicata per corporalem præsentiam, scilicet sub sacramento. Unde [23] : « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem

[1] *Psal.* LXXVIII, 1. — [2] I *Cor.*, III, 17. — [3] *Psal.* CXXI, 1. — [4] *Psal.* XXVI, 4. — [5] *Psal.* LXXXVI, 1. — [6] *Psal.* CXXIV, 1. — [7] Ibid., 2. — [8] *Bar.*, III, 24-25. — [9] *Psal.* XXV, 8. — [10] *Joan.*, XIV, 2. — [11] *Psal.* XLI, 5. — [12] *Psal.* LXXXVI, 7. — [13] *Psal.* LXXXIII, 5. — [14] *Psal.* XXXV, 9. — [15] *Isa.*, XXXII, 18. — [16] *Psal.* LXXXIII, 11, 12. — [17] *Sap.*, IX, 15. — [18] I *Joan.*, I, 8. — [19] *Prov.*, XX, 9. — [20] *Isa.*, XXXIII, 24. — [21] *Ephes.*, V, 27. — [22] *Apoc.*, XXI, 4. — [23] *Matth.*, XXVIII, 20.

(*a*) *Cæt. edit.* pastoforia. — (*b*) *Item* dirimuntur. — (*c*) *Item* Psalmus. — (*d*) *Item* quæ.

sæculi. » Hoc bene figuratum est [1], ubi dicitur quod in dedicatione domus Domini « nebula implevit domum Domini. » Unde dicitur ibidem, quod dixit Salomon [2] : « Dominus dixit, ut habitaret in nebula. » Quid enim est gloriam Domini apparere vel habitare in nebula, nisi Domini corpus, Christi corpus, latere sub sacramento? [3] « Sanctificabo tabernaculum testimonii, et habitabo in medio filiorum Israel. »

In secunda domo habitat per gratiam. Unde [4] : « Vos estis templum Dei vivi, » etc., « quoniam habitabo in illis, » etc. Postea concludit [5] : « Has ergo habentes promissiones, » scilicet quod Christus in nobis habitat, « mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore (*a*) Dei. » Vere enim, secundum quod dicitur [6], « non habitabit in corpore subdito peccatis. » O quam bonum est habere talem hospitem! Cum ipso enim omnia bona veniunt, sicut dicitur [7] : « Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, » id est, cum Sapientia increata. Et Tobias [8] : « Omnia in te habentes, non debuimus dimittere (*b*) te ire a nobis. » Sed, heu! multi dimittunt talem hospitem recedere; imo, quod pejus est, turpiter ejiciunt, secundum illud, quod dicebat B. Petrus [9] : « Exi a me, Domine, quia homo peccator sum. »

In tertia domo habitat per gloriam. Hæc enim est habitationis suæ gloriæ locus, sicut dicitur [10] : « Ego in altissimis habito. « Rogemus ergo Dominum, ut det nobis sic primam domum frequentare, scilicet per crebras et devotas orationes, et secundam dedicare et sanctificare, scilicet domum conscientiæ, ut dignetur in ea habitare, et tandem nos cum gaudio in domum tertiam recipere. Quod nobis præstare dignetur, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO II.

Vidi civitatem sanctam Jerusalem novam, descendentem de cœlo, a Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo [11]. Notandum, quod duplex est civitas : una cœlestis; altera terrestris : una laudabilis; alia detestabilis. De prima nihil propositum. De secunda dicitur [12] : « Recedentes ab Oriente, ædificaverunt civitatem et turrim in campo Sennaar, » quod interpretatur *fœtor* sive *putredo dentium*; et signat peccatum, quod præstat mundanis ædificiis fundamentum. Hanc civitatem videns Christus, flevit super eam, et dixit [13] : « Si cognovisces et tu, » utique fleres, etc. Spiritualiter per hanc civitatem iste mundus accipitur, qui civitati multis de causis comparatur, quæ hic est in statu turpissimo. Et ideo bene possemus super ipsam flere, super quam etiam boni et electi deflent : quia quod Deus secundum historiam solus fecit, hoc quotidie per electos suos in generali agit. Plangit reprobos, qui nesciunt quod plangantur : qui si damnationem suam præviderent, seipsos cum electorum et sanctorum lacrymis plangerent. Possent enim tria de illa civitate dici : quia ædificatur turpiter, infatuatur subtiliter, et consummatur mirabiliter.

Primo, ædificatur turpiter. Unus ædificat diabolo domum fœtidam, porcorum stabulum, per luxuriam; alter palatium, per superbiam : et sic de singulis. Carpentarii diaboli sunt : væ eis, quia domus eorum destruuntur. [14] « Væ qui ædificant civitatem in sanguinibus, et præparant urbem in iniquitate sua. » Nota, quod unus ædificat de spolio, alter de furto, tertius de usura, etc. Unde Ovidius [15] :

Non habet eventus sordida præda bonos.

Secundo, infatuatur subtiliter, quia pulchra est iniquitate. [16] « Vidi iniquitatem et contradictionem in civitate. Die ac nocte circumdabit eam super muros ejus iniquitas et labor; et non defecit de plateis ejus usura et dolus. » Hæc enim civitas nunquam caret bello intestino; et ideo necesse est, quod quilibet istius civitatis inhabitator caveat sibi. Unde [17] : « Unusquisque a proximo se custodiat, et in omni fratre non habeat fiduciam : quia omnis frater supplantans supplantabit, et omnis amicus fraudulenter incedit. » Ideo in illa civitate nullus est securus, sicut dicitur [18] : « Formido, et fovea, et laqueus super te, qui habitator es terræ. » Hoc totum fit ex inductu trium institorum ejus, qui fraudulenta mercimonia exhibent, et pro levi pretio dant, id est tantum pro duobus, scilicet corpore et anima, quæ damnatur æternaliter. Hos tres institores describit

[1] III *Reg.*, VIII, 10. — [2] Ibid., 12. — [3] *Exod.*, XXIX, 45. — [4] II *Cor.*, VI, 16. — [5] Ibid., VII, 1. — [6] *Sap.*, I, 4. — [7] *Sap.*, VII, 11. — [8] *Tob.*, X, 5. — [9] *Luc.*, V, 8. — [10] *Eccli.*, XXIV, 7. — [11] *Apoc.*, XXI, 2. — [12] *Gen.*, XI, 2. — [13] *Luc.*, XIX, 42. — [14] *Habac.*, II, 12. — [15] Ovid. — [16] *Psal.* LIV, 10-11. — [17] *Jerem.*, IX, 4. — [18] *Isa.*, XXIV, 17.

(*a*) *Cæl. edit.* interiorem. — (*b*) *Item* mittere.

Joannes dicens [1] : « Omne quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ. » Hi tres maximam partem filii (*a*) fraudulenter subjugaverunt. Unde lamentatur [2] : « Fili hominis, assume super Tyrum lamentum, » id est, mundum. Glossa: « Quidquid de Tyro dicitur, ad angustias sæculi refertur. » Sequitur [3] : « Græcia, Mosoch, Tubal, ipsi institores tui. » Græcia mundi gloriam; Mosoch, diram nequitiam; Tubal, carnis lasciviam signant. Prima exhibet superbiam et avaritiam; secunda, invidiam et iram, quia [4] « invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum; » tertia exhibet gulam, et luxuriam, et acediam, et quos incautos viderit, decipit. Dic, quos quælibet decipit.

Tertio consummatur mirabiliter in judicio futuro. Unde [5] : « Væ, væ, civitas illa magna Babylon, civitas illa fortis, quoniam (*b*) una hora veniet judicium tuum : et negotiatores terræ flebunt, et lugebunt super illam, quoniam merces eorum nemo amplius emet, » etc. Et illud pulchre figuratur [6], ubi dicitur, quod Josue misit nuntios ad Raab in civitatem Hierico : quibus receptis juramento promiserunt (*c*) salvare domum ejus : in cujus signum funiculus in fenestra ejus ligatur. Et sequitur, quod dixit Dominus ad Josue [7] : « Circuite urbem septem diebus; die autem septimo tollent septem sacerdotes septem buccinas, septiesque circuibunt civitatem, et clangent buccinis, et muri funditus corruent. Et factum est ita; et interfecerunt a viro usque ad mulierem, ab infante usque ad senem, boves, oves, asinos. Raab vero fecit Josue vivere, et habitare in medio Israel usque in præsens. » Spiritualiter per (*d*) Josue Christus figuratur, cui [8] « omne judicium dedit Pater. » Per Hierico mundus iste. Septem diebus circuitur : ab Adam, usque ad Noe; a Noe, usque ad Abraham; ab Abraham, usque ad Moysen; a Moyse, usque ad David; a David usque ad transmigrationem, a transmigratione, usque ad Christum; a Christo, usque ad finem mundi. In his septem diebus sacerdotibus clangentibus septies circuitur. Per hos septem sacerdotes septem prælatorum genera figurantur : et cum unus tuba canit, civitas cadit, hoc est mundus. Primus Joannes Baptista hic decollatur, qui sic cecinit [9] : « Pœnitentiam agite, » etc. Secundus, septuaginta duo discipuli, qui despiciuntur. Unde [10] : « Misit illos binos ante faciem suam. » Tertius, Christus, qui crucifigitur, qui sic cecinit [11] : « Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, » etc. Quartus, duodecim Apostoli, quibus ait [12] : « In synagogis suis flagellabunt vos. » Et ibidem [13] : « Ecce ego mitto vos, sicut oves in medio luporum, » etc. Quintus, prædicatores moderni, ut nos, et nostri similes, qui canimus tibi vitia fugienda, virtutes amplectendas, pœnam fugiendam, et gloriam appetendam. Sextus, Helias et Enoch [14] : « Dabo duobus testibus meis, et prophetabunt diebus mille ducentis quadraginta : et cum finierint testimonium suum, bestia, quæ ascendet de abysso, faciet adversus eos bellum, et vincet illos, et occidet eos. » Septimus sunt angeli, cum hi tuba sua canent, et omnes resurgent; hos etiam audient mortui auribus. Unde [15] : « Mittet angelos suos cum voce magna, » etc. Hoc septimo clangore muri Hierico corruent, id est, mundus. Unde sequitur [16] : « Vociferante omni populo, et clangentibus tubis, illico corruent. » Per illos septem sacerdotes figurantur septem cœtus cœlestium, videlicet Angeli, Virgines, Martyres, Confessores, Prophetæ, Apostoli, Evangelistæ. Isti septem interficient septem genera hominum. Unde sequitur [17] : « Ceperuntque civitatem, et interfecerunt omnia, quæ erant in ea, a viro usque ad mulierem, ab infante usque ad senem, boves, oves, asinos. » Per hos figurantur septem genera hominum, quos Dominus durissime judicabit. Primo *viros*, hoc est per potentiam opprimentes, ut sunt mali nobiles, prædones, et oppressores pauperum; qui modo tantæ fortitudinis sunt, ut aliena rapiant, pauperes concutiant. Unde [18] : « Rapina pauperis in domo vestra. » Hi viri interficientur in judicio, et eorum colla a pauperibus conculcabuntur. Unde dicitur [19] : « Ite, ponite pedes vestros super colla regum. » Ubi tunc erit potentia eorum? [20] « Non in fortitudine sua roboratur (*e*) vir. » Secundo *mulieres*, delicate scilicet viventes. Mulier quasi *gerens mollia*. Hæ sunt, quæ nihil pro Deo incommodi sentiunt, sed semper in deliciis et mollibus incedunt, et nu-

[1] I *Joan.*, II, 16. — [2] *Ezech.*, XXVII, 2. — [3] Ibid., 13. — [4] *Sap.*, II, 24. — [5] *Apoc.*, XVIII, 10-11. — [6] *Jos.*, II, 1 et seq. — [7] Ibid., VI, 3 et seq. — [8] *Joan.*, V, 22. — [9] *Matth.*, III, 2. — [10] *Luc.*, X, 1. — [11] *Matth.*, VII, 19. — [12] Ibid., X, 17. — [13] Ibid., 16. — [14] *Apoc.*, XI 3, 7. — [15] *Matth.*, XIII, 41. — [16] *Jos.*, VI, 5. — [17] Ibid., 21. — [18] *Isa.*, III, 14. — [19] *Jos.*, XIX, 24. — [20] I *Reg.*, II, 9.

(*a*) *Cæt. edit. Leg.* sæculi. — (*b*) quomodo. — (*c*) *Item* permiserunt. — (*d*) *Item* pro. — (*e*) *Vulg.* roborabitur.

triuntur : et isti manducabunt pœnas inferni. Unde [1] : « Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora, » scilicet inferni. Hæc est illa maledicta mulier, quæ multos seducit. Hæc, ut dicit [2], « si primatum habeat, confundit virum suum (*a*) : » ideo interficiuntur. Tertio *infantes*, hoc est non fantes in confessione et oratione : et hi ad litteram sunt juvenes, qui etiam occiduntur [3] : « Illis, Domine, qui in vita sua insensate et injuste vixerunt, dedisti summa tormenta. » Et sequitur [4] : « Infantium insensatorum more viventes, » qui veterem pellem Æthiopis non possunt mutare in vestem novitatis. Unde [5] : « Si mutare potest Æthiops pellem suam et pardus varietates suas, et vos poteris benefacere, cum didiceritis mala. » Versus :

Quod nova testa capit, inveterata sapit.

Et hi etiam occiduntur. Quinto *boves*, hoc est Ecclesiæ prælatos. Isidorus [6] : « Bos est rex jumentorum. » Ista jumenta jam computrescunt in stercore suo [7]. Quod diffinit Gregorius dicens [8] : « Jumenta in stercore putrescere, est homines carnales in fœtore luxuriæ vitam finire. » Sexto *oves*, quoad falsos religiosos, qui oves in habitu, lupi sunt in actu. De quibus Dominus in Evangelio [9] : « Attendite a falsis prophetis, » etc. Tales etiam oves damnantur. [10] « Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos. » Septimo, *asinos*, quoad malos subditos, id est communem populum, qui ut asini stolidi sunt, nihil cognitionis habentes. Unde [11] : « Sepultura asini sepelietur putrefactus, et projectus extra portas Hierusalem. » Sequitur : *Raab vero, et omnia quæ habuit, fecit Josue vivere, et habitavit in medio Israel.* Per Raab, quæ interpretatur *latitudo*, intelliguntur hi, qui habent latitudinem charitatis, sine qua nullus salvatur : vel etiam recepit nuntios, id est prædicatores verbi Dei, quos in superioribus collocavit, id est altæ memoriæ commendavit. Hæc in fenestra animæ, id est affectiva, coccum ligavit, id est rufum funiculum, dum memoriam Dominicæ passionis habet, ut dicit Glossa. Et ideo cum Dominus ad judicium venerit, salvatur in filiis Israel, id est omnibus sanctis conjungitur. Post hoc mundus anathematizatur, id est mundani, qui maledicuntur. Unde sequitur [12] : « Hæc civitas anathema sit, » quæ est major excommunicatio, a qua nunquam absolventur. Rogemus, etc.

SERMO III.

Sanctificavit tabernaculum suum altissimus [13]. Loquitur Prophcta de consecratione ecclesiæ, sub metaphora rei artificialis describens ecclesiam primo consecrandam, secundo ejus consecrationem. De primo dicit : *Tabernaculum.* De secundo : *Sanctificavit.*

Quantum ad primum, allegorice per tabernaculum Ecclesia signatur, et singulariter ipsa est in omnibus particularibus ecclesiis una, quæ bene dicitur tabernaculum. Est enim tabernaculum locus militantium, peregrinantium, et vigilantium. Unde in tabernaculis habitant milites, et viatores, et pastores. Militat Ecclesia in bonis laicis, et sæcularibus. Peregrinatur in bonis clericis, et regularibus. Vigilat in bonis prælatis, et pastoribus.

De primo [14] : « Nigra sum, sed formosa, filiæ Hierusalem, sicut tabernacula Cedar. » Nigra, sicut tabernacula Cedar : formosa, sicut pelles Salomonis. Tabernacula Cedar, id est Agarenorum, per pelles extenduntur, et dilatantur; quia sæculares ex sollicitudine quotidiana circa tot mundana fuscati sunt interius, exterius tamen ex charitate fraterna sunt dilatati, et pulchri interius. Nigra, quia in laboribus plurimis; formosa, ex reformatione divinæ imaginis, et gloria conscientiæ interioris.

De secundo Apostolus [15] : « Quamdiu sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati; eo quod nolumus expoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur quod mortale est a vita. » Gemit peregrinus ex incommodis vitæ, ex dilatione patriæ, nihil ferens secum, nisi quod sit necessarium ad usum. Gemit clericus, cujus pars hæreditatis est solus Dominus. Gemit religiosus, qui terrenorum abjecit pondus, videns causam sui gemitus; quia sursum anhelat, cum hic eum esse oporteat : et ideo, cum caro trahat deorsum ex corruptione, et spiritus levet eum sursum ex devotione, ex motibus contrariis profert gemitum, plangens suum incolatum. [16] « Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est. »

[1] *Thren.*, IV, 5. — [2] *Eccli.*, XXV,30. — [3] *Sap.*, XII, 23. — [4] Ibid., 24. — [5] *Jerem.*, XIII, 23. — [6] Isid. — [7] *Joel.*, I, 17. — [8] Greg., *in Evang.*, hom. X, n. 6. — [9] *Matth.*, VII, 15. — [10] *Psal.* XLVIII, 15. — [11] *Jerem.*, XXII, 19. — [12] *Jos.*, VI, 17. — [13] *Psal.* XLV, 5. — [14] *Cant.*, I, 4. — [15] II *Cor.*, V, 4. — [16] *Psal.* CXIX, 5.

(*a*) *Vulg.* contraria est viro suo.

De tertio [1] : « Cui (*a*) in solitudine locum (*b*), et tabernacula ejus in terra salsuginis. » Et sequitur : « Circumspicit montes pascuæ suæ, et virentia quæque perquirit. » Iste onager, prælatus : manet in loco solitudinis, ex singulari sanctitate; in terra salsuginis, ex ferventi charitate; in monte solitudinis, ex diligenti subditorum informatione.

Quantum ad secundum, hoc tabernaculum sanctificatur, quando Ecclesia consecratur. Sanctificatio autem sumitur in sacra Scriptura tripliciter : primo, pro emundatione a peccato [2] : « Liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificatione. » Secundo, pro dedicatione cultui divino : unde tabernaculum, et vasa tabernaculi dicta sunt sanctificari, quia dedicata divino cultui [3] : « Sumpto unctionis oleo, unges tabernaculum, et omnia vasa ejus, ut sanctificentur. » Tertio, pro confirmatione in bono : sicut enim Joannes, et alii in gratia confirmati, dicuntur sanctificati [4] : « Antequam exires de vulva, sanctificavi te. » In hunc modum Ecclesia sanctificatur, quando in laicis et sæcularibus a peccatis purgatur; quando in Clericis et Religiosis divino cultui dedicatis commendatur; quando in Pastoribus et Prælatis confirmatur.

De primo [5] : « Quidquid potest transire per flammas, igne purgabitur : quod autem ignem non poterit sustinere, aqua expiationis sanctificabitur. » Hæc enim erat vulgaris sanctificatio, et communis, signans, quod per aquam baptismi et ignem pœnitentiæ sanctificari saltem quemlibet laicum oportet, per (*c*) purgationem ab originali peccato et actuali. [6] « Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium. »

De secundo dicitur ad Aaron in persona Clericorum [7] : « In fide et lenitate ipsius sanctum fecit illum, et elegit eum ex omni carne. » In fide, quoad Deum; lenitate patientiæ, quoad proximum; et separetur ab omni carne, id est a carnali voluptate, quoad seipsum : et sicut ecclesia sanctificata non advolvitur ulterius ad usum alienum, quantum ad modum; sic nec isti ulterius ad peccatum revertantur, sed [8] « sciat unusquisque vas suum possidere in sanctificatione, et honore. »

De tertio [9] : « Sacerdotes qui accedunt ad me, sanctificentur, ne percutiam eos; » et sanctificentur, et confirmentur in bono, quia ipsi sunt columnæ, et stabilimentum in populo. Ipsi enim debent esse sanctificati, quoad propriam sanctificationem, et quoad aliorum sustentationem. [10] « Qui sanctus est, sanctificetur adhuc. » In figura ergo hujus triplicis sanctificationis offerebantur in sanctificatione tabernaculi tria animalia : bos, qui congruit labori laicorum; agnus, qui significat simplicitatem religiosorum; aries, qui est dux gregis, qui convenit regimini Prælatorum. Et in consecratione altaris, tria apponuntur, maxime in parvis altaribus : lignum, signans fragilitatem in sæcularibus; chrisma, sanctitatem in regularibus; lapis, firmitatem in Pastoribus. Moraliter potest exponi verbum propositum de quolibet nostrum, qui dicimur Dei tabernaculum : ideo dicitur [11] : « Tabernaculum meum in medio vestri, et non abjiciet vos ultra anima mea. » Secundum autem distinctionem, quam facit David in Psalmo *Quam dilecta tabernacula* [12], per atrium et altare, possumus distinguere tres partes in tabernaculo : atrium, pro sexu promiscuo; prius tabernaculum, quod dicebatur sancta sanctorum, pro ministrorum quotidiano servitio; posterius tabernaculum, quod dicebatur Sancta sanctorum, pro Pontifice summo, qui solus intrabat illuc cum sanguine [13] semel in anno. Sic in nobis, qui sumus tabernaculum Dei, pars anterior est corpus nostrum, sicut quoddam atrium : pars anterior est pars animalis; sed pars posterior est anima nostra, sicut quoddam Sancta sanctorum. De primo [14] : « Certus sum quod velox est depositio tabernaculi mei. » Hæc autem dicebat de imminenti dissolutione corporis sui. De secundo [15] : « Eriges tabernaculum. » Et sequitur : « Inseretur autem velum per circulos : intra quod pones arcam testimonii, » quo Sanctuarium, et Sanctuarii Sanctuaria dividentur. Sicut enim pars illa opposita circumdabatur velo, quod discernebat inter Sancta, et Sancta sanctorum, ne videretur (*d*); sic ex parte sensualitatis, quæ est pars animalis, in nobis oriuntur quidam motus cogitationum et affectionum superflui, velantes et occultantes nobis lumen veritatis, ne animalis homo, qui

Altaris consecratio et hujus mysteri

[1] *Job*, XXXIX, 6, 8. — [2] *Rom.*, VI, 22. — [3] *Exod.*, XL, 9. — [4] *Jerem.*, I, 5. — [5] *Num.*, XXXI, 23. — [6] *Psal.* LXV, 12. — [7] *Eccli.*, XLV, 4. — [8] I *Thess.*, IV, 4. — [9] *Exod.*, XIX, 22. — [10] *Apoc.*, XXII, 11. — [11] *Levit.*, XXVI, 11. — [12] *Psal.* LXXXIII. — [13] *Hebr.*, IX, 7. — [14] II *Petr.*, I, 14. — [15] *Exod.*, XXVI, 30, 33.

(*a*) *Suppl.* dedi. — (*b*) *Vulg.* domum. — (*c*) *Leg.* propter. — (*d*) *Leg.* viderentur.

[1] « non percipit ea quæ Dei sunt, » intueatur. Unde mulier debet habere velamen super caput suum : nam [2] « capilli dati sunt ei pro velamine. » Capilli de carne nascentes, subtiles carnales affectiones, et erroneas cogitationes designant. De tertio [3] : « Post velamentum autem secundum, tabernaculum, quod dicitur Sancta sanctorum, » etc., quia spiritus absolutus ab impetu carnis, et appetitu sensualitatis, libere fertur ad Deum. Et sic patet, quid sit illud tabernaculum.

Secundo videndum est, quomodo debeat illud tabernaculum sanctificari. Corpus enim, anima et spiritus sanctificanda sunt. [4] « Deus autem pacis sanctificet vos per omnia, ut integer spiritus vester, anima et corpus sine querela in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur. » Corpus autem sanctificandum est per pœnitentiam; spiritus autem per sapientiam.

De primo dicit Dominus ad Moysen [5] : « Vade ad populum, et sanctifica illos hodie : et cras lavent vestimenta, et sint parati in diem tertium : in die enim tertio descendet Dominus super montem Sinai. » Tres dies referuntur ad tres illuminationes, quæ sunt tres pœnitentiæ partes, per quas illuminamur, dum per veram pœnitentiam sanctificamur. Hæc autem sanctificatio consistit in mortificatione carnis, cum discretione, cumpunctione, cum exultatione. In cujus signum, in consecrationibns ecclesiarum ponitur cinis, sal, et aqua, et vinum. In cinere mortificatio; in sale discretio; in aqua compunctio; in vino exultatio. De primo [6] : « Cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis : » quod fit, cum mortificatur caro ex memoria præteritæ delectationis. Vitula enim est animal lascivum; et cinis remanet post ignem mortuum. De secundo [7] : « Sicut exhibuistis membra servire immunditiæ, et iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete, » etc. Hæc enim discretio habenda est in pœnitentia, ut mortificetur in carne quod est carnale, non eruatur quod est spirituale vel naturale; vel secundum quantitatem culpæ præteritæ mortificatio sit carnis in operibus pœnitentiæ. Mortificanda est enim caro, ne superbiat; sed non est exterminanda, ne deficiat. Et sicut in consecratione ecclesiæ cinis et sal simul miscentur, ita in pœnitentia mortificatio et discretio conjunguntur. [8] « Obsecro vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. » Adjungit, et sanctificationem interserit. De tertio [9] : « Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. » Aqua enim compunctionis est aqua benedicta, per quam sanctificamur, et abluuntur peccata. [10] « Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, » etc., « regnum Dei possidebunt : et hæc aliquando quidem fuistis, sed abluti estis, et sanctificati estis. » De quarto [11] : « In omni dato hilarem fac vultum tuum (*a*), et in exultatione sanctifica decimas tuas. » [12] « Numquid flendum est in quinto mense, vel sanctificare me debeo, sicut feci jam multis annis? » Quia compunctio non debet esse nimia, ne vergat ad desperationem; sed moderata, non excludens exultationem. Et sicut cinis et sal simul ponebantur, ita vinum et aqua simul miscentur, ut computet illud in bono, quod dictum est in malo [13] : « Vinum tuum mixtum est aqua. » Nam si vinum defuerit, contabescit cor per desperationem; si aqua defuerit, luxuriabit in præsumptionem. [14] « Has igitur habentes promissiones, charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis, perficientes sanctificationem in timore Dei. » Quod dixit *promissiones*, pertinet ad vinum exultationis; quod dicit *in timore Dei*, pertinet ad aquam compunctionis. In cujus figura nazaræi, sanctificati Domino, in principio suæ consecrationis non poterant bibere vinum [15]; sed, completa sanctificatione, poterant. [16] « Vir, sive mulier, cum fecerint votum, ut sanctificentur, et se voluerint Domino consecrare, a vino, et omni, quod inebriare potest, abstinebunt. » Et prope finem ejusdem capitis dicitur, quod completa consecratione, licite poterat nazaræus bibere vinum, quia cordis compunctio inchoatur in amaritudine, terminatur in dulcedine.

Ecclesiarum consecratio, ejusque mysteria.

Secundo anima sanctificanda est per misericordiam. Animalis enim pars in nobis subjecta est fragilitati, quia a nostra fragilitate materiam habemus sufficientem aliis miserendi. [17] « Qui timent Dominum, præparabunt corda sua, et in

[1] I *Cor.*, II, 14. — [2] Ibid., XI, 15. — [3] *Exod.*, XXVI, 34. — [4] I *Thess.*, V, 23. — [5] *Exod.*, XIX, 10. — [6] *Hebr.*, IX, 13. — [7] *Rom.*, VI, 19. — [8] Ibid., XII, 1. — [9] *Ezech.*, XXXVI, 25. — [10] I *Cor.*, VI, 10-11. — [11] *Eccli.*, XXXV, 11. — [12] *Zach.*, VII, 3. — [13] *Isa.*, I, 22. — [14] II *Cor.*, VII, 1. — [15] *Num.*, VI, 3, 20. — [16] Ibid., 2-3. — [17] *Eccli.*, II, 20.

(*a*) *Cæt. edit.* tunc.

conspectu illius sanctificabunt animas suas : » et hoc per opera misericordiæ, quia per hoc declinatur timor judicii, quod erit de disceptatione circa opera pietatis. Santificatur autem anima per misericordiam tripliciter : primo, si proximo corde misericorditer compatiaris; secundo, si ore dulciter consoleris; tertio, si opere largiter suffrageris. Inde est, quod in figura horum trium, tria ponuntur in consecrationibus ecclesiarum; oleum, aspersorium de hyssopo, et balsamum. Chrisma enim, quo unguntur altaria, compositum est ex oleo et balsamo. Oleum superfertur cæteris liquoribus, pietatem significans, quæ superfertur cæteris operibus, quia pietas, secundum Apostolum [1], valet in omnibus. Hyssopus herba humilis, dum valet pro pectore, tollit asperitatem a lingua, ignorante misericordiam oris, per dulcedinem sermonis. Balsamum, conservans a corruptione corpus, signat largitatem, quæ declaratur per exterius opus.

Ecclesiarum consecratio, et mysteria

De primo dicitur [2] : « Moyses unxit omnia tabernaculi vasa, et sanctificavit ea oleo : » quia ad omnes patientes utenda est cordis compassio, ut sit animæ sanctificatio. [3] « Sumpto (*a*) unctionis oleo, unges tabernaculum cum vasis suis, ut sanctificetur : » quia omnia membra Christi, quæ habitant in tabernaculo fragilitatis nostræ ad tempus, debent excubare compassione.

De secundo [4] : « Da verbum, Domine, in ore meo, et in corde meo consilium corrobora, ut domus tua in sanctificatione permaneat. » Sicut enim lingua canis curat infirmitatem, sic lingua consolationis alleviat infirmum patientem.

De tertio [5] : « Erunt negotiatores ejus, et mercedes ejus sanctificatæ Deo. » Glossa interlinearis : « Dicit, *Deo*; quia quod erogamus pauperi pro Christo, facimus Deo. » Unde si Martinus scivisset, quem vestisset chlamyde, quem dimisit, puto, quod non dimisisset, nisi integram vestem ejus humeris imposuisset. Forte est chrisma, vel balsamum illud, quod dicitur thymiama ad sanctificationem [6] : « Composuit et oleum ad sanctificationis unguentum, et thymiama de aromatibus mundissimis opere pigmentarii. »

Secundo, sanctificandus est spiritus per sapientiam. Infusa enim sapientia spiritui, desipit caro a carnali appetitu. De qua sanctificatione dicit Apostolus [7], quod « elegit nos Deus primitias in salutem, in sanctificatione spiritus, et in fide veritatis. » Sicut enim prælibatur vinum, ut eo gustato feratur ad dolium, sic immissis (*b*) primitiis spiritus, ad patriam frequenter suspirat animus. Et quoniam in spiritu, secundum Augustinum, est superior portio rationis, quando ad Deum convertitur, invenitur ratio imaginis quantum ad memoriam, intellectum et voluntatem : ideo sanctificetur spiritus tripliciter : primo, cum memoria tenet acerbitatem Dominicæ passionis; secundo, cum intellectiva habet veritatem cum sobrietate veræ cognitionis; tertio, cum voluntate tenet soliditatem dilectionis.

De primo [8] : « Ex ipso vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio. » Quod totum exponit Bernardus de passione : sicut enim per sanguinem passionis Christi sanctificatus est mundus ab originali peccato, sic per memoriam passionis ejus sanctificatur quilibet Christianus ab actuali. [9] « Petrus Apostolus Jesu Christi, electis, advenis, » etc., « secundum præscientiam Dei Patris in sanctificationem spiritus, in obedientiam, et aspersionem sanguinis Jesu Christi, gratia vobis, et pax multiplicetur. » [10] « Si enim sanguis taurorum » sanctificavit in veteri lege, « quanto magis sanguis Christi emundat conscientias nostras ab operibus mortuis? » Propter hoc enim Christus [11] « semetipsum tradidit pro Ecclesia sua, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ. » Lavacro aquæ fluxus gratiæ signatur, qui procedit de Verbo incarnato et passo, quando per memoriam vivit in mente.

De secundo [12] : « Panes quoque qui sunt in canistro, in vestibulo tabernaculi testimonii comedent, ut sit placabile sacrificium, et sanctificentur offerentium manus. » *Panes* duodecim *in canistro*, sunt duodecim articuli fidei in corde humano : qui sunt *in vestibulo tabernaculi testimonii*, quia proponuntur cuilibet fideli : *ut sanctificentur offerentium manus*, quia tunc fides sanctificat, cum probatur per opus.

De tertio [13] : « Elegit nos ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate. » Et nota, quod in eorum figura tria apponuntur in sanctificatione

[1] I *Tim.*, IV, 8. — [2] *Levit.*, VIII, 11. — [3] *Exod.*, XL, 9. — [4] *Judith*, IX, 18. — [5] *Isa.*, XXIII, 18. — [6] *Exod.*, XXXVII, 29. — [7] II *Thess.*, II, 12. — [8] I *Cor.*, I, 30. — [9] I *Petr.*, I, 1-2. — [10] *Hebr.*, IX, 13-14. — [11] *Ephes.*, V, 26. — [12] *Exod.*, XXIX, 32-33. — [13] *Ephes.*, I, 4.

(*a*) *Vulg.* Assumpto. — (*b*) *Cæt. edit.* in missis.

Ecclesiæ de scriptura, quam facit Episcopus ad modum crucis, in memoriam passionis. Unde etiam scribit litteras latinas, græcas et hebraicas, signans crucis titulum litteris scriptum, ut significetur sanguis vituli, qui fundebatur super cornua altaris, et aspergebatur contra populum, et sanctificabat eum. Secundum est candelæ, quæ apponuntur, quæ signant limpiditatem cognitionis [1] : « Erit lumen Israel in igne, et sanctus ejus in flamma. » Tertium est lapis, qui consecratur, signans soliditatem dilectionis. Hæc est enim illa oblatio una, per quam sumus sanctificati in æternum, et consummati. [2] « Per unam oblationem consummavit in æternum sanctificatos (*a*). » Charitas enim sempiterna est, quia [3] « nunquam excidit, » et ipsa est consummatio, quia [4] « est vinculum perfectionis. » Quam nobis præstare dignetur, etc.

SERMO IV.

Domus mea, domus orationis vocabitur [5]. In verbo isto, quod sumitur ex Evangelio, ostenditur sacramentum dedicationis ecclesiæ ad litteram. Dedicatur ecclesia, ut sit domus orationis et obsecrationis populo Dei : ut omnis, qui in ipsa devote et fideliter orat, exaudiatur, et impleatur illud [6] : « Omnis, qui petit, accipit ; et qui quærit, invenit; et pulsanti aperietur. » Et nota, quod ore petimus, pedibus quærimus, manibus pulsamus. Sic et in domo orationis loquendo et orando petimus ; et affectibus gemendo, et in spiritu (*b*) ambulando quærimus ; manu exhibendo pulsamus. Unde dicit Dominus per Prophetam [7] : « Domus mea, domus orationis vocabitur. » Domus orationis recte dicitur duplici ratione : prima est, quia omnis in ea devote orans, pro quocumque petit, exauditur; secunda est, quod omne opus, ad orationem non pertinens, prohibetur in ea fieri : quod ostendit Salvator, cum ejecit [8] vendentes et ementes de templo. Nota, quantum ad primum, quod domus orationis dicitur ecclesia octo de causis : prima est, quod ibi peccator recte orans obtinet peccatorum remissionem; secunda, quod tentatus ibi recte orans obtinet liberationem ; tertia, quia contra terræ sterilitatem obtinet ejusdem fœcunditatem ; quarta, quod infirmus impetrat salubritatem; quinta, tristis prosequitur jucunditatem ; sexta, alienigena impetrat prosperitatem ; septima, conversus ad Deum habebit victoriam ; octava, quod captivatus adipiscetur incolumitatem. Quas octo causas expressit Salomon [9], et pro his octo beneficiis, quæ conferuntur in domo orationis, celebravit Judas Machabæus per octo dies solemnitatem dedicationis, sicut dicitur in *Machabæis* [10].

Primam causam expressit Salomon primo generaliter, dicens [11] : « Quicumque oraverit in loco isto, » etc., et subdit : « tu exaudies in cœlo. » Et sequitur [12] : « Si peccaverit homo in proximum suum, et habuerit juramentum, quo fuerit astrictus, et venerit propter juramentum in domum tuam, tu exaudies. » In quo verbo ostendit illum, qui orat pro peccati remissione, exaudiri in domo orationis. Proximus noster Christus est, juxta parabolam Domini per Samaritanum [13], « qui fecit misericordiam in illum, qui incidit in latrones. » Nam Christus vulnera humani generis sacramentis suæ humanationis, et passionis, velut fasciis alligavit. Peccavimus ergo in proximum, cum peccavimus in Christum, qui per humanitatem caro et frater noster factus est. Cui astringimur, quasi juramento, sponsione quam fecimus, id est, quæ pro nobis facta est in baptismo, in quo promisimus abrenuntiare diabolo, et pompis ejus, et in perpetuum adhærere Christo. Contra juramentum, id est, contra sponsionem facimus, cum contra Christi mandatum diabolo consentimus. Anima igitur Christiana, quæ sentit se contra Christum peccasse, et sponsionem primam irritam fecisse, pro remissione peccati obtinenda confugiat ad domum orationis, orans humiliter cum Publicano ascendente in templum, et percutiente pectus suum, dicens [14] : « Deus, propitius esto mihi peccatori : » qui, juxta sententiam, « descendit justificatus in domum suam, » exclusa superbia et arrogantia Pharisæi. Et hoc est quod dicit Salomon in dedicatione [15] : « Si peccaverit homo in proximum suum, » etc.

Secundam causam expressit Salomon [16] : « Si fugerit populus tuus, Israel, inimicos suos, et superatus fuerit ab inimicis; et conversi egerint pœnitentiam, et deprecati fuerint te in loco

[1] *Isa.*, X, 17. — [2] *Hebr.*, X, 14. — [3] I *Cor.*, XIII, 8. — [4] *Coloss.*, III, 14. — [5] *Matth.*, XXI, 13. — [6] Ibid., VII, 8. — [7] *Isa.*, LVI, 7. — [8] *Matth.*, XXI, 12 ; *Marc.*, XI, 15 ; *Joan.*, II, 15. — [9] III *Reg.*, VIII ; II *Paral.*, VI. — [10] I *Mach.*, IV, 56. — [11] III *Reg.*, VIII, 42, 43. — [12] Ibid., 31 et seq. — [13] *Luc.*, X, 37. — [14] Ibid., XVIII, 9, 10. — [15] III *Reg.*, VIII, 31; II *Paral.*, VI, 22. — [16] III *Reg.*, VIII, 33, 47 ; II *Paral.*, VI, 24.

(*a*) *Cæt. edit.* sanctificantes. — (*b*) *Item* et inspirando.

isto ; tu exaudies eos in cœlo Domine, et reduces eos. » In quo ostenditur, qualiter anima, superata tentatione diabolica, in domo orationis exauditur, orans pro liberatione. Inimici nostri dæmones sunt [1] : « Dominus mihi adjutor, et ego despiciam inimicos. » Prælium inimicorum est tentatio dæmonum [2] : « Si exurgat adversum me prælium, » etc. In prælio contra inimicum exurgimus, cum tentationem diabolicam superamus. Quod figuratum est : nam [3] « pugnaverunt Philistiim adversum Israel, et cæsus est : fugerunt unusquisque in tabernaculum suum. » Propter quam causam lamentabatur Jeremias [4] : « Facti sunt hostes ejus in capite, inimici ejus locupletati sunt. » Fiunt hostes *in capite*, cum diabolus pugnat contra prælatos Ecclesiæ. Ducit autem in captivitatem parvulos, cum per peccatum in servitutem redegit simplices laicos, et subditos. *Locupletati sunt,* cum principes in Ecclesia, scilicet Clerici et Religiosi, capiuntur per peccatum. Quicumque igitur senserit se diabolica tentatione impugnari, et sua infirmitate superari, confugiat ad domum orationis, orans devote. [5] « Illumina oculos meos, » etc. Et juxta verbum Salomonis [6] : « Si deprecatus fuerit in domo orationis, exaudietur in cœlo. »

Tertiam causam exprimit Salomon [7] : « Si clausum fuerit cœlum, et non pluerit, et oraverint in loco isto, et a peccatis suis conversi fuerint ; propter afflictionem suam, tu exaudies, et dabis pluviam super terram. » Hoc intelligitur spiritualiter, et ad litteram. Ad litteram sic : Propter peccata inducitur sterilitas terræ, et pluvia fœcundans terram subtrahitur, sicut legitur [8] quod ad verba Heliæ non pluerat annis tribus, et mensibus sex. Et in maledictionibus [9] : « Si non audieris vocem Domini tui, maledictus eris. Sit cœlum, quod supra te est, æneum : et terra, quam calcas, ferrea : det tibi Dominus imbrem terræ pulverem. » E contra [10], ubi dicitur : « Si in præceptis meis ambulaveritis, dabo vobis pluvias, et terra dabit fructum suum. » Si ergo prolongatur (*a*) terræ sterilitas ex defectu pluviarum, confugiant fideles ad domum orationis. [11] « Helias erat homo similis nobis, passibilis, et oratione oravit, ut non plueret super terram annos tres, et menses sex : et rursum oravit, et cœlum dedit pluviam. » Spiritualiter sic : Sterilitas terræ significat indevotionem animæ, quæ sic sicca est, ut in ea non sit (*b*) humor contritionis, nec compassionis, qua (*c*) potest dicere illud [12] : « Anima mea sicut terra sine aqua tibi. » Pluvia vero est compunctionis et compassionis gratia. [13] « Quis est pluviæ pater, vel quis genuit stillas roris ? » Si ergo anima propter peccata sua in tantum arefacta sit, ut non possit sua nec aliena peccata lugere, et clausum sit ei cœlum, id est, subtractum internæ gratiæ beneficium, confugiat ad domum orationis, dicens illud [14] : « Anima mea quasi area sitiens imbrem, suspexit ad te, quoniam exsiccati sunt fontes aquarum. » Et dicitur in eodem [15] : « Descendere faciet Dominus ad vos imbrem serotinum, et matutinum. »

Quartam causam exprimit Salomon, quod in domo orationis exauditur orans salubritatem, dicens [16] : « Fames si orta fuerit in terra, aut pestilentia, aut corruptus aer, aut locusta, aut rubigo, et afflixerint populum tuum, et inimicus ejus obsederit portas repente, et oraverit in loco isto ; tu exaudies. » Ad litteram, propter peccata hæc aliquando proveniunt : fames, ex defectu terræ nascentium ; pestilentia, ex inæqualitate corporum, sive exteriori corruptione humorum. Si ergo hoc viderimus accidere, fugiamus ad domum orationis, dicentes illud [17] : « Sicut scriptum est in lege Moysi, omne malum venit super nos, et non rogavimus faciem tuam. [18] Peccavimus, injuste egimus, iniquitatem fecimus. [19] Domine, in omnem justitiam tuam, avertatur ira tua, obsecro. » Et juxta orationem Salomonis, Dominus exaudiet in cœlo, et salubritatem dabit. Spiritualiter possunt intelligi hæc verba septem, pro septem capitalium vitiorum corruptionibus : fames pertinet ad gulam ; pestilentia, eo quod inficit per contagium, ad luxuriam ; corruptus aer, ad invidiam, cujus proprium est corrupta verba de eo, cui invidet, semper proferre, et sic corrumpit aerem per detractionem ; ærugo, quæ non solum terræ nascentia vitiat, sed etiam metalla, pertinet ad avaritiam. [20] « Agite nunc, divites, » etc. Locusta pertinet ad superbiam et vanam gloriam : superbus enim, in modum locustæ, non vult proficisci per convictum societatis, sed salit supe-

[1] *Psal.* CXVII, 7. — [2] *Psal.* XXVI, 3. — [3] I *Reg.*, IV, 10. — [4] *Thren.*, I, 5. — [5] *Psal.* XII, 4. — [6] II *Paral.*, VI, 39. — [7] III *Reg.*, VIII, 35. — [8] III *Reg.*, XVII, 7. — [9] *Deut.*, XXVIII, 15, 23. — [10] *Levit.*, XXVI, 3. — [11] *Jac.*, V, 17-18. — [12] *Psal.* CXLII, 6. — [13] *Job*, XXXVIII, 28. — [14] *Joel.*, I, 20. — [15] Ibid., II, 23. — [16] III *Reg.*, VIII, 37 et seq. — [17] *Dan.*, IX, 13. — [18] Ibid., V, 15. — [19] Ibid., 16. — [20] *Jac.*, V, 1.

(*a*) *Cæt. edit.* elongatur. — (*b*) *Item* est. — (*c*) quæ.

rius per elevationem superbiæ [1] : « Exierunt locustæ de puteo abyssi. » Rubigo, eo quod vitiat spicas, assimilatur iræ. In hoc potest sensu accipi illud [2] : « Residuum erucæ comedit locusta : et residuum locustæ comedit bruchus : et residuum bruchi comedit rubigo. » Obsessio inimicorum juxta portas acidiam signat, per quam dæmones ita animam possident, ut non possit progredi ad operationem humanam. Quamcumque ergo animam hæc mala obsident, vadat ad domum orationis, etc.

Quintam causam exprimit Salomon, scilicet quod in domo orationis exauditur orans jucunditatem, dicens [3] : « Si quis cognoverit plagam cordis sui, et expanderit manus suas in domo hac, tu exaudies in cœlo, et propitiaberis. » Cordis plaga dicitur tristitia [4] : « Omnis plaga, tristitia cordis est. » Propter quod dicitur [5] : « Tristitia sæculi mortem operatur. » Si qua anima sentiat se tristitia cordis oppressam, confugiat ad domum orationis, petens a Salvatore consolationem et jucunditatem. Unde [6] : « Miserere mei, Deus, quoniam ad te clamavi, » etc.

Sextam causam designat Salomon, scilicet quod in domo orationis exauditur alienigena, orans prosperitatem, dicens [7] : « Qui non est de populo tuo Israel, cum venerit, et oraverit in loco isto, tu exaudies. » Populus Israel, populus justorum, justa illud [8] : « Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate, » etc. Alienigenæ sunt populus peccatorum [9] : « Dereliquerunt Dominum, et blasphemaverunt sanctum Israel : alienati sunt retrorsum. » Mira ergo exprimitur clementia (*a*) animæ peccatricis, cum, virtute sanctificationis et dedicationis ecclesiæ, exaudiatur in ea. Oratio alienigenæ, id est peccatoris, a cœlesti Patre, qui [10] « solem suum facit oriri super bonos et malos, et pluit super justos et injustos » : quia quamvis indigni sint peccatores, tamen frequenter orationes Ecclesiæ exaudiuntur ad temporalem felicitatem, juxta orationem Salomonis.

Septimam causam exprimit Salomon ibidem, de impugnatione orans victoriam, conversus ad domum orationis, dicens [11] : « Si egressus fuerit populus tuus per viam ad bellum, quocumque miseris eos, » etc., « et contra domum orabunt, quam ædificavi nomini tuo, et exaudies in cœlo orationes eorum. » In quo mirabilis ostenditur dispensatio divinæ pietatis ex gratia ecclesiasticæ dedicationis; quia non solum pœnitentium (*b*) in domo orationis exauditur oratio, sed etiam absentium, dummodo cor suum referant per considerationem et devotionem ad orationes, quæ in ecclesia fiunt. Cum fueritis in itinere, vel in labore, sive in justa negotiatione, si ad domum orationis interesse non potestis, quasi egressi ad pugnam, dirigite orationem mentis vestræ ad domum orationis, et sic orantes exaudit, juxta verbum Salomonis.

Octavam causam expressit Salomon, scilicet quod oppressus et captivatus exaudiatur, si conversus oraverit ad domum orationis, dicens [12] : « Si peccaverit tibi populus, et iratus tradideris eos inimicis, et captivi ducti fuerint, et deprecati in captivitate fuerint, dicentes : Peccavimus, inique egimus, et oraverint te contra viam templi, quod ædificavi nomini tuo, tu exaudies. » Traditur quis propter peccata tribulationibus, afflictionibus, ægritudinibus, tenetur in captivitate languoris, ita quod non potest ascendere ad domum orationis : in illa tamen remanet ei excusatio, sed (*c*) compunctus corde dicat : Peccavi in meipso, inique egi in proximum, impie gessi in Deum; et convertat intentionem cordis ad domum orationis : exaudietur, etc.

[1] *Apoc.*, IX, 3. — [2] *Joel.*, I, 4. — [3] III *Reg.*, VIII, 38. — [4] *Eccli.*, XXV, 17. — [5] II *Cor.*, VII, 10. — [6] *Psal.* LXXXV, 3. — [7] III *Reg.*, VIII, 41-43. — [8] *Joan.*, I, 13. — [9] *Isa.*, I, 4. — [10] *Matth.*, V, 45. — [11] III *Reg.*, VIII, 44-45. — [12] Ibid., 46-49.

(*a*) *Suppl.* in gratiam. — (*b*) *Leg.* præsentium. — (*c*) *Leg.* si.

DE QUINQUE FESTIVITATIBUS PUERI JESU [1]

ARGUMENTUM

(*Ex edit. Vatic.*)

Dulcis Jesu meditatio, et Verbi incarnati divina contemplatio, quam suaviter devotam animam inebriet, et quam perfecte eam consoletur atque confortet, docet Auctor initio hujus Opusculi, quod de quinque Festivitatibus pueri Jesu prænotatur. Dum vero quinque hæc festa spiritualiter explicat, mirabiliter nos docet, quomodo sensibilia ad intelligibilia referre, quomodo ex corporalibus spiritualia colligere debeamus; quomodo etiam omnis Christi actio nostra sit et temporalis, et æterna, et corporalis, et spiritualis instructio.

Festivitates quinque pueri Jesu, de quibus agitur in Opusculo, hæ sunt : 1. *De Conceptione pueri Jesu.* — 2. *De Nativitate.* — 3. *De Impositione Nominis.* — 4. *De Magorum Adoratione.* — 5. *De Præsentatione in templum.*

PRÆFATIO

Cum secundum virorum venerabilium, quos in Ecclesia Dei divina irradiatio amplius illustravit, et cœlestis devotio abundantius inflammavit, sententiam et doctrinam, dulcis Jesu meditatio, Verbi incarnati divina contemplatio devotam animam super mel et omnia unguentorum fragrantia odoramenta suavius et dulcius inebriet, perfectius consoletur et confortet : hinc est, quod cum me a cogitationum incidentium tumultu paululum subtraxissem, et intra memetipsum cogitarem tacitus, quid de divina incarnatione in hoc tempore in mente pertractarem, unde aliquam consolationem spiritualem reciperem, in qua divinam dulcedinem in hac lacrymarum valle per speculum degustarem, ut, ea aliquantulum degustata, temporalem et phantasticam consolationem perfectius fastidirem ; incidit menti meæ secretius, quod anima devota benedictum Dei Patris Verbum et Filium unigenitum, mediante gratia, spiritualiter posset virtute Altissimi concipere, parere, nominare, cum beatis Magis quærere et adorare, et demum Deo Patri secundum legem Moysi in templo fœliciter præsentare, et sic, tanquam vera Christianæ religionis discipula, quinque festa, quæ de puero Jesu agit Ecclesia, mente devota cum omni reverentia valeat celebrare. Igitur sicut humiliter concepi, verbis humilibus conscripsi, concordantias auctoritatum brevitatis causa prætermisi. In quo tractatu brevi et humili, si vel modicum devotionis, meditando dulcissimum Jesum, quis legendo concipiat, ipsum tanquam omnium bonorum principium, fontem et auctorem laudet, glorificet, et benedicat ; si nihil vel minus sufficienter et digne scribenti, vel forte sibi minus devote et humiliter legenti imputet et ascribat.

[1] *Cf.* Edit. Argentin., an. 1495, part. II; edit. Vatic., an. 1596, tom. VI, pag. 430; edit. Ven., an. 1611, tom. II ; edit. Lugd., an. 1647, pag. 438; edit. Ven., an. 1754, tom. XIII, pag. 1.

PRIMA SOLEMNITAS.

De Conceptione pueri Jesu.

Primo igitur, purgato intellectu contritionis lavacro, et inflammato et elevato affectu dilectionis igniculo, castis meditationibus et devotis cogitationibus pertractandum est, qualiter iste benedictus Dei filius Christus Jesus sit a devota mente spiritualiter concipiendus. Cum anima devota, vel spe cœlestis præmii, vel timore æterni supplicii, vel tædio in hac lacrymarum valle diutius commorandi mota ac stimulata, novis inspirationibus visitatur, sanctis affectionibus inflammatur, meditationibus cœlestibus anxiatur; et tandem abjectis et despectis veteribus defectibus et pristinis desideriis, novo vivendi proposito *a Patre luminum, a quo* [1] *omne donum optimum, et datum perfectum,* spiritualiter spiritu gratiæ fœcundatur; quid aliud agitur, quam quod superveniente virtute Altissimi, et obumbratione cœlestis refrigerii, carnales concupiscentias mitigat, mentales oculos ad videndum confortat et adjuvat, Pater cœlestis divino quodam semine animam gravidam facit et fœcundat? Post hunc conceptum sacratissimum, pallet in facie per veram humilitatem in conversatione; fastidium cibi et potus concipit in mente, plenario mundialium contemptu et abjectione; desideria variantur in affectione ex diversorum bonorum proposita intentione; aliquando etiam infirmari et ægrotare incipit anima in propriæ voluntatis abjectione. Jam enim incedit tristis et turbulenta propter veterem delictorum perpetrationem, pro temporis omissione, pro hominum adhuc in mundo mundialiter viventium societate et conversatione. Jam paulatim grave et tædiosum incipit esse omne quod foris est; et foris cernitur, quod intus percipitur, et auditur. O felix conceptus, quem talis sequitur mundi contemptus, et cœlestium operationum appetitus! Jam quamvis adhuc modico gustato spiritu, desipit caro cum gemitu; jam anima cum Maria in montana ascendere incipit, post talemque conceptum fastidiuntur terrena, desiderantur cœlestia et æterna. Jam fugere incipit societatem illorum, qui terrena sapiunt; et appetit familiaritatem eorum, qui cœlestia concupiscunt. Jam incipit anima cum Maria ministrare Elisabeth, hoc est illis, quos divina gratia amplius per dilectionem inflammat. Et hoc valde notabile multisque necessarium est; quanto magis se a mundo abstrahunt, tanto familiarius se bonis amicabiles et familiares reddunt : ut tanto amplius ipsis malorum consortium desipiat, quanto dulcius bonorum et spiritualium honesta conversatio eorum affectum afficit et inflammat. Quia, secundum beatum Gregorium [2], *qui sancto* viro adhæret, ex ejus assiduitate visionis, usu locutionis, exemplo conversationis accipit, ut accendatur in amorem veritatis: peccatorum tenebras fugat, et amore divinæ lucis inardescit (*a*). » Unde Isidorus [3] : « Bonorum societatem require. Accidit enim, ut si fueris socius conversationis, eris et socius virtutum. » Hæc cogitet fidelis anima, quam casta, quam sancta, quam devota fuerint illarum sanctarum colloquia, quam divina salutifera consilia, quam mirandæ sanctitatis mutuæ societatis opera, dum unaquæque aliam verbo et exemplo provocabat ad meliora.

Sic tu, o devota anima, facias, si te de Spiritu sancto concepisse nova cœlestis vitæ desideria sentias. Fuge malorum consortia, ascende cum Maria, quære virorum spiritualium consilia, imitari stude perfectorum vestigia, contemplare bonorum verba, opera pariter et exempla. Fuge perversorum venenosa consilia, qui semper pervertere quærunt, impedire appetunt, lacerare non desistunt nova sancti Spiritus inspirata desideria, et sæpe sub specie et boni et pietatis, virus infundunt impiæ tepiditatis, dicentes : Nimis magnum est quod incipis, nimis arduum

Nota contra dissuadentes opera pœnitentiæ.

[1] *Jac.*, I, 17. — [2] Greg., *in Ezechiel.*, hom. V, n. 6. — [3] Isid., *de Contempt. Mundi*, c. *de Consortio bonorum.*

(*a*) *Al.* fugiat, in desiderio lucis inardescat.

quod proponis : intolerabile, quod facis; vires tibi non suppetunt, virtutes naturales deficiunt, caput confunditur, oculi destruuntur, infirmitates diversimode nutriuntur, phtisis, paralysis, calculus, et vertigo capitis, oculorum caligo, sensuum habetudo, rationis obnubilatio, et virium destructio : his omnibus subjacebis, nisi ab incœptis abstineas, et commodo corporali amplius intendas. Statum tuum non decent talia; per hæc diminuitur honor tuus, et reverentia. Vides quod jam factus est magister disciplinæ, et medicus corporis, qui nec mores proprios componere novit, nec curare propriam infirmitatem mentis? Heu, heu, quot et quantos maledicta mundialium consilia supplantaverunt, et conceptum in eis per Spiritum sanctum Dei Filium extinxerunt! Hæc est illa potio misera et mortifera, persuasio diabolica, quæ in multis spiritualem conceptum impedit, in plerisque conceptum jam per propositum formatum, vel per votum jam perfectum, interficit et extinguit. Sed sunt et alii, qui videntur, et forte sunt, boni et religiosi; sed tamen, salva eorum reverentia, nimis timidi, non attendentes nondum abbreviatam manum Domini, ut salvare nequeat, nec considerantes nondum diminutam pietatem Altissimi, quin juvare valeat; *habentes zelum Dei* [1], *sed non secundum scientiam,* dum ex compassione corporalis afflictionis, vel forte ex timore naturalis defectionis, dum alios vident viriliter agere, quod ipsi jam dudum bonum et sanctum judicabant, et tamen non audebant inchoare, retrahunt homines ab operibus perfectionis. Dissuadent ea, quæ excedunt statum vitæ communis; destruunt sancta consilia divinæ inspirationis : quorum consilia ratione vitæ quanto magis sunt authentica (*a*), tanto magis inveniuntur periculosa. Alii dicunt, et multum callide ex antiqui hostis adinventione objiciunt : Si talia, vel talia, feceris, sanctus et bonus, religiosus et devotus judicaberis. Et cum in te nondum sit, quod esse in aliis putaris, in conspectu summi Judicis tua magna gravamina (*b*), et horrenda peccata cognoscentis, reus eris, et amittes (*c*) meritum operis, et simulator et hypocrita reputaberis. Talia et similia exercitia dicunt debere esse illorum, qui nihil mali fecerunt, qui sancte et innocenter vixerunt, qui omnia propter Deum dimiserunt, qui toto tempore vitæ suæ Deo perfecte adhæserunt. Sed et hos, Deo devota et dilecta anima, devita, montem ascende cum Maria. Paulus non sine peccatis vixerat, non diu Deo servierat, quando in tertium cœlum rapiebatur, et Dominum facie ad faciem contemplabatur. Maria Magdalena tota superba, tota ambitiosa, tota mundanis vanitatibus intenta, carnis cupiditatibus dedita, non longe post ad pedes Jesu inter apostolos sanctos sedit, et cum intentione devotam doctrinam perfectionis audivit. Prima omnium in modico tempore videre Deum meruit, aliisque verba veritatis constanter proposuit. Non enim est personarum Deus acceptor, non pensat nobilitatem generis, non diuturnitatem temporis, non multitudinem operis; sed fervorem ampliorem, et charitatem majorem devotæ mentis. Non enim pensat, qualis aliquando fuisti, sed qualis esse amodo cœpisti. Unde aliter consulentium consilia essent multum reprehensibilia, si non excusarentur simplicitate, licet non approbanda. Tu ergo, o anima, divino semine gravida, fuge indocta consilia. Si non habes oculos lynceos, noli abjicere humanos. Melius est partem habere, quam toto carere. Malum est perdere propter perdidisse; et stultum est nolle proficere propter defecisse. Si non potes salvari per innocentiam, studeas salvari per pœnitentiam. Si non potes esse Catharina, vel Cæcilia, non contemnas esse Maria Magdalena, vel Ægyptiaca. Si perdidisti juventutem, noli amittere senectutem. Si vixisti in maris fluctibus, moriaris in littoris finibus. Igitur si te sentis, sancto proposito

[1] *Rom.*, x, 2.

(*a*) *Al.* auctentica. — (*b*) *Cæt. edit.* gratia. — (*c*) *Al.* amittis.

Dei dulcissimum filium Jesum concepisse, prædicta venena mortifera fuge, et festina, desidera, et affecta, more parturientis, feliciter ad partum pervenire.

Sed notandum est, quod beata Virgo non statim post conceptionem peperit filium, sed decursis novem mensibus genuit Christum. Quod non vacat mysterio : quia non est omni spiritui credendum. Sed, o anima devota, quando novis illustrationibus vel revelationibus illustraris, vel illuminaris insolitis inspirationibus, magnæ perfectionis propositis intrinsecus inflammaris, non statim de tuo consilio ad opus propera, sed bene tecum et cum bonis, et potissime cum illis, qui (*a*) talibus sunt experti, delibera, utrum quæ inspirata sunt, liceant, deceant, et expediant, utrumque dictis Prophetarum sint consona, utrum doctrinis Apostolorum et sanctorum Doctorum aliqualiter sint contraria, et etiam utrum exemplis Sanctorum sint similia vel dissimilia ; et ad opus festina, vel statim absolvas te ab his in tua conscientia : quia periculosum est, tales inspirationes diu et frequenter in mente concipere, et tamen ad effectum boni operis modicum, vel nihil properare.

SECUNDA SOLEMNITAS.

De Nativitate pueri Jesu.

Secundo igitur attende, et considera, qualiter benedictus Dei Filius spiritualiter nascatur in mente.

Nascitur enim, cum post sanum consilium, post discussum sufficienter negotium, post invocatum divinum patrocinium, sanctum propositum perducitur ad effectum. Cum jam anima incipit agere, et opere perficere, quod diu pertractavit in mente ; cum jam incipit viriliter agere, quod jam dudum proponebat perficere, sed tamen semper formidabat inchoare, quia timebat deficere. In ista beatissima nativitate angeli jubilant, Deum glorificant, et pacem prædicant, quia, dum quod diu mente conceptum est, ad effectum boni operis perducitur, pax interior reformatur. Non enim in regno animæ pax divina bene geritur, quando caro spiritui, et spiritus carni reluctatur ; quando spiritus solitudinem, et caro affectat multitudinem ; quando (*b*) spiritum Christus, et carnem mundus ; quando spiritus quærit quietem contemplationis cum Deo, et caro appetit honorem prælationis in sæculo. E contra, postquam caro spiritui subjugatur, postquam bonum opus, quod diu per carnem est impeditum, perducitur ad effectum, pax et exultatio interior reformatur. In ista nativitate non auditur clamor lamentabilis, non sentitur dolor lacrymabilis, non percipitur cruciatus miserabilis ; sed admiratio de integritate, exultatio de novitate Dei, glorificatio de strenuitate. O quam beata nativitas, quam tanta sequitur angelorum et hominum jucunditas ! O igitur quam dulce et delectabile esset naturam operari, si insania nos permitteret, qua sanata statim naturalibus gratia arridet ! Jam experitur, quod verum est illud evangelicum dictum [1] : *Tollite jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve.*

Sed notandum est hic, o anima devota : si te hæc jucunda delectet nativitas, debes esse primo Maria. Nam *Maria* interpretatur amarum mare, illuminatrix et domina. Esto ergo amarum mare per lacrymosam contritionem, ut pro peccatis commissis amarissime doleas, ut de bonis omissis profundissime ingemiscas, de diebus neglectis et perditis incessanter te affligas. Esto secundo illuminatrix, per honestam conversationem, per virtuosam operationem, et studiosam aliorum in bono informationem. Esto tertio domina sensuum, carnalium concupiscentiarum, omnium operationum tuarum ; et omnes actiones secundum rectum dictamen rationis facias, et in omnibus tuam salutem et proximi ædificationem, divinam

Maria amarum mare.

Maria illuminatrix.

Maria domina.

[1] *Matth.*, XI, 29, 30.

(*a*) *Suppl.* in. — (*b*) *Suppl.* sollicitat.

laudem et gloriam appetas et requiras. Hæc est illa felix Maria, quæ pro peccatis perpetratis dolet et ingemiscit; quæ virtutibus fulget et clarescit; quæ carnalibus delectationibus dominatur. Ab ista Maria Jesus Christus cum gaudio sine dolore, absque labore, spiritualiter nasci non dedignatur. Post hanc felicem nativitatem cognoscit et gustat, quam suavis est Dominus Jesus. Revera suavis est, quando nutritur sanctis meditationibus, quando balneatur devotis et calidis lacrymarum fontibus, quando involvitur castis desideriorum velaminibus, portatur sanctæ dilectionis amplexibus, osculatur crebris devotionis affectibus, et confovetur in interioris mentis sinibus. Non enim ad hoc nascitur, ut abjiciatur; sed ut cum summa diligentia, more regalium infantium, custodiatur. Hic nota, fidelis anima, quod in te contingunt illa signa spiritualiter, quæ in Christi nativitate contigerunt visibiliter. Multis enim signis et prodigiis, secundum doctorum sententiam et doctrinam, est illa benedicta nativitas comprobata : nam in civitate Romana muri templi Pacis funditus corruerunt; Sodomitæ in toto orbe morte subitanea interierunt; vineæ Engaddi illa nocte floruerunt, et fructum balsami protulerunt; fons aquæ mutatus est in fontem olei, et fluxit usque in Tiberim, et manavit tota nocte illa; stella magna apparuit, quæ formam pulchri pueri habuit, et in capite crux splendebat; tres soles apparuerunt in Oriente, et paulatim in unum corpus solare sunt redacti; in die media circulus aureus apparuit circa solem, et in medio circuli virgo pulcherrima, puerum gestans in gremio. Et quid plura? Istam nativitatem beatissimam angeli mirabiliter prædicabant, pastores nuntiabant, animalia bruta cognoscebant. Ecce jam vidisti, qualibus signis et prodigiis est visibiliter monstrata nativitas Salvatoris.

Sed jam adverte diligenter, fidelis anima, quæ cupis esse Jesu mater ex gratia, utrum in te spiritualiter innovata sint hæc signa immutata mirabilia, ut sic possis aliqualiter certificari de hac nativitate salutifera. Adverte diligenter, considera frequenter an aliquod in te corruit templum, hoc est appetitus vanæ ambitionis et superbiæ; utrum ceciderit idolum, id est affectus falsæ possessionis et avaritiæ; utrumne adhuc incurrant Sodomitæ, scilicet carnales delectationes (*a*) et concupiscentiæ. Hæc sunt quasi prima signa istius nativitatis salutiferæ, quando jam anima se sentit evacuatam ab ambitione per virtutem humilitatis; alienatam ab avaritia per desiderium paupertatis; purgatam a macula luxuriæ per amorem castitatis. Post hæc considera cum magna diligentia, utrum adhuc floreat aliquid vinea balsami, id est, multitudo sanctarum affectionum; utrum fluat fons olei, id est, de tuo corde exeant opera misericordiæ; utrum illi tres soles, id est tres theologicæ virtutes, oriantur in Oriente, id est in devota mente, et uniantur inter se mutua fœderatione. Vide etiam si stella novæ claritatis, id est divinæ cognitionis, adhuc aliquid fulgeat; si circulus aureus juxta solem, id est, sancta affectio juxta cognitionem appareat; si virgo cum puero illic sedeat, id est, si oratio pura cum devotione sincera in affectione permaneat; post hæc omnia si adorent animalia, id est, perfecte obediat sensitiva; si quærant (*b*) reges, id est desideriis et affectionibus novis ad Jesum moveantur (*c*) virtutes intellectuales; si angeli, id est, omnes habitus virtuosi, per mentis hilaritatem jubilent, propter mentis tranquillitatem pacem nuntient, propter cordis serenitatem Jesum prædicent. Et postremo subtiliter considera, si pastores, id est sanctæ meditationes, parvulum natum Jesum tibi datum in præsepio inveniant. Præsepe est conscientia, inferius clausa per contemptum mundanorum, superius aperta per desiderium æternorum. Hic est locus requietionis pauperis regis; illic post nativitatem a matre reponi-

(*a*) *Cæt. edit.* carnalis delectationis. — (*b*) *Item* quærunt. — (*c*) *Item* moventur.

tur; ibi a pastoribus invenitur. O felix præsepe, quæ contines? Regem gloriæ in te invenio, ut jumentum, et refectorium angelorum. De te pascuntur bruta animalia, et reficitur anima devota. Te, licet improprie, tamen felicem prædico; sed multo feliciorem dico devotam conscientiam, quæ non est id quod tu per essentiam; sed tamen continet spiritualiter, quod tu continebas corporaliter.

TERTIA SOLEMNITAS.

De Impositione nominis pueri Jesu.

Tertio considerandum, qualiter ille beatissimus infantulus, spiritualiter natus, sit nominandus. Et puto quod non potest nominari congruentius, quam Jesus, quia scriptum est [1]: *Vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab Angelo, priusquam conciperetur in utero.* Hoc est nomen sacratissimum a Prophetis prophetatum; hoc est nomen virtuosum, gratiosum, gaudiosum, deliciosum, et gloriosum : virtuosum, quia superat hostes, congregat cives, reparat vires, revocat mentes; gratiosum, quia in ipso habemus fidei fundamentum, spei firmamentum, charitatis augmentum, justitiæ complementum; gaudiosum, quia jubilus in corde, melos in aure, mel in ore, splendor in mente; nomen utique deliciosum, quod pascit cogitatum, lenit prolatum, ungit invocatum, reficit scriptum, instruit factum (*a*); nomen revera gloriosum, quod dedit cæcis visum, surdis auditum, sermonem mutis, vitam mortuis, et gressum claudis. O nomen benedictum, quod ostendit tantum virtutum effectum! O anima, sive scribas, sive legas, sive doceas, sive aliud quodcumque opus facias, nihil tibi sapiat, nihil tibi placeat, nisi Jesus. Nomen igitur, tuum infantulum in te spiritualiter genitum, Jesus habeat sibi, quod nominatur Dei filius, splendor gloriæ, imago substantiæ, verbum Patris, virtus Omnipotentis, hæres universorum, Rex regum, Dominus dominorum. Habeat sibi quod dicitur Christus, id est unctus, et bene, quia in prophetam, sicut claruit in doctrinæ eruditione; in pugilem, sicut patuit in diaboli debellatione; in sacerdotem, sicut ostendit in Patris reconciliatione; in regem, sicut monstrabit in præmiorum retributione. Habeat hæc omnia, sibi cum suis beatis communia. Sit tantum tibi Jesus Salvator in hujus vitæ incolatu et miseria. Salvet, inquam, te a mundi vanitate, quæ te impugnat; a dæmonis falsitate, quæ te infestat; a carnali fragilitate, quæ te cruciat. Clama, devota, inter tot hujus vitæ flagella : O Jesu, Salvator mundi, salva nos, qui per crucem et sanguinem redemisti nos. Salva, inquam, dulcissime Salvator, confortando debilem, consolando flebilem, adjuvando fragilem, consolidando instabilem. Sed, heu! unum est, quod cum fletu referam, quod non vacat mysterio, quod non, statim ut nascitur, circumciditur et nominatur, sed secundum leges dies octava expectatur. Puto quod per septenarium, qui in octonario includitur, universitas divinarum et moralium virtutum, cum unitate et vinculo pacis, figuratur : quia, postquam omnia per fortitudinem adversa toleravit, per justitiam miseros et egentes sustentavit, per temperantiam concupiscentias superavit, per prudentiam mundi et antiqui hostis insidias declinavit; adhuc, postquam per fidem Deum omnium creatorem intellexit, per spem in eum tanquam remuneratorem in omnibus operibus suis aspexit, per charitatem eum tanquam omnium bonorum largitorem toto corde dilexit, et demum die octavo, circumcisis ab anima omnibus phantasticis imaginationibus, omnibus vanis et inutilibus cogitationibus, pacatis omnibus animæ motibus, et inordinatis affectionibus, per exercitium contemplationis in Domino dulciter requiescit : tunc puer nominatur, tunc dulce nomen Jesus imponitur, tunc ejus dulcedo sentitur et gustatur, tunc experitur virtu-

[1] *Luc.*, II, 21.— (*a*) *Leg.* lectum.

tem, tunc percipit jucunditatem. O quantam sæpius sentit dulcedinem, post illam beatam nominis impositionem, illa felix mater naturalis, et vera mater spiritualis, virgo Maria, quando percipit in hoc nomine dæmonia ejici, cæcos illuminari, infirmos curari, mortuos suscitari, miracula cumulari! Sic certe tu, o anima spiritualis, merito debes gaudere et exultare, quando tu percipis in te et in aliis, quod tuus benedictus filius Jesus dæmones fugat, in peccati dimissione; cæcos illuminat, in veræ cognitionis infusione; mortuos suscitat, in gratiæ collatione; infirmos curat, claudos sanat, paralyticos et contractos rectificat, in spirituali confortatione : ut jam efficiantur fortes et viriles per gratiam, qui prius erant debiles et infirmi per culpam. O quam felix et beatum nomen, quod tantam meruit habere virtutem et efficaciam! Aliquando lætificat, aliquando usque menti (*a*) ebrietatem infundit, et suam dulcedinem communicat.

QUARTA SOLEMNITAS.

De Magorum adoratione.

Quarta solemnitas, quæ consistit in Magorum adoratione. Postquam etiam anima istum dulcissimum puerum per gratiam spiritualiter concepit, peperit, et nominavit, tres reges, id est tres animæ vires, quæ bene reges dicuntur, quæ jam carni principantur, sensibus dominantur, in solis divinis studiis, sicut decet vere reges, occupantur, puerum jam per effectus multiplices eis revelatum in civitate regia, hoc est in totius mundi machina, æstimant esse quærendum. Quærunt igitur meditationibus, requirunt affectionibus, interrogant devotis cogitationibus [1] : *Ubi est qui natus est? Vidimus stellam ejus in Oriente :* vidimus claritatem ejus fulgentem in devota mente; vidimus splendorem ejus radiantem in intimis animæ; audivimus ejus vocem, quæ est dulcissima; gustavimus ejus dulcedinem, quæ est suavissima; percepimus ejus odorem suavissimum; experti sumus ejus amplexum deliciosissimum. Jam, Herodes, redde responsum; ostende dilectum; monstra infantulum desideratum. Propter tuam gloriam videndam non venimus; propter tuam gratiam obtinendam non properavimus; propter tuam majestatem adorandam non festinavimus. Tua enim gratia ipsius est factura; tua majestas ipsius creatura; tua jucunditas sua est potentia; tua opulentia, ipsius umbra; tua nobilitas, tua magnificentia est suæ infinitæ bonitatis et nobilitatis modica scintilla. In te invenimus quo ipsum cognoscimus, amamus et desideramus, non in quo requiescere debeamus. Tuus honor et decus est sui decoris nutus. Dic igitur, ne protrahas : *ubi est qui natus est?* Ubi est ergo longitudo brevis, magnitudo levis, altitudo subdita, latitudo angusta? Ubi lux lucens, aqua sitiens, panis esuriens? Dic nobis, ubi potentia regitur, sapientia instruitur, virtus sustentatur, Verbum Patris lactatur? Dic nobis, ubi æternus Dei Filius infans invenietur? Ubi splendor paternæ gloriæ pannis involutus cernitur? Ubi audiemus in cunabilis vagientem, qui est miserorum consolatio? Ubi videbimus inter brachia infantulum bajulatum, qui est Angelorum et hominum, cœlorum et creaturarum omnium conservator et solidatio? Hunc desideramus, hunc quærimus. O dulcissime, o amantissime puer æterne, infans antique, quando te videbimus, quando te inveniemus, quando ante faciem tuam apparebimus? Tædet gaudere sine te; delectat gaudere tecum, et flere tecum. Omne quod tibi est adversum, nobis est molestum : tuum beneplacitum est nostrum indeficiens gaudium et desiderium. O si tam dulce est flere de te, quam dulce erit gaudere de te! Ubi ergo es, quem quærimus? Ubi es, quem in omnibus et præ omnibus desideramus et affectamus? Ubi es, qui natus es Rex Judæorum, lex devotorum, dux miserorum,

[1] *Matth.*, II, 2 et seq.

(*a*) *Cæt. edit.* mentis.

lux cæcorum, vita morientium, salus æterna æternaliter viventium? Et sequitur responsio conveniens : *In Bethleem Judæ.* *Bethleem* domus panis, *Juda* confitens interpretatur. Ibi enim Christus invenitur, ubi post confessionem criminum panis cœlestis vitæ, id est doctrina evangelica auditur, ruminatur, et devota mente retinetur, ut opere impleatur, et aliis adimplenda proponatur. Ibi puer Jesus cum Maria matre invenitur, ubi post lacrymosam contritionem, post fructuosam confessionem, dulcedo cœlestis consolationis aliquando inter abundantissimas lacrymas degustatur : ubi oratio, quem pene desperantem invenit, gaudentem et de venia præsumentem dereliquit. O felix Maria, a qua Jesus concipitur, de qua Jesus nascitur, et cum qua tam dulciter et gaudenter Jesus invenitur!

Jesus a multis quæsitus

Sed notandum est hic, quod Jesus quæsitus legitur a regibus, et hoc ut ipsum cum omni reverentia adorarent; a doctoribus, ut ab ipso veritatis documenta cum summa diligentia audirent; a sponsa, ut suæ suavitatis dulcedinem per secreta colloquia degustaret; a Maria matre, ut ipsum perditum reperiret, et ab ea se amplius non alienaret. Sic vos, o reges, hoc est, devotæ animæ vires naturales, quærite cum regibus terrenis, ut adoretis, et munera offeratis. Adorate cum reverentia, quia creator, et redemptor, et remunerator : creator, in naturalis vitæ formatione; redemptor, in spiritualis vitæ reformatione; remunerator, in æternæ vitæ collatione. O vos, reges, adorate cum decentia, quia rex potentissimus; adorate cum decentia, quia magister sapientissimus; adorate cum lætitia, quia princeps liberalissimus. Adorate, inquam, gaudenter, quia est dux æquitatis; adorate decenter, quia est lux veritatis; adorate ferventer, quia est fax charitatis. Nec sufficiat vobis adoratio, nisi concomitetur oblatio. Offerte, inquam, aurum dilectionis ardentissimæ; offerte thus consolationis devotissimæ; offerte myrrham contritionis amarissimæ : aurum dilectionis, propter bona collata; thus devotionis, propter gaudia præparata; myrrham contritionis, propter peccata perpetrata. Aurum offerte æternæ divinitati, thus animæ sanctitati, myrrham corporis passibilitati. Quærite et iam, o reges, cum doctoribus, ut vobis pandat secreta suæ inscrutabilis sapientiæ, ut ostendat magnalia suæ admirabilis potentiæ, ut vos doceat beneplacita suæ voluntatis et complacentiæ. Quærite, inquam, cum reverentia, quomodo omnia tam potenter de nihilo creaverit; quomodo cuncta tam sapienter in universo ordinaverit; quomodo singula tam clementer suo inæstimabili bono decoraverit. Quærite humiliter, si homini fas est in hac vita investigare, qualiter illæ tres personæ coæquales et coæternæ subsistant in una et individua substantia, et hoc in Trinitate beatissima; qualiter illæ tres substantiæ, videlicet, carnis et animæ et deitatis, conveniant in una persona, et hoc in Christi incarnatione sacratissima; qualiter ab æterno Pater a nullo, Filius a Patre solo, Spiritus sanctus ab utroque. Ipse, quem quæris, doctor est et cognitor omnis veritatis; a quo omnis veritas principaliter quæritur; post quem veritas exemplariter perducitur; ad quem omnis veritas finaliter reducitur et ordinatur. Ipse est doctor, qui docet omnem veritatem : veritatem vitæ, quam in multis destruxit lutosa gulositas; veritatem doctrinæ, quam, heu! in plerisque cæcavit voluptuosa vanitas; veritatem justitiæ, quam effugavit periculosa aviditas. Quærite ergo, vos reges devoti, Jesum, ut vos doceat omnem veritatem : veritatem vitæ, ut sciatis qualiter vosipsos utiliter regere debeatis; veritatem doctrinæ, ut cognoscatis qualiter subjectos laudabiliter dirigatis; veritatem justitiæ, ut intelligatis qualiter Deo serviliter serviatis. Quærite etiam Jesum aliquando cum sponsa dilectissima in horto deliciarum, ubi deambulat cum adolescentulis, ubi lilia colligit cum virginibus, ubi comedit fructus pomorum suorum cum juvenculis. Quærite

in cella vinaria, ubi cœnam suam præparavit; ad quam suas specialissimas amicas, quæ sequuntur eum, quocumque ierit, tantum invitavit; ubi præcinget se, et faciet eas discumbere, et transiens personaliter ministrat eis; ubi administrat fercula varia de pinguedine suæ æternæ, nobilissimæ et secretissimæ divinitatis; ubi propinat pocula suæ dulcissimæ et castissimæ humanitatis. Certe illic bibunt amicæ; sed inebriantur charissimæ. Quærite tandem in cubiculo, ubi requiescit cum sponsa inter amplexus et oscula; ubi cubat in meridie, quando splendor æternæ veritatis tam luculenter lucet, ardor supernæ charitatis tam dulciter ardet. Ibi instillat auribus sponsæ secretissima suæ profundæ et inscrutabilis sapientiæ; ibi donat altissima munera suæ summæ et incomparabilis magnificentiæ; ibi jocatur, ibi blanditur, ibi consolatur, ibi dilectam alloquitur, dicens [1] : *Pete quod vis, et dabitur tibi.* O quam felices, qui Jesum in hoc cubiculo secretissimo inveniunt, qui hoc cubiculum intrare præsumunt! O quam pauci eum in horto deliciarum inveniunt; sed pauciores in cella vinaria reperiunt; paucissimi vero non nisi secretissimi amici cubiculum intrare præsumunt! Quia scriptum est [2] : *Adjuro vos, filiæ Hierusalem, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.*

Unde sufficiat vobis (*a*), o reges, qui adhuc terrena sapitis, qui adhuc temporalia disponitis, quod Jesum aliquando post diligentem inquisitionem in præsepio inveniatis. Vestra enim conscientia adhuc forte non est facta hortus deliciarum, ubi florent sanctæ meditationes, redolent virtuosæ operationes, ubi vigent deliciosæ affectiones. Nec forte minus perfecte dici potest cella vinaria, ubi illa cœlestia fercula odorantur, illa vina angelica gustantur, quibus amici aliquando hic in terris consolantur. Sed, heu! minime, ut timeo, dici potest cubiculum omnibus creaturis absconditum, soli sponso præparatum, stratum et ornatum, ubi sponsus cum sponsa, dilectus cum dilecta requiescit, inter secreta et indicibilia sui familiaris oscula; ubi sæpe audiuntur talia et tam arcana, quæ quidem intelliguntur, sed non dicuntur, quia forte vel exprimi nequeunt, vel ab hominibus, secundum hominem viventibus, percipi nunquam possunt. Si tamen ex abundantia divinæ pietatis, aliquando ipsum post fletum et planctum, post luctum et gemitum, postpositum sæculare negotium, ad modicum vidistis in horto deliciarum, vel forte, quod magis verum est, ante fores, adhuc vobis clausas, per foramen inspexistis in cellam vinariam, et vidistis sponsum ornatum et succinctum, transeuntem, ministrantem, propinantem suis amicis varia fercula et vina deliciarum, et statim ignota et incognita, nec adhuc talia admittenda, per janitores expulsi et repulsi fuistis, et iterato, heu! ad solita et mundana rediistis. Sed tamen post hoc ad cor reversi, non immemores illius jucundæ societatis, quam gaudio cordis in horto deliciarum aspexistis, necnon et illius beatissimæ jucunditatis et solemnitatis, quam desolatam per rimulam inspexistis, de qua nescio quale solatium, sed tamen tale quod exuperat omnem sensum, et omne hujus mundi convivium, per spiramentum modicum sensistis. Tunc cum Maria matre Jesum perditum cum dolore et mœrore quærite; currite cum planctu et gemitu post Jesum quærendum; quærite tunc, et flentes dicite: O quando te inveniemus consolatorem quem expectamus? Quando te inveniemus, gaudium nostrum, quod desideramus? O si anima nostra adhuc redire semel valeat, etsi non ad amplexus et oscula, saltem ubi redolet hortus deliciarum et suavissime fragrat cella vinaria! Jam, anima, per te ipsam quære dilectum tuum, quem concepisti; tuus est filius, quem genuisti. Et quare dimisisti, a quo tot et tam insolita gaudia suscepisti? O vos, reges inclyti, vos principes

[1] *Marc.*, VI, 22. — [2] *Cant.*, II, 7.

(*a*) *Cæt. edit.* vos.

et defensores et cooperatores mei, vos hactenus quæsivistis ut regem, qui vos sua gratia coronaret; ut doctorem, qui vos sua sapientia illustraret; ut consolatorem, qui sua clementia vos reficeret. Nunc superest, ut ego quæram filium quem perdidi; dilectum, quem amisi; amantissimum Jesum meum, quem, heu! infelix et misera, in templo dimisi, postquam denuo ad vana et falsa et inania me converti. Heu! me derelictam et desolatam, et omni ignominia plenam reliquit. Quare suis consiliis non acquievi? Quare in suis monitis non permansi? Quamdiu suam præsentiam per veram solationem sensi, affuit mihi omnis boni abundantia: quamdiu ipsum habui, omnibus bonis abundavi. Sed, heu! quam infelix et quam miserabilis! propter paupertatem amisi divitias; propter asperitatem postposui delicias, propter curam et sollicitudinem dereliqui quietem magnam, et spiritus dulcedinem; propter alienum neglexi meipsum; propter hominem regendum perdidi Deum meum, dilectum meum, consolatorem meum, dulcissimum Jesum, filium meum. Quid ergo faciam? quo vadam? ubi quæram, ut iterato ipsum inveniam? Aliquoties propter prædicta ipsum amisi; sed denuo adjuvante et revelante clementissimo Patre misericordiarum Deo, in cujus vinea laboro, cujus voluntati de consilio majorum deservio, ad cujus gloriam ampliandam me dulcis Jesu solatiis per occupationem cordis sæpius privo, propter cujus honorem conservandum variis tribulationibus me expono, ipso ex solita pietate auxiliante: perditum cum ingenti cordis gaudio, post varios singultus et gemitus, etiam inter abundantissimas lacrymas reperi et inveni. O utinam ipsum adhuc semel taliter invenirem! puto quod amplius non dimitterem, sed totis viribus retinerem.

Quid ergo faciam? [1] *Surgam et quæram quem diligit anima mea:* postquam occupationes et sollicitudines dimittam, ad orandum me conferam. Et si hæc non sufficiunt, inter cognatos et notos, id est spirituales et devotos, ipsum quæram. Ipsi sunt, in quibus habitat; ipsi sunt, cum quibus moratur, quando ab aliis amittitur. Hi sunt, cum quibus tanquam in solitudine latitat, quando ipsum a me miser strepitus cogitationum fluctuantium fugat. Heu! quando illis similis fui, tunc habui, tunc tenui, tunc amplexata et osculata fui Jesum, quem nunc curis distracta, sollicitudinibus occupata et afflicta, lamentabiliter amisi. Dicite ergo, o vos religiosi, vos abstracti, vos solis divinis meditationibus dediti, [2] *num quem diligit anima mea, vidistis?* Certe scio quod habetis, scio quod bene scitis, quia sentitis et gaudetis. Reddite ergo in charitate, quod non amittitis; communicate, quod non dimittitis. Et si in me propter distractionem ad horam fervor dilectionis tepuit, habitus tamen dilectionis, ut spero, non cessavit. Et si, propter occupationem, familiarem dilecto allocutionem intermisi, a charitate tamen ipsius non recessi. Et si, propter proximorum vel modicam ædificationem, ipsi tota mentis intentione non adhæsi, desiderium tamen revertendi in mente habui. Et revera, ut verum fatear, non ad gloriam dico, sed tantum ad revocandum ad me (*a*) dilectum perditum humiliter allego; non propter meum lucrum, sed propter suum consilium; non propter meam ambitionem, sed propter suam æternam (*b*) gloriam et honorem; non propter prælationis laudem, sed proximorum salutem, curis et sollicitudinibus dedita: quare ergo propter hoc, quod pia intentione, etiam quasi et gemens facerem, dilecti præsentia saltem aliquando, etsi raro, consolari non deberem? Non esset æquum, sed, si fas esset dicere, injustum et impium, quod piissimus Jesus non statuit, quod divina lex nusquam approbavit. Sæpe enim propter amici voluntatem, dulcis amici præsentia intermittitur, ut postmodum cum ampliori amborum jucunditate reparetur;

[1] *Cant.*, III, 2. — [2] Ibid., 3.

(*a*) *Cæt. edit. deest* me. — (*b*) *Item* æternitatem.

sic et ego, propter ipsum, ipsum (*a*) aliquando deserui; sic, (*b*) propter suam gloriam ampliandam, labores, persecutiones, detractiones, impugnationes sustinui. Si his omnibus et his similibus etiam usque ad defectum repleta fui, et ad ipsum gemens et amens redeo, numquid ipsius solatio, ut vel modicum in tribulatione respirem, carebo? Quid ergo est, quod (*c*) Dilectus meus loquitur mihi? Quid est quod per ipsum in Evangelio clamatur [1] : *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos?* Numquid ego qui, propter honorem ejus, diei pondus et æstus sustineo, saltem post laborem, et de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum, refici non debeo? Absit ergo ne solummodo vobiscum, o vos contemplativi, moretur dilectus, et laborans agricola sit contempus et abjectus. *Oportet tamen*, sicut Scriptura testatur [2], *laborantem agricolam* aliquando *de* (*d*) *fructibus* cœlestis (*e*) patriæ prælibare, et hoc ne deficiat in labore. Sic apostoli inter varia opprobria, martyres inter flagella, virgines inter cruciatus et verbera, senserunt dilecti solatia. *Ibant* [3] *gaudentes a conspectu concilii*, collaudantes et benedicentes Dominum, *quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.* Sic confessores et eremitæ, monachi et anachoretæ, post vigilias et jejunia, inter lacrymas et gemitus senserunt divina gaudia. Sic rectores, doctores, et ecclesiarum fideles prælati, postquam laboribus et curis sunt extenuati, de benignitate dulcis Jesu ipsorum piissime, dulciter sunt corda refecti. Non enim Maria Jesum frequenter habuit sola; sed etiam a Martha post prædicationem hilariter et gaudenter receptus fuit. Ego ergo in Domino confidens, et de divina clementia tam multipliciter probata et exemplariter ostensa præsumens, dulcissimum Jesum aliquando quæram cum Maria matre in templo; aliquando cum sponsa in cubiculo; aliquando cum discipulis in consistorio; aliquando cum regibus in diversorio.

[1] *Matth.*, XI, 28. — [2] II *T.m.*, II, 6. — [3] *Act. Apost.*, V, 41.

QUINTA SOLEMNITAS.

De Præsentatione pueri Jesu in templum.

Quinto et ultimo consideret fidelis anima, qualiter natus parvulus per diversorum operum consummationem, et nominatus per cœlestium dulcedinum degustationem, et quæsitus, et inventus, adoratus et honoratus per spiritualium munerum præsentationem, in templum sit præsentandus, et Domino offerendus, et hoc per debitarum gratiarum devotam et humilem actionem. Igitur postquam felix anima, mater Jesu spiritualis per istius benedicti filii conceptionem, purgata per pœnitentiam; postquam aliqualiter jam post nativitatem confortata per gratiam; postquam etiam est jam per impositionem benedicti nominis consolata medullitus, et tandem in adoratione cum regibus informata divinitus; quid aliud restat, nisi ut in cœli sanctam (*f*) Hierusalem portetur et in templum divinitatis præsentetur Deus, Dei et virginis filius? Ascende igitur, spiritualis Maria, non jam in montana, sed in cœlestis Hierusalem habitacula beatæ Trinitatis et individuæ Unitatis. Flecte humiliter mentis genua in supernæ civitatis palatia; ibi ante thronum æternitatis Deo Patri filium tuum repræsenta laudando, glorificando, et benedicendo Patrem et Filium cum sancto Spiritu. Lauda cum jubilo Deum Patrem, per cujus inspirationem bonum propositum concepisti. Glorifica cum gaudio Deum Filium, per cujus informationem conceptum propositum opere perfecisti. Benedic et sanctifica sanctum Spiritum, per cujus consolationem in bono exercitio hactenus perstitisti. O anima, Deum Patrem in omnibus donis suis, et bonis tuis glorifica, quia ipse est, qui te de sæculo per occultam in-

(*a*) *Cæt. edit. non repet.* ipsum. — (*b*) *Cæt. edit.* si. — (*c*) *Cæt. edit. deest* quod. — (*d*) Item deest *de*. — (*e*) *Cæt. edit.* cœlestibus. — (*f*) *Item* sancti.

spirationem evocavit, dicens [1] : *Revertere, revertere, Sunamitis, revertere, revertere,* etc. Deum Filium in omnibus factis tuis magnifica : ipse enim est, qui te de dæmonis servitio per secretam suam informationem liberavit, dicens [2] : *Tolle jugum meum super te.* Jugum suum dæmoni abjice, jugum amarissimum; jugum meum suavissimum. Jugum suum sequitur cruciatus æternus et tormenta; jugum meum sequitur fructus suavissimus et requies opulenta. Jugum suum, si quando dulcedinem exhibet, falsa est et momentanea, scilicet dulcedo; jugum meum, quando dulcedinem confert et lætitiam, vera est et salutifera. Ipse suos servitores modicum aliquando extollit, ut in æternum confundat; qui autem honorificat me, sic ad momentum humiliatur, ut æternaliter glorietur et regnet. Ista fuit doctrina, qua te Dei Filius aliquando per se, aliquando per suos doctores et amicos reformavit a dæmonis falsa persuasione, a carnis et mundi blanda deceptione liberavit. Deum Spiritum sanctum semper benedic et sanctifica, qui te per suam consolationem mellifluam in bono confortavit, dicens [3] : *Venite ad me omnes, qui laboratis et oneratis estis, et ego reficiam vos.* Qualiter enim, o anima tenera et dilecta, fragilis et infirma, deliciis mundi assueta, gaudiis hujus sæculi tanquam fæcibus vinariis more porcorum inebriata; qualiter potuisses inter tot et tanta antiqui hostis retia, inter tot falsa consilia, inter tam varia impedimenta, inter tam innumerabilia amicorum, consanguinorum, et aliorum propinquorum a via morum vulnerantium jacula, in bono perstitisse? Qualiter potuisses, tot funibus peccatorum circumplexa (*a*), in bono profecisse, si non Spiritus sancti gratia fuisses misericorditer adjuta, et sæpius dulciter consolata et refecta? In ipsum igitur refunde omnia opera tua; tibi nihil retine. Dic cum pura et devota mentis intentione [4] : *Omnia opera mea operatus es, Domine;* in conspectu tuo nihil sum, nihil possum; de tuo munere est quod subsisto; sine te nihil agere possum. Tibi, clementissime Pater misericordiarum, quod tuum est offero, tibi committo me; indignam et ingratam omnibus donis tuis, per te mihi collatis, humiliter recognosco. Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio, o beatissime Pater, majestas æterna : quia me per tuam infinitam potentiam de nihilo creasti, te laudo, te glorifico, tibi gratias ago. O beatissime Fili, claritas paterna! quia me per tuam æternam sapientiam de morte æterna liberasti, te benedico, te sanctifico, te adoro. O beatissime Spiritus, alme; quia me per tuam benedictam pietatem, et clementiam, de peccato ad gratiam, de sæculo ad vitam religiosam, de exilio ad patriam, de labore ad requiem, de mœrore ad jucundissimæ et deliciosissimæ beatæ fruitionis dulcedinem revocasti! Quam dulcedinem nobis dulcis Jesus concedat, qui cum Patre, etc.

[1] *Cant.*, VI, 12. — [2] *Matth.*, XI, 29. — [3] Ibid., 28. — [4] *Isa.*, XXVI, 12.

(*a*) *Cæt. edit.* circumamplexa.

PASSIO CHRISTI

BREVITER COLLECTA AD MODUM FASCICULORUM [1]

ARGUMENTUM

(*Ex edit. Vatic.*)

Devotus et omni pietate plenus est iste tractatus : in quo fasciculus Myrrhæ sponsæ uberibus interponitur, ut virtutum studium, et ad Christi vulnera compassionis affectus augeatur. In antiquis impressis non erat hoc opusculum a superiori (scilicet fasciculario *de exercitiis spiritualibus*, hujus editionis tomo XII, pag. 171) distinctum : tamen visum est in hac editione sub peculiari titulo præcedenti annectere, cum solum in eo de passione Christi ad modum fasciculorum sermone auctor scribat. Itidemque factum est de eo opusculo, quod (hujus editionis tomo XII, pag. 158) inscribitur : *De pugna spirituali contra septem vitia capitalia*, quod post hoc sine ullo titulo in antiquis impressis continebatur. Ibi enim aptius visum fuit apponere post illud, cui titulus est : *Formula aurea de gradibus virtutum* (in nostra vero editione ante illud *de contemptu sæculi*).

Primus fasciculus, dominica die de oratione in horto, et captione.

Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur [2], loquitur anima devota, designans Christi amaritudinem se simul collectam jugiter in suo pectore circumferre. Ut autem tu etiam, quicumque memoriam tuam per meditationem mortis Christi reformare desideras, in promptu habeas fasciculos, qui in memoria tua commorentur, passionem Christi hic tactam solummodo ordine Evangeliorum inseruimus compendiose, ut ex illis paucis secundum illa tria, quæ dicta sunt [3], opus, modum, et causam, habeas materiam copiose meditandi, et de paucis plurima colligas. Cogita igitur quomodo solemni illa cœna, de qua supra dictum est, celebrata, et hymno dicto, Christus Deus et homo videns appropinquare tempus suum, surrexit ut iret ad montem, hoc est, opus quod fecit. Cogita igitur, ut supra dictum est, de modo, quomodo se habuit intus et extra : eundo, fugam discipulorum prædixit : Petrum asseruit (*a*) ter se negaturum, et alia quæ loquebatur ; et hoc iterum opus attende. Cogita etiam quo modo exteriori verba illa deprompsit, et quali interiori protulit affectu ; sic facias ubique, nec opus semper est repetere. Assumpto Petro, Jacobo et Joanne, ait [4] : *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Relictis illis solus orat in monte. Finita tertia vice oratione, ex imaginatione mortis, et interno dolore et timore, [5] *factus est sudor ejus sicut sanguis*, innuens ineffabilem pœnam per hoc ; nam de nullo tale aliquid legimus. Tunc angelus unus suum Dominum confortavit. Cogita quomodo Christus inimicis suis obviavit, et sponte se obtulit, et verbo suo

[1] *Cf.* Edit. Vatic., an. 1596, tom. VII, pag. 111; edit. Lugd., an. 1647, tom. II, pag. 107; edit. Ven., an. 1754, tom. VI, part. I, pag. 45. — [2] *Cant.*, I, 12. — [3] Tom. XII, pag. 178. — [4] *Matth.*, XXVI, 38. — [5] *Luc.*, XXII, 44. — (*a*) *Cæt. edit.* asserit.

eos in terram prostravit. Deinde a Juda osculatur, a Judæis capitur, trahitur, vincitur, et ad domum Annæ deducitur, et omnes discipuli fugerunt : et hic sit tibi fasciculus unus memoriæ commendandus. Et hic, si placet, potes aspicere Christum, qui sit iste qui ista patitur, et te subdas ei per rationis assensum. Crede igitur, et cogita ipsum esse veraciter Dei filium, omnium principium, Salvatorem omnium, et retributorem omnium.

Fasciculus secundus, de illusione coram Anna et Caipha, et negatione Petri.

In domo Annæ confessus veritatem, a servo nequam percutitur. Cogita hic opus, modum et causam, vel saltem aliquod eorum, sicut tibi congruit. Deinde in domo Caiphæ, ubi scribæ et pharisæi expectabant, adducitur, illuditur, et percutitur tanquam blasphemus. Falsum testimonium quæritur, et non invenitur. A pontifice adjuratur, a Petro ter negatur ; sed Christus respiciens Petrum, exire et flere amarissime compulit. Mane facto, ad Pilatum vinctus ducitur. Cogita modum, quo ipsi eum ducebant, quia pessime tanquam latronem et maleficum, etc. Judas videns, quod parabant Christum ad mortem, tantum in seipso doluit, quod tam dulcem hominem tradidit, ut se laqueo suspenderet, et retulit pecuniam, cum qua emptus est ager, sicut prædixit Hieremias [1]. Coram Pilato multipliciter innocenter accusatur, mittitur ad Herodem ; ab eo ut fatuus illuditur et irridetur. Hic diligentissime considera, qualis est qui patitur, et ei configurare, ut compatiaris innocentissimo, mitissimo, amantissimo, et nobilissimo. Et hic sit fasciculus secundus.

Fasciculus tertius, de coronatione, et crucifixione.

Post hoc petentibus Judæis dimittit Pilatus Barabbam, et tradidit Jesum ad crucifigendum, victus importunitate Judæorum et timore Cæsaris. Tunc Jesus more et schemate regis multipliciter illuditur, chlamyde induitur, spinis coronatur, arundine percutitur, ut rex in derisum adoratur. Hic, homo, cogita modum, attende causam, quo modo scilicet Christus se habuit, et quo modo Judæi se habuerunt ; causam, quare tanta sustulit, vadens ut crucifigatur, proprium portat patibulum ; populus sequebatur, et mulieres flentes, quibus ait [2] : *Nolite flere super me,* etc. In monte Calvariæ crucifigitur. Et hic diligenter pertracta modum crucifixionis. Aut enim primo crucem erexerunt, et Christus ascendit ad crucem, aut certe crucem posuerunt in terram, et ibi eum clavis affixerunt : nam alius modus non apparet. Et hic tertio specialius convenit considerare, quantus est iste qui tanta patitur, ut ad ipsum possis egredi per admirationis aspectum, quia immensus est potestate, speciositate, felicitate et æternitate. Admirare igitur majestatem annihilari, speciositatem decolorari, felicitatem tormentari, æternitatem mori. Et hic tertius fasciculus.

Fasciculus quartus, de his quæ facta sunt dum Christus penderet in cruce, et de emissione spiritus.

Pendens Christus in cruce, sitit. Cogita opus, quomodo Christus pendet ; cogita modum et causam ; cogita, quod sitit, orat pro crucifixoribus, blasphematur in cruce, irridetur a prætereuntibus, a principibus, a latrone. Titulus verissimus et indelebilis [3] : *Jesus Nazarenus Rex Judæorum,* scribitur. Stat mater Jesu dolorosa sub cruce ; quam respexit, et Joanni commisit ; fiunt tenebræ. Designans tandem quanta sua esset pœna, et quod humanitas fuit deserta, in eo quod nulla fuit redundantia superiorum virium, in quibus fruebatur, ad inferiores (*a*) quibus patiebatur, clamabat [4] : *Eli, Eli, lamma sabactani ?* Accepto aceto, consummatis jam omnibus, cum nihil restabat agendum, clamans alta voce, tradidit spiritum, innuens quod, quamdiu vellet, tamdiu viveret, et quod nul-

[1] Imo Zacharias, XI, 13. — [2] *Luc.*, XXIII, 28. — [3] *Joan.*, XIX, 19. — [4] *Matth.*, XXVII, 46.

(*a*) *Suppl.* in.

lus animam suam a se tolleret, sed quod ipse sponte eam poneret. Et hic debes considerare, quali forma passus est, assimilationis amictu. Passus est enim sicut verus agnus liberalissime respectu sui, obedientissime respectu Patris, pudentissime respectu adversarii. Stude igitur ad habendum habitum secundum effigiem modi se habendi, scilicet benignitatis, severitatis, humilitatis, et perspicacitatis. Et hic sit fasciculus quartus.

Fasciculus quintus, de his quæ facta sunt, Christo pendente in cruce, post mortem.

Latronum ossa confringuntur; Christi os non comminuitur, ne figura de hoc evacuetur. Latus ejus aperitur, unde profluunt Ecclesiæ sacramenta, velum scinditur, sepulchra mortuorum aperiuntur, ut inde mortui in die resurrectionis cum Christo resurgerent. Hic considera, quantus pro te passus est; et crucem amplectere per passionis desiderium, et (*a*) sicut ipse passus est injuriam, convitia, ludibria, supplicia, sic tu passionem Christi imitando, amplectere pro eo omnem passionem plenam injuriis, convitiis, ludibriis, et suppliciis. Et hic fasciculus quintus.

Fasciculus sextus, de septem signaculis in passione Christi reseratis.

Passio Christi non solum reformat memoriam per devotam meditationem, nec solum inflammat desiderium ad devotionem; quin imo præcipue illustrat intellectum, et ducit ad cognitionem veritatis, siquidem in universitatis cognitione septem erant clausa ante Christi passionem, quæ sunt in ejus passione reserata. De quibus intelligi potest illud Apocalypsis[1] : *Aperta sunt signacula septem*. Primum signaculum fuit Deus admirabilis, qui per crucem manifestatus est esse summa sapientia, in eo quod diabolum decepit; summa justitia, in quantum quæsivit redemptionis præmium; summa misericordia, quia tradidit pro nobis Filium. Secundum signaculum fuit spiritus intelligibilis, qui manifestatus est per passionem, quantæ sit benignitatis quantum ad angelos, qui permiserunt Christum crucifigi; quantæ dignitatis quoad homines, nam propter eos Christus est crucifixus; quantæ crudelitatis quoad dæmones, qui Dominum Deum suum fecerant (*b*) crucifigi. Tertium signaculum est mundus sensibilis, qui in morte Christi probatur esse locus tenebrarum, in quo regnat cæcitas, quia lucem veram non cognovit; in quo regnat sterilitas, quia Christum infructuosum reputavit; impietas, quia innocentem condemnavit. Quartum signaculum fuit paradisus, qui per crucem apparet esse locus gloriæ, lætitiæ et opulentiæ in eo, quod Christus propter ejus restitutionem factus est vilis, pauper et miser. Quinto, per mortem Christi infernus manifestatus est esse plenus omni egestate, vilitate et paupertate, quia si hæc passus est propter peccati deletionem, multo magis damnati hæc patientur propter justam operum retributionem. Sextum signaculum fuit virtus laudabilis, quæ per crucem Christi probatur esse pretiosa, speciosa et fructuosa : pretiosa, quia Christus ante voluit vitam corporalem perdere, quam contrariari virtuti; speciosa, quia in contumeliis relucebat; fructuosa, quia unus perfectus actus Christi virtutis infernum spoliavit, cœlum aperuit, perditum restauravit. Septimum signaculum per crucem apertum est et (*c*) in eo, quod apparuit reatus culpabilis quam detestabilis sit, cum ad sui remissionem indigeat tam magno pretio, tam grandi piaculo, tam difficili medicamento.

Fasciculus septimus, de resurrectione, ascensione, et missione Spiritus sancti.

Tertia autem die Christus victor mortis resurrexit, et nos resurrecturos monstravit. Si igitur Christo passo fuisti compassus, nunc resurgenti congaude. Cogita devote, qualiter anima Christi ad infernum descen-

[1] *Apoc.*, VIII, 1, quoad sensum.

(*a*) *Cæt. edit.* ut. — (*b*) *Leg.* fecerunt. — (*c*) *Del.* et.

dit, quid ibi egit, et de gaudio sanctorum patrum, et tristitia dæmoniorum. Cogita de timore custodum. Cogita de custodia Angelorum circa sepulcrum, quomodo nunc refertur unus solus sedere, nunc stare supra lapidem, nunc in sepulcro, nunc duo, et hi diversimode ; per quod ostenditur multitudo Angelorum circa sepulcrum, et varia visitatio mulierum. Cogita quomodo amor et desiderium Magdalenam et alias feminas frequenter cogebat currere, et sepulcrum Domini visitare. Cogita de variis Christi apparitionibus. Cogita de dulcibus ejus colloquiis cum discipulis. Cogita : cur Christus voluit in Galilæa apparere, nisi ut debeas a vitiis transmigrare? Unde *Pascha* (*a*) transitus; sed in *Galilæa*, id est, transmigratione et mutatione corporum nostrorum, in regno cœlorum Christum videbimus post generalem resurrectionem. Post quadraginta dies resurrectionis [1] *ascendens Christus in altum, captivam duxit captivitatem* sanctorum patrum. Meditare de gloriosa processione ascendentium cum Christo; nam Sancti sequebantur, Angeli venientes obviabant, et tunc inter se quæstiones illas formabant, de quibus Isaias ait [2] : *Quis iste est qui venit*, etc. Cogita de tristitia apostolorum, et angelorum gaudio. Cogita de angelis redeuntibus, et apostolos consolantibus. Disce tu ascendere ad Christum, sed per ascensiones prius dictas, ut relinquas hic vitium, quia nullum vitium ascendit cum Salvatore, ut dicit Augustinus [3]. Deinde de cœlo Dominus in linguis igneis misit Spiritum sanctum. Vide quomodo deinde apostoli fuerunt confortati, et in charitate fundati. Meditare cur Spiritus sanctus in igne, cur in linguis, cur in utrisque simul, et cur in aliis creaturis apparuit; et stude proprietates rerum talium in te habere. Cogita et effectus et dona Spiritus sancti, et multa similia circa Spiritus sancti missionem, signaque militantis [4] sub gula (*b*), scilicet somnum, cordis duritiam, otiositatem, risus procacitatem, contradictionem, et insensibilitatem.

[1] *Ephes.*, IV, 8. — [2] *Isa.*, LXIII, 1. — [3] Aug., *in fest. Ascens.*, qui est *de Temp.*, serm. CLXXV, al. CLXXVII, n. 1, append. tom. V. — [4] Locus corruptus.

(*a*) *Suppl.* id est.— (*b*) *Forte leg.* impii militis singula.

DE PASSIONE DOMINICA OFFICIUM [1]

ARGUMENTUM

(*Ex edit. Vatic.*)

Passionis Dominicæ Officium a Matutino usque ad Completorium tam singulari artificio et ardenti pietatis affectu a Sancto Bonaventura compositum est, ut compunctus animus acerbissimæ passioni Redemptoris compatiens, in eaque infinitam Domini misericordiam erga genus humanum conspiciens, sub hac forma Officii assiduas ad Deum preces effundere valeat.

AD MATUTINUM.

Domine, labia mea aperies. ℟. Et os meum, etc. ℣. Deus, in adjutorium meum, etc. ℟. Domine, ad adjuvandum, etc. Gloria, etc. Alleluia.

Invitator. Christum captum et derisum, flagellatum et crucifixum, venite, adoremus.

Psalmus. Venite exultemus Domino, etc.

HYMNUS.

In Passione Domini,
Qua datur salus homini,
Sit nostrum refrigerium,
Et cordis desiderium.
Portemus in memoria
Dolores et opprobria,
Christi coronam spineam,
Crucem, clavos, et lanceam;
Et plagas sacratissimas,
Omni laude dignissimas,
Acetum, fel, arundinem,
Et mortis amaritudinem.
Hæc omnia nos satient,
Et dulciter inebrient,
Nos repleant virtutibus,
Et gloriosis fructibus.
Te crucifixum colimus,
Et toto corde poscimus,
Ut nos sanctorum cœtibus
Conjungas in cœlestibus.
Laus, honor Christo vendito,
Et nostri causa prodito,
Passo mortem pro populo,
In aspero patibulo. Amen.

Antiphona. Insurrexerunt.

Psalmus. Quare fremuerunt gentes, etc.

Insurrexerunt in me viri sine misericordia, et non pepercerunt animæ meæ. ℣. Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam. ℟. Dedi dilectam animam meam in manus peccatorum. Pater noster.

Absolutio. Passio Domini nostri Jesu Christi perducat nos ad gaudia Paradisi. Amen.

Jube, Domne, bened. Per suam passionem, det nobis Dominus suam benedictionem. Amen.

Lectio prima [2].

Apprehendit Pilatus Jesum, et flagellavit eum. Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus, et veste purpurea circumderunt eum. Et veniebant ad eum, et dicebant: Ave Rex Judæorum. Et dabant ei alapas, et exspuerunt in eum : acceperunt arundinem, et percutiebant caput ejus. Tu autem, etc.

℟. Ecce vidimus eum non habentem speciem, neque decorem : aspectus ejus in eo non est;

[1] *Cf.* Edit. Argentin., an. 1495, pars II; edit. Vatic., an. 1596, tom. VI, pag. 436; edit. Ven., an. 1611, tom. II; edit. Lugd., an. 1647, tom. I, pag. 439; edit. Ven., an. 1754, tom. XIII, pag. 320. — [2] *Joan.*, XIX, 1 et seq.

(*a*) *Cæt. edit.* passionis.

hic peccata nostra portavit, et pro nobis dolens. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, cujus livore sanati sumus. ℣. Vere languores nostros ipse abstulit, et infirmitates nostras ipse portavit. Ipse, etc.

Jube, Domne, bened. Per virtutem sanctæ crucis, perducat nos Dominus ad gaudia veræ lucis. Amen.

Lectio secunda [1].

Susceperunt ergo milites Jesum et duxerunt, et bajulans sibi crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariæ locus, Hebraice autem Golgota, ubi eum crucifixerunt, et cum eo alios duos hinc et inde, medium autem Jesum. [2] Jesus autem dicebat : Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. Tu autem, etc.

℟. O vos omnes qui transitis per viam, attendite et videte, Si est dolor vester similis ut dolor meus. ℣. Attendite, universi populi, et videte dolorem meum. Si est dolor, etc.

Jube, Domne, bened. Sanguinis Christi aspersio sit nobis sempiterna salus et protectio. Amen.

Lectio tertia [3].

Postea sciens Jesus, quia omnia consummata sunt, ut impleretur Scriptura, dixit : Sitio. Vas ergo erat positum plenum aceto. Illi ergo spongiam plenam aceto hyssopo circumponentes, obtulerunt ori ejus. Et cum accepisset acetum, dixit : Consummatum est. Et inclinato capite, tradidit spiritum. Tu autem, etc.

℟. Tenebræ factæ sunt, dum crucifixissent Jesum Judæi. Et circa horam nonam exclamavit Jesus voce magna : Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Et inclinato capite, emisit spiritum. ℣. Exclamans Jesus voce magna ait : Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et inclinato capite, etc. Gloria Patri, etc.

AD LAUDES.

Deus, in adjutorium meum intende, etc.

Antiphona. Contumelias.

Psalmus 12.

Usquequo, Domine, oblivisceris me in finem? usquequo avertis faciem tuam a me?

Quamdiu ponam consilia in anima mea : dolorem in corde meo per diem?

Usquequo exaltabitur inimicus meus super me? Respice, et exaudi me, Domine Deus meus.

Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte : ne quando dicat inimicus meus, prævalui adversum eum.

Qui tribulant me exultabunt, si motus fuero : ego autem in misericordia tua speravi.

Exultabit cor meum in salutari tuo : cantabo Domino, qui bona tribuit mihi, et psallam nomini Domini altissimi. Gloria Patri, etc.

Antiphona. Contumelias et terrores passus sum ab eis, et Dominus mecum est tanquam bellator fortis.

Capitulum.

Spiritus oris nostri Christus Dominus, captus est pro peccatis nostris, cui diximus : In umbra tua vivemus in gentibus.

Hymnus.

Christum ducem, qui per crucem,
Redemit nos ab hostibus,
Laudat cœtus noster lætus,
Exultet cœlum laudibus.
Pœna fortis tuæ mortis,
Et sanguinis effusio,
Corda terant, ut te quærant,
Jesu nostra redemptio.
Per felices cicatrices,
Sputa, flagella, verbera,
Nobis grata sunt collata
Æterna Christi munera.
Nostrum tangat cor, ut plangat,
Tuorum sanguis vulnerum,
In quo toti simus loti,
Conditor alme siderum.
Passionis tuæ donis,
Salvator, nos inebria,
Qua fidelis dare velis
Æterna nobis gaudia. Amen.

℣. Dedit percutienti se maxillam. ℟. Fuit saturatus opprobriis.

Ad Benedictus. *Antiphona.* Proprio filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison. Domine, etc.

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui hora matutina pro nobis conspui, et alapis cædi voluisti, et cum gloria a mortuis resurrexisti, fac nos contumelias et opprobria pro tui nominis gloria portare,

[1] *Joan.*, XIX, 16. — [2] *Luc.*, XXIII, 34. — [3] *Joan.*, XIX, 28 et seq.

fac nos resurgere ad virtutes a vitiis, ut te videre possimus in Galilæa cum discipulis : qui vivis et regnas, etc.

Commemoratio de beata Virgine, Matutino tempore.

Mariæ nuntiatur, quod a Judæis perfidis Christus captivatur; et toto corde tremuit, et male tractabatur.

℣. Nunquam mater pertulit dolores. ℟. Ut Maria filii considerans livores.

Oratio.

Pietatem tuam quæsumus, Domine, qua pro nobis mortem subiisti temporalem, nec proprio corpori, nec materno dolori parcere voluisti : fac, ut nos tuæ matrisque passionis memores, vobiscum felicitatis perpetuæ simus participes. Qui vivis et regnas, etc.

AD PRIMAM.

℣. Deus, in adjutorium meum, etc.

HYMNUS.

Tu qui velatus facie
Fuisti sol justitiæ,
Flexis illusus genibus,
Cæsus quoque verberibus.
Te petimus attentius,
Ut sis nobis propitius,
Et per tuam clementiam
Perducas nos ad gloriam.
Laus, etc.

Antiphona. Faciem meam.

PSALMUS 42.

Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta : ab homine iniquo et doloso erue me.

Quia tu es, Deus, fortitudo mea : quare me repulisti, et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?

Emitte lucem tuam, et veritatem tuam : ipsa me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua.

Et introibo ad altare Dei : ad Deum qui lætificat juventutem meam.

Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus : quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi : salutare vultus mei, et Deus meus. Gloria.

Antiphona. Faciem meam non averti ab increpantibus, et conspuentibus in me.

Capitulum [1].

Recogitate eum, qui talem sustinuit contra semetipsum a peccatoribus contradictionem, ut non fatigemini animis vestris deficientes.

℣. Cum maledicerétur, non maledicebat. ℟. Et cum pateretur, non comminabatur. ℣. Domine, exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus, etc.

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui hora diei prima pro nobis peccatoribus Pilato judici es præsentatus, et Mariæ Magdalenæ apparuisti, appare nobis per internam gratiam, et da reis veram pœnitentiam; ut de malis, quæ commisimus, nos districte judicemus, ne in extremo judicio deputemur supplicio, sed tuis fidelibus associemur in cœlestibus. Qui vivis et regnas, etc.

AD TERTIAM.

℣. Deus, in adjutorium, etc.

HYMNUS.

Hora qui ductus tertia
Fuisti ad supplicia,
Christe, ferendo humeris
Crucem pro nobis miseris :
Fac nos sic te diligere,
Sanctamque vitam ducere,
Ut valeamus requie
Frui cœlestis patriæ.
Laus, etc.

Antiphona. Dominus, etc.

PSALMUS 63.

Exaudi, Deus, orationem meam, cum deprecor : a timore inimici eripe animam meam.

Protexisti me a conventu malignantium : a multitudine operantium iniquitatem.

Quia exacuerunt ut gladium linguas suas, intenderunt arcum rem amaram : ut sagittent in occultis immaculatum.

Subito sagittabunt eum, et non timebunt : firmaverunt sibi sermonem nequam.

Narraverunt ut absconderent laqueos : dixerunt : Quis videbit eos?

[1] *Hebr.*, XII, 3.

Scrutati sunt iniquitates : defecerunt scrutantes scrutinio.

Accedet homo ad cor altum : et exaltabitur Deus.

Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum : et infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum.

Conturbati sunt omnes, qui videbant eos : et timuit omnis homo.

Annuntiaverunt opera Dei : et facta ejus intellexerunt.

Lætabitur justus in Domino, et sperabit in eo : et laudabuntur omnes recti corde. Gloria Patri, etc.

Antiph. Dominus tanquam ovis ad occisionem ductus est, et non aperuit os suum.

Capitulum [1].

Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus; qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.

℣. Proposito sibi gaudio sustinuit crucem. ℟. Confusione contempta. Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui hora diei tertia, dura pro nobis sustinuisti verbera, et corda fidelium tuorum sancti Spiritus infusione fecisti flammantia; da nobis malum, quod fecimus, digna castigatione punire, et flammas vitiorum nostrorum lacrymis compunctionis extingue (*a*) : ut dum deforis et intus affligimur, tui spiritus dulcedine consolari mereamur. Qui vivis et regnas, etc.

AD SEXTAM.

℣. Deus, in adjutorium meum, etc.

HYMNUS.

Crucem pro nobis subiit,
Et stans in illa sitiit
Jesus, sacratis manibus
Clavis fossisque pedibus.
Honor et benedictio
Sit crucifixo Filio,
Qui nos suo supplicio
Redemit ab exilio.
Laus, honor.

[1] 1 *Petr.*, II, 21. — [2] *Matth.*, XXVII, 37. — [3] 1 *Petr.*, II, 23.

Antiph. [2] Posuerunt super caput ejus causam ipsius scriptam, Jesus Nazarenus, Rex Judæorum.

Psal. 115. Credidi propter.

Capitulum [3].

Tradebat (*b*) autem judicanti se injuste : quia peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui justitiæ vivamus; cujus livore sanati sumus.

℣. Oblatus est, quia ipse voluit. ℟. Et peccata nostra ipse portavit. Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison. Pater noster.

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui hora diei sexta pro salute nostra manus in cruce expandisti, et quinque vulnera pertulisti, ad te confugientes brachiis misericordiæ clementer suscipe, et vulnera mentis nostræ tuo sana medicamine, ut purgati a peccatorum sordibus, templum efficiamur Spiritus sancti.

AD NONAM.

Deus, in adjutorium meum, etc.

HYMNUS.

Beata Christi Passio
Sit nostra liberatio,
Ut per hanc nobis gaudia
Parata sint cœlestia.
Gloria Christo Domino,
Qui pendens in patibulo,
Clamans emisit spiritum,
Mundumque salvans perditum.
Laus, honor.

Antiphona. Et cum.

PSALMUS 141.

Voce mea ad Dominum clamavi : voce mea ad Dominum deprecatus sum.

Effundo in conspectu ejus orationem meam : et tribulationem meam ante ipsum pronuntio.

In deficiendo ex me spiritum meum : et tu cognovisti semitas meas.

In via hac, quâ ambulabam : absconderunt laqueum mihi.

Considerabam ad dexteram, et videbam : et non erat qui cognosceret me.

(*a*) *Leg.* extinguere. — (*b*) *Cæt. edit.* Tradet.

Periit fuga a me : et non est, qui requirat animam meam.

Clamavi ad te, Domine ; dixi : Tu es spes mea, portio mea in terra viventium.

Intende ad deprecationem meam : quia humiliatus sum nimis.

Libera me a persequentibus me : quia confortati sunt super me.

Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo : me expectant justi, donec retribuas mihi.

Gloria Patri. *Antiph.* [1] Et cum accepisset Jesus acetum, dixit : Consummatum est. Et inclinato capite, emisit spiritum.

Capitulum [2].

Decebat eum, per quem omnia, et propter quem omnia facta sunt, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummari.

℣. Tradidit in mortem animam suam. ℟. Et cum viris sceleratis deputatus est. Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison. Domine, exaudi orationem meam, etc.

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui hora diei nona pro salute nostra humana in mortem animam tuam tradidisti, et cœlos ascendisti, vivifica corda nostra per infusionem tui amoris, ut te diligere, menteque cœlestibus inhærere, et mortem tuam nostræ carnis mortificatione imitari valeamus : ut dum tuis (*a*) passionæ participes efficimur, tuæ consolationis nos facias esse consortes. Qui vivis et regnas.

AD VESPERAS.

Deus, in adjutorium meum intende.
Antiph. Dignus es.

Psalmus 29.

Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me : nec delectasti inimicos meos super me.

Domine Deus meus, clamavi ad te : et sanasti me.

Domine, deduxisti ab inferno animam meam : salvasti me a descendentibus in lacum.

Psallite Domino, sancti ejus : et confitemini memoriæ sanctitatis ejus.

Quoniam ira in indignatione ejus : et vita in voluntate ejus.

Ad vesperum demorabitur fletus : et ad matutinum lætitia.

Ego autem dixi in abundantia mea : Non movebor in æternum.

Domine, in voluntate tua : præstitisti decori meo virtutem.

Avertisti faciem tuam a me : et factus sum conturbatus.

Ad te, Domine, clamabo : et ad Deum meum deprecabor.

Quæ utilitas in sanguine meo : dum descendo in corruptionem ?

Numquid confitebitur tibi pulvis : aut annuntiabit veritatem tuam ?

Audivit Dominus, et misertus est mei : Dominus factus est adjutor meus.

Convertisti planctum meum in gaudium mihi : conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia.

Ut cantet tibi gloria mea, et non compungar : Domine Deus meus, in æternum confitebor tibi. Gloria, etc.

Antiph. Dignus es, Domine, accipere librum, et aperire septem signacula ejus, quoniam occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo.

Capitulum [3].

Vidimus Jesum propter passionem mortis suæ gloria et honore coronatum, ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem.

Hymnus.

Qui pressura mortis dura
Solvisti nexus criminum,
Nos ad pacem duc veracem,
Jesu, corona virginum.
In flagellis potum fellis
Bibisti amarissime,
Pro peccatis perpetratis,
Æterne Rex altissime.
Tuæ genti recolenti
Tuæ mortis supplicium,
Da virtutem et salutem,
Christe Redemptor omnium.
In amara Crucis ara,
Fudisti rivos sanguinis,
Jesu digne, Rex benigne,
Consors paterni luminis.
Sanguis Christi, qui fuisti
Peremptor hostis invidi,

[1] *Joan.*, XIX, 30. — [2] *Hebr.*, II, 10. — [3] *Hebr.*, II, 9.
(*a*) *Cæt. edit.* tua passione.

Fac sitire, da venire
Ad cœnam agni providi. Amen.

℣. Disciplina pacis nostræ super eum. ℟. Quia livore ejus sanati sumus.

Ad Magn. *Antiphona.* Recessit pastor noster bonus, fons aquæ vivæ, quia animam suam posuit pro ovibus suis, et pro suo grege mori dignatus est. Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui hora diei vespertina discipulis tuis corporis et sanguinis tui tradidisti mysteria, et de cruce positus (*a*) es, depone mentis nostræ vitia et perpetrata scelera, ut cum pura conscientia eadem sumamus mysteria, ut sint nobis in remedium hic et in perpetuum. Qui vivis et regnas, etc.

Commemoratio Virginis.

Antiphona. Regina clementiæ, virgo mater Christi, cum videres filium tuum in cruce mori, nullus dolor similis tuo dolori.

℣. Quæ matris angustias posset lingua fari? ℟. Cum videret filium in cruce clavari.

Oratio.

Domine Jesu Christe, Virginis Mariæ fili dulcissime, qui cum proditore cœnasti, deinde captus viliter tractus fuisti; præsta, quæsumus, ut qui tibi et tuæ sanctissimæ genitrici compatimur, vobiscum manere sine termino mereamur. Qui vivis et regnas, etc.

AD COMPLETORIUM.

℣. Converte nos, Deus. ℟. Et averte. ℣. Deus, in adjutorium. *Antiphona.* Plangent eum.

Psalmus 87.

Domine Deus salutis meæ : in die clamavi et nocte coram te.

Intret in conspectu tuo oratio mea : inclina aurem tuam ad precem meam.

Quia repleta est malis anima mea : et vita mea inferno appropinquavit (*b*).

Æstimatus sum cum descendentibus in lacum : factus sum sicut homo sine adjutorio inter mortuos liber.

Sicut vulnerati dormientes in sepulcris, quorum non es memor amplius; et ipsi de manu tua repulsi sunt.

Posuerunt me in lacu inferiori : in tenebrosis et in umbra mortis.

Super me confirmatus est furor tuus; et omnes fluctus tuos induxisti super me.

Longe fecisti notos meos a me : posuerunt me abominationem sibi.

Traditus sum, et non egrediebar : oculi mei languerunt præ inopia.

Clamavi ad te, Domine : tota die expandi ad te manus meas.

Numquid mortuis facies mirabilia : aut medici suscitabunt, et confitebuntur tibi?

Numquid narrabit aliquis in sepulcro misericordiam tuam : et veritatem tuam in perditione?

Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua : et justitia tua in terra oblivionis?

Et ego ad te, Domine, clamavi : et mane oratio mea præveniet te.

Ut quid, Domine, repellis orationem meam : avertis faciem tuam a me?

Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea : exaltatus autem, humiliatus sum et conturbatus.

In me transierunt iræ tuæ : et terrores tui conturbaverunt me.

Circumdederunt me, sicut aqua, tota die : circumdederunt me simul.

Elongasti a me amicum et proximum : et notos meos a miseria. Gloria Patri, etc.

Antiphona. Plangent eum quasi unigenitum, quia innocens Dominus occisus est.

Hymnus.

Qui jacuisti mortuus,
In petra Rex innocuus,
Fac nos in te quiescere,
Sanctamque vitam ducere.
Succurre nobis, Domine,
Quos redemisti sanguine :
Et duc nos ad cœlestia
Æternæ pacis gaudia.
Laus, honor, Christo vendito, etc.

Capitulum [1].

Christo in carne passo, et vos eadem cogitatione armamini.

℣. Et factus est in pace locus ejus.

℟. Et habitatio ejus in Sion.

Ad Nunc. *Antiphona.* Salvator mundi, salva nos, qui per crucem et sanguinem redemisti

[1] I *Petr.*, IV, 1.

(*a*) *Leg.* depositus.— (*b*) *Cæt. edit.* appropinquabit.

nos; auxiliare nobis; te deprecamur, Deus noster. Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison. Pater noster. ℣. Domine, exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oratio.

Domine Jesu Christe, cujus sudor hora Completorii præ tristitia animæ factus est sanguineus, et es sepultus, a mulieribus es lamentatus, aufer a nobis tristitiam, et da veram lætitiam, et a vanitate sæculi nos veraciter sepeli : et educ de oculis nostris lacrymas piæ compassionis, ut dum deflemus tua, a te consolari mereamur hic et in cœlesti curia. Qui vivis, et regnas, etc.

PHILOMELA (a)[1]

ARGUMENTUM

(*Ex editione Vaticana* an. 1596.)

Philomela propterea Opusculum hoc inscribitur, quia multa sunt hujus avis propria, quæ sanctus Bonaventura mirifice transfert ad devotam animam, quæ sanctissimis meditationibus veluti dulcissimis Philomelæ cantibus resonans, Salvatoris nostri Jesu Christi vitam, et ab eo in nos singularia beneficia collata, jugiter contemplatur.

Philomela prævia temporis amœni,
Quæ recessum nuntias imbris atque cœni,
Dum mulcescis animos tuo cantu leni,
Ave prudentissima, ad me, quæso, veni.
Veni, veni, mittam te quo non possum ire,
Ut amicum valeas cantu delinire,
Tollens ejus tristia voce dulcis lyræ,
Quem, heu! modo nescio verbis convenire.
Ergo pia suppleas meum imperfectum,
Salutando dulciter unicum dilectum,
Eique denunties, qualiter affectum
Sit cor meum jugiter ejus ad aspectum.
Quod si quærat aliquis quare te elegi,
Meum esse nuntium sciat, quia legi
De te quædam propria, quæ divinæ legi
Et optato munere placent summo Regi.
Igitur, charissime, audi nunc attente :
Nam si cantus volucris hujus serves mente,
Ejus imitatio, Spiritu docente,
Te cœlestem musicum faciet repente.
De hac ave legitur, quod cum deprehendit
Mortem sibi propiam, arborem ascendit,
Summoque diluculo rostrum sursum tendit,
Diversisque cantibus totam se impendit.
Cantilenis dulcibus prævíat auroram;
Sed cum dies rutilat circa primam horam,
Elevat prædulcius vocem insonoram,
In cantando nesciens pausam, sive moram.
Circa vero tertiam quasi modum nescit,
Quia semper gaudium cordis ejus crescit;
Vere guttur rumpitur, sic vox invalescit,
Et quo cantat altius, plus et inardescit.
Sed cum in meridie sol est in fervore,
Tunc dirumpit viscera nimio clamore;
Oci, oci, clamitat illo suo more,
Sicque sensu deficit cantus præ labore.
Sic quassato organo hujus Philomelæ,
Rostro tamen palpitans fit exanguis pene;
Sed ad nonam veniens moritur jam plene,
Cum totius corporis dirumpuntur venæ.
Ecce, dilectissime, breviter audisti
Factum hujus volucris : sed si meministi,
Diximus jam primitus, quia cantus isti
Mystice conveniunt legi Jesu Christi.
Restat, ut intelligo, esse Philomelam
Animam virtutibus et amore plenam,
Quæ dum mente peragrat patriam amœnam,
Satis delectabilem texit cantilenam.
Ad augmentum etenim suæ sanctæ spei,
Quædam dies mystica demonstratur ei;
Porro beneficia, quæ de manu Dei
Homo consecutus est, sunt horæ diei.
Mane, vel diluculum, hominis est status
In quo mirabiliter homo est creatus;
Hora prima, quando est Deus incarnatus;
Tertiam dic spatium sui incolatus.
Sextam, cum a perfidis voluit ligari,

[1] *Cf.* Edit. Argentin. an. 1495, part. II; edit. Vatic., an. 1596, tom. VI, pag. 445; edit. Ven. an. 1611, tom. II; edit. Lugd. an. 1647, tom. I, pag. 447; edit. Ven. an. 1754, tom. XIII, pag. 338.

(a) *Ita Codex ms. monast. Alnensis prope Leodiam in Belgio, et ratio idem postulare videtur. Cæt. edit.* Philomena, *et sic deinceps.*

Trahi, cædi, conspui, dire cruciari,
Crucifigi, denique clavis terebrari,
Caputque sanctissimum spinis coronari.
Nonam dic cum moritur, quando consummatus
Cursus est certaminis, quando superatus
Est omnino zabulus, et hinc conturbatus;
Vespera, cum Christus est sepulturæ datus.
Diem istum anima meditans in hortis,
Suæ facit terminum spiritualis mortis,
Scandens crucis arborem, in qua leo fortis
Vicit adversarium fractis portis mortis.
Statim cordis organa sursum elevando,
Suum a diluculo cantum inchoando,
Laudat, et glorificat Deum, replicando,
Sibi quam mirificus fuit hanc creando.
Pie, inquit, Conditor, quando me creasti,
Quam sit tua pietas larga declarasti;
Nam consortem gloriæ tuæ cogitasti
Facere gratuite, gratis quam amasti.
O quam mira dignitas mihi est concessa,
Cum imago Domini mihi est impressa:
Sed crevisset amplius dignitas possessa,
Nisi jussum Domini fuissem (*a*) transgressa.
Nam tu, summa charitas, tibi cohærere
Me volebas jugiter, sursumque habere
Dulce domicilium, tecumque manere,
Et me velut filiam alere, docere.
Ex tunc disposueras in id adunare
Cælicis agminibus, teque mihi dare;
Sed pro tanta gratia quid recompensare
Possum, prorsus nescio, nisi te amare.
Unica suavitas, unica dulcedo,
Cordium amantium salutaris prædo,
Totum quidquid habeo, vel sum, tibi dedo,
Denique depositum meum tibi credo.
Oci, cantat tale cor gaudens in pressura,
Dicens, quia dignum est, ut a creatura
Diligatur opifex talis mente pura,
Ei cum extiterit de se tanta cura.
Sic mens hoc diluculum transit meditando;
Sed ad primam transferens vocem exaltando,
Tempus acceptabile pie ruminando,
In quo venit Dominus, carne se velando.
Tunc liquescit anima tota per amorem,
Pavida considerans omnium auctorem,
Vagientem puerum juxta nostrum morem,
Et curare veterem velle se languorem.
Plorans ergo clamitat. O fons pietatis,
Quis te pannis induit diræ paupertatis?
Tibi quis consuluit sic te dare gratis,
Nisi zelus vehemens, ardor charitatis?
Digne zelus vehemens est hic ardor dictus,
Cujus est dominio Rex cœlorum victus,
Cujus sanctis vinculis captus et constrictus,
Pauperis infantuli pannis est amictus.
O prædulcis parvule puer sine pari,
Felix, cui datum est te nunc amplexari,
Pedes, manus lambere, flentem consolari,
Tuis in obsequiis jugiter morari!
Heu me! cur non licuit mihi demulcere
Vagientem parvulum et cum flente flere,
Illos artus teneros sive confovere,
Ejusque cunabulis semper assidere?
Puto, pius parvulus hæc non abhorreret;
Imo more parvuli forsan arrideret,
Et flenti pauperculo fletu condoleret,
Et peccanti facile venia faveret.
Felix, qui tunc temporis matri singulari
Potuisset precibus ita famulari,
Ut in die sineret semel osculari
Suum dulcem parvulum, eique jocari.
O quam libens balneum ei præparassem!
O quam libens humeris aquam apportassem!
In hoc libens Virgini semper ministrassem,
Pauperisque parvuli pannulos lavassem.
Sic affecta pia mens sitit paupertatem,
Cibi parcimoniam, vestis vilitatem;
Labor ei vertitur in jucunditatem,
Vilem esse sæculi dicit venustatem.
Ergo sic infantiam Christi retexendo,
Horæ primæ canticum strenue canendo,
Transitum ad tertiam facit recolendo,
Quantum Christus passus est, homines docendo.
Tunc cum fletu recitat illius labores,
Sitim, famem, frigora, æstus et sudores,
Quæ (*b*) dignanter pertulit propter peccatores,
Dum illorum voluit innovare mores.
Vox amoris flatibus tota concremata,
Ocì, oci, clamitat avis hæc beata,
Mundo mori cupiens, cujus via (*c*) lata;
Cui fœtet sæculum, sic est delicata.
Clamas ergo, Domine, dulcis prædicator,
Exulum refugium, pauperum amator,
Qui es (*d*) pœnitentium pius consolator:
Post te debent currere justus et peccator:
Justi quippe regula vitæ es doctrina,
Peccatorum speculum mira disciplina,
Fessis et debilibus efficax resina,
Ægris et languentibus potens medicina.
Primus in hoc sæculo charitatis scholam
Instaurasti, quærere docens Dei solam

(*a*) *Cæt. edit.* fuisset. — (*b*) *Item* qui. — (*c*) *Item* vita. — (*d*) *Item* est.

Gloriam, deponere gravem mundi molam,
Et sic posse perditam rehabere stolam.
Sed hanc stolam temere mundus irridebat,
Spernens et annihilans quidquid promittebat;
Tua vero bonitas vices non reddebat,
Imo pœnitentibus totum ignoscebat.
Quippe cui proprium erat misereri,
Diligi desiderans, magis quam timeri;
Sed verba, non verbera, proferens, austeri
Præceptoris noluit more revereri.
Hæc in adulterio novit deprehensa,
Quam sit tua pietas, scilicet immensa :
Magdalena sensit hoc, cum ei offensa
Est dimissa, multiplex gratia impensa.
Et quid multa dicerem? quot sunt consecuti
Ejus magisterium, a suis abluti
Vitiis, sunt moribus optimis imbuti,
Et ab hostis invidi fraude facti tuti!
Felix, cui licuit sub hoc præceptore
Conversari jugiter, et ab ejus ore
Mel cœleste sugere, cujus præ dulcore
Amarescunt cætera, plena sunt fœtore.
Hæc et multa talia dum mens meditatur,
Ad reddendas gratias tono præparatur,
Ad laudandum Dominum magis inflammatur,
Sicque horæ tertiæ cantus terminatur.
Oci, oci, anima clamat in hoc statu,
Crebro fundens lacrymas sub hoc incolatu,
Laudans et glorificans magno cum conatu
Christum, qui tot pertulit suo pro reatu.
In hac hora anima ebria videtur;
Sed circa meridiem calor cum augetur,
Ut amoris stimulis magis perforetur,
Mox ab illa passio Christi recensetur.
Plorans ergo respicit Agnum delicatum,
Agnum sine macula, spinis coronatum,
Lividum verberibus, clavis perforatum,
Per tot loca lateris fossa cruentatum.
Tunc exclamat pia mens, oci, cum lamentis;
Oci, oci miseram! quia meæ mentis
Turbat statum pallidus vultus morientis,
Et languentes oculi in cruce pendentis.
Siccine decuerat, inquit, te benignum
Agnum, mortis exitum pati tam indignum?
Sed sic disposueras vincere malignum,
Et hoc totum factum est ob amoris signum.
Hæc amoris signa sunt, et postrema primis
Copulans associat, summa figens imis,
Monstrans ut, sic moriens, nos amares (*a*) nimis,
Dum te totum funderes tot apertis rimis.

Tu amicus novus es, tu es novum mustum;
Sic te vocat sapiens, et est satis justum;
Totus enim Filius, reddens dulcem gustum,
Fundit (*b*) carnis dolium, licet vas venustum.
Tantis signis pœnitens monitus jam credat,
Quod præcordialiter Christus ei se dat.
Ista signa recolam, ne me Satan lædat;
Nam peccati rabiem nihil ita sedat.
Ista signa recolens, oci, oci, clamo,
Dulcis Jesu, querulor, quod te minus amo;
Stringi tamen cupio disciplinæ camo (*c*),
Sicut pro me captus es charitatis hamo.
Quantum hamum charitas tibi præsentavit,
Mori cum pro homine te sollicitavit!
Sed et esca placida hamum occupavit,
Cum lucrari animas te per hoc monstravit.
Te quidem aculeus hami non latebat;
Sed illius punctio te non deterrebat;
Imo hunc impetere tibi complacebat,
Quia desiderium escæ attrahebat.
Ergo pro me misera, quam tu dilexisti,
Mortis in aculeum sciens impegisti,
Cum te Patri victimam sanctam obtulisti,
Et in tuo sanguine sordidam lavisti.
Quis miretur igitur, pro te si suspiro,
Juncta sine meritis tam zelanti viro;
Nam affectum alit is (*d*) meum modo miro,
Pro me vitam finiens exitu tam diro.
Vere jam non debeo tantum suspirare;
Imo juxta verbum Job [1], carnes (*e*) lacerare,
In caverna lateris nidulum parare,
Et extremum spiritum illic exhalare.
Plane, nisi moriar tecum, non quiescam;
Oci, oci, clamitans nunquam conticescam;
Ab hoc desiderio vere non tepescam,
Quantumcumque sæculo propter hoc vilescam.
Tunc ut demens clamitat: Veniant lanistæ,
Qui affigant miseram cruci tuæ, Christe.
Erit enim exitus mihi dulcis iste,
Sic amplector moriens propriis ulnis te.
Vere sic, non aliter rabies doloris,
Qua cor meum singulis terebratur horis,
Deliniri poterit, nisi tu, dulcoris
Fons abundans, medicus mei sis doloris.
Plane dulcis medicus es, qui nunquam pungis,
Sed a corde vitium leniter emungis;
Nam quos tibi firmiter per amorem jungis,
Tuis charismatibus semper eos ungis.

[1] *Job*, XIII, 14.

(*a*) *Cæt. edit.* animales. — (*b*) *Item* fundens. — (*c*) *Item* chamo. — (*d*) *Item* alitis. — (*e*) *Item* crines

Heu, quam damnabiliter mundus est cæcatus,
Qui cum sit ab hostibus dire vulneratus,
Hunc declinat medicum, cum sit (*a*) præparatus,
Languido aperiens suum dulce latus!
Heu, cur beneficia Christi passionis
Penes te memoriter, homo, non reponis?
Per hanc enim rupti sunt laquei prædonis;
Per hanc Christus maximis te ditavit bonis.
Suo quippe corpore languidum te pavit,
Quem in suo sanguine gratis balneavit;
Demum suum dulce cor tibi denudavit,
Ut sic innotesceret quantum te amavit.
O quam dulce balneum, esca quam suavis,
Quæ sumenti digne fit Paradisi clavis!
Et ei quem reficis nullus labor gravis,
Licet sis fastidio cordibus ignavis.
Cor ignavi siquidem minime perpendit,
Ad quid Christus optimum suum cor ostendit
Super alas positum crucis; nec attendit,
Quod reclinatorii vices hoc prætendit.
Hoc reclinatorium quoties monstratur,
Piæ menti toties ei glutinatur,
Sicut et accipiter totus inescatur
Super carnem rubeam, per quam revocatur.
Post hoc clamat anima quasi dementata :
O reclinatorium, caro cruentata
Per tot loca propter me, cur non vulnerata
Tecum sum; dum moreris, non sum colligata?
Licet tamen miseræ sit istud negatum,
Mihi quidem eligam novum cruciatum,
Gemitum videlicet, jugemque ploratum,
Donec mundi deseram gravem incolatum.
Post hæc dulcis anima plus et plus fervescens,
Sensu toto deficit : corpore tabescens,
Jam vix loqui sufficit; sed affectu crescens,
Suo lecto decubat, utpote languescens.
Ergo dulcis gutturis organo quassato,
Lingua tantum palpitans, sonitu sublato;
Sed pro verbis pia mens fletu compensato,
Lamentatur Dominum corde sauciato.
Sic languenti siquidem nil nisi plorare
Libet, et satagere corde suspirare.
Suos enim oculos nescit revocare
A Christi vulneribus, aut cor separare.
Sic est autem animus illius illectus,
Quasi ei præsens sit moriens dilectus;
Et a cruce minime retrahit aspectus,
Quia ibi oculus, ubi est affectus.
Gemitus, suspiria, lacrymæ, lamenta,
Sibi sunt deliciæ, cibus, alimenta,
Quibus nova martyr est interimenda (*b*),
Sic suo martyrio præbent incrementa.
In hoc statu respuit quidquid est terrenum,
Mundique solatium reputat venenum;
Sed ad nonam veniens moritur ad plenum,
Cum amoris impetus carnis rumpit filum.
Nam cum, *Consummatum est*, recolit clamasse
Hora nona Dominum, et sic expirasse,
Quasi simul moriens clamat penetrasse
Vocem istam suum cor, atque lacerasse.
Ferre tandem impotens jaculum tam forte,
Moritur, ut dictum est, sed felici morte;
Nam panduntur protinus ei cœli portæ,
Dignam ut intelligat se sanctorum sorte.
Requiem pro anima tali non cantamus,
Imo est introitus Missæ *Gaudeamus*,
Quia si pro martyre Deum exoramus,
Ut decretum loquitur [1], sancto derogamus.
Eia, dulcis anima; eia, dulcis rosa,
Lilium convallium, gemma pretiosa,
Cui carnis fœditas extitit exosa,
Felix tuus exitus, morsque pretiosa.
Felix, quæ jam frueris requie cupita,
Inter Sponsi brachia dulciter sopita,
Ejusque spiritui firmiter unita,
Ab eodem percipis oscula mellita.
Jam quiescunt oculi, cessant aquæductus;
Nam aperte percipis spei tuæ fructus;
Quia per quem sæculi evasisti fluctus,
Tuos inter oscula consolatur luctus.
Dic, dic, dulcis anima, ad quid ultra fleres?
Habens cœli gaudium tecum, cur lugeres?
Nam salus (*c*) est omnium, cui tu adhæres;
Et si velles amplius, certe non haberes.
Sed jam metrum finio, ne sim tædiosus;
Nam si vellem scribere quam deliciosus
Sit hic status animæ, quamque gloriosus,
A malignis dicerer fallax et mendosus.
Quidquid tamen alii dicant (*d*), frater chare,
Istum novum martyrem libens imitare;
Cumque talis fueris, Christum deprecare,
Ut te cantus martyrum doceat cantare.
Frequentemus canticum istud, soror pia,
Ne nos frangat tædio vitæ hujus via;

[1] Aug., *de verb. Apost.*, serm. XVII, al. CLIX, n. 1, et refertur Decretal. lib. III, tit. *de celebrat. Miss.*, c. *Cum Mart.*, § ult.

(*a*) *Cæt. edit.* assit. — (*b*) *Item* interim inventa. — (*c*) *Item* solus.— (*d*) *Item* dicunt.

Nam lætantem animam in hac melodia,
Post hanc vitam suscipit Jesus et Maria
Ergo, soror, tuum cor ita citharizet,
Se baptizet lacrymis, planctu martyrizet,
Christo totis viribus sic nunc organizet,
Ut cum Christo postea semper solemnizet.

Tunc cessabunt gemitus et planctus dolorum,
Cum adjuncta fueris choris angelorum;
Nam cantando transies ad cœlestem chorum,
Nupta felicissimo Regi sæculorum.
Amen.
Deo gratias.

OPUS CONTEMPLATIONIS [1]

ARGUMENTUM

(*Ex edit. Vaticana* an. 1596.)

Meditationum libellus, sive Opus Contemplationis huic Opusculo nomen est : in quo meditationes devotæ et piæ per singulas hebdomadæ ferias ita distributæ sunt, ut speciales materiæ, miro brevitatis artificio, unicuique feriæ aptatæ ad contemplandum proponantur : quatenus fidelis homo in his se exercens, sic tempus redimat in via, ut æternæ libertatis præmio postea perfruatur in patria.

Flores et fructus arboris sanctissimæ vitæ (*a*).

Feria secunda.

Flos primus : Jesus ineffabilis persona Trinitatis.

Ad Matutinum, tres fructus attende :

Personarum Trinitatem, in essentia Divinitatis;

Personarum æqualitatem, in excellentia Majestatis;

Personarum æternitatem, in permanentia Immutabilitatis.

Flos secundus : Jesus actor mirabilis in omnibus creatis.

Ad Primam, tres fructus attende :

Dei potentiam, in rerum creatione ;

Dei sapientiam in ipsarum ordinatione ;

Dei benevolentiam in universa (*b*) perfectione.

Flos tertius : Jesus factor amabilis humanæ dignitatis.

Ad Tertiam, tres fructus attende :

Angelicam divisionem, in status differentia;

Humanam transgressionem, in tentationis violentia;

Divinam retributionem, in meritorum exigentia.

Flos quartus : Jesus promissus patribus, Salvator desperatis.

Ad Sextam, tres fructus attende :

Humanam calamitatem, in multa deordinatione ;

Dæmonis importunitatem, in multa persecutione ;

Divinam pietatem, in frequenti repromissione.

Flos quintus : Jesus promotor providus maternæ dignitatis.

Ad Nonam, tres fructus attende :

Mariæ mirabilem conceptionem, absque inquinatione ;

Puellæ mirabilem educationem, in templum oblatione ;

Virginis mirabilem desponsationem, Joseph copulatione.

Flos sextus : Jesus aulam ingrediens clausæ virginitatis.

Ad Vesperas, tres fructus attende :

Trinitatis dignationem, in condescensione ;

Angeli salutationem, cum devotione ;

Mariæ responsionem, humili submissione.

Flos septimus. : Jesus Joannem visitans, utrisque nondum natis.

Ad Completorium, tres fructus attende :

Puerorum convenientium in utero exultationem;

Matrum occurrentium in mysterio congratulatione ;

Patrum audientium mysterii admirationem.

[1] *Cf.* Edit. Argentin. an. 1495; part. II edit. Vatic., an. 1596, tom. VI, pag. 440; edit. Ven. an. 1611, tom. II; edit. Lugd. an. 1647, tom. I, pag. 442; edit. Ven., an. 1754, tom. XIII, pag. 329.

(*a*) Titulus ille non habet locum, nisi ad feriam tertiam, in cæteris edit.— (*b*) *Leg.* universi.

Oratio.

Ave, Jesu, Verbum Dei,
Factor orbis, salus rei,
Promissus divinitus,
Honor matris, incarnatus,
De Maria nondum natus,
Præcursori agnitus.

Feria tertia (*a*).

Flos primus : Jesus, mundum ingrediens, in Bethleem est natus.

Ad Matutinum, tres fructus attende :

Naturarum convenientium diversitatem ;

Circumstantiarum concurrentium congruitatem ;

Miraculorum attestantium novitatem.

Flos secundus : Jesus cultro vim patiens, ab avo (*b*) sic vocatus.

Ad primam, tres fructus attende :

Legis gravem rigorem, in sua observatione ;

Pueri magnum honorem, in nominis impositione ;

Parentum magnum dolorem, in pueri circumcisione.

Flos tertius : Jesus Magis, sol oriens, per stellam est monstratus.

Ad Tertiam, tres fructus attende :

Magorum magnam diligentiam, pro puero videndo ;

Judæorum magnam insipientiam, quod norunt refellendo ;

Piorum magnam indigentiam, defectum sustinendo.

Flos quartus : Jesus cum pare turturum legaliter oblatus.

Ad Sextam, tres fructus attende :

Offerentium miram humilitatem, et devotionem ;

Oblatorum miram dignitatem, et significationem ;

Recipientium miram jucunditatem, et exultationem.

Flos quintus : Jesus, occisis pueris, in Ægyptum fugatus.

Ad Nonam, tres fructus attende :

Herodis et Judæorum æmulationem, Christum persequendo ;

Puerorum et matrum ejulationem, in pueros perdendo ;

Piorum exultationem, in Ægyptum fugiendo.

Flos sextus : Jesus in templo perditus, paret matri vocatus.

Ad Vesperas, tres fructus attende :

Jesu mirabilem sapientiam, in Judæos docendo ;

Parentum inconsolabilem diligentiam, in puerum quærendo ;

Filii imitabilem obedientiam, piam matrem sequendo.

Flos septimus : Jesus (*c*) Jordanis flumine (*d*), Joanne baptizatus.

Ad Completorium, tres fructus attende :

Baptizati sublimem dignitatem, in lato testimonio ;

Baptistæ profundam humilitatem, in suo præconio ;

Baptismatis grandem sanctitatem, in suo mysterio.

Oratio.

Ave, Jesu puer natus,
Circumcisus, visitatus
A Magis, legaliter
Immolatus, effugatus,
Matri parens, baptizatus
In aqua realiter.

Feria quarta (*e*).

Flos primus : Jesus in deserto abstinens, a dæmone tentatur.

Ad Matutinum, tres fructus attende :

Jesu abstinentiam, in corporis domatione ;

Jesu sapientiam, in hostis confutatione ;

Jesu reverentiam, in angelorum ministratione.

Flos secundus : Jesus notus discipulis, ad nuptias vocatur.

Ad Primam, tres fructus attende :

Jesu prudentiam, in discipulorum vocatione ;

Apostolorum obedientiam, in prompta imitatione ;

Matris benevolentiam, in vini procuratione.

Flos tertius : Jesus doctor circuiens, labore fatigatur.

Ad Tertiam, tres fructus attende :

Doctorem veracissimum, moribus et sermone

Laborem gravissimum, in circuitione ;

Populum rudissimum, in informatione.

Flos quartus : Jesus pastor reficiens, a turbis frequentatur.

Ad Sextam, tres fructus attende :

Pastorem benignissimum, sollicitum pro grege ;

(*a*) Cæt. edit. *Feria tertia. Flores et Fructus oris sanctissimæ vitæ.* — (*b*) *Cæt. edit.* ævo. — (*c*) *Suppl.* in. — (*d*) *Item* a. — (*e*) Cæt. edit. add. *Flores et Fructus.*

Populum sollicitum, pro temporali rege;
Jesum laudis incurium, quæ fit humana lege.

Flos quintus : Jesus infirmos medicans, a scribis reprobatur.

Ad Nonam, tres fructus attende :

Medici diligentiam, medicinam gratis dantis;
Morbi pestilentiam, quotidie augmentantis;
Infirmi negligentiam, medicinam non curantis.

Flos sextus : Jesus naturæ imperans, dæmoniis minatur.

Ad Vesperas, tres fructus attende :

Jesu miram potentiam, quæ dæmones coegit;
Rerum obedientiam, quas præcepto subegit;
Miram experientiam illorum quos elegit.

Flos septimus : Jesus coram discipulis (*a*) monte transfiguratur.

Ad Completorium, tres fructus attende :

Testium auctoritatem, in visu et sermone;
Jesu magnam claritatem, in transfiguratione;
Discipulorum jucunditatem, in dicta visione.

Oratio.

Ave, Jesu in deserto
Degens, vocans in aperto
Pastores, et prædicans,
Turbam pascens, ægros curans,
Dæmoniacos conjurans,
Monte te clarificans.

Feria quinta (*a*).

Flos primus : Jesus jumento insidens, plorat rex honoratus.

Ad Matutinum, tres fructus attende :

Jesu miram humilitatem, in ejus asinatione;
Turbæ obsequiositatem, in processione;
Urbis tantæ calamitatem, in lacrymatione.

Flos secundus : Jesus, templum ingrediens, mensas vertit iratus.

Ad Primam, tres fructus attende :

Jesu exemplaritatem, in templi visitatione;
Jesu dignam auctoritatem, in Pharisæorum confutatione;
Jesu amandam pietatem, in adulteræ defensione.

Flos tertius : Jesus suscitans Lazarum, a Martha hospitatus.

Ad Tertiam, tres fructus attende :

Judæorum ingratitudinem, in esurientis expulsione;
Sororum amaritudinem, in Lazari suscitatione;
Jesu miram gratitudinem, in hospitæ consolatione.

Flos quartus : Jesus, in domo Simonis, unctus donat reatus.

Ad Sextam, tres fructus attende :

Mariæ pœnitentiam, in publica contritione;
Pharisæi falsam reverentiam, in Jesu reprehensione;
Jesu piam sententiam, in peccatricis excusatione.

Flos quintus : Jesus matris suspiria solatur perturbatus.

Ad Nonam, tres fructus attende :

Matris desolationem, cum pia supplicatione;
Filii consolationem, cum pia excusatione;
Discipulorum compassionem, cum pia admiratione.

Flos sextus : Jesus a Juda venditus, a Judæis damnatus.

Ad Vesperas, tres fructus attende :

Judæ cupiditatem, in magistri venditione;
Judæorum iniquitatem, in sua æmulatione;
Jesu longanimitatem, in humili permissione.

Flos septimus : Jesus in cœna serviens, suis panis sacratus.

Ad Completorium, tres fructus attende :

Charitatis beneficium, in Jesu ministratione;
Pravitatis veneficium, in Judæ obstinatione;
Pietatis exercitium, in discipulorum devotione.

Oratio.

Ave, Jesu suscitator,
Unctus, culpæ relaxator,
Rex asello insidens,
Zelum habens, consolator
Matris, venditus, sacrator
Panis, cœnam faciens.

Feria sexta (*b*).

Flos primus ; Jesus orans circumdatus, captus et subsannatus.

Ad Matutinum, tres fructus attende :

Jesu processum dolorosum, in pœnæ prægustatione;
Luporum accessum dolosum, in Agni captione;
Discipulorum recessum timorosum, in Magistri derelictione.

Flos secundus : Jesus coram judicibus, spretus et accusatus.

(*a*) *Suppl.* in.— (*b*) Cæt. edit. add. *Flores et Fructus.*

Ad Primam, tres fructus attende :
Pharisæorum iniquitatem, in sua inquisitione;
Jesu miram humilitatem, in sua responsione;
Discipulorum anxietatem, in Magistri persecutione.

Flos tertius : Jesus flagellis lividus, consputus, coronatus.

Ad Tertiam, tres fructus attende :
Jesu innocentiam, sine excusatione;
Judicum sententiam, sine ratione:
Malorum truculentiam, sine miseratione.

Flos quartus : Jesus damnatus, crucifer, est cruci conclavatus.

Ad Sextam, tres fructus attende :
Patientis violentiam in triplici gravitate;
Pendentis irreverentiam, in nefanda societate;
Miram impœnitentiam gentis obstinatæ.

Flos quintus : Jesus morte mirabilis, agnus Patri oblatus.

Ad Nonam, tres fructus attende :
Quam pie Jesus condidit in cruce testamentum;
Quam libere se obtulit Patri per tormentum;
Quam grande mundi pertulit machina lamentum.

Flos sextus : Jesus, aperto latere, de cruce (*a*) declavatus.

Ad Vesperas, tres fructus attende :
Corpus pendens exanime, absque omni decore;
Aquam, aperto latere, fluentem cum cruore;
Corpus de crucis stipite tollentes cum mœrore.

Flos septimus : Jesus unctus cum lacrymis, in tumulo locatus.

Ad Completorium, tres fructus attende :
Materna desideria, in corporis observatione;
Devota ministeria, in sepulcri præparatione;
Planctus et suspiria, in corporis tumulatione.

Oratio.

Ave, Jesu orans, prostratus,
Coram turbis accusatus,
Factus plagis lividus,
Agnus cruce elevatus,
Moriens, inde delatus,
In sepulcro positus.

Sabbato.

Flos primus : Jesus victor ad inferos, calcans hostes, transivit.

Ad Matutinum, tres fructus attende :
Salvatoris imperium in morte, triumphando;
Patrum desiderium, in Jesum expectando;
Angelorum ministerium, in (*b*) iter præparando.

Flos secundus : Jesus parentum vincula cum gaudio contrivit.

Ad Primam, tres fructus attende :
Inferni ululationem, in ejus fractione;
Dæmonum confusionem, in prædæ resignatione;
Patrum exultationem, in paradisi apertione.

Flos tertius : Jesus matri discipulos mœoribus univit.

Ad Tertiam, tres fructus attende :
Matris dolorem intimum, in lacrymas fundendo;
Fratrum timorem maximum, in simul (*c*) latendo;
Judæorum furorem pessimum, in sanctos persequendo.

Flos quartus : Jesus sui memoriam tormentis stabilivit.

Ad Sextam, tres fructus attende :
Loci vilitatem (*d*), in Jesum perdendo;
Tormentorum atrocitatem, in Christum puniendo;
Militum ferocitatem, in plagas inferendo.

Flos quintus : Jesus testes multiplices post mortem acquisivit.

Ad Nonam, tres fructus attende :
Judæorum disceptationem, in signis quæ viderunt;
Mortuorum resurrectionem, qui apparuerunt;
Fidelium confirmationem, qui Christo crediderunt.

Flos sextus : Jesus fervorem Magdalenæ et omnium præscivit.

Ad Vesperas, tres fructus attende :
Discipulorum reverentiam, in matris consolatione;
Mulierum diligentiam, in unguenti præparatione;
Militum insipientiam, in sepulcri munitione.

Flos septimus : Jesus, solutis patribus, ad tumulum redivit.

Ad Completorium, tres fructus attende :
Patrum piam provisionem, in tumuli regressione;
Corporis glorificationem, in ejus reassumptione;
Custodum comfutationem, in lapidis amotione.

(*a*) *Cæt. edit.* est cruci. — (*b*) *Cæt. edit. deest* in. — (*c*) *Cæt. edit.* insimul. — (*d*) *Item* utilitatem.

Oratio.

Ave, Jesu (*a*), mors leænæ,
Salus (*b*) orbis, planctus plene
Linquens testimonium
In tormentis crucis (*c*) plene,
Ne pereat (*d*) Magdalenæ
Spes, resumens tumulum.

Dominica die (*e*).

Flos primus : Jesus surgens apparuit suis glorificatus.

Ad Matutinum, tres fructus attende :

Discipulorum anxietatem, in Jesu recordatione;
Magistri benignitatem, in frequenti apparitione;
Omnium jucunditatem, in crebra confortatione.

Flos secundus : Jesus scandit ad dexteram Patris, Rex honoratus.

Ad Primam, tres fructus attende :

Amorosam dilectionem, dum suos consolatur;
Dolorosam afflictionem, dum Jesus separatur;
Angelorum congratulationem, dum Jesus exaltatur.

Flos tertius : Jesus, emisso Spiritu, per orbem prædicatus.

Ad Tertiam, tres fructus attende :

Donorum magnitudinem, ad piorum confortationem;
Linguarum multitudinem, ad fidei prædicationem;
Miraculorum valitudinem, ad gentium conversionem.

Flos quartus : Jesus super angelicos matrem exaltat status.

Ad Sextam, tres fructus attende :

Sanctorum diligentiam, in Dominæ (*f*) occursu;
Filii reverentiam, in materno amplexu;
Matris excellentiam, in Filii consessu.

Flos quintus : Jesus in cœli curia pro nobis advocatus.

Ad Nonam, tres fructus attende :

Jesu sollicitudinem, in nostra provisione;
Humanam ingratitudinem, in gratiarum actione;
Finis incertitudinem, in meriti (*g*) expectatione.

Flos sextus : Jesus Judex æquissimus, Rex omnibus prælatus.

Ad Vesperas, tres fructus attende :

Infallibilem veritatem, in dijudicando;
Invincibilem potestatem, in remunerando;
Inflexibilem æquitatem, in perseverando.

Flos septimus : Jesus Sanctorum gloria, finis desideratus.

Ad Completorium, tres fructus attende ;

Deliciarium abundantiam, cum vera tranquillitate;
Amicorum concordantiam, cum mera charitate :
Æternam perseverantiam, cum sincera jucunditate.

Oratio.

Ave, Jesu, surgens leo,
Scandens, mittens pro trophæo
Spiritum, glorificans
Matrem, judex justus, Deo
Patri astans pro me reo,
Finis beatificans. Amen.

(*a*) *Cæt. edit.* Jesus. — (*b*) *Item* Solus. — (*c*) *Item* in tormentis et. — (*d*) *Cæt. edit. add.* crux. — (*e*) Item *ad Matutinum.* — (*f*) *Cæt. edit.* Domini. — (*g*) *Leg.* mortis.

LAUDISMUS DE SANCTA CRUCE [1]

ARGUMENTUM

(Ex edit. Vatic.)

Laus ista de Cruce rhythmicæ consonantiæ leges exacte observat, eodem fere modo composita, quo prosa illa, sive sequentia, quam B. Thomas Aquinas modulatus est, et canit Ecclesia in festo Corporis Christi. Quam vero elegans in prosis modulandis fuerit Auctor noster, hæc una non obscurum argumentum præstat. Nam præter rhythmi observantiam, mysteriorum quoque sanctissimæ Crucis profunditatem dilucide enarratam complectitur, nosque ad recordationem et meditationem beneficiorum humano generi per Christi crucem collatorum adeo ardenter excitat, ut facile quisque intelligat, quam ex intimis cordis visceribus prosam hanc cecinerit Bonaventura sanctissimus.

Recordare sanctæ Crucis,
Qui perfectam vitam ducis,
Delectare jugiter.
Sanctæ Crucis recordare,
Et in ipsa meditare,
Insatiabiliter.
Stes in Cruce Christo duce
Donec vivis in hac luce
Modo proculdubio.
Non quiescas, non tepescas :
In hoc crescas, ut calescas
Cordis desiderio.
Ama Crucem, mundi lucem,
Et habebis Christum ducem
Per æterna sæcula.
Cruce corpus circumcinge,
Hanc constringe, manu pinge,
Consignando singula.
Cor in Cruce, Crux in corde,
Absque sorde sit cum sorde (*a*),
Quæ tranquillum faciat.
Lingua crux efficiatur,
Crucem promat et loquatur,
Et nunquam deficiat.
Crux in corde, crux in ore,
Quodam intimo sapore,
Det tibi dulcedinem.
Crux in membris dominetur,
Et ubique situetur
Intra totum hominem.
Cor a Cruce sorbeatur,
Et in illam rapiatur,
Amoris incendio.
Dissipata carnis rixa,
Mens sit tota crucifixa
Spiritali gaudio.
Specialem fer amorem
Et præcipuum honorem
Cruci salutiferæ.
Cum fervore medullarum,
Nixu virium tuarum,
Velis hanc diligere.
In præclara cruce stude,
Et in ipsa te reclude
Magna cum lætitia.
Christo sis confixus cruci,
Ut sic valeas perduci
Secum ad cœlestia.
Quære crucem, quære clavos,

[1] *Cf.* Edit. Argentin. an. 1495, part. II; edit. Vatic., an. 1596, tom. VI, pag. 443; edit. Ven. an. 1611, tom. II; edit. Lugd. an. 1647, pag. 445; edit. Ven., an. 1754, tom. XIII, pag. 335.

(*a*) *Cæt. edit.* corde. — (*b*) *Item* vitam.

Quære manus, pedes cavos,
Quære fossa lateris.
Ibi plaude, ibi gaude,
Sine fraude, summa laude,
Quantumcumque poteris.
Istud pactum non sit fractum;
Crux præcedat omnem actum,
Ut succedant prospera.
Crux est optima medela,
Contra Zabulonis tela
Valde salutifera.
Sis in Cruce Christi totus
Prompto animo devotus,
Jubilo dulcedinis.
Servum Dei Crux defendit,
Comprehendit et ostendit
Viam (*a*) rectitudinis.
Cum tentatus et afflictus,
Derelictus, quasi victus,
Et inter angustias :
Non sis piger neque lentus;
Sed sollicite intentus,
Cruce frontem munias.
Cum quiescis, aut laboras,
Quando rides, quando ploras,
Doles, sive gaudeas :
Quando vadis, quando venis,
In solatiis, in pœnis,
Crucem corde teneas.
Crux in omnibus pressuris,
Et in gravibus et duris,
Est totum remedium.
Crux in pœnis et tormentis,
Est dulcedo piæ mentis,
Et verum refugium.
Crux est porta Paradisi,
In qua Sancti sunt confisi,
Qui vicerunt omnia.
Crux est mundi medicina,
Per quam bonitas divina
Facit mirabilia.
Crux est salus animarum,
Verum lumen et præclarum,
Et dulcedo cordium.
Crux est vita beatorum,
Et thesaurus perfectorum.
Et decor et gaudium.
Crux est speculum virtutis,
Gloriosæ dux salutis,
Cuncta spes fidelium.
Crux est decus salvandorum,
Et solatium eorum
Atque desiderium.
Crux est navis, Crux est portus,
Crux deliciarum hortus,
In quo florent omnia.
Crux est fortis armatura,
Et protectio secura,
Conterens dæmonia.
Crux est arbor decorata,
Christi sanguine sacrata,
Cunctis plena fructibus,
Quibus animæ fruuntur (*b*),
Cum supernis nutriuntur
Cibis in cœlestibus.
O quam felix permanebis,
Nunc in Cruce si studebis,
Donec mundo vixeris!
Sine fine lætus eris,
Tu qui sanctam Crucem quæris,
Si perseveraveris.
Crucem quære, Crucem gere,
Christi Crucem intuere,
Ut amore langueas.
Summa fide Crucem vide,
Et plenissime confide,
Donec vitam habeas.
Circa Crucem exercere
Mentem (*c*) debes, huic placere,
Et hanc corde gerere.
Hoc est opus salutare,
Circa Crucem laborare
Corde, ore, et opere.
Recordare, frater pie,
Septem vicibus in die,
Passionis Domini,
Per quam sumus liberati,
Et æternæ vitæ dati,
Et supremo lumini.
Hanc si amas et honoras,
Dicas illi certas horas,
Adhibendo studium.
Horam Matutinam, Primam (*d*),
Trinam, Sextam, Vespertinam,
Nonam, Completorium.
Quando sedes, stas, et jaces,
Quando loqueris et taces,
Fessus cum quieveris :
Christum quæras in quo speras;
Crucifixum corde geras,
Ubicumque fueris.
Diligenter pone mentem

(*a*) *Cæt. edit.* Vitam. — (*b*) *Item* eruuntur. — (*c*) *Item* mente. — (*d*) *Item* primam matutinam.

Super Christum patientem
Et sibi condoleas.
Christi mortem, Christiane,
Plange sero atque mane,
Et in planctu gaudeas.
Quam despectus, quam dejectus
Rex cœlorum est effectus,
Ut salvaret sæculum !
Esurivit et sitivit,
Pauper et egenus ivit,
Usque ad patibulum.
Recordare paupertatis,
Et extremæ vilitatis,
Et gravis supplicii.
Si es compos rationis,
Esto memor passionis,
Fellis et absinthii.
Cum deductus est immensus,
Et in cruce tunc suspensus,
Fugerunt discipuli.
Manus pedes perfoderunt,
Et aceto potaverunt
Summum Regem sæculi :
Cujus oculi beati
Sunt in cruce obscurati,
Et vultus expalluit.
Suo corpori tunc nudo
Non remansit pulchritudo,
Decor omnis aufugit.
Propter hominum peccata,
Sua caro cruciata
Fuit inter verbera.
Membra sua sunt distenta
Propter aspera tormenta,
Et illata vulnera.
Inter magnos cruciatus
Est in cruce lacrymatus,
Et emisit spiritum.
Suspiremus et fleamus,
Toto corde doleamus,
Super unigenitum.

Qui hæc audis, ingemisce,
Et in istis planctum misce
Et cordis mœstitias.
Corpus ange, corde plange,
Mentem frange, manu tange
Christi manus saucias (*a*).
Virum respice dolorum,
Et novissimum virorum,
Fortem ad supplicia.
Tibi gratum sit et æquum
Jam in cruce mori secum,
Compati convitia.
Quando vides te afflictum,
Desolatum, ita victum,
Quasi deficias;
Christi cogites dolores,
Graves pœnas, et mœrores,
Sputa, contumelias.
Bone frater, quidquid agas,
Crucifixi vide plagas,
Et sibi compatere.
Omni tempore sint tibi
Quasi spiritales cibi;
His gaudenter fruere.
Crucifixe, fac me fortem,
Ut libenter tuam mortem
Plangam, donec vixero.
Tecum volo vulnerari,
Te libenter amplexari
In cruce desidero.
Da dolorem quasi rorem,
Ut te plorem Redemptorem
Christum, qui te renoves (*b*);
Non te plices (*c*), sed felices
Cicatrices mille vices
Tuas in te refoves (*d*).
Totum sit quod ego dixi,
Ad honorem crucifixi,
Ad laudem et gloriam :
Ut meorum peccatorum,
Gloriosus Rex cœlorum,
Mihi donet veniam.
Amen.

(*a*) *Cæt. edit.* mortis sævitias. — (*b*) *Forte leg.* me refoves. — (*c*) *Item* replices. — (*d*) *Item* in me renoves.

DE SEPTEM VERBIS DOMINI IN CRUCE [1]

ARGUMENTUM

(*Ex edit. Vatic.*)

Meditationes carmine exscriptas in septem verba, quæ Christus Dominus in cruce protulit, ita hoc Opusculo S. Bonaventura prosequitur, ut ad singula ex his septem verba, singularem quoque orationem adjungat omni affectus ardore ferventem.

Primum verbum.

Jesu, salutis hostia, salutis sacrificium;
Jesu, salutis gratia, salutis beneficium;
Jesu tuta fiducia, et tutum (*a*) refugium :
Tu pro humano genere, ut captivum redimeres;
Tu pro humano scelere, ut culpas nostras tolleres ;
Tu pro divino munere, ut nos Deo conjungeres,
Non recusasti vincula, non flagella, non verbera,
Non latronum patibula, non livores, non vulnera;
Sed dum te crux susciperet, et hostis in te fremeret,
Dum malleus percuteret, et clavus carnem scinderet,
Dum sensum dolor angeret, et sacer sanguis flueret,
Dum passio te premeret, angustiaque cresceret,
Patrem rogasti precibus, ut, tanquam ignorantibus,
Tuis ignoscat hostibus, ac te crucifigentibus,
Dicens [2] : *Pater, ignosce illis, quia nesciunt* (*a*) *quid faciunt.*

Oratio.

O mitis patientia, o mansueta mititas,
O immensa clementia, o immensa benignitas;
Qui, ut ovis mitissima, non promis querimoniam;
Qui, ut mater charissima, jam excusas injuriam;
Ut anima dulcissima, tenes benevolentiam;
Ut voluntas piissima, præbes misericordiam :
Ad te vadit spes animæ, ad te clamant suspiria,
Ad te decurrunt lacrymæ, et pulsant desideria,
Confidenter dicentia : Ignosce nobis, Domine.

Secundum verbum.

Jesu, largitor veniæ; Jesu, solamen tristium;
Jesu, laus pœnitentiæ; Jesu, spes pœnitentium :
Dum penderes innoxius, horum in pœna socius;
Dum te unus argueret, et stulte reprehenderet;
Dum insultans insurgeret, et blasphemando diceret [3] :
Si tu es Dei filius, salva (*c*) *temetipsum et nos;*
Esto tibi propitius, sicut salvasti alios :
Dum alter hunc corriperet, et hunc stultum ostenderet;
Dum se malum concederet, et te justum assereret;

[1] *Cf.* Edit. Argentin. an. 1495, part. II; edit. Vatic., an. 1596, tom. VI, pag. 448; edit. Ven. an. 1611, tom. II; edit. Lugd. an. 1647, tom. I, pag. 449; edit. Ven., an. 1754, tom. XIII, pag. 344. — [2] *Luc.*, XXIII, 34. — [3] Ibid., 39.

(*a*) *Suppl.* nostrum. — (*b*) Vulg. *dimitte illis, non enim sciunt.* — (*c*) Item *Si tu es Christus, salvum fac.*

Dum ad te se converteret, et supplex tibi diceret [1] :
Memento mei, Domine, dum ad tuum perveneris
Regnum (*a*) plenum dulcedine, dum te regem ostenderis ;
Tu amas pœnitentiam, corda trahens per gratiam :
Non solum hanc memoriam concessisti, sed gloriam,
Dicens [2] : *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.*

Oratio.

O prompta Dei charitas, prompta misericordia !
O prompta libertas, prompta munificentia !
Ad te currit devotio, ad te redit memoria;
Coram te fit confessio; tibi patent præcordia;
Ideo cum fiducia tibi precamur, Domine,
Qui es sine malitia solus et sine crimine,
In tua patientia memento nostri, Domine.

Tertium verbum.

Jesu, lux et rex gloriæ, fili Dei et hominis;
Jesu, flos pudicitiæ, fili Mariæ Virginis :
Dum hæc Virgo sanctissima, tota plena doloribus,
Genitrix amantissima , tot confecta mœroribus,
Tua mater charissima, tota perfusa (*b*) fletibus,
Nutrix diligentissima, tota fracta singultibus,
Juxta crucem assisteret, et te pendentem cerneret,
Dum tormenta conspiceret, et præ luctu deficeret :
Tu videns matrem flebilem, pressam amaritudine,
Matrem tuam venerabilem, dignam beatitudine,
Videns quoque discipulum amatum et amabilem,
Fidelem Dei famulum, Joannem vita nobilem,
Alloquens ambos dulciter piæ vocis oraculo,
Commendasti benigniter matrem Christi discipulo,
Dicens (*c*) matri [3] : *Mulier, ecce* (*d*) *filius tuus;*
(*e*) deinde discipulo : *Ecce* (*f*) *mater tua.*

Oratio.

O qualis permutatio, o quanta inæqualitas,
O qualis desolatio, o quæ matris acerbitas,
Dum custos matri traditur pro magistro discipulus,
Dum per matrem suscipitur pro Deo vir pauperculus,
Dum matri custos mittitur pro rege simplex famulus !
Sic tuæ, Jesu, gratiæ me commendo humiliter,
Tuæque providentiæ me committo perenniter,
Ut exorante Virgine pro nobis te suppliciter,
A peccatorum turbine simus securi jugiter.

Quartum verbum.

Jesu, Patris ingeniti virtus et sapientia,
Jesu, cujusque conditi tenor et consistentia,
Tu virtute mirabili panes multiplicaveras,
Tu virtute consimili stellam infans conduxeras (*g*),
Defunctos suscitaveras, opera mira feceras,
Morbos omnes sanaveras, totum orbem formaveras;
Tu virtute terribili dæmonia ejeceras;
Tu virtute consimili hostes tuos prostraveras;
Sed affixus patibulo, Patri factus obediens,
Jussu Patris, ut vinculo vinctus, manens et patiens,
Qui vult quod hanc angustiam, ut infirmus sustineas,
Neque dictam (*h*) potentiam te liberans exerceas :
Quapropter tuo sensui condolens naturaliter,
Clamorem confers planctui, dicens lamentabiliter [4];
(*i*) *Eli, Eli, lamazabatani* (*j*),
Hoc est, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?

Oratio.

O lamentum mirabile, salutem agens hominum,
O innocens cor, humile, pœnas deplorans criminum,
Ad te fert me compassio, pro me te pati sentio,
Ante te me projicio, tecumque luctum facio;

[1] *Luc.*, XXIII, 42. — [2] Ibid., 43. — [3] *Joan.*, XIX, 26, 27. — [4] *Matth.*, XXVII, 46.

(*a*) Vulg. *Domine, memento mei, dum veneris in regnum tuum.* — (*b*) *Cæt. edit.* percussa. — (*c*) *Suppl.* hæc. — (*d*) Suppl. *nunc.* — (*e*) *Suppl.* Et. — (*f*) Suppl. *nunc hæc.* — (*g*) *Cæt. edit.* duxeras. — (*h*) *Al.* Nec prædictam. — (*i*) *Suppl.* Ad Patrem tuum. — (*j*) Leg. *Heloi, Heloi, lamma sabacthani.*

Nam iste luctus utilis est mihi pro solatio,
Qui mihi præmialis sit in æterno gaudio.

Quintum verbum sequitur.

Jesu, dulcis memoria, sitibunda dilectio;
Jesu, dulcis fiducia, lætabunda refectio;
Dum extensus existeres super aram patibuli,
Dum immolatus ageres redemptionem populi;
Dum te nudum aspiceret mundus instar spectaculi;
Dum lamentum ostenderet super te vultus sæculi;
Dum hostes de te luderent, et noti tui fugerent;
Dum clavi membra tenderent, et nervi se contraherent;
Dum vulnera tumescerent, et humores defluerent;
Dum carnes contremiscerent, et virtutes arescerent:
Sitim sumpsisti fervidam, sitim amore languidam,
Benigne dicens [1] : *Sitio*, hominum fidem cupio,
Salutemque desidero, pro qua pati me offero.

Oratio.

O sitis saluberrima, exoptans amicitias,
O sitis cordis intima, frangens concupiscentias,
Præsta ut ad te sitiam, et ista siti ut ardeam,
Pravam sitim effugiam, donec ad te, fons (*a*), transeam,
Potumque vitæ hauriam, quo felix semper maneam,
Et Deum meum videam, sanctam ingressus patriam.

Sextum verbum.

Jesu, nostra redemptio; Jesu, Redemptor omnium;
Jesu, nostra dilectio; Jesu, salus credentium;
Dum per crucis mysterium diligenter perageres
Redemptoris officium, ut hominem redimeres;
Sustinendo supplicium, ut inde nos eriperes;
Consummans sacrificium tuæ carnis et sanguinis,
Consummans pacis prælium salutaris certaminis,
Consummans transitorium cursum hujus imaginis,
Consummans opificium redemptionis hominis,
Dum mortis horam cerneres, dum hac vita deficeres,
Dum finem jam contingeres, dum omnia perficeres,
Ut in summa concluderes, dixisti [2] : *Consummatum est :*
Nam Jesus crucifixus est, et agnus immolatus est,
Sanguis ejus effusus est, et pretium solutum est,
Diabolus devictus est, et bellum consummatum est,
Chirographum deletum est, et homo jam redemptus est.

Oratio.

O bonitas, bone Jesu, qui es nostra justitia;
O veritas, vere Jesu, qui es nostra scientia;
O charitas, chare Jesu, qui es nostra redemptio;
O sanctitas, sancte Jesu, nostra sanctificatio:
Consumma nobis gratiam, et consumma justitiam;
Consumma conscientiam, et consumma lætitiam.

Septimum verbum.

Jesu, via rectissima; Jesu, salutis ostium;
Jesu, porta tutissima; Jesu, protector omnium;
Jesu, salubris veritas, et lux mentem illuminans;
Jesu, vitæ felicitas, decor in corde jubilans:
Dum in extremis ageres, ut animam deponeres;
Dum hanc vitam desereres, ut ad limbum descenderes;
Volens viam ostendere, per quam debemus pergere;
Volens cunctos instruere, qui facti sunt de pulvere;
Volens illum ostendere, qui potest nos defendere,
In quo debent confidere, qui mortem debent capere;
Tuum sacratum spiritum tuo Patri sanctissimo
Commendasti per gemitum sermone devotissimo,

[1] *Joan.*, XIX, 28. — [2] Ibid., 30.

(*a*) *Cæt. edit.* fontem.

Dicens [1] : *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.*

Et inclinato capite, fixus in crucis stipite,
Acriter cruentato te, turpiter et indebite ;
Tu emisisti spiritum, et orbis talem fremitum,
Quod quisque per circuitum tuum percepit obitum,
Ut cuncta fletum facerent, et elementa tremerent,
Ut saxa se dirumperent, et sepulcra se panderent,
Ut terræ motus fieret, velum templi se scinderet,
Ut luna retrocederet, solque contenebresceret,
Ut mundus ingemisceret, et natura flens diceret :
Ego lugens deficio, vel Deo inest passio.

[1] *Luc.*, XXIII, 46.

Oratio.

O mors, mors lacrymabilis, super quam plorant omnia !
O mors, mors lamentabilis, super quam flent innoxia !
O mors, mors admirabilis, qua suscitantur mortui !
O mors, mors amicabilis, qua exaltantur strenui !
O mors sacra, mors nobilis, per quam delentur scelera !
O mors pia, mors utilis, per quam donantur præmia !
Præsta, ut hæc memoria nos teneat continue,
Et stimulet præcordia, corque pungat assidue,
Ut menti lumen influat, et in agendis instruat,
Ut nos a culpis exuat, et vitæ donum tribuat.
Amen.

CORONA BEATÆ MARIÆ VIRGINIS [1]

ARGUMENTUM

(*Ex edit. Vaticana, an.* 1596.)

Tractatus iste pulchre Corona B. Virginis inscribitur, cum non abs re sit precationes, quæ ad Virginem fiunt, hoc nomine prænotari, sive quia sertum ex variis floribus confectum Corona significat, sive quia quasi rota volvitur et circumfertur. Utraque enim significatio huic rei bene aptatur : offerre siquidem B. Virgini Mariæ preces varias tanquam suaves et odoriferos flores, sive easdem frequenter repetere, et in modum rotæ iterare, ad ejusdem B. Virginis patrocinium nobis conciliandum plurimum valet. Modus autem iste recitandi Coronam, a S. Bonaventura traditus, paucis præpositis, vel postpositis, similis est illi, quem a S. Jordano excogitatum narrat Surius die XIII Februarii, tom. VII, *de Vit. Sanct.* Sanctus enim Jordanus, præmisso Hymno *Ave Maris stella*, singulis quinque elementis nominis *Maria* singulos quoque aptavit Psalmos. Pro primo scilicet elemento M, *Magnificat ;* pro secundo A, *Ad Dominum cum tribularer ;* pro tertio R, *Retribue ;* pro quarto I, *In convertendo ;* pro quinto A, *Ad te levavi oculos meos,* devote recitabat.

Cum jucunditate memoriam nominis Mariæ celebremus, ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum nostrum Jesum Christum. Amen.

Gaude, virgo Maria (*a*), Mater Christi,
Quæ per aurem concepisti,
Gabriele nuntio.
Jesu, fructu (*b*) ventris tui,
Per te detur nobis frui,
In perenni gaudio. Amen.

Antiphona. Ave, Maria.

PSALMUS.

Magnificat.

Mediatrix Dei et hominum, tu digne magnificas Dominum, quæ sola concepisti Filium, qui est vera salus humilium : hinc omnium Deum quærentium generatio, te beatam dicere et devote salutare debet, dicens : Ave Maria (etc. usque), tui. ℣. Et beatus venter, qui te portavit, Domine Jesu Christe ; et beata ubera, quæ suxisti.

O igitur mediatrix nostra Maria, Mater gratiæ, Mater misericordiæ, pro nobis, quæsumus, intercede, ut veræ compunctionis et devotionis gratiam nobis inspirare dignetur dilectissimus Filius tuus Dominus noster Jesus Christus : qui cum, etc.

Gaude, quia Deo plena,
Peperisti sine pœna,
Cum pudoris lilio.
Jesu, fructu (*b*) ventris tui, etc.

Antiphona. Alma.

PSALMUS.

Ad Dominum, cum.

Alma Redemptoris Mater eximia, qui tua

[1] *Cf.* Edit. Argentin. an. 1495, part. II ; edit. Vatic., an. 1596, tom. VI, pag. 488 ; edit. Ven. an. 1611, tom. II ; edit. Lugd. an. 1647, tom. I, pag. 491 ; edit. Ven., an. 1754, tom. XIII, pag. 547.

(*a*) *Forte del.* Maria *propter rhythmum.* — (*b*) *Cæt. edit.* Jesus fructus.

egressus claustra virginea, cum his pacificus factus est incola, a quibus perpessus dura (*a*) est verbera : unde digna es, o Virgo puerpera, ut omnis creatura te veneretur, et benedicat dicens : Ave, Maria, etc.

℟. Et beatus venter, qui te portavit, etc.

O igitur alma Virgo Maria, Mater Dei dignissima, pro nobis, quæsumus, intercedere digneris, ut sanctum propositum, quod Deo inspirante concepimus, ad effectum salubriter perducere valeamus : præstante eodem Domino nostro Jesu Christo benedicto Filio tuo, qui cum Patre et Spiritu sancto, etc.

Gaude, quia tui nati,
Quem dolebas mortem pati,
Fulget resurrectio.
Jesu, fructu (*b*) ventris tui, etc,

Antiphona. Regina cœli, etc.

PSALMUS.

Retribue servo, etc.

Regina cœli, lætare cum jubilo : nam qui pendebat in crucis patibulo, surrexit vere summo diluculo, omni ablato contemptus opprobrio. Unde digne omnis homo, cum gaudio tibi congratulari, et benedicere debet, dicens : Ave Maria, etc.

℟. Et beatus venter, etc.

O igitur Regina cœli dignissima, ora pro nobis Deum et Dominum nostrum Jesum Christum, ut nos resurrectionis suæ participes efficiat, in præsenti per gratiam, et in futuro per gloriam : qui cum, etc.

Gaude Christo ascendente,
Et (*c*) in cœlum, te vidente,
Motu fertur proprio.
Jesu, fructu (*b*) ventris, etc.

Antiphona. Imperatrix, etc.

(*a*) *Cæt. edit.* dura perpessus. — (*b*) *Item* Jesus fructus. — (*c*) *Forte leg.* Ut.

PSALMUS.

In convertendo.

Imperatrix et mundi Domina, tuus natus cum quanta gloria, nostræ carnis sumpta materia, capta præda, conscendit æthera ! Hinc os cordis plenum lætitia, et lingua nostra exultatione, te collaudet et benedicat, dicens : Ave Maria.

℟. Et beatus venter, etc.

O igitur Imperatrix et Domina nostra benignissima, jure Matris impera tuo dilectissimo Filio Domino nostro Jesu Christo, ut mentes nostras ab amore terrestrium ad cœlestia desideria erigere dignetur : qui vivit et regnat, etc.

Gaude, quæ post Christum scandis,
Et est honos tibi grandis
In cœli Palatio.
Jesu, fructu (*b*) ventris tui, etc.

Antiphona. Advocata.

PSALMUS.

Ad te levavi.

Advocata miserorum, ad te sunt oculi servorum ; te assumpsit Rex cœlorum, super chorus angelorum, ubi cœtus beatorum te digne veneratur et benedicit in æternum, dicens : Ave Maria, etc.

℟. Et beatus venter, qui te portavit, etc.

O igitur gloriosissima Domina, excelsa super sidera, piissima advocata nostra, suscipe laudum pia precamina, quæ ad honorem quinque vulnerum Filii tui, et ad laudem sancti nominis tui decantavimus; et pro nobis, quæsumus, intercedere festina, quatenus dulcissimus Filius tuus Dominus noster Jesus Christus, per suam magnam misericordiam, a vinculis peccatorum nostrorum nos eripiat, et in suo sancto servitio nos conservet, confortet, ac finaliter perseverare faciat ; nam te nihil negans honorat, qui cum Deo Patre, etc.

LAUS BEATÆ VIRGINIS MARIÆ [1]

ARGUMENTUM

(*Ex edit. Vaticana, an.* 1596.)

Opusculum hoc, quod *Laus Beatæ Mariæ* appellatur, Salutationem Angelicam continet, scilicet *Ave Maria :* ita tamen, ut juxta singulas litteras ejusdem octonis versibus Virginis laudes celebret Auctor, et unumquemque octonarium ordiatur a litteris Salutationis Angelicæ, donec tota compleatur. Præterea novemdecim sacræ Scripturæ locis Beatissimam Dei genitricem Mariam docet adumbratam, ut ex contextu apparet.

Ave cœleste lilium,
Ave rosa speciosa,
Ave Mater humilium,
Superis imperiosa,
Deitatis triclinium,
Hac in valle lacrymarum,
Da robur, fer auxilium,
O excusatrix culparum.
Virgo pia sine pare,
Gabriele nuntiante,
Quæ meruisti portare
Christum, Flatu sacro flante.
Virgo partum post, et ante,
Refugium singulare,
Hac in vita vacillante,
Tuos servos consolare.
Ecce stupet humanitas,
Quod sis Virgo puerpera.
Scire nequit fragilitas
Tantæ virtutis opera.
Fides transcendens æthera,
Confitetur et veritas,
Ex te, mater Christifera,
Carnem sumpsit Divinitas.
Mater Natum, Patrem Nata,
Stella Solem genuisti,
Increatum res creata,
Fontem rivus emisisti,
Vas Figulum peperisti
Virgo manens illibata,
Per te nobis, Mater Christi,
Est perdita vita data.
Almissima sunt viscera,
Quæ Domini sunt conclave.
Sanctissima sunt ubera,
Quæ suxit, et lac suave,
Quo lactatur. Mater, Ave,
Quæ regnans super sidera,
Perpetuæ mortis a væ
Nos et a malo libera.
Rosa decens, rosa munda,
Rosa recens sine spina,
Rosa florens et secunda,
Rosa gratia divina
Facta cœlorum regina,
Non est, nec erit secunda
Tibi, rei medicina,
Nostris cœptis obsecunda.
In Scripturis figurata
Multis locis ostenderis,
Ænigmatibus monstrata,
Sacris ut patet litteris,
Testamentorum veteris
Et novi jure prælata
Mulieribus cæteris,
Super omnes elevata.
Ante mundi originem
Te Dominus ordinavit,

[1] *Cf.* Edit. Argentin. an. 1495, part. II; edit. Vatic. an. 1596, tom. VI, pag. 491; edit. Ven. an. 1611, tom. II; edit. Lugd. an. 1647, tom. pag. 493; edit. Ven., an. 1754, tom. XIII, pag. 353.

Dum cœli latitudinem
Sapienter fabricavit.
Ex tunc sancta mente cavit
Per te Matrem et Virginem,
Protoplasti, qui peccavit,
Expirare voraginem.
Gaude, Virgo Mater, gaude,
Per te mundus restauratur;
Cum civibus cœli plaude,
Quia (*a*) honor tibi datur.
Decus (*b*) decenter solvatur
Tibi majus omni laude,
Quia (*c*) per te liberatur
Omnis homo fracta (*d*) fraude.

I *Figurata fuit per Fontem, qui ascendebat de terra, ut habetur* (Genes., II).

Rigans mundum novo rore,
Nova prolis novitate,
Nova facis, novo more,
Cuncta mira claritate,
Ex divina bonitate
Fons ascendens in honore,
Rigans terram charitate,
Dei crescens in amore.

II. *Figurata fuit per Lignum Vitæ plantatum in medio Paridisi* (Gen., II).

Arbor et lignum vitale
In Paradisi medio,
Plantaris spirituale,
Cujus fructus fruitio
Replet omnia gaudio.
Nunquam fuit nec est tale,
Nec deerit proculdubio
Lignum ita commodale.

III. *Figurata fuit per Paradisum rigatum a fluvio voluptatis* (Gen., II).

Casta Virgo, te fluvius
Voluptatis irrigavit
Paradisi, dum Filius
Dei corpus habitavit
Tuum; terra tunc donavit
Nostra fructum uberius,
Et naturam reformavit
Nostram Deus in melius.
In Paradiso posuit
Deus hominem Filium
Suum, custodem posuit
Tuum corpus egregium,
Per Gabrielem nuntium
Dum visitare voluit,
Redemptorem eximium
Nobis cum exhibuit.

IV. *Figurata fuit per Arcam Noe, per quam fuit genus humanum tempore diluvii conservatum* (Gen., VI et VII).

Arcam Noe fabricavit,
Sed de lignis lævigatis
Fabricatam subintravit
Cum uxore et cum natis.
De parentibus beatis
Sibi matrem te formavit
Dominus, et a peccatis
Te subintrans conservavit.

V. *Figurata fuit per arcum, quem Dominus dedit Noe* (Gen., IX).

Pactum suum antiquitus
Deus promisit Patribus,
Arcum suum divinitus
Ostendendum in nubibus,
Qui fœderis est omnibus
Signum promissum cœlitus.
A Deo pax hominibus
Datur in eo penitus.
Labor et timor fugiunt
Arcu monstrato fœderis;
Spes et gaudium veniunt
Peccatoribus miseris,
Qui de reatu sceleris
Flentes arcum conspiciunt,
Per promissum de superis
Se consolatos sentiunt.
Est in arcu cæruleus
Color, qui virginitatis
Typum gerit : et rubeus
Etiam, qui charitatis
Formam notat : puritatis
Tuæ demonstrat aqueus
Notam, et humilitatis,
Quam elegit in te Deus.
Nubibus cœli cerneris
Arcus, quæ nos illuminas,
Refulgens morum miseris
Exempla (*e*) cunctis seminas.
Hæreses omnes terminas,
Et hæreticos conteris,
In Christo quando geminas
Naturas simul congeris.

(*a*) *Cæt. edit.* qui. — (*b*) *Item* Deus. — (*c*) *Item* qui. — (*d*) *Item* facta. — (*e*) *Forte leg.* Exemplum.

Arcus insuperabilis,
Arcus potens, arcus fortis,
Arcus dulcis, amabilis,
Arcus patens cœli portis.
Post præsentis metam mortis
Nobis inevitabilis,
Fac consortes tuæ sortis
Nos, Virgo venerabilis.

VI. *Figurata fuit per Scalam, quam Jacob in somnis vidit* (Gen., XXVIII).

Dormiens Jacob somnio
Scalam vidit contingentem
Cœlum : cujus confinio
Deum vidit innitentem,
Angelorum descendentem
Cœtum vidit. Promissio
Terræ sanctæ per potentem
Datur, et benedictio.
O Maria, figuraris
Scala, sed scalam superas ;
Ab angelo salutaris,
Deum hominem generas.
Super virtutes superas
Per angelos collocaris ;
Genus humanum liberas
Ergo longe plus beatis.

VII. *Figurata fuit per Rubum, qui ardebat, nec comburebatur* (Exod., III).

Mater, tua virginitas,
Rubo montis ostenditur
Oreb, cujus viriditas
Per ardorem non uritur.
Sic nec tua corrumpitur
Virginalis integritas,
Dum ventre tuo jungitur
Humanitati Deitas.

VIII. *Figurata fuit per Vas, in quo servatum fuit Manna* (Exod., XVI).

In Vase Manna positum
Ut servetur, legitur
Israelitis traditum,
Neque Vas Manna frangitur.
In te Christus concipitur,
Virgo, per sanctum Spiritum,
Neque tuæ minuitur
Virginitatis meritum
Nobis manna mirificum
Servasti mirabiliter,
Manna terminans typicum
Figuratum veraciter,
In se misericorditer
Per illud Manna cœlicum,
Quod dabatur communiter
Israel in viaticum.
Vetustum Manna novitas
Tuæ gratiæ terminat.
Figurarum antiquitas
Fugit, et lux illuminat
Nova, quos lex discriminat
Nova. Cessat obscuritas,
Purgat, mundat, eliminat
Antiqua nova claritas.
Summus Artifex omnium
Te providit vas nobile,
Vas dignum, vas egregium,
Vas gratum, vas laudabile,
Vas cunctis venerabile,
Famulis ut edulium
Ministres delectabile,
Panemque cœli civium.
Tu ministras hominibus
Verum panem angelorum,
Tuis natum visceribus
Pro salute peccatorum.
Hic est panis viatorum,
Qui non est dandus canibus,
Qui est salus miserorum,
Præstans omnibus panibus.
Ecce panis dulcissimus,
Ecce panis amplectendus,
Ecce panis pinguissimus,
Ecce panis diligendus,
Ecce panis recolendus,
Ecce panis præoptimus,
Cibus cunctis præferendus,
Et præ cunctis gratissimus.
Cibus iste nos reficit,
Recreat, et regenerat,
Et sibi mentem allicit,
Dirigit, et confœderat.
Omne bonum exaggerat,
Et omne malum abjicit,
Vincit, regnat, et imperat,
Auget, alit et perficit,
Vivus panis et vitalis,
Via, veritas et vita,
Et hic panis immortalis,
Et bonitas infinita.
Quo refulget præmonita
Nova sponsa spiritalis,

Synagoga definita
Perit, et umbra legalis.
Manna cessat, et cœlitus
Nobis panis proponitur :
Panis verus vivificus
Nobis de cœlo mittitur.
Christianis conceditur
Solis panis hic mysticus,
Quibus communis traditur
Verus panis angelicus.

IX. *Figurata fuit per virgam Aaron, quæ habuit fructum præter opus naturæ* (Num., XVII).

Beatus tabernaculo
Moyses virgam posuit
Aaron, sed pro titulo
Sacerdotis : quæ fronduit,
Floruit, fructum habuit.
Evidenti miraculo,
Sacerdotis obtinuit
Jus Aaron in populo.
Ecce valde mirabilis
Res, et miranda novitas;
Floret siccitas sterilis,
Gignit sicca sterilitas.
Parturit virgæ siccitas,
Fructum profert, et fertilis
Efficitur sterilitas.
Non fuit ante similis.
Notat virga florigera,
Quæ naturæ non opere
Efficitur fructifera,
Sed puro Dei munere,
Quod debebas concipere,
Virgo nova puerpera,
Novumque (*a*) fructum parere,
Post partum Virgo libera.
Ergo vere Virgo parens,
Germinasti campi florem,
Dei Patris Verbum parens,
Mundi paris Salvatorem,
Puritatisque decorem
Non amittis, sorde carens,
Charitatis fundens rorem,
Quo rigatur mundus arens.

X. *Figurata fuit per stellam, et per virgam, de quibus prophetavit Balaam* (Num., XXV).

De Jacob exoritura
Nova stella prædicitur,
Ex Israel (*b*) nascitura
Virga nobis ostenditur,
Per quam Moab percutitur.
Te præsignat hæc figura,
De qua Virga producitur
Christus, mirante natura.
Ista stella clarissima,
Quam non violat radius,
Luce nitens purissima,
Crystallo fulgens clarius,
Te significat verius,
Virgo semper castissima,
Quam non violat Filius,
Nascens ex te mundissima.
Consurgens Virgo florida
Ex Israel (*b*) prophetice,
Promissa Virgo nitida,
Diceris virga mystice.
Egrediens de radice
Jesse, potens et valida,
Florem profers mirifice,
Virgo materque gravida.
Tu es virga, tu es stella,
Tu es gratiæ fluvius,
Deitatis munda cella,
Genitrix, cujus Filius
Flos dicitur, et radius,
Charitatis fundens mella,
Cœlo lucens (*c*) superius,
Mundum servans a procella.
Ave, Virgo fertilior
Universis arboribus.
Ave, stella fulgidior
Universis sideribus;
Factis, dictis, virtutibus,
Universis præstantior ;
Creaturis hominibus,
Custos et quies tutior.

XI. *Figurata fuit per concham Gedeonis, de qua habetur* (Judic., VI).

Tu Gedeonis rorida
Concha cœlestis diceris,
Rore manans et fluida
Lana compressa velleris.
Divini dono muneris,
Tu semper manes madida :
Solatium das miseris;
Sed terra manet arida.
Verus cœlestis fluminis
Tuam concham munditiæ
Ros replevit, dum numinis

(*a*) *Cæt. edit. deest* que. — (*b*) *Cæt. edit.* Israele. — (*c*) *Item* luctus.

Sacri munere gratiæ,
Plena Solis justitiæ,
Mater Dei et hominis
Fis, flore pudicitiæ
Vernans Matris et Virginis.

XII. *Figurata fuit per domum Domini, quam ædificavit Salomon, et gloria Dei eam implevit* (III Reg., VI).

Implevit domum Domini
Superni Regis gloria,
Suo sacratam nomini,
Salomonis industria.
Dum te superna gratia
Gabrielis affamini
Parentem, Virgo Maria,
Replet dicatam numini :
Notat hic Dei Filium
Salomon Rex pacificus,
Qui fecit thronum regium,
Ut hic artifex cœlicus.
Et nuntius angelicus
Præparavit hospitium,
Nostræ salutis pisticus
Verum deferens gaudium.
Maria mater gratiæ,
Mater et fons bonitatis,
Mater misericordiæ,
Fons et fomes pietatis,
Triclinium Deitatis,
Mater Solis justitiæ,
Perpetuæ claritatis
Confers lumen, et gloriæ.

XIII. *Figura fuit per Abigail, quæ fecit pacem inter Nabal et Davidem* (I Reg., XXV).

Uxor Nabal cum Davide
Pacem, datis muneribus,
Nabal reformat solide
Benignissimis precibus,
Licet Nabal sermonibus,
Dictis factisque stolide,
Meruisset doloribus
Vitam finire turbide.
Larga Nabal convivia
Suo faciens tonsori,
Quærendo temporalia,
Gulæ vacans et honori,
Comparatur peccatori,
Dei danti convitia
Servis : unde morte mori
Debent propter hæc vitia.
Iste desiderabilis
Vultu David gratiosus,
Rex nulli comparabilis,
Manu fortis, bellicosus,
Clemens, pius, amorosus,
Christus est immutabilis,
Qui semper est gloriosus
In sanctis et mirabilis.
Et tu Abigail sapiens,
David deferens munera,
Nabal et David faciens
Precibus tuis fœdera.
Dum pia lactis ubera
Christo dedisti nutriens,
Hinc peccatoris scelera
Tuis meritis leniens.
Regina Virgo regia,
De genere David Regis,
Dei mater et filia,
Christi parens, Christum regis,
Nostra mater, nostræ legis
Gaudium et lætitia,
Peccatoris fortis ægis,
Decus, honor, et gloria.
In te sola spes figitur
Omnis humani generis ;
Per te solam destruitur
Adæ peccatum veteris ;
Vitæ portus es miseris,
Per te salus acquiritur.
Nescit reatum sceleris,
Qui te devote sequitur.
Bonum est ergo subdere
Sese tuæ servituti,
Secundum te se regere,
Disponendo se virtuti.
Namque tui servi tuti
Per te possunt ascendere
Cœlum, vitam assecuti,
Tecum semper et vivere.

XIV. *Figurata fuit per Judith, quæ Holofernem peremit, et populum liberavit* (Judith, XIII).

Volens mundum sævitia
Principis Assyriorum
Subjicere, nefaria
Manu collecta virorum,
Magnam plebem Judæorum
Obsedit in Bethulia ;
In mortem mœstam eorum
Mentem debacchans impia.
Sancta Judith pro populo

Salvando se præparavit,
Nocte surgens de lectulo,
Vocans abram properavit;
Holoferni præsentavit
Se pro gentis periculo.
Necans eum, liberavit
Cives a mortis jaculo.
Est civitas Bethulia,
Quam obsidet dissensio,
Dæmonisque perfidia,
Et hæresis deceptio :
Conjuncta tuo Filio,
Nostra mater Ecclesia,
Tuo tuta subsidio,
Munita tua gratia.
Tu es Judith pulcherrima,
Quæ liberas Ecclesiam,
Holofernis acerrima (*a*),
Ut per divinam gratiam
Hæresisque perfidiam,
Confutas....
Spem certissimam
Fundens super familiam.
Benignus sapientiæ
Spiritus, et dulcedinis,
Consilii, scientiæ,
Timoris, fortitudinis,
Lumen divini numinis,
Omnis genere gratiæ
Te replevit, ut hominis
Causa sis indulgentiæ.

XV. *Figurata fuit per Esther, quæ Aman fecit suspendi, et Mardochæum cum populo liberari* (Esther, VII).

Edissa per connubium
Assuero conjungitur.
Thalamum subit regium,
Coronatur, præficitur
Cunctis. Vasti deponitur,
Amittit regni solium.
Superba Vasti tollitur;
Esther habet dominium.
Notat Esther cor (*b*) humile,
Cor contritum humiliter,
Cor dulce, cor amabile,
Cor diligens veraciter,
Cor contemplans sublimiter.
Vasti notat cor fragile,
Exaltans se perniciter,
Superbum et indocile.
Et te quid est humilius
Per cuncta mundi climata?
Dulcius, amabilius,
Destruens cuncta schismata?
Te sacra probant dogmata
Nil esse gratiosius;
Sacra probant ænigmata
Te nihil esse mundius.
Designat Esther igitur
Te, qua nunquam humilior
In creaturis legitur
Fuisse, nec suavior,
Pulchrior, amabilior,
Dulcior nulla dicitur.
Et propter hoc sublimior
Esse nulla te noscitur.
In Judæos invidia
Sævit Aman perversitas,
Damnat eos perfidia
Crudelisque dolositas.
Mardochæi benignitas
Esther scribit euprepia,
Mutetur ut crudelitas
Decreti Regis impia.
Condolet Esther fratribus
Totius sui generis.
His auditis rumoribus :
Regem adit, qui fœderis,
Signum dedit, pestiferis
Morti datis complicibus;
Damnatur Aman sceleris,
Ejus notis criminibus.
Tu es Esther, perfidiam
Aman reprimens graviter,
Famulorum miseriam
Exterminans benigniter.
Regi summo feliciter
Desponsata per gratiam,
Coronata perenniter,
Regiam tenes potentiam.
Vere notat inimicum
Aman humani generis,
Dirum serpentem lubricum,
Jure pulsum de superis,
Condemnatum in inferis,
Accusatorem iniquum,
Quem tu calcas et conteris,
Deum reddis pacificum.
Sicut pupillam oculi,
Servos servas servo Regis;
Tu solamen es sæculi,

(*a*) Loc. mutil. — (*b*) *Cæt. edit. deest* cor.

Refugium tui gregis.
Summa sponsa summi Regis,
Caput conteris zabuli.
Tu es verus liber legis,
Tu arca tabernaculi.
Flos vernalis, flos lilii,
Flos florum, decus virginum
Diceris, et auxilii
Fons plenus, custos hominum:
Cujus attraxit Dominum,
Et Angelum consilii,
Dulcis odor, ut terminum
Nobis daret exilii.

XVI. *Figurata fuit per columbam, quæ attulit ramum olivæ Noe, et filiis suis in arcam* (Gen., VIII).

XVII. *Et per perticam, quæ tulit serpentem æneum in deserto* (Num., XXI).

Ramum ferens virentibus,
Ore Columba proprio,
Foliis fluctuantibus,
Generali diluvio,
Quos turbarat undatio,
Noe, natis, conjugibus,
Refovit eos gaudio
Salutis intuitibus.
Una Serpentem pertica
Deserto tulit æneum,
Ut si intus vis toxica
Quemquam læserat Hebræum,
Sanaretur videns eum,
Ope Dei mirifica,
Propellente vipereum
Virus virtute mystica.
Columba tu simplicior
Omni, tutrix humilium,
Salus hominum tutior,
Mundo tulisti gaudium,
Enixa Dei Filium,
Omni veneno fortior,
Medicina peccantium,
Signo Serpentis promptior.

XVIII. *Figurata fuit per portam clausam, per quam vir non transivit* (Ezech., XLIV).

Tu es Porta, quæ clauditur,
Apertionis nescia,
De qua Propheta loquitur,
Hominum nulli pervia,
Qua Dei Sapientia
Ingreditur, (*a*) egreditur,
Semota violentia,
Per egressum non frangitur.
Virginitas est janua,
Qua cœlis fulgens altius,
Cœli non linquens ardua,
Messias Dei Filius,
Conceptus est, exterius
Carne tectus exigua,
Corpus sumens perfectius
Ex te, Virgo præcipua.
Sicut sidus perluitur
Infuso solis lumine,
Et eo lux emittitur
Sine sideris fragmine:
Sic sine carnis crimine
Christus in te concipitur,
Ex te manente virgine
Supra naturam oritur.

XIX. *Figurata fuit per mulierem, quam vidit Joannes* (Apoc., XII).

Vidit Joannes mysticum
Signum quoddam mirabile,
Quod in cœlo propheticum
Apparuit notabile.
Nunquam fuerat simile
Prophetis ænigmaticum
Signum datum, quod utile,
Præcedens ut mirificum.
Erat patens cœlestibus
Amicta Solis lumine
Mulier, Lunam pedibus
Supponens, cujus culmine
Capitis ceu (*b*) pro tegmine,
Duodecim sideribus
Sertum fulgebat numine
Suis plenis visceribus.
Nihil te magis proprie
Per istam intelligitur
Mulierem, quæ serie
Prophetæ nobis panditur.
In te namque concipitur,
Et oritur justitiæ
Verus Sol, unde oritur
Regnum cœlestis curiæ.
Tuis Luna supponitur
Pedibus, et militia
Cœli tota per te (*c*) regitur
Caput, duodenaria

(*a*) *Cæt. edit. add.* et.— (*b*) *Cæt. edit. deest* ceu. — (*c*) *Leg.* Cœli per tuum.

Patriarcharum gloria,
Quæ per te benedicitur.
Et bissena victoria
Apostolorum texitur.
Repleris plenitudine
Generis omnis gratiæ,
Totaque multitudine
Virtutum et potentiæ,
Tu decus excellentiæ,
Tu lux carens fuligine
Culpæ, splendoris (*a*) gloriæ
Mundum decorans lumine.
In te totum perficitur,
Quidquid verbis propheticis
De te, Virgo, prædicitur,
Et legis ænigmaticis,
Sive quidquid angelicis
Tibi verbis exprimitur,
Finitis verbis typicis,
Res (*b*) manifesta cernitur.
Salve, solamen hominum;
Salve, munda stella maris;
Salve, purgatrix criminum;
Salve, Virgo singularis.
Consortio carens maris,
Concipis, paris Dominum.
Tu lapis es angularis,
Quæ das figuris terminum.
Tu supra cœli solium
Ad dextram (*c*) Dei resides,
Juxta proprium Filium
Cœli Regina præsides,
Confirmans mentes desides,
Præstans eis auxilium,
Et tuis servis provides,
Impetrando subsidium.
Ubi namque sanctissima
Caro, quam Dei Filius
Sumpsit ex te mundissima,
Inthronizatur celsius:
Creatis gloriosius,
Ratio vult certissima
Esse te, non inferius,
Vel sede magis infima.
Ibi mater cum Filio,
Gaudentes cœli patria,
Trinitatis consortio,
Creata super omnia,
Tua benigna gratia
Felicitatis gaudio
Nos coronet (*d*), et gloria,
Beatorumque præmio. Amen.

(*a*) *Cæt. edit.* splendor. — (*b*) *Leg.* Re. — (*c*) *Cæt. edit.* dexteram. — (*d*) *Item* coronat.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriosæ Virginis Matris Mariæ corpus et animam, ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur, Spiritu sancto cooperante, præparasti, da, ut cujus commemoratione lætamur, ejus pia intercessione ab instantibus malis, et a morte perpetua et subitanea liberemur. Per Christum Dominum, etc.

Alia Oratio.

Deus, qui beatissimam Virginem Mariam, Matrem tuam, in Anuntiatione, Visitatione, et Assumptione multiplici gaudio lætificasti, tribue, quæsumus, ut ejus precibus, et omnibus sanctis tuis intervenientibus, ad inæstimabile gaudium, quo nunc tecum sine fine gaudent, pervenire mereamur. Per Christum Dominum, etc.

Has videas Laudes,
Qui sacra Virgine gaudes;
Et venerando piam
Studeas laudare Mariam.
Virginis intactæ
Dum veneris ante figuram,
Prætereundo cave,
Ne sileatur Ave.
Invenies veniam,
Sic salutando Mariam,
Ave Maria gratia, etc.
Vilis homo materiæ,
Surge de mortis tumulo;
Dum spes est adhuc veniæ,
Te subtrahe periculo.
Excutere de pulvere,
Dum opus est remedio;
Surge, curre pro bravio,
Dum licet comprehendere.
Viam quærens in invio,
Malorum reminiscere.
Ad patriam revertere
Cum pœnitente filio.

PSALTERIUM MINUS B. MARIÆ VIRGINIS[1]

ARGUMENTUM

(*Ex edit. Vaticana, an.* 1596.)

Opusculum hoc *Psalterium minus B. Mariæ Virginis* prænotatur, quia quilibet quaternarius rhythmicus aliquid continet ad imitationem Psalmorum Davidis in ordine : ita ut primus quæternarius versuum aliquid primi Psalmi redoleat, secundus aliquid secundi, et sic de singulis. Dividitur Opusculum in quinquagenas tres, juxta numerum Psalmorum centum quinquaginta, et B. Virginem initio cujuslibet quaternarii devote per *Ave* salutat S. Bonaventura, itidemque ejusdem B. Virginis laudes decantat, necnon partem recenset beneficiorum, quæ per talem mediatricem in genus humanum contulit omnipotens et misericors Deus, ut hac salutationis forma affectus devotorum sanctissimæ Mariæ Virginis magis ac magis erga ipsam excitetur.

PRIMA QUINQUAGENA.

Ave, Virgo vitæ lignum,
Quæ perenni laude dignum,
Salvo voto quod vovisti,
Mundo fructum attulisti.
Ave, cui sine fine
Reges astant et reginæ,
Tu Regina sæculorum,
Regum Princeps et regnorum.
Ave, David germen justum,
Ut vitalem Dei gustum
Mereamur experiri,
Fac de monte nos audiri.
Ave, Virgo Deo digna,
Serva servos, et consigna
Luce tuæ faciei,
Et splendore vultus Dei.
Ave, Mater novi moris,
Nec conceptu Redemptoris,
Neque ortu deflorata,
Scuto Dei obumbrata.
Ave, Virgo, quæ furorem
Conditoris in amorem
Tua forma convertisti,
Votis iram extinxisti.
Ave, Virgo, quam Salvator,
Renum testis et scrutator,
Quem non fallit nox erroris,
Laudat intus atque foris.
Ave, Virgo plena bonis,
Gratiarum dives donis,
Opus Dei digitorum,
Grande nimis et decorum.
Ave, Virgo post et ante,
Pro me semper te pugnante,
Vertat hostis mihi dorsum,
Et conversus stet retrorsum.
Ave, Porta libertatis,
Aula summæ Trinitatis,
Et solemne Dei Templum,
Salus orbis et exemplum.
Ave, Virgo, Flos regalis,
Mulierum nulla talis,
Verba cujus sunt argentum,
Lingua laudis instrumentum.
Ave, Virgo, cui plaudo,
Tibi canto, te collaudo

[1] *Cf.* Edit. Argentin. an. 1495. part. II; edit. Vatic. an. 1596, tom. VI, pag. 497; edit. Ven. an. 1611, tom. II; edit. Lugd. an. 1647, tom. I, pag. 499; edit. Ven., an. 1754, tom. XIII, pag. 362.

Bona mihi tribuentem :
Serva, Virgo, me canentem.
Ave, Virgo Deo chara,
Pulchra, suavis, prudens, clara :
Sola Dei salutare
Digna mundo generare.
Ave, Virgo, virtus mea,
Natum Deum posce dea,
Ut in arce Sion claræ
Nos concedat habitare.
Ave, Virgo, forma morum,
Cui Christus Rex cœlorum,
Mundi curis expeditæ,
Notas fecit vias vitæ.
Ave, Virgo cujus ori,
Voci, verbis et clamori,
Dei aures inclinatæ
Sunt, præstandi largitate.
Ave, Virgo diligenda,
Laude cunctis præferenda,
Radix sancta, semen verum,
Flos et gemma mulierum,
Ave, cujus provocatus
Forma Deus Deo natus,
Pugnaturus non expavit,
Sed ut gigas exultavit.
Ave, Scala cœlum tangens,
Ad te, Virgo, clamo plangens,
Ut a malo, Stella maris,
De Sion me tuearis.
Ave, Jesse stirps beata,
Virgo voto non fraudata
Tui cordis, et tuorum
Voluntate labiorum.
Ave, cujus quæ nascetur
Claritatem gens loquetur,
Cujur honor non decrescit,
Et potestas finem nescit.
Ave, digna omni laude,
Casta Dei Mater, gaude,
Et admitte vota precum,
Ut sis, Virgo, semper mecum.
Ave, Virgo, cujus manus
Non fœdavit actus vanus,
Sed ab omni pravitate
Innocentes sunt servatæ.
Ave, Virgo speciosa,
Cujus, quasi recens rosa,
Spirat caro, cor lætatur,
Mens in bonis demoratur.
Ave, Virgo, quæ jam audis
Coram throno vocem laudis,
Jube simul nos astare,
Dei laudes enarrare.
Ave, Virgo, rumpe moras,
Et ad omnes semper horas,
Mihi custos et adjutrix
Esto, digna Dei nutrix.
Ave, Virgo vernans flore,
Gustu cujus et odore
Rursum homo juvenescit,
Et ad vitam revirescit.
Ave, Virgo, et appare,
Jube tecum nos regnare,
Et ad Christum, quo abisti,
Post te trahe, Mater Christi.
Ave, Virgo, favus mellis,
Cedit ecce Sol cum stellis
Tui vultus claritati,
Tu decoris consummati.
Ave, Virgo, finis iræ,
Purga culpas, et largire
Nos, peracto cursu mundi,
Pro peccatis non confundi.
Ave, Virgo pulchra visu,
Deprecor te toto nisu,
Me clamantem quotidie,
Clemens Mater, audi pie.
Ave, Mater, Virgo tamen,
Posce semper sacrum flamen
Ad munimen nobis dari,
Et a Verbo nos firmari.
Ave, Virgo ruga carens,
Da, intacta Dei parens,
Ut laus tua cum dulcore
Meo semper sit in ore.
Ave, Mater expers viri,
Fac me dignum inveniri,
Quem digneris adjuvare;
Noli, Virgo, jam tardare.
Ave, Virgo, vena munda,
Per te vivi fontis unda
Mihi semper irroretur,
Quo cor meum ebrietur.
Ave, Virgo, vitæ via,
Salve, mundi spes Maria,
Cujus legem cor rimatur,
Os sophiam meditatur.
Ave, Virgo, mundi decus.
Tibi cedens Judex æquus,
Est oblitus iræ suæ,
In aspectu formæ tuæ.
Ave, Virgo, mundi ratis,
Da, ut ignis charitatis

De te mihi semper crescat,
Cor amore incalescat.
Ave, Virgo, lux astrorum,
Educ, quæso, vitiorum
Lutulenta me de fæce,
Pro me Deo fusa prece.
Ave, Virgo, fac (a) dignare
Te laudantem me sanare,
A languore nimis gravi
Quem peccando comparavi.
Ave, Virgo, da quod cernis,
Ut contempler in supernis,
Epulantis turbæ sonum,
Et cantantis ante thronum.
Ave, Virgo singularis,
Vera veri salutaris
Et emissæ lucis mater,
Cui Deus verus pater.
Ave, Virgo, tu quietum
Fac frementis mundi fretum;
Jesus, navi soporatus,
A te surgat excitatus.
Ave, Virgo, digna coli,
Quæ divinæ tuæ proli
In festiva claritate
Vestis astas deauratæ.
Ave, Virgo, mundi lumen,
Quæ a Patre Verbi flumen,
Tibi missum et infusum,
Effudisti præter usum.
Ave, Virgo, Mater Agni,
Jesu Christi Regis magni,
Qui est pius, et benignus,
Et honore summo dignus.
Ave, Virgo formæ raræ,
Cujus vultus singulare
Visum jubar sunt mirati
Reges cœlo congregati.
Ave, Virgo, veta mentem
Te laudando diligentem,
Deputari inter reos,
Ubi mors depascet eos.
Ave, veris claritudo,
Tecum agri pulchritudo,
Quæ perfusa cœli rore,
Vernans orto Salvatore.
Ave, Mater orphanorum,
Miserere miserorum,
Tollens sordes et peccata
Super nivem dealbata.

(a) *Leg.* jam.

SECUNDA QUINQUAGENA.

Ave, Virgo primitiva,
Virgo ferax ut oliva,
Quæ divini germen floris,
Attulisti nostris oris.
Ave, schema clarum David,
Mundus omnis acclamavit,
Sola Deum requisisti,
Nec ad probra descendisti.
Ave, Virgo novi voti,
Posce bona mundo toti,
Tuum omnes adjuvamen
Sentiamus semper, amen.
Ave, Virgo columbina,
Fac ut mundi de sentina,
Illuc volem, datis pennis,
Ubi quies est perennis.
Ave, Virgo, da, te duce,
Me vivorum frui luce,
In qua raptus ad superna,
Vita vivam sempiterna.
Ave, Virgo specialis,
Fove tuis me sub alis,
Sede fruar ut amœna
Et quiete pace plena.
Ave, decus puellarum,
Virga Judæ, semen clarum,
Patris parens, nata prolis,
Dei domus, aula Solis.
Ave, Virgo, flos de spina;
Quod rogamus, da Regina;
Surge nobis in occursum;
Præbe dextram, trahe sursum.
Ave, Virgo lacte lota,
Pasce semper nos, et pota
Deitatis fonte trino,
De compunctionis vino.
Ave, Turris nostræ spei:
Esto, Virgo, memor mei,
Et cantorem laudum harum
Salva, princeps fœminarum.
Ave, Virgo sine dolo,
Cujus omnis spes in solo
Creatore semper mansit,
Non in mundo, qui pertransit.
Ave, Virgo, caro cujus
Ridens dapes vitæ hujus,
Solum Deum concupivit,
Et eum mente sitivit.
Ave, Virgo recti cordis,
Nec ullius unquam sordis

Inquinata fœditate,
Dono prolis illibatæ.
Ave, salus ex Judæis;
Votis, Virgo, fave meis,
Ut in Sion reddam illa,
Dum resurgam de favilla.
Ave, Virgo per argento,
Quæ pudoris detrimento,
Igne mundi non arsisti,
Quem illæsa pertransisti.
Ave, Parens absque pare,
Mater Dei, deprecare
Deum mihi misereri,
Et cum justis me censeri.
Ave, Virgo Deo juncta;
Te tollente mala cuncta,
Viæ meæ prosperentur,
Res adversæ secundentur.
Ave, Virgo, per quam volens
Pauper ille fit et dolens,
Quo jubente dolor cedit,
Et paupertas retro redit.
Ave, Virgo, Dei cella,
Quem pro nobis interpella,
Placa Natum, ne moreris,
Quæ repulsam non vereris.
Ave, Norma castitatis;
Esto, Virgo, pro peccatis
Ne descendam ad tormentum,
Forte mihi firmamentum.
Ave, Virgo, vitæ portus,
Portà clausa, clausus hortus,
Vellus clari Gedeonis,
Veri thronus Salomonis.
Ave, Virgo, cujus lotus
Pes peccando non est motus;
Ergo firma vacillantes,
Leva lapsos, tene stantes.
Ave, decus disciplinæ,
Stella lucis matutinæ,
Veri Solis tu aurora,
Tu pro nobis semper ora.
Ave, Virgo, quam laudamus;
Da securi videamus
Horam (*a*) Christi judicantis,
Et post semper imperantis.
Ave, Virgo, sed fœcunda,
Firma vagos, fœdos munda,
Et qui aufert regum flatum,
Regem nobis fac placatum.

Ave, Virgo, Dei quies,
Tu antiquos mihi dies,
Et, per Evam quam amisi,
Redde lucem paradisi.
Ave, Virgo, quæ rogasti
De secreto ventris casti
Super ora peccatorum
Verum panem angelorum.
Ave, Templum impollutum,
Cujus mundo cor exutum,
Nulla unquam sæculari
Lue quivit inquinari.
Ave, mundi medicina,
Misce potum, et propina
Fletum mihi mensurate,
Pro peccati quantitate.
Ave, Virgo, flos æstatis,
Tu divinæ suavitatis
Mel et manna suscepisti,
Et hæc nobis porrexisti.
Ave, Virgo, fuga mortem,
Serva reos, et in sortem
Transfer Dei filiorum,
Reparatrix perditorum.
Ave, Virgo admiranda,
Tibi nulla comparanda,
Nulla talis in puellis;
Universas tu præcellis,
Ave, Virgo, quæ de tristi
Valle fletus emersisti,
Orta terris, et in mare
De excelso rutilare.
Ave, terra fructuosa,
Jesu mater generosa,
De qua nobis modo miro,
Vir processit sine viro.
Ave, grandis et pusilla,
Dei mater et ancilla,
Tu regina reginarum,
Honor cœli, laus terrarum.
Ave, Virgo, mundi vita,
Tu cum nato da petita,
Ut me Dei civitatis
Civem esse faciatis.
Ave, Virgo, dies festa,
Per te salver a molesta
Paupertate, qua laboro,
Mater absque viri thoro.
Ave, Virgo, et lætare :
Te in cœlis imperare
Gens et lingua omnis sciat.
In æternum fiat, fiat.

(*a*) *Cæt. edit.* hora.

Ave, Virgo, cujus oris,
De splendore Conditoris,
Splendor clare resplendescit;
Lucet corpus, cor clarescit.
Ave, Virgo, decus rerum,
Te jubente me dierum
Comitetur longitudo,
Et salutis plenitudo.
Ave, cedrus exaltata,
Virgo palmæ coæquata,
Premens arce dignitatis
Cuncta ligna voluptatis.
Ave, Virgo, quæ decorem
Induisti, Creatorem
Præcinxisti pulchre Deum,
Carne munda velans eum :
Ave, Virgo gratiosa,
Tu quæ mitis et formosa,
Super omnes es puellas,
A te nunquam me repellas.
Ave, Virgo vincens solem,
Cujus infans terræ molem
Fundat, librat et appendit,
Fines manu comprehendit.
Ave, Virgo vitæ rectæ,
Fac, peccata nos perfecte
Confitendo, decorari;
Da te semper venerari.
Ave, Virgo, vellus roris,
Tu dilecta Salvatoris,
Tu cor habes liquefactum
Ad ignitum Dei tactum.
Ave, Sponsa, Regis almi,
Psalle Deo voce psalmi,
Et fer opem, quam precamur,
Ne in culpa moriamur.
Ave, nubes pluvialis,
Quæ perusta mille malis
Corda nostra refecisti,
Quibus Deum infudisti.
Ave, Virgo, nec morare,
Surge, portas reserare,
Quas obstruxit homo primus,
Ut intrare nos possimus.
Ave, Virgo, quam invisi
Nusquam tangit hasta nisi,
Tota felix, nec adusta
Qualicumque re injusta.

TERTIA QUINQUAGENA.

Ave, Virgo, mundi sidus,
Domus, tectum, mons et nidus,
Ubi passer solitaris,
Jesu Christe, demoraris.
Ave, Virgo delicata,
Mater virum dedignata,
Per te datur vitæ dator,
Et perennis miserator.
Ave, Virgo, terra bona,
Tu petenti mihi dona,
Panem de te procreatum,
Vinum vera vite natum.
Ave, Mater Joseph veri,
Ab interna qui tueri
Semper fame nos dignetur,
Per te illud impetretur.
Ave, Virgo, ac præbeto
Unam mihi rem, quam peto,
Me in tuo salutari,
Ad salutem visitari.
Ave, Virgo, fons signatus,
Cujus nunquam violatus
Venter fudit Redemptorem,
Oppressorum ereptorem.
Ave, Virgo, et implora,
Ut cor meum omni hora
Præparatum, lene, pronum,
Gaudens sit ad omne bonum.
Ave, Virgo, vitæ datrix,
Ad te, dives Imperatrix,
Clamo pauper et egenus,
Et ærumna multa plenus.
Ave, Virgo, et ne sinas
Sion muros, et ruinas
Sine nobis reparari;
Fac ad illam nos quadrari.
Ave, Virgo, cujus vultus,
Mores, modus, forma cultus,
Cuncta placent ad perfectum,
In te nihil est neglectum.
Ave, Virgo Agni nupta,
Opto, Mater incorrupta,
Larga nimis et felici
Tua manu benedici.
Ave, Virgo, nata mundo,
Ne mergamur in profundo,
Tu deporta nos ad portum,
Ad æterni Solis ortum.
Ave, Virgo, quam sincero
Semper esse corde spero
Vitæ meæ protectricem,
Credo Dei genitricem.
Ave, Virgo lætabunda,
Per te vivam cum jucunda

Electorum concione,
In vivorum regione.
Ave, Virgo, virens salix,
Favus, urna (*a*), fons et calix,
Quæ prophetæ protoplasti
Nectar orbi propinasti.
Ave, Virgo, virga Jesse,
Dona nobis tecum esse,
Ut affectu quo debemus,
In æternum te laudemus.
Ave, Virgo gloriosa,
Fac virtutem virtuosa,
Et me jube semper frui
Visione vultus tui.
Ave, Virgo, meque doce
Intus sono sine voce
Bonitatem, disciplinam,
Et scientiam divinam.
Ave, Virgo tota lenis,
Salves, oro, me a pœnis
Gravis hujus incolatus,
Et æterni cruciatus.
Ave, Parens absque nævo,
Ad te cor et vultum levo,
Ut me quoque consoleris,
Quæ cunctorum misereris.
Ave, Virgo, lux justorum,
Tu convexa superorum
Glorianter introisti,
Et, ut regnes, resedisti.
Ave, cui dominator
Rex cœlorum habitator,
In perenni dedit jure
Omnis sceptra creaturæ.
Ave, Virgo benedicta,
Quam non traxit ad delicta
Rerum iste torrens vanus,
Ros decurrens, flos mundanus.
Ave, Sion mons sublimis,
Elevata Virgo nimis,
Et in cœlis principatum,
Jus usurpans et primatum.
Ave, Virgo, quam perflavit,
Et perflando fœcundavit
Auster fructu spiritali,
Christo flore virginali.
Ave, plena gratiarum,
Domus septem columnarum,
Dei manu fabricata,
Nec ab ullo (*b*) violata.

Ave, palmes vitis veræ,
Bona Sion me videre
Cunctis, Virgo, fac diebus,
Ut abundem lætis rebus.
Ave, Virgo, maris Stella,
Dona vires, doce bella,
Fac me docte (*c*) præliari,
Et ne sinas expugnari.
Ave, Virgo, spes humana,
Preme ventos, fluctus plana,
Ut evictis mundi undis,
Emergamus de profundis.
Ave, Virgo, cujus sensus
Nunquam fuit deprehensus
Arroganter elevari,
Aut injuste gloriari.
Ave, Virgo, diva poli,
Cujus Deus sibi soli
Habitandum cor elegit,
Et libenter ibi degit.
Ave, Virgo, vas unguenti,
Jam in oram vestimenti,
Unctionem, qua abundas,
Supplicamus ut infundas.
Ave, Virgo, quæ ad pura
Adolendum precum thura
Deo manus extulisti,
Cui mater extitisti.
Ave, Virgo pia tota,
Da ut mente te devota
Et amore semper puro
Laudem nunc, et in futuro.
Ave, cœlum spiritale,
Summum intellectuale,
Tu Mons ille non incisus,
Tu cœlestis Paradisus.
Ave, Mater, Virgo vera,
Doce mente me sincera
Sion semper recordari,
Non de mundo meditari.
Ave, novi Mater Adam,
Cujus, precor, ut evadam
In me justam ultionem,
Pro me reddas rationem.
Ave, Mater pietatis,
Per te nostræ cæcitatis
Nox, ut dies, illustretur,
Malum omne propulsetur.
Ave, digna prædicari,
Non me sinas supplantari,
Et ne ruant ad excessus,
Meos, Virgo, rege gressus.

(*a*) *Cæt. edit.* una. — (*b*) *Item* eo. — (*c*) *Item* dote.

Ave, Virgo, cor ornatum,
Veta, quæso, ne peccatum
Verbis parem excusare,
Doce linguam refrænare.
Ave, Virgo, da post luctum
Mundi hujus, hinc eductum,
Phœbi vultu clariora
Me videre Christi ora.
Ave, regum alta proles,
Tu me, Virgo, sicut soles,
Ad te salva fugientem,
Serva tibi procidentem.
Ave, arbor mire culta,
Virgo pollens laude multa,
In qua Deus cum descendit,
Fœdum nihil deprehendit.
Ave, Virgo, quæ lactasti
Suave lumen, quod gustasti,
Et in cœlo mente fixa,
Stella Solem es enixa.
Ave, botrum ferens vitis,
Per quam pulsa mundi sitis,
Lux est cæcis restaurata,
Et libertas vinctis data.
Ave, felix in septenas
Sparsa stellas, quæ (*a*) serenas
Christiani orbis rura
Luce nunquam occasura.
Ave, rerum potens diva,
Mensæ Dei tu conviva,
Tu medullam da frumenti
Tecum mihi discumbenti.
Ave, tota dealbata
Virgo, cui comparata
Luna nigra reputatur,
Sol cum stellis obscuratur.
Ave, Virgo, quæ lætaris,
Et exultans gloriaris
De virtutum tot unguentis
In cubili tuæ mentis.
Ave, sidus principale,
Alma Dei Mater, vale,
In æternum æternorum
Digna sono cymbalorum. Amen.

(*a*) *Cæt. edit.* quas.

CARMINA

SUPER CANTICUM SALVE REGINA [1]

ARGUMENTUM

(*Ex edit. Vatican.* 1596.)

Salve Regina sic dispositum est a sancto Bonaventura, ut singulis vocibus quatuor adhibeat carmina B. Virginis laudes uberius explicantia : id quod optime præstitit Doctor sanctissimus, cum vere religiosus esset, et affectione sancta ferveret : non enim nisi ab iis, qui ejusmodi sunt, canticum hoc subtiliter intelligi, aut efficaciter poterit decantari. De quo Bernardus, aut quisquis alius est auctor, in *Salve Regina* serm. I, non longe a principio, sic loquitur : « Tam suave est ad gratiam, tam fœcundum ad sensum, tam » etiam profundum ad mysteria, quod a nobis considerari et discuti, prout dignum est, » non valeat. Ex eo autem, quod suaviter sonat, mulcet affectum, et de sensuum uber- » tate mentem impinguat, et in Sanctam sanctorum, advocatam scilicet nostram, dum » eam, quasi præsentem salutat, omnia interiora nostra medullitus inflammat. » Hæc ille. Ex quibus manifeste apparet præstantia hujus cantici, quod Auctor noster devote canendo, ad frequentem illius meditationem animos legentium accendit.

Salve.

Salve, Virgo Virginum, stella matutina,
Sordidorum criminum vera medicina,
Consolatrix hominum, qui sunt in ruina :
O vere peccaminum vere draconina.

Regina.

Regina regnantium, Virgo puellaris,
Peperisti Filium Mater singularis,
Sacratum Palatium Dei convocaris,
Divinum auxilium nobis largiaris.

Misericordiæ.

Fons misericordiæ dici meruisti,
Atque Mater gratiæ, quia concepisti
Summum regem gloriæ, quem post peperisti,
Largitorem veniæ mundo contulisti.

Vita.

Vita, via, veritas est de terra nata,
Et tua virginitas restat illibata ;
Nam tua humilitas fuit operata,
Quod in te divinitas esset incarnata.

Dulcedo.

Dulcedo dulcedinis fructus benedictus,
Ventris tui Virginis Agnus Dei dictus,
Cujus unda sanguinis homo derelictus,
Lotus labe criminis est, et dæmon victus.

Et spes nostra.

Et spes nostra solida es, Virgo Maria,
Virga Jesse florida, ut in Isaia [2] ;
Rore cœli madida, dicit prophetia [3] ;
Pulchra ut nix candida, Mater Dei pia.

[1] *Cf.* Edit. Argentin. an. 1495, 15, part. II ; edit. Vatican., tom. VI, part. II, pag. 389 ; edit. Ven. an. 1611, tom. II, 21 ; edit. Lugd. an. 1647, tom. I, 492 ; edit. Venet. an. 1754, tom. XIII, 350. — [2] *Isa.*, XI, 1. — [3] *Judic.*, VI, 37.

Salve.

Salve, lux fidelium, fulgens ut aurora,
Quæ es supra lilium pulchra et decora,
Omne quod est noxium tolle sine mora,
Et Dei auxilium pro nobis implora.

Ad te.

Ad te clamamus miseri, multum desolati.
Nobis aures aperi pectoris sacrati :
Ut a fauce inferi per te liberati,
Consequamur liberi viam tui nati.

Clamamus.

Clamamus devotius ad te suspirantes,
Et affectuosius te pie precantes.
Dele quod interius male cogitantes
Gessimus exterius opere peccantes.

Exules.

Exules exilio omnes sumus dati,
Pro parentum vitio gloria privati,
Paradisi gaudio et exorbitati,
Tuo beneficio sumus reparati.

Filii.

Filii suspiriis prodere coguntur
Mundi miseriam (*a*), per quam involvuntur.
Ad damnata vitia sæpe dilabuntur;
Sed misericordia tua fulciuntur.

Evæ.

Evæ lapsus intulit damnum desperatum,
Et a nobis abstulit gaudium beatum.
Et post Evam contulit Virgini incarnatum,
Quo modo mortem sustulit, diluit peccatum.

Ad te.

Ad te clamant jugiter tui famulantes,
Et in te fideliter omnes suspirantes,
Juvamen humiliter tuum implorantes,
Quos misericorditer audias clamantes.

Suspiramus.

Suspiramus fletibus nostris pro peccatis,
Et multis gemitibus per nos perpetratis.
Sed in te confidimus, mater pietatis.
Vere pœnitentibus veniam da gratis.

Gementes.

Gementes recolimus mala retroacta,
Quæ inique gessimus mente non coacta.
Sed in te confidimus, Maria intacta,
Ut a te, quæ petimus, sint in nobis facta.

Et flentes.

Et flentes doloribus mente verecunda,
Lumen nostris cordibus infunde secunda (*b*) :
Vitiorum sordibus benigne tu munda;
Junge nos cœlestibus, Maria jucunda.

In hac valle.

In hac valle misera multum tenebrosa,
Hominum sunt genera multum fœdosa;
Nam eorum opera sunt contagiosa,
Propter facta scelera et opprobriosa.

Lacrymarum.

Lacrymarum cumuli non prosunt, vel aquæ :
Cum senes et parvuli, et plebs unaquaque
Timeant, quod æmuli quærunt circumquaque,
Et fratres hujus sæculi trahunt usquequaque.

Eia ergo.

Eia ergo dirige (*c*) ad te nostras mentes,
Atque lapsos (*d*) erige : conforta trementes,
Et errantes corrige te pie quærentes,
Miseros nos protege (*e*) in te confidentes.

Advocata.

Advocata libera, coram Salvatore
Postulare propera, consuetoque more,
Et pro gente misera, benigno favore,
Natum tuum mitiga materno amore.

Nostra.

Nostra spes fidelium semper fuit talis,
Est et erit omnium, Mater virginalis,
Ut nobis præsidium civitas regalis
Sit, atque remedium, pulsis procul malis.

Illos tuos misericordes oculos ad nos converte.

Illos pios oculos et misericordes
Converte ad famulos in bono discordes,
Et ad malum sedulos fortius concordes,
Nostræ carnis stimulos deleas, et sordes.

Et Jesum benedictum fructum.

Et Jesum unigenitum fructum benedictum,
Monstra nobis inclytum, pium, et non fictum,
Per quem genus perditum a Deo in ævum victum,
Datum in interitum, revixit invictum.

(*a*) *Cæt. edit.* pro miseria. — (*b*) *Item* facunda. — (*c*) *Item* digne. — (*d*) *Item* lapsus. (*e*) *Item* dirige.

Ventris tui.

Ventris tui viscera Jesum portaverunt,
Et beata ubera ipsum lactaverunt,
Cui Judæi vulnera dira intulerunt,
Et ipsum post verbera cruci tradiderunt.

Nobis post hoc exilium ostende.

Nobis post hoc exilium, benignum ostende
Jesum tuum Filium, et nobis impende
Verum patrocinium, et maternum extende,
Et cum ad judicium erimus, defende.

O clemens.

O clemens clementia summæ bonitatis,
Adonai filia, flos virginitatis,
Damnatorum venia, mater pietatis,
Virginum lætitia, stola charitatis.

O pia.

O pia piissima Regina cœlorum,
Omnium digna ditissima Dei sæculorum,
Virgo prudentissima, gemma confessorum,
Atque jucundissima laus apostolorum.

O dulcis.

O dulcis dulcissima, super favo, melle,
Columba castissima, carens omni felle,
Mater benignissima, juxta nostrum velle,
Cuncta fœtidissima a nobis repelle.

Maria.

Maria eximia, Natum deprecare.
Ut quicumque omnia hæc vult recitare,
In tui memoria, et te collaudare,
Dignetur in gloria sua collocare.

PSALTERIUM MAJUS B. MARIÆ VIRGINIS [1]

ARGUMENTUM

(*Ex edit. Vatican.* 1596.)

Sequens opusculum, cui titulus est *Psalterium B. Virginis,* artificiose instar Davidici Psalterii Sanctus Bonaventura composuit. Sunt autem in eo centum quinquaginta psalmi, quorum initia cohærent cum psalmis Davidis; quæ vero subsequuntur verba, Beatæ Virgini pulchre aptantur. Continet etiam cantica octo, instar scilicet canticorum Isaiæ, Ezechiæ, Annæ, duorum Moysi, Habacuc, trium puerorum, et Zachariæ; præterea hymnum, *Te matrem Dei laudamus*, similem illi, qui Ambrosio et Augustino tribuitur; denique symbolum, *Quicumque vult*, ad imitationem Symboli Athanasii. Quis vero fuerit Auctoris scopus in hoc opusculo, ex præfatione in ipsum satis apparet.

PRÆFATIO

Arripe illam, et exaltabit te, et glorificaberis ab ea, cum illam fueris amplexatus. Dabit capiti tuo augmenta gratiarum, et corona inclyta proteget te, ait Sapiens [2]. Gloria in excelsis Deo, et gratiarum actio, et vox laudis, qui nunc per prophetica mysteria, nunc per oracula de cœlis lapsa, nunc per lectionem evangelicam, nunc per apostolicam turbam, multifarie multisque modis ad honorem Virginis Mariæ, Reginæ cœlorum ac angelorum, sincerissime nos invitat ac incitat: ut per ipsius sancta merita, omni acceptione dignissima, ex infernorum claustris arreptos, angelicæ militiæ nos adscribat. Unde, licet Salomon verba prædicta de sapientia protulerit; Spiritus tamen sanctus illa ad Virginem præcellentem Mariam intellectu mystico reflectit. In quo verbo vos, amicæ charissimæ, ad ipsius amorem est alliciens, vestrumque cor ad ipsius amplexum variis promissionibus attrahens et demulcens. Assignat autem vobis assecutura quatuor dona mirifica, si tam præclara puella nexu spirituali vobis fuerit conjuncta, et brachiis desideriorum ferventium a vobis cum magna reverentia et devotione amplexata. Primo affert vobis exaltationem, ibi : *Et exaltabit te;* secundo glorificationem, ibi : *Et glorificaberis ab ea;* tertio gratiarum abundantiam, ibi : *Dabit capiti tuo augmenta gratiarum;* quarto viriditatis perpetuæ immarcescibilem coronam, ibi : *Corona inclyta proteget te.* Unde rogo, charissimæ et desirantissimæ (*a*), ne tam nobilem et speciosissimam Virginem repellatis, ne tam admirandam reverendissimam Reginam Virginem Mariam vilipendatis : ne si a vobis contemptam se viderit, non dico tantis fraudemini, verum, quod absit, mala perpetua incurratis. Quapropter ad obsequendum ei sinum mentis extendatis, ad laudandum et glorificandum eam cor præparate, linguam laxate, ac celeri famulatu illi placere festinate. Constat enim, quod ex ipsius accessu remanebitis devotiores, ex ipsius tactu mundiores, ex ipsius amplexu virtute et gratia profusiores et nitidiores. Et, ut tantorum bonorum vobis aliquam occasionem conferam

[1] *Cf.* Edit. Argentin. an. 1495, part. II; edit. Vatican. an. 1596, tom. VI, pag. 501; edit. Ven. an. 1611, tom. II; edit. Lugd. an. 1647, tom. I, pag. 504; edit. Ven. an. 1754, tom. XIII, pag 232. — [2] *Prov.*, IV, 8, 9. — (*a*) *Leg.* desideratissimæ.

mitto vobis ipsius Virginis sacratissimæ Psalterium, ex scintillula meæ pauculæ intelligentiæ, gratia et adjutorio illius, conditum et compactum : in quo diversis præconiis eam extolletis, nunc ipsius virginitatem et castimoniam, nunc ejus fœcunditatem et sanctimoniam, nunc ejus largitatem sive clementiam. Ibi efferetis eam velut plenam omni gratia, velut repletam omni scientia, velut illustratam omni sapientia et intelligentia. Ibi benedicetis fructum sui ventris gloriosi, membra corporis sancti, et prærogativas animæ, omni sanctitate pollentes. Ibi ad ipsius laudem invocabitis choros angelorum, et sanctorum nationes hominum, insulas gentium, cœlum, et pulchritudinem luminarium, ac totum orbem terrarum. Ibi eam rogabitis, ut destruat vires spiritualium hostium, ut vobis impetret veniam peccatorum, ut vobis reddat placabilem terribilem judicem, et ut vestrum finem sua illustret præsentia, vobisque obtineat gaudia sine fine mansura. Igitur, o charissimæ, hoc tantillum meum munusculum primum vobis oblatum gratanter suscipite, fructumque ex eo proferre satagite, et in eo Matrem Dei frequentius collaudate : si forte piissima super vos suum convertat amabilem vultum, ad suum amorem vos recipiens, vestram animam in præsenti recreans et reficiens, et in futura gloria coronam de lapide pretioso vestro capiti superponens.

PSALTERIUM.

Psalmus 1.

Beatus vir qui diligit nomen tuum, Maria Virgo : gratia tua animam ejus confortabit.

Tanquam aquarum fontibus irrigatum uber : in eo fructum justitiæ propagabis.

Benedicta tu inter mulieres, per credulitatem cordis sancti tui.

Universas enim fœminas vincis pulchritudine carnis : superas angelos et archangelos excellentia sanctitatis.

Misericordia tua et gratia ubique prædicatur : Deus operibus manuum tuarum benedixit. Gloria Patri, etc.

Psalmus 2.

Quare fremuerunt inimici nostri : et adversum nos meditati sunt inania ?

Protegat nos dextera tua, Mater Dei : ut acies terribilis, confundens et destruens eos.

Venite ad eam, qui laboratis et tribulati estis : et dabit refrigerium animabus vestris.

Accedite ad eam in tentationibus vestris : et stabilitet vos serenitas vultus ejus.

Benedicite illam in toto corde vestro : misericordia enim illius plena est terra. Gloria Patri, etc.

Psalmus 3.

Domina, quid multiplicati sunt qui tribulant me ? in tempestate tua persequeris et dissipabis eos.

Dissolve colligationes impietatis nostræ : tolle fasciculos peccatorum nostrorum.

Miserere mei, Domina, et sana infirmitatem meam : tolle dolorem et angustiam cordis mei.

Ne tradas me manibus inimicorum meorum : et in die mortis meæ conforta animam meam.

Deduc me ad portum salutis : et spiritum meum redde Factori et Creatori meo. Gloria Patri, etc.

Psalmus 4.

Cum invocarem exaudisti me, Domina : et e sublimi solio tuo, mei dignata es recordari.

A rugientibus præparatis ad escam : et de manibus quærentium liberabit me gratia tua.

Quoniam benigna est misericordia et pietas tua : in omnes, qui invocant nomen sanctum tuum.

Benedicta sis, Domina, in æternum : et majestas tua in sæculum.

Glorificate eam, omnes gentes, in virtute vestra : et cuncti populi terræ, extollite magnificentiam ejus. Gloria Patri, etc.

Psalmus 5.

Verba mea auribus percipe, Domina : et ne avertas a me speciositatem vultus tui.

Converte luctum nostrum in gaudium :et tribulationem nostram in jubilationem.

Corruant ante pedes nostros inimici nostri : virtute tua eorum capita conterantur.

Benedicat te omnis lingua : et nomen sanctum tuum confiteatur omnis caro.

Spiritus enim tuus super mel dulcis : et hæreditas super mel et favum. Gloria Patri, etc.

Psalmus 6.

Domina, ne in furore Dei sinas corripi me : neque in ira ejus judicari.

Propter honorem nominis tui, Domina : propitietur nobis fructus gloriosi ventris tui.

De porta inferi, et de ventre abyssi : tuis sanctis precibus libera nos.

Aperiantur nobis januæ sempiternæ : ut enarremus in æternum mirabilia tua.

Quia non mortui, neque qui in inferno sunt, laudabunt te, Domina : sed qui tua gratia vitam æternam obtinebunt. Gloria Patri, etc.

Psalmus 7.

Domina mea, in te speravi : de inimicis meis libera me, Domina.

Conclude ora leonis et dentes ejus : labia persequentium constringe.

Non moreris propter nomen tuum : facere nobis misericordiam tuam.

Splendor vultus tui fulgeat super nos : ut servetur conscientia nostra apud Altissimum.

Si persequatur inimicus animam meam, Domina, adjutorio tuo conforter : ne vibret gladium suum contra me. Gloria Patri, etc.

Psalmus 8.

Domina, Dominus noster factus est frater noster : et Salvator noster.

Ut ignis in rubo, et ros in vellere : descendit in te æternum Verbum Dei.

Spiritu sancto fœcundante : obumbravit tibi virtus Altissimi.

Benedictus sit mundissimus conceptus tuus : benedictus sit partus tuus virgineus.

Benedicta sit munditia carnis tuæ : benedicta sit dulcedo misericordiæ cordis tui. Gloria Patri, etc.

Psalmus 9.

Confitebor tibi, Domina, in toto corde meo : et narrabo in populis laudem et gloriam tuam.

Tibi enim debetur gloria, et gratiarum actio : et vox laudis.

Invenient gratiam peccatores apud Deum : per te inventricem gratiæ et salutis.

Respirent ad indulgentiam humiles pœnitentes : sana contritiones cordis eorum.

In pulchritudine pacis, et requie opulenta : cibabis nos post laborem peregrinationis nostræ. Gloria, etc.

Psalmus 10.

In Domina confido : propter dulcedinem misericordiæ nominis sui.

Oculi ejus in pauperem respiciunt : et manus ejus ad pupillum et viduam sunt extentæ.

Exquirite illam a juventute vestra : glorificabit vos ante faciem populorum.

Misericordia illius nostrorum auferat multitudinem peccatorum : et fœcunditatem nobis conferat meritorum.

Extende ad nos brachium tuum, Virgo gloriosa : et ne avertas a nobis gloriosum vultum tuum. Gloria, etc.

Psalmus 11.

Salvum me fac, Mater pulchræ dilectionis : fons clementiæ et dulcor pietatis.

Gyrum terræ sola circuis : ut subvenias invocantibus te.

Pulchræ sunt viæ tuæ : et semitæ tuæ pacificæ.

In te refulget species castitatis : lumen justitiæ, et splendor veritatis.

Amicta solari lumine sicut vestimento : duodecim stellarum corona rutilans radianti. Gloria Patri, etc.

Psalmus 12.

Usquequo, Domina, oblivisceris me : et non liberas me in die tribulationis ?

Usquequo exaltabitur inimicus meus super me ? potentia virtutis tuæ contere ipsum.

Aperi oculos misericordiæ tuæ : ne inimicus noster adversus nos prævaleat.

Magnificamus te gratiæ inventricem : per quam sæcula reparantur.

Exaltata super choros angelorum : ante thronum Dei ora pro nobis. Gloria Patri, etc.

Psalmus 13.

Dixit insipiens adversarius noster in corde suo : Persequar et comprehendam, et interficiet eum manus mea.

Exurge, Domina, et præveni eum, et supplanta eum : destrue omnes conatus illius.

Tuam pulchritudinem Sol et Luna mirantur : tibi angelicæ potestates serviunt et famulantur.

Tuo tactu lenissimo sanantur infirmi : tuo odore roseo mortui reviviscunt.

Virgo Dei genitrix, quem totus non capit orbis : in tua se clausit viscera factus homo. Gloria Patri, etc.

PSALMUS 14.

Domina, quis habitabit in tabernaculo Dei? aut quis requiescet cum senatoribus populi ?

Pauperes spiritu, et mundi corde : mites, pacifici, atque lugentes.

Recordare, Domina, ut loquaris pro nobis bona : et indignationem Filii tui avertas a nobis.

Amplectamur Mariæ vestigia peccatores : et ejus beatis pedibus provolvamur.

Teneamus eam fortiter, nec dimittamus : donec ab ea meruerimus benedici. Gloria Patri, etc.

PSALMUS 15.

Conserva me, Domina, quoniam speravi in te : mihique tuæ stillicidia gratiæ impartire.

Alvus tuus virginalis et viscera tua : Filium Altissimi genuerunt.

Benedicta sint ubera tua : quibus lacte deifico Salvatorem enutriisti.

Confitemini laudes Virgini gloriosæ : quicumque apud eam gratiam et misericordiam invenistis.

Date magnificentiam nomini ejus : et collaudate in sæculum conceptum atque partum ejus. Gloria, etc.

PSALMUS 16.

Exaudi, Domina, justitiam meam et amorem : amove a me tribulationem meam.

Confitebor tibi in voce exultationis : cum magnificaveris super me misericordiam tuam.

Imitamini eam, sanctæ Virgines Dei : ut imitatæ sunt Agnes, Barbara, Dorothea, et Catharina.

Honorificate eam in voce labiorum vestorum : per hoc ejus gratiam Agatha, Lucia, Margarita, et Cæcilia susceperunt.

Sponsum dabit vobis Patris Filium : et de Paradisi liliis coronam incomparabiliter radiantem. Gloria, etc.

PSALMUS 17.

Diligam te, Domina cœli et terræ : et in gentibus nomen tuum invocabo.

Confitemini illi, tribulati corde : et roborabit vos contra inimicos vestros.

Stilla nobis, Domina, gratiam uberum tuorum : ex manante lacte dulcedinis tuæ refice viscera puerorum tuorum.

Religiosi omnes, honorate illam : quia ipsa est adjutrix, et vestra specialis advocata.

Esto refrigerium nostrum, gloriosa Mater Christi : quia tu es totius religionis mirabile firmamentum. Gloria Patri, etc.

PSALMUS 18.

Cœli enarrant gloriam tuam : et unguentorum tuorum fragrantia in gentibus est dispersa.

Respirate ad illam, perditi peccatores : et perducet vos ad indulgentiæ portum.

In hymnis et psalmis et canticis pulsate viscera ejus : et stillabit vobis gratiam dulcedinis suæ.

Glorificate eam, justi, ante thronum Dei : quia fructu ventris ejus estis justitiam operati.

Laudate eam, cœli cœlorum : et nomen ejus glorificet omnis terra. Gloria Patri, etc.

PSALMUS 19.

Exaudias nos, Domina, in die tribulationis : et precibus nostris converte clementem faciem tuam.

Ne projicias nos in tempore mortis nostræ ; sed succurre animæ, cum deseruerit corpus suum.

Mitte angelum in occursum ejus : per quem ab hostibus defendatur.

Ostende ei serenissimum Judicem sæculorum : qui ob tui gratiam veniam ei largiatur.

Sentiat in pœnis refrigerium tuum : et concede ei locum inter electos Dei. Gloria Patri, etc.

PSALMUS 20.

Domina, in virtute tua lætabitur cor nostrum : et in dulcedine nominis tui consolabitur anima nostra.

De sedibus mitte nobis sapientiam : per quam in omni veritate dulciter illustremur.

A carnalibus desideriis concede gratiam abstinendi : ut lumen gratiæ in nostris cordibus oriatur.

Quam dulcia diligentibus te eloquia tua, Domina! quam suavia sunt tuarum stillicidia gratiarum!

Gloriam et honorem psallam tibi : et in nomine tuo gloriabor in sæculum. Gloria Patri, etc.

PSALMUS 21.

Deus, Deus meus : respiciat in me meritis tuis, Virgo semper Maria.

Domina mea, clamavi ad te per diem et noc-

tem : et fecisti cum servo tuo misericordiam tuam.

Quia ego speravi in misericordia tua : sempiternum a me opprobrium abstulisti.

Deriserunt me inimici mei undique : tu autem sub umbra manus tuæ contulisti mihi refrigerium bonum.

Adorent te familiæ gentium : et glorificent te omnes ordines angelorum. Gloria Patri, etc.

Psalmus 22.

Dominus regit me, Virgo Dei genitrix : quia tu (*a*) amabilem vultum ejus (*b*) ad me convertisti.

Benedicti sunt oculi tui splendissimi : quos digneris misericorditer convertere super nos peccatores.

Benedictum sit lumen et splendor faciei tuæ : benedicta sit gratia vultus tui.

Benedicta sit misericordia manuum tuarum : benedicta sit emanatio virginei lactis tui.

Benedicant te apostoli tui (*c*) et prophetæ Dei : martyres, confessores, et virgines psallant tibi. Gloria, etc.

Psalmus 23.

Domini est terra et plenitudo ejus : tu autem, sanctissima Mater, cum eo regnas in æternum.

Gloriam et decorem induisti : omnis lapis pretiosus amictus et operimentum tuum.

Splendor Solis super caput tuum : lunaris pulchritudo sub pedibus tuis.

Sidera micantia ornant sedile tuum : astra te glorificant jugiter matutina.

Memento nostri, Domina, in beneplacito tuo : et fac nos dignos glorificandi nomen tuum. Gloria, etc.

Psalmus 24.

Ad te, Domina, levavi animam meam : in judicio Dei, tuis precibus, non erubescam.

Neque illudant mihi adversarii mei : etenim præsumentes de te roborantur.

Non prævaleant adversum me laquei mortis : et castra malignantium non impediant gressus meos.

Collide impetum eorum in virtute tua : et cum mansuetudine occurre animæ meæ.

Ductrix mea esto ad patriam : et me cœtui angelorum digneris aggregare. Gloria Patri, etc.

Psalmus 25.

Judica me, Domina, quoniam ab innocentia mea digressus sum : sed quia speravi in te, non infirmabor.

Ure cor meum igne amoris tui : et cingulo castitatis restringe renes meos.

Quoniam misericordia tua, et clementia tua ante oculos meos : et delectatus sum in voce laudis tuæ.

Domina, dilexi decorem faciei tuæ : et veneratus sum sanctam majestatem tuam.

Confitemini nomini ejus, quoniam sanctum est : enarrentur in sæculum mirabilia ejus. Gloria Patri, etc.

Psalmus 26.

Domina, illuminatio mea sit splendor faciei tuæ : et serenitas tuæ gratiæ refulgeat menti meæ.

Exalta caput meum : et ego psalmum nomini tuo decantabo.

Ne avertas faciem tuam a me : quia speciem et decorem tuum a juventute mea concupivi.

Te amavi et exquisivi, Regina cœlorum : misericordiam tuam et gratiam tuam ne subtrahas a servo tuo.

Confitebor tibi in nationibus : et thronum gloriæ tuæ honorificabo. Gloria Patri, etc.

Psalmus 27.

Ad te, Domina, clamabo, et exaudies me : in voce laudis tuæ lætificabis me.

Miserere mei in die angustiæ meæ : et in luce veritatis tuæ libera me.

Benedicta sis, o Domina : in finibus omnibus orbis terræ.

Sanctuarium quod firmaverunt manus tuæ : est sanctum templum corporis tui.

Conscientia tua munda et immaculata est : locus propitiationis et habitaculum sanctum Dei. Gloria, etc.

Psalmus 28.

Afferte Dominæ nostræ, filii Dei : afferte Dominæ nostræ laudem et reverentiam.

Da virtutem sanctis tuis, Mater sancta : et benedictionem laudantibus atque glorificantibus te.

Exaudi gemitus suspirantium ad te : et ne spernas vota invocantium nomen tuum.

Sit manus tua ad succurrendum mihi parata : et auris tua intendens ad deprecationem meam.

Benedicant tibi cœli et terra : mare et orbis terrarum. Gloria Patri, etc.

(*a*) *Leg.* tuum. — (*b*) *Del.* ejus. — (*c*) *Del.* tui.

PSALMUS 29.

Exaltabo te, Domina, quoniam suscepisti me : ab iniquo adversario meo liberabis me.

Convertere ad me, et vivifica me, de portis mortis reduc me : et de fluctibus tribulationum, quæ circumdederunt me.

Propter imperium et magnificentiam dexteræ tuæ : contere et dissipa omnes adversarios meos.

Et ego offeram tibi sacrificium laudis : et gloriam tuam devotius exaltabo.

Exultate, cœli, et jucundare, terra: quia consolabitur (*a*) Maria servos suos, et pauperum suorum miserebitur. Gloria Patri, etc.

PSALMUS 30.

In te, Domina, speravi, non confundar in æternum : in gratia tua suscipe me.

Tu es fortitudo mea et refugium meum : consolatio mea et protectio mea.

Ad te, Domina, clamavi, dum tribularetur cor meum : et exaudisti me de vertice collium æternorum.

Educas me de laqueo, quem absconderunt mihi : quoniam tu es adjutrix mea.

In manus tuas, Domina, commendo spiritum meum : totam vitam meam et diem ultimum meum. Gloria Patri, etc.

PSALMUS 31.

Beati, quorum corda te diligunt, Virgo Maria : peccata ipsorum a te misericorditer diluentur.

Sancta, casta et florigera ubera tua : quæ florem viriditatis perpetuæ eruperunt.

Decor pulchritudinis tuæ corruptionem non videbit : et vultus tui gratia in perpetuum non marcescet.

Benedicta tu, Virga Jesse sublimis : quia te usque ad sedentem in throno dilatasti.

O Virgo Regina, ipsa es via : per quam nos salus de supernis sedibus visitavit. Gloria Patri, etc.

PSALMUS 32.

Exultate, justi, in Virgine Maria : et in rectitudine cordis collaudate eam.

Accedite ad eam cum reverentia et devotione : et delectetur cor vestrum in salutatione ejus.

Impendite illi sacrificium laudis : et inebriamini ab uberibus dulcoris illius.

Influit enim vobis radios suæ pietatis : et clarificabit vos fulgoribus misericordiæ suæ.

Suavissimus est fructus illius : in ore et in corde sapientis dulcescit. Gloria Patri, etc.

PSALMUS 33.

Benedicam Dominam in omni tempore : et non deficiet laus ejus in ore meo.

Magnificate eam mecum omnes : qui impinguati estis melle et lacte recreationis ejus.

In periculis, in rebus dubiis invocate eam : et in necessitatibus invenietis auxilium et refrigerium dulce.

Sumite exemplum conversationis ejus : et æmulamini studia charitatis et humilitatis illius.

Quia ergo, Domina, humillima fuisti : Verbum increatum ex te carnem suscipere coegisti. Gloria Patri, etc.

PSALMUS 34.

Judica, Domina, nocentes me : et contra eos exurge, et vindica causam meam.

Anima mea in te lætabitur : et tuis beneficiis devotus exultabo.

Gratia et dulcedine tua pleni sunt cœli et terra : undique tuis beneficiis irretisti nos semper.

Quocumque enim pergimus : occurrit nobis diffusio tui uteri virginalis.

Curramus ergo, charissimi, et ita nobilem et dulcifluam Virginem salutemus : ut in suæ dulcedinis gremio quiescamus. Gloria Patri, etc.

PSALMUS 35.

Dixit injustus, ut peccet in abscondito : per te (*b*) a malo proposito discedat, Mater Dei.

Inclina vultum Dei super nos : coge illum peccatoribus misereri.

Domina, in cœlo misericordia tua : et gratia tua diffusa est super terram.

Potentia et virtus in brachio tuo : robur et fortitudo in dextera tua.

Benedictum sit imperium tuum super cœlos : benedicta sit magnificentia tua super terram. Gloria, etc.

PSALMUS 36.

Noli æmulari in malignantibus, Domina : furorem eorum dulcifica per gratiam tuam.

Sperate in illa, religiosi et claustrales : confidite in illa, clerici et sæculares.

(*a*) *Cæt. edit.* consolatur. — (*b*) *Item* se.

Delectamini in laudibus illius : et exaudiet petitiones cordis vestri.

Melius est modicum cum gratia illius : quam thesauri argentei et lapides pretiosi.

Gloria semper sit tibi, o Regina cœlorum : et in ullo tempore noli nos oblivisci.

PSALMUS 37.

Domina, ne in furore tuo arguat me Dominus : nobis veniam obtine de peccatis.

In conspectu tuo sit omne desiderium nostrum : spes nostra et confidentia nostra.

Cor meum conturbatum est in me : recedit lux de visceribus meis.

Illumina splendore tuo cæcitatem meam : dulcifica dulcore tuo contritionem meam.

Ne derelinquas nos, Domina mater Dei : gratia tua et virtus sit a dextris meis. Gloria Patri, etc.

PSALMUS 38.

Dixi : Custodiam vias meas, o Domina : cum per te gratia Christi mihi fuit data.

Dulcore tuo liquefactum est cor meum : amore tuo inflammata sunt viscera mea.

Exaudi orationem meam, Domina, et deprecationem meam : et contabescant adversarii mei.

Miserere mei de cœlis, et de altitudine throni tui : et ne permittas me in valle miseriæ conturbari.

Custodi pedem meum, ne lædatur : et in fine meo sit gratia tua. Gloria Patri, etc.

PSALMUS 39.

Expectans expectavi gratiam tuam : et fecisti mihi secundum multitudinem misericordiæ nominis tui.

Exaudisti preces meas : et eduxisti me de lacu miseriæ, et de fovea inimici.

Multa et mirabilia sunt dona tua, Domina : incomparabilia sunt munera gratiarum tuarum.

Exultent et lætentur super te omnes, qui diligunt te : qui oderunt nomen tuum, corruant in infernum.

Benedicta sis in æternum, Domina : in sæculum et in sæculum sæculi. Gloria Patri, etc.

PSALMUS 40.

Beata Maria intelligit super egenum et pauperem : in ejus laudibus permanentem.

Domina angelorum, Regina mundi : munda cor meum igne amoris et charitatis tuæ.

Tu es mater illuminationis cordis mei : tu es nutrix refovens mentem meam.

Te cupit os meum collaudare : te affectat mens mea affectuosissime venerari.

Te desiderat anima mea exorare : quia tuitioni tuæ se commendat tota substantia mea. Gloria Patri, etc.

PSALMUS 41.

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum : ita ad amorem tuum anhelat anima mea.

Quia tu es genitrix vitæ meæ : et altrix Reparatoris carnis meæ.

Quia tu es lactatrix Salvatoris animæ meæ : initium et finis totius salutis meæ.

Exaudi me, Domina, mundentur sordes meæ : illumina me, Domina, ut illustrentur tenebræ meæ.

Accendatur amore tuo tepor meus : gratia tua expellatur torpor meus. Gloria Patri, etc.

PSALMUS 42.

Judica me, Domina, et discerne causam meam de gente perversa : a serpente maligno et a dracone pestifero libera me.

Sancta fœcunditas tua disperdat eum : beata virginitas tua conterat caput ejus.

Sanctæ præces tuæ corroborent nos contra eum : sancta merita tua exinaniant virtutem ejus.

Persecutorem animæ meæ mitte in abyssum : puteus infernalis deglutiat eum viventem.

Ego autem et anima mea in terra captivitatis meæ benedicam nomen tuum : et glorificabo te in sæcula sæculorum. Gloria Patri, etc.

PSALMUS 43.

Domina, auribus nostris audivimus : et patres nostri annuntiaverunt nobis.

Quia ineffabilia sunt merita tua : et valde stupenda mirabilia tua.

Domina, innumerabiles sunt virtutes tuæ : et inæstimabiles misericordiæ tuæ.

Exulta, anima mea, et lætare in illa : quia multa bona sunt laudatoribus præparata.

Benedicta sis, Regina cœlorum et angelorum : et benedicantur a Deo laudatores magnificentiæ tuæ. Gloria Patri, etc.

PSALMUS 44.

Eructavit cor meum verbum bonum, Do-

mina : cum rore mellifluo extitit dulcoratum.

Per tuam sanctitatem peccata mea purgentur : per tuam integritatem mihi incorruptibilitas condonetur.

Per tuam virginitatem anima mea a Christo adamatur : et sibi amoris vinculo sociatur.

Per tuam fœcunditatem ego captivus sum redemptus : per tuum partum virgineum de morte perpetua sum ereptus.

Per tuam prolem dignissimam perditus sum restitutus : et de exilio miseriæ in patriam beatitudinis sum reductus. Gloria Patri, etc.

Psalmus 45.

Domina, refugium nostrum tu es in omni necessitate nostra : et virtus potentior conterens inimicum.

Beneficiis tuis plenus est mundus : superant cœlestia, penetrant et inferna.

Plenitudine gratiæ tuæ, quæ in inferno erant : se lætantur liberata.

Obtentu fœcunditatis tuæ virgineæ, quæ supra mundum sunt : se gaudent restaurata.

Per gloriosum tuæ virginitatis sanctissimæ partum : homines angelorum fiunt socii et concives. Gloria Patri, etc.

Psalmus 46.

Omnes gentes, plaudite manibus : psallite in jubilo virgini gloriosæ.

Quoniam ipsa est porta vitæ, janua salutis : et via nostræ reconciliationis.

Spes pœnitentium, solamen lugentium : pax beata cordium, atque salus.

Miserere mei, Domina, miserere mei : quia tu es lux et spes omnium confidentium in te.

Per tuam salutarem fœcunditatem placeat : ut peccatorum venia mihi concedatur.

Gloria Patri, etc.

Psalmus 47.

Magna es, Domina, et laudabilis valde in civitate Dei cœli : in universa Ecclesia electorum ejus.

Ascendisti, alternantibus hymnidicis angelicis choris : archangelis constipata ; rosis et liliis coronata.

Occurrite illi, Potestates et Principatus : obviate ei, Virtutes et Dominationes.

Cherubim, et Throni, et Seraphim, exaltate eam : et constituite eam a dextris Sponsi amantissimi Filii ejus.

O quam læto animo, quam sereno aspectu suscepisti eam, angelorum et hominum Deus : et dedisti ei principatum super omnem locum dominationis tuæ ! Gloria Patri, etc.

Psalmus 48.

Audite hæc, omnes gentes : auribus percipite, qui ingredi cupitis regnum Dei.

Virginem Mariam honorate : et invenietis vitam et salutem perpetuam.

Pauperes servos tuos, Domina : felici confœderatione conjunge Christo.

Esuriem parvulorum tuorum : fructu ventris tui refice, et sustenta.

Remansisti enim incorrupta post partum : et inviolata post Filium. Gloria Patri, etc.

Psalmus 49.

Deus deorum Mariæ locutus est : per Gabrielem nuntium suum, dicens :

Ave gratia plena, Dominus tecum : per te salus mundi reparatur.

Speciem et decorem tuum : Altissimi Filius concupiscit.

Adorna thalamum tuum, filia (*a*) Sion : præparare in occursum Dei tui.

Per Spiritum enim Sanctum concipies : qui tuum partum faciet virgineum et jucundum.

Gloria Patri, etc.

Psalmus 50.

Miserere mei, Domina : quæ mater misericordiæ nuncuparis.

Et secundum viscera misericordiarum tuarum : munda me ab omnibus iniquitatibus meis.

Effunde gratiam tuam super me : et solitam clementiam tuam ne subtrahas a me.

Quoniam peccata mea confitebor tibi : et coram te me accuso de sceleribus meis.

Fructui ventris tui me reconcilia : et pacifica me ei, qui me creavit. Gloria Patri, etc.

Psalmus 51.

Quid gloriaris in malitia : o maligne serpens, et draco infernalis ?

Submitte caput tuum mulieri : cujus fortitudine demergeris in profundum.

Contere eum, Domina, pede virtutis tuæ : exurge, et dissipa malitiam ejus.

(*a*) *Cæt. edit. deest* filia.

Extingue potentiam ejus : et virtutem illius redige in favillam.

Ut viventes exultemus in nomine tuo : et læto animo dicamus tibi laudem. Gloria, etc.

Psalmus 52.

Dixit insipiens inimicus in corde suo : Hominem ejiciam de tabernaculo filiorum Dei.

Egrediar, et ero spiritus mendax in ore serpentis : et per fœminam ejiciam virum, virum ejus.

Sicut exaltantur, o miser, cœli a terra : sic exaltatæ sunt cogitationes Dei a cogitationibus tuis.

Noli extolli de casu mulieris : quia mulier conteret caput tuum.

Tu illi foveam præparasti, et in sagena illius capieris. Gloria Patri, etc.

Psalmus 53.

Domina, in nomine tuo salvum me fac : et ab injustitiis meis libera me.

Ut non noceat mihi calliditas inimici : sub umbra alarum tuarum protege me.

O Domina mea, adjuva me : gratiam tuam largire animæ meæ.

Voluntarie offeram tibi sacrificium laudis : et confitebor nomini tuo, quoniam bonum est.

Quoniam ex omni tribulatione liberabis me : et inimicos meos despiciet oculus meus.

Gloria Patri, etc.

Psalmus 54.

Exaudi, Domina, orationem meam : et ne contemnas deprecationem meam.

Contristatus sum in cogitatione mea : quia judicia Dei perterruerunt me.

Tenebræ mortis venerunt super me : et pavor inferni invasit me.

Ego autem in solitudine expecto consolationem tuam : et in cubili meo attendo misericordiam tuam.

Glorifica manum et dexterum brachium tuum : ut prosternantur a nobis inimici nostri.

Gloria Patri, etc.

Psalmus 55.

Miserere mei, Domina, quoniam conculcaverunt me hostes mei quotidie : omnes cogitationes eorum in malum contra me.

Excita furorem, et memento belli : et super eos effunde iram tuam.

Innova signa, et immuta mirabilia : sentiamus adjutorium brachii tui.

Glorifica nomen tuum super nos : ut cognoscamus quoniam in sæculum misericordia tua.

Stilla nobis guttam suavitatis tuæ : quia tu es pincerna gratiæ dulcoris. Gloria Patri, etc.

Psalmus 56.

Miserere mei, Domina, miserere mei : quia paratum est cor meum exquirere voluntatem tuam.

Et in umbra alarum tuarum requiescam : quia delectabile est mihi refrigerium tuum.

Manus tuæ distillant myrrham primam : et digiti tui unguenta gratiarum.

Et fragmenta mali punici est guttur tuum : et spiramen oris tui suave, compositum thymiama.

Tu enim es mater pulchræ dilectionis, et anchora spei : portus indulgentiæ, et janua salutis.

Gloria Patri, etc.

Psalmus 57.

Si vere utique justitiam loquimini : justitiæ et misericordiæ honorate Reginam.

Ad laudem enim et gloriam pertinet Salvatoris : quidquid honorificum suæ impensum fuerit Genitrici.

Rosæ Martyrum te circumdant, o Regina : et lilia virginum ambiunt thronum tuum.

Laudate eam simul, astra matutina : concentum illi facite, omnes filii Dei.

Glorificate eam, cœli et terra : mare et flumina, ac fundamenta orbis. Gloria Patri, etc.

Psalmus 58.

Eripe me de inimicis meis, Domina mundi : exurge in occursum meum, Regina pietatis.

Aurum obrizum in ornamentis tuis : sardius et topazius in diademate tuo.

Jaspis et amethystus in dextera tua : berillus et chrysolithus in sinistra tua.

Hyacinthus et achates in pectore tuo : carbunculi scintillantes in monilibus tuis.

Myrrha, thus et balsamum in manibus tuis : sapphirus et smaragdus in digitis tuis.

Gloria Patri, etc.

Psalmus 59.

Deus, repulisti nos propter peccata nostra : et misertus es nobis per Virginem Mariam.

Intercede pro nobis, salutifera Mater Dei : quæ angelorum et hominum salutem peperisti.

Tu enim mœstis exultationem infundis : et mœrentibus lætitiam et dulcorem.

Lætifica nos dulcifluo sono oris tui : et liquore tuo roseo perfunde corda nostra.

Tonate, cœli (*a*), desuper, et date illi laudem : glorifica illam, terra cum omnibus habitatoribus tuis. Gloria Patri, etc.

Psalmus 60.

Exaudi, Domina, orationem meam : super firmam petram stabilias mentem meam.

Esto mihi turris fortitudinis : me tuearis a facie crudelis vastatoris.

Ut castrorum acies, sis illi terribilis : et vivus corruat in profundum inferni.

Tu enim es rutilans et decora : nubes rorifera, et consurgens aurora.

Pulchra es et clara, ut luna plenissima : tanquam sol refulget, sacer aspectus tuus.

Gloria Patri, etc.

Psalmus 61.

Nonne, Domina, tibi subjecta erit anima : quæ Salvatorem omnium genuisti?

Memento nostri, perditorum Salvatrix : exaudi planctus cordis nostri.

Infunde gratiam de thesauris tuis : et unguentis tuis placa dolorem nostrum.

Da nobis gaudium et lætitiam : ut confundas bonorum inimicos.

Ablue omnia peccata nostra : sana omnes infirmitates nostras. Gloria Patri, etc.

Psalmus 62.

Deus, Deus meus : per Matrem te glorificabo.

Virginaliter enim te concepit : et sine angustia te parturivit.

Benedicta sis, o Domina nostra : et pro nobis assiste ante thronum Dei.

Species et claritas : in conspectu tuo.

Custodi animam meam, Domina : ut nunquam corruat in peccata. Gloria Patri, etc.

Psalmus 63.

Exaudi, Domina, orationem meam, cum deprecor : a pavore crudelis libera animam meam.

Impetra nobis pacem et salutem : in die novissimo.

(*a*) *Cæt. edit.* illi.

Benedicta sis super mulieres : et benedictus sit fructus ventris tui.

Illumina, Domina, oculos meos : et illustra cæcitatem meam.

Da mihi in te confidentiam bonam : in vita et in fine meo. Gloria Patri, etc.

Psalmus 64.

Te decet hymnus, Domina nostra, in Sion : laus et jubilatio in Hierusalem.

Benedictionem omnium gentium dedit tibi Dominus : laudem et gloriam ante conspectum populorum.

Benedixit te Dominus in misericordia sua : et thronum tuum constituit super ordines angelorum.

Gratiam et decorem posuit in labiis tuis : et pallio gloriæ induit corpus tuum.

Coronam radiantem posuit in capite tuo : et virtutum monilibus te decenter ornavit.

Gloria Patri, etc.

Psalmus 65.

Jubilate Dominæ nostræ, omnis terra : psallite hymnum nomini ejus, date honorificentiam majestati ejus.

Benedictum sit cor tuum, Domina : cum quo ardenter et sinceriter Filium Dei dilexisti.

Respice paupertatem meam, gloriosa Virgo : miseriam et angustiam meam ne tardes removere.

Aufer tribulationem meam : dulcifica languorem meum.

Benedicat te omnis caro : glorificet te omnis lingua. Gloria Patri, etc.

Psalmus 66.

Deus misereatur nostri, et benedicat nobis : per illam quæ eum genuit.

Miserere nostri, Domina, et ora pro nobis : in lætitiam bonam converte mœstitiam nostram.

Illumina me, Stella maris : clarifica me, Virgo clarissima.

Extingue ardorem cordis mei : refrigera me gratia tua.

Protegat me semper gratia tua : præsentia tua illustret finem meum. Gloria Patri, etc.

Psalmus 67.

Exurgat Maria, et dissipentur inimici ejus : conterantur omnes sub pedibus ejus.

Impetum inimicorum nostrorum dissipa : destrue omnem iniquitatem eorum.

Ad te, Domina, clamavi in tribulatione : et serenasti conscientiam meam.

Non deficiat laus tua in ore nostro : et amor tuus de visceribus nostris.

Pax multa diligentibus te, Domina : anima eorum non videbit mortem in æternum.

Gloria Patri, etc.

Psalmus 68.

Salvum me fac, Domina : quoniam intraverunt concupiscentiarum aquæ usque ad animam meam.

Infixus sum in limo peccati : et aquæ voluptatis circumdederunt me.

Plorans ploravi in nocte : et dies lætitiæ ortus est mihi.

Salva animam meam, Genitrix Salvatoris : quia per te vera salus data est omni mundo.

Dum nuntiante Angelo fuisti obumbrata : et Patris sapientia prægnans et gravidata.

Gloria Patri, etc.

Psalmus 69.

Domina, in adjutorium meum intende : et luce misericordiæ tuæ illustra mentem meam.

Doce nos exquirere bonitatem tuam : ut enarremus mirabilia tua.

Ostende potentiam tuam contra inimicos nostros : ut sanctificeris in nationibus procul.

In ira flammæ tuæ mergantur in infernum : et qui conturbant servos tuos, inveniant perditionem.

Miserere servorum tuorum, super quos invocatum est nomen tuum : et ne sinas angustiari eos in tentationibus suis. Gloria Patri, etc.

Psalmus 70.

In te, Domina, speravi; non confundar in æternum : in tua misericordia libera me, et eripe me.

Propter multitudinem iniquitatum mearum : oppressus sum vehementer.

Facti sunt hostes mei in capite meo : subsannaverunt et deriserunt me quotidie.

Vide, Domina, quoniam tribulor : expande manus tuas, succurre pereunti.

Ne moreris, propter gratiam nominis tui : ut efficiaris mihi in gaudium et salutem.

Gloria Patri, etc.

Psalmus 71.

Deus, judicium tuum Regi da : et misericordiam tuam Reginæ matri ejus.

In manu tua salus et vita consistunt : lætitia perpetua et æternitas gloriosa.

Resperge cor meum dulcedine tua : fac me oblivisci miserias hujus vitæ.

Trahe me post te vinculis misericordiæ tuæ : et fomentis gratiæ et pietatis tuæ sana dolorem meum.

Concupiscentias sempiternas excita in animam meam : et de gaudio Paradisi inebria mentem meam. Gloria Patri, etc.

Psalmus 72.

Quam bonus Israel Deus : his qui colunt matrem suam, et venerantur!

Ipsa est enim solatium nostrum : in laboribus subventio optima.

Obtexit caligine animam meam hostis : in visceribus meis, Domina, lumen fac oriri.

Avertatur a me ira Dei per te : placa eum meritis et precibus tuis.

In judicio pro me assiste : coram eo suscipe causam meam, et mea sis advocata. Gloria, etc.

Psalmus 73.

Ut quid, Domina, repulisti nos : nec subvenis in die tribulationis?

Ingrediatur oratio mea in conspectu tuo : et voces gementium ne despexeris.

Tetendit arcum suum contra nos inimicus : firmavit dexteram suam, et non est consolator.

Disrumpe in nobis ligaturam malitiarum suarum : et libera nos dextera tua.

Repelle eum in locum perditionis : sempiterna damnatio suscipiat eum. Gloria Patri, etc.

Psalmus 74.

Confitebimur tibi, Domina, et laudabimus nomen tuum : fac nos in tuis laudibus delectari.

Cantate ei, habitatores terræ : et laudem ejus populis nuntiate.

Confessio et magnificentia coram illa : fortitudo et exultatio in throno illius.

Adorate illam in decore illius : glorificate opificem pulchritudinis illius.

Recordamini in sempiternum misericordiæ illius : retinete in mente virtutes et mirabilia illius. Gloria Patri, etc.

Psalmus 75.

Notus in Judæa Deus : in Israel honorificentia Matris ejus.

Dulcis est memoria ejus super mel et favum : et amor ejus super omnia aromata.

Salus et vita in domo illius : et in tabernaculo ejus pax et gloria sempiterna.

Honorificate illam, cœli et terra : quia summus Artifex hanc mirabiliter honoravit.

Date, illi, omnes creaturæ, laudem : et stupendam misericordiam ejus extollite gratulanter. Gloria Patri, etc.

Psalmus 76.

Voce mea ad Dominam clamavi : et sua gratia intendit mihi.

Abstulit a corde meo mœstitiam et mœrorem : et suavitate sua cor meum dulcoravit.

Formidinem meam erexit in confidentiam bonam : et suo aspectu mellifluo mentem meam serenavit.

Adjutorio sancto suo evasi pericula mortis : et de manu crudeli subterfugi.

Gratias Deo et tibi, Mater pia, de omnibus, quæ assecutus sum : de pietate et misericordia tua. Gloria Patri, etc.

Psalmus 77.

Attendite, populе Dei, præcepta Dei : et Reginæ gratiæ nolite oblivisci.

Aperite cor ad investigandum eam : et labia ad glorificandum illam.

Descendat amor ejus in cordibus vestris : concupiscite placere illi.

Pulchritudo ejus vincit Solem et Lunam : compositio ejus ad ornamenta virtutum.

Miserere mei, Regina gloriæ et honoris : et ab omni periculo custodi mentem meam.

Gloria Patri, etc.

Psalmus 78.

Domina, venerunt gentes in hæreditatem Dei : quas tu meritis tuis Christo confœderasti.

Sit eloquium tuum dulce coram ipso : et conjunge me illi, qui me redemit.

Extende brachium tuum contra hostem crudelem : et denuda mihi versutiam illius.

Vox tua dulcis super omnem melodiam : harmonia angelica ei non valet comparari.

Distilla mihi suavitatem gratiarum tuarum : et tuorum charismatum fragrantiam et odorem.

Gloria Patri, etc.

Psalmus 79.

Qui regis Israel, intende ad me : Matrem tuam collaudare.

Expergiscere de pulvere, anima mea : perge in occursum Reginæ cœli.

Solve vincula colli tui, paupercula anima mea : et gloriosis laudibus accipe illam.

Odor vitæ de illa progreditur : et omnis salus de corde illius scaturizat.

Charismatum suorum fragrantia suavi : animæ mortuæ suscitantur. Gloria Patri, etc.

Psalmus 80.

Exultate Dominæ adjutrici nostræ : jubilate in lætitia cordis vestri.

Accendantur affectus vestri in illam : et inimicos vestros induet confusione.

Imitemur humilitatem ejus : obedientiam et mansuetudinem illius.

Omnes gratiæ radiant in illa : capacisssima enim fuit capacitas illius.

Currite ad illam cum devotione sancta : et de bonis suis participabit vobis.

Gloria Patri, etc.

Psalmus 81.

Deus in synagoga Judæorum : de qua, ut rosa de sentibus, progressa est Mater Dei.

Terge fœditatem meam, Domina : quæ semper rutilas puritate.

Fontem (*a*) vitæ influe in os meum : ex quo viventes aquæ profluunt et emanant.

Omnes sitientes, venite ad illam : et de fonte suo gratanter vos potabit.

Qui hauriet ex eo, saliet in vitam æternam : et qui bibet ex eo, non sitiet unquam.

Gloria Patri, etc.

Psalmus 82.

Domina mea, quis similis erit tibi : quæ gratia et gloria superemines universos?

Sicut exaltantur cœli a terra : sic tu præcelsior cunctis, et nimis exaltata.

Vulnera cor meum charitate tua : fac me dignum gratia et muneribus tuis.

Liqueat cura mea in timore tuo : et concupiscentia tua cor meum inflammetur.

Fac me desiderare honorificentiam et gloriam

(*a*) *Cæt. edit.* fonte.

tuam : ut per te recipiar ad pacem Jesu Christi. Gloria Patri, etc.

PSALMUS 83.

Quam dilecta tabernacula tua, Domina virtutum! quam amabilia tentoria redemptionis tuæ!

Honorate illam, peccatores : et impetrabit vobis gratiam et salutem.

Super thus et balsamum oratio ejus incensum : preces ejus non revertuntur vacuæ, nec inanes.

Intercede pro me, Domina, apud Christum tuum : neque derelinquas me in morte, neque in vita.

Benignus est enim spiritus tuus : gratia tua replet orbem terrarum. Gloria Patri, etc.

PSALMUS 84.

Benedixisti, Domine, domum tuam : consecrasti habitationem tuam.

Hæc est speciosa inter filias Hierusalem : cujus memoria est in benedictione.

Beatissimam prædicaverunt illam Angeli sancti : glorificate illam, Virtutes et Dominationes.

Populi gentium, exquirite prudentiam ejus : et investigate thesauros misericordiæ illius.

Sentite de illa in bonitate : et in simplicitate cordis exquirite illam. Gloria Patri, etc.

PSALMUS 85.

Inclina, Domina, aurem tuam, et exaudi me : converte vultum, et miserere mei.

Distillatio dulcoris tui oblectat animas sanctorum : et infusio charitatis tuæ super mel dulcissimum.

Irradiatio gloriæ tuæ dilucidat intellectum : et lux miserationum tuarum perducit ad salutem.

Fons bonitatis tuæ inebriat sitientes : et aspectus faciei tuæ retrahit a peccato.

Scire et cognoscere te est radix immortalitatis : et enarrare virtutes tuas est via salutis. Gloria Patri, etc.

PSALMUS 86.

Fundamenta vitæ in anima justi : perseverare in charitate usque in finem.

Gratia tua relevat (*a*) pauperem in adversitate : et invocatio tui nominis immittit ei confidentiam bonam.

Miserationibus tuis repletur paradisus : et a terrore tuo hostis confunditur infernalis.

Qui sperat in te, inveniet thesauros pacis : et qui te non invocat in hac vita, non perveniet ad regnum Dei.

Fac, Domina, ut vivamus in gratia Spiritus sancti : et perduc animas nostras ad sanctum finem. Gloria Patri, etc.

PSALMUS 87.

Domina, auxiliatrix salutis meæ : in die clamavi et nocte coram te.

Ingrediatur oratio mea in conspectu tuo : consolare cum facie tua mœstitiam meam.

Multiplicata sunt mala in anima mea : expurga eam de sordibus et peccatis.

Virtus tua persequatur inimicos nostros : ne nos impediant ad salutem.

Confer gratiam animæ ad resistendum eis : conforta cor nostrum contra concupiscentias carnis. Gloria Patri, etc.

PSALMUS 88.

Misericordias tuas, Domina : in sempiternum decantabo.

Unguento pietatis tuæ medere contritis corde : et oleo misericordiæ tuæ refove dolores nostros.

Gratiosus tuus vultus mihi appareat in extremis : formositas faciei tuæ lætificet spiritum meum egredientem.

Excita spiritum meum ad amandam bonitatem tuam : excita mentem ad extollendam nobilitatem et pretiositatem tuam.

Libera me ab omni tribulatione mala : et ab omni peccato custodi animam meam. Gloria Patri, etc.

PSALMUS 89.

Domina, refrigerium facta es nobis : in cunctis necessitatibus nostris.

Diffusio gratiæ tuæ producit operationes tuas (*b*) : et stillicidium dulcoris tui affectiones facit sanctissimas.

Miserationum tuarum, Domina, recordabor : sacrificium laudis et carmen lætitiæ psallam tibi.

Qui honorant te, coronam perennem pro cinere obtinebunt : et pallium laudis pro spiritu mœroris.

Qui sperant in te, amicti lumine induentur : gaudium et perpetuam lætitiam sortientur. Gloria Patri, etc.

(*a*) *Cæt. edit.* revelat. — (*b*) *Leg.* pias.

PSALMUS 90.

Qui habitat in adjutorio Matris Dei : in protectione ipsius commorabitur.

Concursus hostis non nocebit ei : sagitta volans non tanget eum.

Quoniam liberabit eum de laqueo insidiantis : et sub pennis suis proteget eum.

Clamate ad illam in periculis vestris : et flagellum non appropinquabit tabernaculo vestro.

Fructus gratiæ inveniet, qui speraverit in illa : porta paradisi reserabitur ei. Gloria, etc.

PSALMUS 91.

Bonum est confiteri Virgini Mariæ : et psallere illi gloriam, prosperitas est mentis.

Annuntiare merita ejus, lætificat intellectum : et imitari opera ejus exhilarat angelos Dei.

Qui acquirit gratiam ejus : agnoscetur a civibus paradisi.

Et qui habuerit characterem nominis ejus annotabitur in libro vitæ.

Exurge, Domina, et judica causam nostram : et ab insurgentibus in nos, libera nos.

Ne retrahas a peccatore dexteram tuam : et excipe gladio tuo jacula vastatoris. Gloria Patri, etc.

PSALMUS 92.

Dominus regnavit, decorem induit : Matremque suam ornamento coronavit virtutum.

Adimpleat propitiationem suam in nobis Mater pacis : et viam æquitatis doceat servos suos.

Qui desideratis sapientiam Christi : servite Matri ejus animo reverenti.

Quis satisfaciet enarrare opera tua, Domina? et quis investigabit thesauros misericordiæ tuæ?

Sustine deficientes in tentationibus suis : destina illos in sortem veritatis.

Gloria Patri, etc.

PSALMUS 93.

Deus ultionum Dominus : sed tu, Mater misericordiæ, ad miserandum inflectis.

Magnificentia tua, Domina, prædicatur in sæculum : qui autem colunt te, invenient viam pacis.

Servite illi reverenter exultantes : et sanabit vos benedictus fructus castissimi ventris illius.

Respice, Domina, humilitatem servorum tuorum : et laudabunt te in generationibus sæculorum.

Magnifica nomen tuum in multiplicatione gratiarum tuarum : et ne sinas servos tuos subjacere periculis. Gloria Patri, etc.

PSALMUS 94.

Venite, exultemus Dominæ nostræ : jubilemus salutiferæ Mariæ Reginæ nostræ.

Præoccupemus faciem ejus in jubilatione : et in canticis collaudemus eam.

Venite, adoremus, et procidamus ante eam : confiteamur illi cum fletibus peccata nostra.

Impetra nobis indulgentiam plenam : assiste pro nobis ante tribunal Dei.

Suscipe in fine animas nostras : et introduc nos in requiem æternam. Gloria Patri, etc.

PSALMUS 95.

Cantate plenæ gratiæ canticum novum : cantate Mariæ omnes terrigenæ orbis.

Quoniam omnes angelos sanctitate præcellit : et natos mulierum virtutibus mirabilibus et signis.

Formositas et gloria in vultu illius : et gratia in oculis ejus.

Afferte illi gloriam, patriæ gentium : exultate in ea, omnes creaturæ Dei.

Admirabile commercium habetis per eam : ex qua vocati estis filii Dei excelsi. Gloria, etc.

PSALMUS 96.

Dominus regnavit, exultet Maria : in omni imperio dominationis suæ.

Adorate eam, cives curiæ paradisi : exaltate eam, virgines speciosæ, filiæ ejus.

Quoniam elevata est super Principatus et Dominationes : exaltata est super Angelorum et Archangelorum legationes.

Patriarchæ et Prophetæ, concrepate illi laudem : concentum illi facite, Apostoli, Martyresque Christi.

Confessores cum Virginibus, de canticis Sion dicite canticum ei : et regratiamini ei, Monachi sancti, de acceptis triumphis. Gloria Patri, etc.

PSALMUS 97.

Cantate Dominæ nostræ canticum novum : quia mirabilia fecit.

In conspectu gentium revelavit misericordiam suam : in extremis terræ auditum est nomen ejus.

Recordare, Domina, pauperum et miserorum : et sustenta eos ope refrigerii sancti tui.

Tu autem, Domina, suavis et verax : patiens nimis et miseratione plena.

Conculca hostes animarum nostrarum : et contumaciam illorum elide brachio sancto tuo.

Gloria Patri, etc.

Psalmus 98.

Dominus regnavit, irascantur populi : Maria sub Cherubim sedet a dextris.

Magna est in Sion gloria tua, Domina : et in Hierusalem magnificentia tua.

Cantate ante eam, chori virginales : et adorate thronum ejus, qui sanctus est.

In dextera ejus ignea lex : et in circuitu ejus sanctorum millia.

Mandata ejus ante oculos ejus : et justitiæ regula in corde ejus. Gloria Patri, etc.

Psalmus 99.

Jubilate Dominæ nostræ, homines terræ : servite illi in lætitia et jucunditate.

In toto animo vestro accedite ad illam : et in omni virtute vestra conservate vias ejus.

Investigate illam, et manifestabitur vobis : estote mundi corde, et apprehendetis eam.

Quibus auxiliata fueris, Domina, erit refrigerium pacis : et a quibus averteris vultum tuum, non erit spes ad salutem.

Recordare nostri, Domina, et non apprehendent nos mala : succurre nobis in fine, et inveniemus vitam æternam. Gloria Patri, etc.

Psalmus 100.

Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domina : psallam tibi in exultatione cordis, cum lætificaveris animam meam.

Laudabo nomen tuum et gloriam : et præstabis refrigerium animæ meæ.

Zelatus sum amorem tuum et honorem : ideo defendas causam meam ante judicem sæculorum.

Allectus sum gratia et bonitate tua : oro, ne frauder a spe et confidentia bona.

Conforta animam meam in novissimis : et in carne ista fac me conspicere Salvatorem.

Gloria Patri, etc.

Psalmus 101.

Domina, exaudi orationem meam : et clamor meus ad te veniat.

Non avertas sacrum aspectum tuum a me : neque abomineris me propter immunditiam meam.

Non derelinquas me in cogitatu et consilio inimicorum meorum : et ne sinas me cadere in exprobrationem illorum pessimam.

Qui confidunt in te, non timebunt colubrum tortuosum : et qui exaltant te præconiis, evadunt manus Acherontis.

Per virginalem conceptum tuum da mihi in te confidentiam bonam : et per admirabilem partum tuum lætifica animam meam.

Gloria Patri, etc.

Psalmus 102.

Benedic, anima mea, Matri Jesu Christi : et omnia præcordia mea, glorificate nomen ejus.

Ne obliviscaris beneficia ejus : nec gratiam et consolatus illius.

Gratia ejus peccata relaxantur : et misericordia ejus ægritudines reparantur.

Benedicite ei, omnes virtutes cœlorum : glorificate eam, chori Apostolorum et Prophetarum.

Benedicite, mare et insulæ gentium : hymnum dicite ei, cœli et habitatores eorum.

Gloria Patri, etc.

Psalmus 103.

Benedic, anima mea, Virgini Mariæ : honor et magnificentia ejus in perpetuum.

Formositatem et pulchritudinem induisti : amicta es, Domina, fulgenti vestimento.

De te procedit peccatorum medela : et pacis disciplina, ac fervor charitatis.

Imple nos servos tuos virtutibus sanctis : et ira Dei non appropinquet nobis.

Jucunditatem æternam da servitoribus tuis : et noli eos oblivisci in certamine mortis.

Gloria Patri, etc.

Psalmus 104.

Confitemini Dominæ nostræ, et invocate nomen ejus : cantate ei gloriose, narrantes virtutes ejus.

Laudate et exaltate eam, Virgines filiæ Sion : quia desponsabit vobis Regem angelorum.

Honorate Reginam plenam omni gratia : et contemplamini cum reverentia sanctissimum vultum ejus.

Salus sempiterna in manu tua, Domina : qui te digne honorificaverint, suscipient illam.

Clementia tua non deficiet a sæculis æternis : et misericordia tua a generatione in generationem. Gloria Patri, etc.

Psalmus 105.

Confitemini Dominæ nostræ, quoniam bonum est : per cunctas tribus terræ enarrate misericordias ejus.

Longe est ab impiis conversatio ejus : a via Altissimi non declinavit pes ejus.

Fons irrigantis gratiæ procedit de ore illius : et emanatio virginalis sanctificans animas castas.

Spes de gloria paradisi in corde illius : quæ devoto animo honorificaverit illam.

Miserere nostri, fulgentissima Regina cœli : et præsta consolationem de gloria tua.

Gloria Patri, etc.

Psalmus 106.

Confitemini Domino, quoniam bonum : confitemini Matri ejus, quoniam in sæculum misericordia ejus.

Innocentiam et viam prudentiæ ostende nobis, Domina : et viam intelligentiæ indica servis tuis.

Timor Dei illustrat intellectum : et amor tuus exhilarat illum.

Beatus vir, cujus eloquium est tibi gratum : illius ossa impinguabuntur adipe et pinguedine.

Eloquium tuum sustentat animam imbecillem : et labia tua esurientem animum refocillant.

Gloria Patri, etc.

Psalmus 107.

Paratum cor meum, Domina, paratum cor meum : laudes tibi psallere et cantare.

Major est charitas tua cunctis divitiis : et gratia tua super aurum et lapidem pretiosum.

Beatitudo et justitia donantur a Deo : qui autem de peccatis conversi fuerint ad te, pœnitentiæ remedium consequentur.

Emissionis tuæ gratia et pax : qui autem tibi placuerit, procul fiet a perditione.

Esto umbraculum protectionis in tentationibus nostris : expansio alarum tuarum defendat nos a devorante. Gloria Patri, etc.

Psalmus 108.

Domina, laudem meam ne despexeris : et hoc dedicatum tibi psalterium digneris acceptare.

Respice voluntatem cordis mei : et affectionem meam fac tibi beneplacentem.

Propera ad visitandum servos tuos : sub tegumento manus tuæ illæsi conserventur.

Illuminationem Spiritus sancti per te suscipiant : et refrigerium contra cupiditatis æstum.

Medere contritis corde, Domina : et refove eos unguento pietatis. Gloria Patri, etc.

Psalmus 109.

Dixit Dominus Dominæ nostræ : Sede, Mater mea, a dextris meis.

Bonitas et sanctitas placuerunt tibi : ideo regnabis mecum in æternum.

Corona immortalitatis in capite sancto tuo : cujus fulgor et claritas non extinguetur.

Miserere nostri, Domina, mater luminis et splendoris : illumina nos, Domina veritatis et virtutis.

De thesauris tuis infunde nobis sapientiam Dei : et intellectum prudentiæ, ac formam disciplinæ. Gloria Patri, etc.

Psalmus 110.

Confitebor tibi, Domina, in toto animo meo : glorificabo te in tota mente mea.

Opera gratiæ tuæ commorabuntur : et testamentum misericordiæ tuæ ante thronum Dei.

Per te missa est redemptio a Deo : populus pœnitens habebit spem salutis.

Intellectus bonus omnibus honorantibus te ; et sors illorum inter angelos pacis.

Gloriosum et admirabile est nomen tuum : qui illud retinent, non expavescent in puncto mortis. Gloria Patri, etc.

Psalmus 111.

Beatus vir, qui timet Dominam : et beatum cor, quod diligit illam.

Jucundus homo, qui non satiatur laude tua ; et a relatu virtutum tuarum non fatigatur.

Exortum est in corde illius lumen Dei : Spiritus sanctus illuminat intelligentiam ejus.

Disperge, Domina, gratiam tuam pauperibus tuis : esurientes refove, et egenos.

In memoria æterna fiunt per te nomina : ab auditu terribili non trepidet cor nostrum.

Gloria Patri, etc.

Psalmus 112.

Laudate, pueri, Matrem Dei : glorificate, senes, nomen ejus.

Benedicta sit Maria Mater Christi : ipsa enim est via ad patriam sanctitatis.

Excelsus super Cherubim thronus ejus : et sedes ejus super cardines cœli.

Super humiles vultus ejus : et super confidentes in eam aspectus illius.

Misericordia ejus super omnem carnem : et eleemosyna illius usque ad extremum terræ.

Gloria Patri, etc.

Psalmus 113.

In exitu animæ meæ de hoc mundo : occurre illi, Domina, et suscipe eam.

Consolare eam vultu sancto tuo ; aspectus dæmonis non turbet illam.

Esto illi scala ad regnum cœlorum ; et iter rectum ad paradisum Dei.

Impetra ei a Patre indulgentiam pacis ; et sedem lucis inter servos Dei.

Sustine devotos ante tribunal Christi : suscipe causam eorum in manibus tuis. Gloria, etc.

Psalmus 114.

Dilexi Matrem Dei Domini mei : et lux miserationum ejus infulsit mihi.

Circumdederunt me dolores mortis : et visitatio Mariæ lætificavit me.

Dolorem et periculum incurri : et recreatus sum gratia illius.

Nomen ejus et memoriale illius sit in medio cordis nostri : et non nocebit nobis ictus malignantis.

Convertere, anima mea, in laudem ipsius : et invenies refrigerium in novissimis tuis.

Gloria Patri, etc.

Psalmus 115.

Credidi, propter quod locutus sum : gloriam tuam, Domina, orbi terræ.

Compatere animæ meæ, et dirige illam : dignare beneplacitum tuum insinuare illi.

Statue illi testamentum pacis et dilectionis tuæ : præbe illi ingenui memoriam nominis tui.

De benedictione ventris tui da mihi sustentationem : et de pinguedine gratiæ tuæ dulcora animam meam.

Disrumpe vincula peccatorum meorum : et de virtutibus exorna faciem animæ meæ.

Gloria Patri, etc.

Psalmus 116.

Laudate Dominam nostram, omnes gentes : glorificate eam omnes populi.

Quoniam confirmata est super nos gratia et misericordia ejus : et veritas illius permanet in æternum.

Qui digne coluerit illam, justificabitur : qui autem neglexerit illam, morietur in peccatis suis.

Labia angelorum enarrabunt sapientiam ejus : et omnes cives paradisi cantabunt ejus laudem.

Bono animo accedentes ad illam : non capientur ab angelo devastante. Gloria Patri, etc.

Psalmus 117.

Confitemini Domino, quoniam bonus : confitemini Matri ejus, quoniam in sæculum misericordia ejus.

Amor illius expellit peccatum a corde : et gratia illius expiat conscientiam peccatoris.

Via veniendi ad Christum est appropinquare ad illam : qui autem fugerit eam, non inveniet viam pacis.

Qui obduratus est in peccatis, sæpe invocet illam : et lux in suis tenebris orietur.

Qui tristatur in corde suo, clamet ad illam : et dulcoranti stillicidio inebriabitur.

Gloria Patri, etc.

Psalmus 118.

Beati immaculati in via : qui Matrem Domini imitantur.

Beati imitatores humilitatis ejus : beati participes charitatis illius.

Beati perscrutatores virtutum illius : beati conformes imagini illius.

Beati qui conceptum et partum illius venerantur : beati qui devote ei famulantur.

Beati qui in ea habent spem et confidentiam : beati qui per illam suscipient felicitatem sempiternam. Gloria Patri, etc.

Retribue servo tuo, Domina : vivifica me, et faciam voluntatem tuam.

Incola ego sum in terra : nihil abscondas mihi de amore tuo.

Concupivit anima mea laudem tuam desiderare : omni tempore.

Tu enim salus mea in Domino : quæ me morti adjudicatum liberasti.

Quid pro his retribuam tibi, nisi me totum ? Domina, suscipe me. Gloria Patri, etc.

Legem pone mihi, Domina, voluntatis tuæ, sanctarum sanctissima : et exquiram eam semper.

Deduc me in semitam miserationum tuarum, mulierum pulcherrima : quia ipsam volui.

Inclina animam meam ad supernorum amorem, Domina : et non ad impudicitiam.

Ecce concupivi castimoniam tuam a juventute mea : in misericordia tua confirma me.

Et observabo viam testimoniorum tuorum in sæculum : et scrutabor mandata Filii tui, quæ dilexi. Gloria Patri, etc.

Memor esto verbi tui, dominarum Primiceria : in quo mihi spem dedisti.

Hæc in tempestatum fluctibus potenter tenuit me : quia eloquium tuum vivificabit me.

Circumdederunt me viri mendaces, et congregata sunt super me flagella : et ecce manus tua eripuit me.

Communicavi in bonis omnibus timentibus te : et custodientibus obnixe mandata tua.

Miserationibus tuis plena est terra : ideo viam justificationum tuarum exquisivi. Gloria, etc.

Bonitatem fecisti cum servo tuo, Domina : de qua gaudent angeli.

Disciplinam morum tuorum et æquitatem tuam doce me : quia verbis tuis præ cunctis credidi.

Bonum mihi, quia onere tuo humiliasti me : ut sequar conversationem tuam.

Qui amant servientes tibi, venerabuntur ; qui autem abominatus fuerit eos, ruet in æternum.

Veniant mihi semper desuper guttæ clementiæ tuæ, et vivam : quia lex tua sancta meditatio mea est. Gloria Patri, etc.

Defecit in semitis tuis anima mea, Domina : et nisi miseratio maxima esset, periissem utique in infirmitate mea.

Defecerunt oculi mei in contemplatione tua : velut uter in pruina a te visa est anima mea.

Secundum bonitatem tuam vivifica me : et non obliviscar sermones tuos, quia tibi adhærere bonum est.

Dispositione tua perseverat mundus : quem et tu cum Deo fundasti ab initio.

Tuus totus ego sum, Domina, salvum me fac : quoniam desiderabiles erant laudes tuæ in tempore peregrinationis meæ.

Gloria Patri, etc.

Quomodo dilexi legem tuam, Domina ! in conspectu meo semper.

Suavitatum tuarum affluentia cor meum alienavit a me : et caro mea mirabiliter exultavit in te.

Quam dulcia peccatoribus eloquia tua, Domina ! super omnem melodiam refectio tua dulcis ori meo.

Illuminatio gressibus meis verbum tuum : et lumen ineffabile semitis meis.

Quoties exasperaverunt me peccatores inferni, quia a charitate tua declinare nolui ! ego autem speravi in te, Domina.

Gloria Patri, etc.

Iniquos odio habui : et viam tuam dilexi, Domina gratiosa.

Adjuva me, et salvus ero, Domina mundi : et meditabor honorificentiam mandatorum tuorum.

Fac me semper stare in timore tuo : et non tradas me, Virgo, calumniantibus me.

Vernaculus tuus sum ego : minimus in familia tua.

Custodi me, Domina : a negligentibus judicia justitiæ tuæ.

Contemnes omnes discedentes a servitio tuo : quia injusta est conversatio eorum. Gloria, etc.

Mirabilia tua testimonia, Mater alma : et sermonibus tuis illuminatum est cor meum.

Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis : filiæ regum collaudant faciem tuam.

Ardens verbum labiorum tuorum vehementer : qui ad te properat, percipiat illud.

Arundo agitata sum in conspectu tuo : tene me, Domina, sub jugo tuo, et non confundar.

Servientes tibi plus aliis invadunt dracones inferni : sed tu, Domina, defende nos.

Gloria Patri, etc.

Clamavi in toto corde meo ad te, Domina : de necessitatibus meis clementer eripe me.

Vocem gemitus mei exaudi, Domina mea : doce me quid acceptum sit apud te omni tempore.

Longe a nescientibus te salus : qui autem perstat (*a*) in obsequio tuo, procul fiat a perditione.

Misericordia tua rigat universum : Domina, in salutari tuo vivifica me.

Initium eloquiorum tuorum veritas in æter-

(*a*) *Cæt. edit.* præstat.

num : et legem tuam immaculatam non sum oblitus. Gloria Patri, etc.

Principes persecuti sunt me gratis : et ab invocatione nominis tui trepidat spiritus malignus.

Pax multa observantibus nomen tuum, Mater Dei : et non est illis scandalum.

Septenis horis decantavi tibi laudes, Domina : juxta eloquium tuum da mihi intellectum.

Intret oratio mea in conspectu tuo, ut non derelinquam te, Domina, cunctis diebus vitæ meæ : quoniam viæ tuæ misericordia et veritas.

Concupiscam in æternum laudare te, Domina : cum docueris me justificationes tuas.

Gloria Patri, etc.

Psalmus 119.

Ad Dominam, cum tribularer, clamavi : et exaudivit me.

Domina, libera nos ab omni malo : cunctis diebus vitæ nostræ.

Contere caput inimicorum nostrorum : pede insuperabilis virtutis tuæ.

Ut exultavit spiritus tuus in Deo salutari tuo : sic veram digneris infundere lætitiam cordi meo.

Ad Dominum accede rogatura pro nobis : ut per te nostra peccata deleantur. Gloria Patri, etc.

Psalmus 120.

Levavi oculos meos ad te, Mater Christi : per quam venit solatium omni carni.

Auxilium tuum et gratiam tuam nobis impende : in omni tribulatione nostra.

Custodi nos, Domina Virgo Maria : ne peccatorum laqueo capiamur.

Non dormit neque dormiet pupilla oculi tui : ut tua semper custodia protegamur.

Angelorum et hominum te laudat omnis lingua : et ante te omnia genua curvantur. Gloria Patri, etc.

Psalmus 121.

Lætatus sum in te, Regina cœli : quia te duce in domum Domini ibimus.

Hierusalem cœlestis civitas : ad Mariæ præmia veniamus.

Pacem et indulgentiam, Virgo, nobis impetra : et palmam de hostibus, et triumphum.

Conforta, et consolare cor nostrum : tuæ dulcedine pietatis.

Sic, Domina, nobis infunde clementiam : ut devote in Domino moriamur. Gloria Patri, etc.

Psalmus 122.

Ad te levavi oculos meos, Regina : quæ regnas in cœlis.

Adjutorium nostrum in virtute sit nominis tui : per te omnia opera nostra dirigantur.

Benedicta sis in cœlo et in terra : in mari et in omnibus abyssis.

Benedicta sit fœcunditas tua : benedicta sit virginitas, et munditia tua.

Benedictum sit corpus tuum sanctum : benedicta sit anima tua sanctissima.

Gloria Patri, etc.

Psalmus 123.

Nisi quia Domina nostra erat in nobis : invenissent nos pericula multa.

Esto, Virgo, defensatrix nostra : et ante Deum advocata propitia.

Ostende nobis, Domina, misericordiam tuam : et conforta nos in servitio sancto tuo.

Benedicant te sancti angeli in cœlo : benedicant te omnes homines super terram.

Non tradas bestiis animas confitentium tibi : ora te canentium non obturentur.

Gloria Patri, etc.

Psalmus 124.

Qui confidunt in te, Mater Dei : non timebunt a facie inimici.

Gaudete et exultate, omnes qui diligitis eam : quia adjuvabit vos in die tribulationis vestræ.

Reminiscere miserationum tuarum, Domina : et releva peregrinationem incolatus nostri.

Converte amabilem vultum tuum super nos : confunde et destrue omnes inimicos nostros.

Benedicta sint omnia opera manuum tuarum, Domina : benedicta sint omnia sancta miracula tua. Gloria Patri, etc.

Psalmus 125.

In convertendo faciem tuam serenissimam super nos : lætificabis nos, virginea Mater Dei.

Benedicta sis, o sacrarium Christi : præ cunctis mulieribus super terram.

Benedictum sit gloriosum nomen tuum : quod os Domini mirabiliter nominavit.

Non deficiat laus tua de labiis nostris ; nec charitas tua de præcordiis nostris.

Qui te diligunt, benedicantur a Deo : et qui

te volunt diligere, non defraudentur a fide. Gloria Patri, etc.

PSALMUS 126.

Nisi, Domina, ædificaveris domum cordis nostri; non permanebit ædificium ejus.

Ædifica nos gratia et virtute tua : ut maneamus firmi in perpetuum.

Benedictum sit eloquium tuum : et benedicta sint omnia verba oris tui.

Benedicantur a Deo, qui te benedicunt : et in justorum numero computentur.

Benedic, Domina, te benedicentes : et ne unquam avertas ab eis gratiosum vultum tuum. Gloria Patri, etc.

PSALMUS 127.

Beati omnes, qui timent Dominam nostram : et beati omnes, qui sciunt facere voluntatem tuam, et beneplacitum tuum.

Benedicti sunt pater et mater qui te genuerunt : quorum memoria permanet in sæculum.

Benedictus est venter, qui te portavit : et benedicta sint ubera, quæ te lactaverunt.

Converte misericordiam tuam super nos : et deprecabilis esto super servos tuos.

Intuere, et respice opprobrium nostrum : aufer a nobis cunctas iniquitates nostras. Gloria Patri, etc.

PSALMUS 128.

Sæpe expugnaverunt me a juventute mea inimici mei : libera me, Domina, et vindica me ab ipsis.

Ne des illis potestatem in animam meam : custodi omnia interiora, et exteriora mea.

Obtine nobis veniam peccatorum : per te Spiritus sancti gratia nobis detur.

Fac nos digne et laudabiliter pœnitere : ut beato fine ad Deum veniamus.

Placatum tunc et serenissimum nobis ostende : gloriosum fructum ventris tui. Gloria Patri, etc.

PSALMUS 129.

De profundis clamavi ad te, Domina : Domina, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes : in vocem laudis et glorificationis tuæ.

Libera me de manu adversariorum meorum : confunde ingenia et conatus eorum contra me.

Erue me in die mala : et in die mortis ne obliviscaris animæ meæ.

Deduc me ad portum salutis : inter justos scribatur nomen meum. Gloria Patri, etc.

PSALMUS 130.

Domina, non est exaltatum cor meum : neque sublimati sunt oculi mei.

Benedixit te Dominus in virtute sua : qui per te ad nihilum redegit inimicos nostros.

Benedictus sit, qui te sanctificavit : et mundam de matris utero te produxit.

Benedictus sit, qui te obumbravit : et sua gratia te fœcundavit.

Benedic nos, Domina, et conforta nos in gratia tua : ut per te ante conspectum Domini præsentemur. Gloria Patri, etc.

PSALMUS 131.

Memento, Domina, David : et omnium invocantium nomen tuum.

Da nobis in nomine tuo fiduciam : et confundantur adversarii nostri.

Consolare nos in terra peregrinationis nostræ : et releva paupertatem nostram.

Da nobis panem lacrymarum, Virgo sancta : et dolorem peccatorum in terra incolatus nostri.

Redde nobis propitium benedictum fructum ventris tui : ut Spiritus sancti gratia repleamur. Gloria Patri, etc.

PSALMUS 132.

Ecce quam bonum, et quam jucundum, Maria : diligere nomen tuum.

Unguentum effusum, et aromaticum est nomen tuum : diligentibus ipsum.

Quoniam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domina : quam præparasti diligentibus et sperantibus in te.

Esto refugium pauperum in tribulatione : quia tu es baculus pauperum et miserorum.

Inveniant, quæso, gratiam apud Deum : qui te in suis necessitatibus invocabunt. Gloria Patri, etc.

PSALMUS 133.

Ecce nunc benedicite Dominam : omnes qui speratis in nomine sancto ejus.

Gaudete gaudio magno, qui exaltatis (*a*) et glorificatis eam : quia lætabimini ab ubertate consolationis ejus.

(*a*) *Cæt. edit.* exultatis.

Ecce nunc inundante ubertate declinabit in vos : ad consolandum et lætificandum corda vestra.

Benedicite illam, omnes servi ejus : et memoriale sit in desiderio animæ vestræ.

Benedicite illam, omnes angeli et sancti Dei : laudate in sæcula mirabilia ejus. Gloria, etc.

Psalmus 134.

Laudate nomen Domini : benedicite nomen Mariæ matris ejus.

Mariæ precamina frequentate : et suscitabit vobis voluptates sempiternas.

In animo contrito (*a*) veniamus ad illam : et non stimulabit nos cupiditas peccati.

Qui cogitat de illa in tranquillitate mentis : inveniet dulcorem et requiem pacis.

Respiremus ad illam in finitione nostra : et reserabit nobis atria triumphantium.

Gloria Patri, etc.

Psalmus 135.

Confitemini Domino, quoniam bonus est : quoniam per suam dulcissimam matrem Virginem Mariam datur misericordia ejus.

Impetra nobis, Domina, amicitiam Jesu Christi : et custodi nos, ne perdamus innocentiam nostam.

Comprime hostem nostrum imperio tuo : ne feriat (*b*) in nobis virtutem charitatis.

Bona naturalia conserva in nobis : et bona gratiæ per te multiplicentur.

Illumina vias et semitas nostras : ut noscamus quæ beneplacita sunt Deo. Gloria Patri, etc.

Psalmus 136.

Super flumina Babylonis fleverunt Hebræi : nos vero super iniquitates nostras lugeamus.

Clamemus humiles ad puerperam Virginem : offeramus ei planctus et suspiria nostra.

Non invenitur propitiatio sine illa : nec salus sine fructu illius.

Per illam peccata purgantur : et per fructum illius, animæ dealbantur.

Per illam fit satisfactio peccatis : per fructum illius, sanitas condonatur. Gloria Patri, etc.

Psalmus 137.

Confitebor tibi, Domina, in toto corde meo : quia per te expertus sum clementiam Jesu Christi.

Audi, Domina, verba mea et preces meas : et in conspectu angelorum cantabo tibi laudes.

In quacumque die invocavero te, exaudi me : et multiplica virtutem in anima mea.

Confiteantur tibi omnes tribus et linguæ : quia per te salus restituta est nobis.

Ab omni perturbatione libera servos tuos : et fac eos vivere sub pace et protectione tua.

Gloria Patri, etc.

Psalmus 138.

Domina, probasti me, et cognovisti me : ruinam et transgressionem meam.

Copiosa facta est super me misericordia tua : et dilatata est super me clementia.

Imperfectum meum aspexit oculus tuus : et palpebræ tuæ noverunt vias meas.

Affluentiam desiderii sancti habeamus a Spiritu sancto : et macula peccati non turbet conscientiam nostram.

Serenet corda nostra lux misericordiæ tuæ ; et recreet nos tuæ pacis dulcedo.

Gloria Patri, etc.

Psalmus 139.

Eripe me, Domina, ab omni malo : et ab hoste infernali (*c*) defende me.

Contra me tetendit arcum suum : et in fraude sua insidiatur mihi.

Constringe (*d*) vires ejus malignas : et obtunde potenter astutias ejus.

Converte iniquitatem ipsius in verticem illius : et in foveam quam fecit, cadat festinanter.

Nos autem exultemus in servitio tuo : et in tuis laudibus gloriemur. Gloria Patri, etc.

Psalmus 140.

Domina, clamavi ad te, exaudi me : intende orationi meæ et postulationi meæ.

Dirigatur obsecratio mea velut incensum coram facie tua : et in tempore serotini sacrificii, et matutini.

Non declinet cor meum in verbis malignantibus : et nequitiæ cogitatus non subvertant sensum meum.

Fac me assentire beneplacito cordis (*e*) : et tuis actionibus conformari.

Gladio intelligentiæ reverbera cor meum : et igniculo charitatis inflamma mentem meam.

Gloria Patri, etc.

(*a*) *Cæt. edit.* anima contrita. — (*b*) *Leg.* minuat. — (*c*) *Cæt. edit.* inferni. — (*d*) *Leg.* Confringe. — (*e*) *Suppl.* tui.

PSALMUS 141.

Voce mea ad Dominam clamavi : ipsamque humiliter deprecatus sum.

Effudi in conspectu ejus lacrymam meam : et dolorem meum sibi exposui.

Insidiatur hostis calcaneo meo : extendit contra me rete suum.

Adjuva me, Domina, ne corruam coram eo : fac ut conteratur sub pedibus meis.

Educ de carcere animam meam : ut confiteatur tibi, et psallat Deo forti in perpetuum.

Gloria Patri, etc.

PSALMUS 142.

Domina, exaudi orationem meam : percipe tuis auribus supplicationem meam.

Persecutus est malignus vitam meam : deposuit in terra conversationem meam.

Denigravit me caligine sua : et anxiatus est nimis spiritus meus.

Ne avertas faciem tuam a me : ut non corruam cum descendentibus in lacum.

Emitte lucem tuam, et gratiam tuam : et repara denuo vitam meam, et conscientiam meam.

Gloria Patri, etc.

PSALMUS 143.

Benedicta sis, Domina, quæ instruis servos tuos ad prælium : et eos roboras contra inimicum.

Fulgure et coruscatione dissipa illum : mitte jacula tua, ut confundas illum.

Clarifica de alto manum tuam : et cantent servi tui laudem et gloriam tuam.

Eleva de terrenis affectionem nostram : de sempiternis deliciis refice viscera nostra.

Concupiscentiam supernorum accende in cordibus nostris : et de gaudiis paradisi velis nos recreare. Gloria Patri, etc.

PSALMUS 144.

Exaltabo te, Mater Filii Dei : et per singulos dies cantabo laudes tuas.

Generationes (*a*) et populi laudabunt opera tua : et misericordiam tuam insulæ expectabunt.

Abundantiam dulcoris tui angeli eructabunt : et suavitatem tuam sancti pronuntiabunt.

Oculi nostri sperant in te, Domina : mitte nobis cibum et escam delectantem.

Laudationem tuam loquatur lingua mea : et benedicam te in sæculum sæculi.

Gloria Patri, etc.

PSALMUS 145.

Lauda, anima mea, Dominam : glorificabo eam, quamdiu vixero.

Nolite cessare a laudibus ejus : et per singula momenta recogitate illam.

Cum exierit spiritus meus, Domina, sit tibi commendatus : et in terra ignota præsta illi ducatum.

Non conturbent eum culpæ prius commissæ : nec inquietent ipsum occursus malignantis.

Perduc eum ad portum salutarem : ibi præstoletur secure adventum Redemptoris.

Gloria Patri, etc.

PSALMUS 146.

Laudate Dominam, quoniam bonus est psalmus : jucunda, et decora sit illi nostra laudatio.

Ipsa enim medetur contritis corde : et refovet eos unguento pietatis.

Magna est virtus illius : et clementia ejus nullum habebit finem.

Præcinite ei in jubilatione : et in confessione psalmum canite illi.

Beneplacitum est ei super timentes Deum : et in eis qui sperant in misericordia ejus.

Gloria Patri, etc.

PSALMUS 147.

Lauda, Hierusalem, Dominam : glorifica illam etiam, o Sion.

Ipsa enim construit muros tuos : et filios tuos benedicit.

Gratia sua te impinguat : pacemque donat terminis tuis.

Emisit Verbum suum Altissimus : et virtus ejus obumbravit illi.

Levemus corda nostra cum manibus ad illam : ut suam influentiam sentiamus.

Gloria Patri, etc.

PSALMUS 148.

Laudate Dominam nostram de cœlis : glorificate eam in excelsis.

Laudate eam, omnes homines et jumenta : volucres cœli, et pisces maris.

Laudate eam, Sol et Luna : Stellæ, et circuli Planetarum.

Laudate eam, Cherubim et Seraphim : Throni et Dominationes, et Potestates.

(*a*) *Cæt. edit.* generatio.

Laudate eam, omnes legiones Angelorum : laudate eam omnes ordines spirituum supernorum. Gloria Patri, etc.

PSALMUS 149.

Cantate Dominæ nostræ canticum novum : laus ejus in congregatione justorum.

Lætentur cœli de gloria ejus : insulæ maris, et totus orbis.

Aqua et ignis laudent eam : frigus et æstus, splendor et lumen.

Exaltationes (*a*) ejus in gutture justorum : et laudes ejus in cœtu triumphantium.

Civitas Dei, jucundare in illa : et pro incolis tuis frequenta illi carmen. Gloria Patri, etc.

PSALMUS 150.

Laudate Dominam in sanctis ejus : laudate eam in virtutibus et miraculis ejus.

Laudate eam, cœtus Apostolorum ; laudate eam, chori Patriarcharum et Prophetarum.

Laudate eam, exercitus Martyrum : laudate eam, turmæ Doctorum et Confessorum.

Laudate eam in collegio Virginum et Continentium : laudate eam ordines Anachoretarum et Monachorum.

Laudate eam, conventus Religiosorum omnium : laudate eam, omnes animæ civium supernorum.

Omnis spiritus : laudet Dominam nostram.

Gloria Patri, etc.

CANTICA.

Canticum instar illius Isaiæ (XII).

Confitebor tibi, Domina, quoniam per te placatus est mihi Dominus : et consolata es me.

Ecce, Domina, salvatrix mea : fiducialiter agam in te, et non timebo.

Quia fortitudo mea, et laus mea in Domino es tu : et facta es mihi in salutem.

Hauriam aquas in gaudio de rivulo : et semper invocabo nomen tuum.

Notas facite in populis virtutes Dominæ nostræ : quia excelsum est valde nomen ejus.

Exalta et lauda, totum genus humanum : quia talem dedit tibi mediatricem Dominus Deus meus. Gloria Patri, etc.

Canticum instar illius Ezechiæ (Isa., XXXVIII).

Ego dixi circa dimidium dierum meorum : Vadam ad Mariam, ut me Christo reconciliet.

Quæsivi residuum annorum meorum : in amaritudine animæ meæ.

Generatio mea ablata est, quia pater, et mater, et omnia dereliquerunt me : Maria autem assumpsit me.

Sperabam in illam (*b*) mane, sero et meridie : quasi leo sic contrivit omnia ossa peccatorum meorum.

Et tu, Domina, eruisti animam meam, ut non periret : et de manu canis unicam meam.

Domina, salvum me fac : et laudem tuam cantabo cunctis diebus vitæ meæ, o pia Mater Domini mei. Gloria Patri, etc.

Canticum instar illius Annæ (I Reg., II).

Exultavit cor meum in Domino : et exaltatum est cor meum in Domina mea.

Quia fecit mihi magna, qui potens est : per Mariam Matrem ejus.

Non est sancta ut est Domina nostra : quæ sola supergressa est universas.

Recedant ergo vetera de ore nostro : et linguis loquamur novis.

Exalta et lauda Mariam, Sion, et Hierusalem : quia maxima in dominabus Israel.

Ipsa pauperem facit, et ditat : humiliat, et sublimat.

Altior cœlo, terra latior : est hæc Domina nostra. Gloria Patri, etc.

Canticum instar illius Mariæ (Exod., XV).

Cantemus Dominæ, gloriosæ Virgini Mariæ : in hymnis et confessionibus benedicamus eam.

Domina nostra, omnipotens post Deum nomen ejus : currus Pharaonis, et exercitum ejus projecit in mare.

Dextera tua, Domina, magnificata est in fortitudine : quia in multitudine misericordiæ tuæ stravisti adversarios meos.

De ore leonis liberasti me, Domina : et, tanquam infantem genitum mater, suscepisti me.

O Domina charissima mea : velut gallina, lege me mirabili possessione (*c*) tua.

Tuus totus ego sum : et omnia mea tua sunt, Virgo super omnia benedicta.

Ponam te sicut signaculum super cor meum : quia fortis est, ut mors, dilectio tua.

Gloria Patri, etc.

(*a*) *Cæt. edit.* exultationes.— (*b*) *Item* illa. — (*c*) *Leg.* protectione.

Canticum instar illius Habacuc, III.

Domina, audivi auditionem tuam, et obstupui : consideravi opera tua, et expavi.

Domina, opus tuum : circa medium annorum vivificasti illud.

Confitebor tibi, Domina : quia abscondisti hæc a sapientibus, et revelasti ea parvulis.

Operuit cœlos gloria tua : et misericordia tua plena est terra.

Egressa es, Virgo, in salutem populi tui : in salutem cum Christo tuo.

O benedicta, in manibus tuis est reposita nostra salus : recordare, pia, paupertatis nostræ.

Quem vis, ipse salvus erit; et a quo avertis vultum tuum, vadit in interitum. Gloria etc.

Canticum instar illius Moysi (Deut., XXXII).

Audite, cœli, quæ loquar de Maria : audiat terra verba oris mei.

Magnificate ipsam mecum semper : et exaltemus nomen ejus in sæculum sæculi.

Generatio prava atque perversa : agnosce Dominam nostram salvatricem tuam.

Numquid non ipsa est mater tua, quæ possedit te : et in fide generavit te?

Si hanc dimittis, non es amicus summi Cæsaris : quoniam ipse sine ea non salvabit te.

Utinam saperes, et intelligeres : ac novissima provideres!

Quemadmodum infans sine nutrice non potest vivere : ita nec sine Domina nostra potes habere salutem.

Sitiat ergo anima tua ad ipsam, tene eam, nec dimitte : donec benedixerit tibi.

Repleatur os tuum laude sua : decanta tota die magnificentiam ejus. Gloria Patri, etc.

Canticum instar illius trium Puerorum (Dan., III).

Benedicite, omnia opera, Dominæ gloriosæ : laudate et superexaltate eam in sæcula.

Benedicite, Angeli, Dominæ nostræ : benedicite, cœli, Dominæ nostræ.

Benedicat omnis creatura Dominam nostram : quam Rex sic voluit benedici.

Benedicta sis, o summi Regis filia : quæ odore præis cuncta lilia.

Benedicta sis, corona dominarum omnium : benedicta sis, gloria Hierusalem.

Odor tuus sicut agri pleni, cui benedixit Dominus : qui in benedicentes te redundat, irrigans omnia intima eorum.

Qui benedixerit tibi, o Virgo beata : sit ille jugiter benedictus.

Qui maledixerit tibi, rosa candidissima : sit ille maledictus.

Non recedat de domo servorum tuorum : vini et olei abundantia.

In nomine tuo omne genu flectatur : cœlestium, terrestrium et infernorum.

Benedicamus Deum, qui te creavit : benedictus uterque parens, qui te generavit.

Benedicta sis, Domina, in cœlo et in terra : laudabilis, et gloriosa, et superexaltata in sæcula.

Gloria Patri, etc.

Canticum instar illius Zachariæ (Luc., I).

Benedicta sis, Domina et Mater Dei mei Israel : qui per te vivificavit, et fecit redemptionem plebis suæ.

Et erexit unicornu (*a*) salutaris castitatis tuæ : in domo David pueri sui.

Sicut locutus est per os Isaiæ : et aliorum sanctorum prophetarum ejus.

Salutem ex inimicis præsta, Virginum Virgo : de manu omnium, qui nos oderunt, pacem nobis tribue.

Et fac misericordiam pro parentibus et nobis : ut memor sis testamenti omnipotentis Dei.

Quod juravit ad patres nostros : Abraham et semini ejus in sæcula.

Sic sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati : quiete serviemus illi.

In sanctitate et justitia coram te : omnibus diebus nostris.

Et tu, Maria, Propheta Dei vocaberis : quoniam novisti, quod respexit humilitatem ancillæ suæ.

Per quam dedit scientiam salutis plebi ejus : in remissionem peccatorum.

Per viscera multitudinis misericordiæ tuæ : visita nos, Stella matutina, oriens ex alto.

Illumina tenebras sedentium in umbra mortis : et eas luce (*b*) dilectissimi Filii tui digneris instillare.

Miserere, misericordiæ Mater, nobis miseris peccatoribus, qui retroacta peccata pœnitere negligimus : ac multa quotidie pœnitenda committimus. Gloria Patri, etc.

Hymnus instar illius, qui ascribitur Ambrosio et Augustino.

Te Matrem Dei laudamus : te Mariam Virginem profitemur.

(*a*) *Leg.* cornu. — (*b*) *Item* eis lucem.

Te æterni Patris Sponsam : omnis terra veneratur.

Tibi omnes Angeli et Archangeli : tibi Throni et Principatus fideliter deserviunt.

Tibi omnes Potestates, et omnes Virtutes cœlorum : et universæ Dominationes obediunt.

Tibi omnes chori, tibi Cherubim et Seraphim : exultantes assistunt.

Tibi omnis angelica creatura : incessabili voce proclamat.

Sancta, sancta, sancta : Maria Dei Genitrix, Mater, et Virgo.

Pleni sunt cœli, et terra : majestatis gloriæ fructus ventris tui.

Te gloriosus Apostolorum chorus : sui Creatoris Matrem collaudat.

Te beatorum Martyrum cœtus candidatus : Christi Genitricem glorificat.

Te gloriosus Confessorum exercitus : Trinitatis templum appellat.

Te sanctarum Virginum chorea amabilis : virginitatis et humilitatis exemplum prædicat.

Te tota cœlestis curia : Reginam honorat.

Te per universum orbem : Ecclesia invocando concelebrat.

Matrem : divinæ Majestatis.

Venerandam te veram Regis cœlestis puerperam : sanctam quoque, dulcem, et piam.

Tu Angelorum Domina : tu Paradisi janua.

Tu scala : regni cœlestis et gloriæ.

Tu thalamus, tu arca : pietatis et gratiæ.

Tu vena misericordiæ : tu Sponsa et Mater Regis æterni.

Tu templum et sacrarium Spiritus sancti : totius beatissimæ Trinitatis nobile triclinium.

Tu Mediatrix Dei, et hominum amatrix : mortalium cœlestis illuminatrix.

Tu agonizatrix pugnantium, advocata pauperum : miseratrix et refugium peccatorum.

Tu erogatrix munerum : separatrix ac terror dæmonum et superborum.

Tu mundi Domina, cœli Regina : post Deum sola spes nostra.

Tu salus te invocantium, portus naufragantium : miserorum solatium, pereuntium refugium.

Tu, Mater omnium beatorum, gaudium plenum post Deum : omnium supernorum civium solatium.

Tu promotrix justorum, congregatrix errantium : promissio Patriarcharum.

Tu veritas Prophetarum, præconium et doctrix Apostolorum : magistra Evangelistarum.

Tu fortitudo Martyrum, exemplar Confessorum : honor et festivitas Virginum.

Tu, ad liberandum exulem hominem : Filium Dei suscepisti in uterum.

Per te, expugnato hoste antiquo : sunt aperta fidelibus regna cœlorum.

Tu cum Filio tuo sedes : ad dexteram Patris.

Tu ipsum pro nobis roga, Virgo Maria : quem nos ad judicandum credimus esse venturum.

Te ergo poscimus, nobis tuis famulis subveni : qui pretioso sanguine Filii tui redempti sumus.

Æterna fac, pia Virgo, cum sanctis tuis : nos gloria munerari.

Salvum fac populum tuum, Domina : ut simus participes hæreditatis Filii tui.

Et rege nos : et custodi nos in æternum.

Per singulos dies : o pia, te salutamus.

Et laudare te cupimus usque in æternum : mente et voce.

Dignare, dulcis Maria, nunc et semper : nos sine delicto conservare.

Miserere, pia, nobis : miserere nobis.

Fiat misericordia tua magna nobiscum : quia in te, Virgo Maria, confidimus.

In te, dulcis Maria, speramus : nos defendas in æternum.

Te decet laus, te decet imperium : tibi virtus et gloria in sæcula sæculornm. Amen.

Symbolum instar illius Athanasii.

Quicumque vult salvus esse, ante omnia opus est : ut teneat de Maria firmam fidem.

Quam nisi quisque integram inviolatamque servaverit : absque dubio in æternum peribit.

Quoniam ipsa sola virgo manens peperit : sola cunctas hæreses interemit.

Confundatur et erubescat Hebræus : qui dicit Christum ex Joseph semine esse natum.

Confundatur Manichæus : qui dicit Christum fictum habere corpus.

Palleat omnis : qui hoc ipsum aliunde, non de Maria dicit assumpsisse.

Idem namque Filius, qui est Patris in divinis unigenitus : est et verus unigenitus Virginis Mariæ filius.

In cœlis sine matre : in terris sine patre.

Nam sicut anima rationalis et caro propter unionem de homine vere nascitur : ita Deus et homo Christus de Maria Virgine vere generatur.

Induens carnem de carne Virginis : quia sic genus humanum redimi congruebat.

Qui secundum divinitatem æqualis Patri : secundum vero humanitatem minor Patre.

Conceptus in utero Virginis Mariæ, Angelo annuntiante, de Spiritu sancto : non tamen Spiritus sanctus est pater ejus.

Genitus in mundum sine pœna carnis Virginis Matris : quia sine delectatione carnis conceptus.

Quem lactavit Mater : ubere de cœlo pleno.

Quem circumstant Angeli obstetricum vice : nuntiantes pastoribus gaudium magnum.

Hic a Magis muneribus adoratus, ab Herode in Ægyptum fugatus, a Joanne in Jordane baptizatus : traditus, captus, flagellatus, crucifixus, mortuus et sepultus.

Cum gloria resurrexit : ad cœlos ascendit.

Spiritum Sanctum in discipulos : et in Matrem misit.

Quam demum ipse in cœlum assumpsit : et sedet ad dexteram Filii, non cessans pro nobis Filium exorare.

Hæc est fides de Maria Virgine : quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.

LITANIÆ.

Kyrie, eleison.
Christe, eleison.
Kyrie, eleison.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, Mariæ conditor gloriosus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, Mariæ nobilis fœcundator, miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, Mariæ mirabilis obumbrator, miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, qui Mariam glorificas, miserere nobis.
Sancta Maria, quæ totum mundum illuminas, ora pro nobis.
Sancta Maria, quæ tuos servos exaltas,
Sancta Maria, quæ pro peccatoribus supplicas,
Sancta Maria, illuminatrix cordium,
Sancta Maria, fons misericordiæ,
Sancta Maria, splendor S. Ecclesiæ,
Sancta Maria, flumen sapientiæ,
Sancta Maria, ab Angelo salutata,
Sancta Maria, per Spiritum sanctum obumbrata,
Sancta Maria, in cœlis glorificata,
Sancta Maria, rosa veris speciosa, ora pro nobis.
Sancta Maria, vitis frondens generosa, ora pro nobis.
Sancta Maria, dulcis virgo et speciosa,
Sancta Maria, a Deo Patre sponsa electa,
Sancta Maria, Verbi Dei mater præelecta,
Sancta Maria, a Spiritu sancto protecta,
Sancta Maria, quæ Deum in utero concepisti,
Sancta Maria, quæ Deum et hominem genuisti,
Sancta Maria, Virgo virginum signifera,
Sancta Maria, virga Jesse Christifera,
Sancta Maria, arbor vitæ fructifera,
Sancta Maria, fœminarum pulcherrima,
Sancta Maria, humilium humillima,
Sancta Maria, sanctarum sanctissima,
Sancta Maria, super omnes diligentius amanda,
Sancta Maria, super omnes excellentius magnificanda,
Sancta Maria, Mater Conditoris,
Sancta Maria, Mater Redemptoris,
Sancta Maria, Mater Salvatoris,
Sancta Maria, Mater mundo desiderabilis,
Sancta Maria, inferis terribilis,
Sancta Maria, Mater amabilis,
Sancta Maria, Virgo plena gratia,
Sancta Maria, Virgo plena clementia,
Sancta Maria, pia fundens solatia,
Sancta Maria, flos et decus virginitatis (*a*),
Sancta Maria, fluvius sapientialis,
Sancta Maria, splendor et lux orientalis,
Sancta Maria, virtutum cœli Regina,
Sancta Maria, domus Dei cypressina,
Sancta Maria, cœli fenestra crystallina,
Sancta Maria, perpetuæ lucis aurora,
Sancta Maria, Virgo pulchra et decora,
Sancta Maria, melodia dulcis et sonora,
Sancta Maria, deliciarum Dei dapifera,
Sancta Maria, cœlestis curiæ pincerna,
Sancta Maria, paradisi porta pervia,
Sancta Maria, placitum Dei umbraculum,
Sancta Maria, virginum nova exultatio,
Sancta Maria, mulierum prima benedictio,
Sancta Maria, miserorum pia consolatio,
Sancta Maria, vera salus et beatitudo,
Sancta Maria, charitatis magnitudo,
Sancta Maria, pietatis latitudo,
Sancta Maria, mater orphanorum,
Sancta Maria, mamilla orphanorum,
Sancta Maria, mamilla parvulorum,
Sancta Maria, consolatio afflictorum, ora pro nobis.

(*a*) *Cæt. edit.* virginalis.

Sancta Maria, cui Angeli obediunt et obsecrantur, ora pro nobis.
Sancta Maria, nobilis Regina cœlorum,
Sancta Maria, cui Sancti et Sanctæ congaudent et congratulantur,
Sancta Maria, quam omnia laudant et venerantur, ora pro nobis.
Propitia esto, parce nobis, Domina.
Propitia esto, libera (*a*) nos, Domina.
Ab omni malo, libera nos, Domina.
Ab omni mala tentatione,
Ab ira et indignatione Dei,
A periclitatione et desperatione,
A superbia præcipitante,
A peccato iræ et invidiæ cruciante,
A carnis tentatione undique anxiante,
A peccato gulæ et gastrimargiæ commaculante,
Ab incursu hostis malignantis,
Per dulcorem et gaudium de Christi incarnatione,
Per dolorem et angustiam de illius passione,
Per gaudium et miraculum de illius resurrectione,
Per gaudium et lætitiam de illius ascensione,
Per fidem tuam de Spiritus sancti missione (*b*),
Per gaudium et lætitiam de tua coronatione,
In hora mortis devastante,
In Judicis districto examine,
Ab inferni horribili cruciamine, libera nos, Domina.
Peccatores, te rogamus, audi nos.
Ut sanctam Ecclesiam, piissima Domina, conservare digneris,
Ut justis gloriam, peccatoribus gratiam impetrare digneris,
Ut tribulatis consolationem, captivis liberationem impetrare digneris,
Ut famulos et famulas tibi devote servientes consolari digneris,
Ut populum christianum Filii tui pretioso sanguine redemptum conservare digneris,

(*a*) *Forte leg.* exaudi. — (*b*) *Cæt. edit.* Per fidem tuam, etc. Per gaudium et lætitiam de illius ascensione, *interverso ordine.* — (*c*) *Cæt. edit.* contepescant.

Ut cunctis fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris,
Mater Dei, te rogamus, audi nos.
Mater charissima et Domina nostra, miserere nobis, et dona nobis perpetuam pacem.
Amen.
Kyrie, eleison.
Christe, eleison.
Kyrie, eleison.
Pater noster. Et ne nos inducas in tentationem.
℣. Ego dixi, Domina, miserere mei.
℟. Sana animam meam, quia peccavi tibi.
℣. Converte misericordiam tuam super nos.
℟. Et deprecabilis esto super servos tuos.
℣. Ostende potentiam tuam contra inimicos nostros.
℟. Ut justificeris in nationibus populorum.
℣. Miserere servorum tuorum, super quos invocatum est nomen tuum.
℟. Et ne sinas angustiari eos in tentationibus suis.
℣. Ne projicias nos in tempore mortis nostræ.
℟. Et succurre animæ, cum deseruerit corpus suum.
℣. Esto nobis, Domina, turris fortitudinis.
℟. Et petra durissima contra inimicum.
℣. Adjuva me, Domina, ne corruam coram eo.
℟. Fac ut conteratur sub pedibus meis.
℣. Exaudi orationem meam, et deprecationem meam.
℟. Et obstupescant (*c*) adversarii mei.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui pro nobis de castissima Virgine Maria nasci dignatus es, fac nos tibi casto corpore servire, et humili mente placere.

Oramus etiam te, piissima Virgo Maria, mundi Regina et angelorum Domina, ut eis quos in purgatoriis ignis examinat, impetres refrigerium, peccatoribus indulgentiam, et justis perseverantiam in bono : nos quoque fragiles ab omnibus instantibus defende periculis. Per Dominum nostrum Jesum Christum. Amen.

OFFICIUM

DE COMPASSIONE B. MARIÆ VIRGINIS [1]

ARGUMENTUM

(*Ex edit. Vaticana, an.* 1596.)

Officium de Compassione Beatæ Mariæ Virginis a Matutino ad Completorium usque devote concinnavit Auctor, sicut illud de Passione Domini, quod habetur supra (pagina 155 hujus tomi). Exprimit in eo Matris mœstissimæ pientissimos affectus ob dilectissimi Filii passionem et mortem. Cui quidem sanctissimæ Matri compati, eamdem precari nos docet, ut impetret nobis a Filio suo Domino nostro veram cordis compunctionem, qua peccati gravitatem sentientes, eluamus pœnitentiæ lacrymis nostra delicta, ob quæ idem Dominus mortem crucis pertulit. Dum vero S. Bonaventura B. Virginis Matris de morte Filii conceptum dolorem per varios mœstitiæ affectus exaggerat, in ipsius sancti Doctoris verbis potius est attendendus fervor piæ devotionis, quam rigor propriæ locutionis. Quamvis enim virgineus dolor plene enarrari aut concipi non possit, nisi tantum fuisse credamus, quantum unquam dolere potuit de tali Filio talis Mater; « verumtamen, ait Bernardus de lamentatione Virginis, rectum erat, amoris et mœroris continens modum. Non desperabat, sed pie et juste dolebat, sperans tamen firmiterque tenens ipsum secundum promissum suum tertia die resurgere. » Hæc Bernardus; cujus documentum apponere hic visum est in utilitatem concionatorum, qui in enarrandis doloris affectibus ipsius sanctissimæ Virginis eam moderationem adhibere debent, ne dum acerbitatem doloris virginei ponderant, et amplificant, ejus dignitati et excellentiæ quidquam derogent.

AD MATUTINUM.

Domine, labia mea aperies.

℟. Et os meum, etc.

℣. Deus, in adjutorium meum, etc.

Invitator. Cum Maria Virgine fervide ploremus in sepulcro positum. Venite adoremus.

PSALMUS.

Venite, mares fœminæque, ploremus cum Maria Virgine, planctibus fruamur intimis, facies rigando lacrymis. Cum Maria.

Cor nostrum ploret, et oculus noster purgetur amoris stimulo : hue! Mater carens contagio, tam dulci privatur Filio. Venite.

Innocens et expers criminis, moritur misertus hominis; mœroris simus consocii, cum simus causa supplicii. Cum Maria.

Gloria Virginis Filio, qui in hoc exilio, se dedit tormentis asperis, vitam reddendo miseris. Venite adoremus. Cum Maria Virgine, etc.

[1] *Cf.* Edit. Argent., an. 1495, part. II; edit. Vatic., an. 1596, tom. VI, pag. 485; edit. Ven., an. 1611, tom. II; edit. Lugd., an. 1647, tom. I, pag. 487; edit. Ven., an. 1754, tom. XIII, pag. 226.

HYMNUS.

Imperatrix clementiæ,
Rorem infunde gratiæ,
In meum cor tam aridum,
Ut tibi fiat placitum (*a*).
Largire, quod concipiam
Tecum cordis angustiam,
Flens mortem, quam Rex patitur,
Per quem mundus construitur.
Tuus tractatur Filius
Longe quam latro vilius :
Irrisus fert ludibria,
Gente vallatur impia.
Sit honor, laus, devotio,
Jesu Mariæ Filio,
Tenso crucis patibulo,
Pro redimendo populo. Amen.

Antiphona. Noctem.

Psalmus.

Posuerunt me in lacu inferiori.
Super me confirmatus est furor.
Longe fecisti notos meos, etc.

Traditus sum, et non egrediebar, oculi mei languerunt præ inopia. Gloria Patri, etc.

Antiphona. Noctem, qua Christus capitur, absque somno duxisti, et soporatis cæteris, flens vigil permansisti.

℣. Cæteri cum inter fletus obdormirent :

℟. Tu sola mœstas celebrasti vigilias. Pater noster.

℣. Et ne nos inducas, etc.

℟. Sed libera nos, etc.

Absolutio.

Noli me relinquere, Jesu, Fili bone, fac ut tecum moriar tali passione. Amen.

Jube bened. Pro nobis ora Crucifixum, Virgo decora. Amen.

Lectio prima.

Prolem in cruce pendentem mœsta Mater aspiciens, lacrymatur incessanter : pectus sacrum percutiens, plures movit ad mœrorem suo ploratu querulo, natum videns cruentatum, crucis tensum patibulo. Animam mœstæ Parentis tunc pertransivit acrius, juxta verbum Simeonis, heu ! passionis gladius : sic dum plorat mortem prolis, quem blasphemavit populus, solus erat consolator ejus custos (*b*) discipulus. Tu autem. ℟. Consolari Mater non potuit, sic tractatum videns, quem genuit. Hæc dolorem majorem habuit, quam Salvator, qui tot sustinuit. ℣. Mortem Dei videns, quem aluit, nulla Mater sic unquam doluit. Hæc dolorem.

Jube bened. Mors prolis Dei Patris, vita nobis sit precibus piæ Matris.

Lectio secunda.

Dum de cruce depositus ad tumulum portatur, inter dolores anxios, portantes sic affatur : Sustinete paulum, quod dolorem meum plangam, et meum dilectissimum deosculer : mihi meum dilectissimum subtrahere nolite. Si sepeliri debeat, me secum sepelite. Accessit sic exanimis, se super corpus jecit, et sacrum vultum lacrymis rigando madefecit. Tu autem. ℟. Dum videret supplicia prolis exquisita, torquetur et angustia Mater infinita. Triduano spatio dum langueret ita, squalet ejus facies nuper tam polita. ℣. Pœna tam exasperans nunquam est audita : longe sibi charior erat mors quam vita. Squalet.

Jube bened. Sic nobis pacifica tremendum Virgo pudica. Amen.

Lectio tertia.

Filii præsentia Mater destituta, Gabrielem angelum sic est allocuta : *Ave plena gratia*, mihi protulisti ; nunc amaritudine sum repleta tristi. Subsequenter inquiens : *Dominus est tecum* ; heu ! jacet in tumulo, nec est ultra mecum. Omnis benedictio, quam tu spopondisti, mihi fit contraria propter mortem Christi. Tu autem. ℟. Cum videret quod, clauso tumulo, privaretur tam dulci spectaculo (*c*), prædilecto stans cum discipulo, corde plorat magis, quam oculo. ℣. Lacrymarum fluente rivulo, movit fletum (*d*) astanti populo. Corde. Gloria Patri, et Filio, etc. Corde.

AD LAUDES.

Deus, in adjutorium meum, etc.

Antiphona. Fit vox.

PSALMUS.

Ego sum vermis, et non homo, opprobrium hominum, et abjectio plebis,

Omnes videntes me deriserunt me : locuti sunt labiis, et moverunt caput.

(*a*) *Cæt. edit.* placidum. — (*b*) *Cæt. edit. add.* et. — (*c*) *Cæt. edit.* speculo. — (*d*) *Item* fletum movit.

Speravit in Domino, eripiat (*a*) eum, salvum faciat (*b*) eum, quoniam vult eum.

Quoniam tu es qui extraxisti me de ventre, spes mea ab uberibus matris meæ : in te projectus sum ex utero. Gloria Patri, et Filio, etc.

Antiphona. Fit vox nimis flebilis, vox nimis amara Matris, quando fuit capta (*c*) sua proles chara.

Capitulum.

Cum audisset Virgo, quod Filius ejus captus esset a Judæis, et ad Annam duceretur, januis clausis, sacrum pectus tundere et lacrymas effundere non cessavit.

HYMNUS.

O Gloriosa Domina,
Quæ tua cruciamina,
Cum Barrabas dimittitur,
Et pœnas Christus patitur!
Pastorem, heu! percutiunt,
Oves dispersæ fugiunt,
Te sola, cum Discipulo,
Manente sub patibulo.
Nec mirum si sis anxia,
Visa crudeli furia :
Te sciens puram Virginem,
Genuisti Deum et hominem.
Sit honor.

℣. Nunquam Mater pertulit tam anxios dolores. ℟. Ut Maria considerans Filii livores.

Ad Benedictus, Antiphona. Tanquam latro capitur, undique constrictus : cæditur, conspuitur, alapis afflictus. O Matris angustiæ, cum audiret ictus! Pro nobis hæc tolerans, sit Rex benedictus.

PSALMUS.

Benedictus, etc. ℣. Domine, exaudi.

Oratio.

Propter terrores illius commotionis qua (*d*) cor tuum contremuit, Virgo beatissima, quando audisti Filium tuum dilectissimum ab impiis captum, ligatum, et ad supplicia tractum, et traditum, adjuva nos : ut cor nostrum nunc pro delictis nostris terreatur, et moveatur ad pœnitentiam, ne mortis in hora ad occursum adversarii paveat, aut ad aspectum tremendi Judicis, accusante conscientia, contremiscat; sed potius faciem suam videns, in jubilo delectetur, ineffabiliterque lætetur : præstante eodem Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit, et regnat, etc.

(*a*) *Cæt. edit.* eripiet. — (*b*) *Item* faciet. — (*c*) *Item* capitur. — (*d*) *Item* quo.

AD PRIMAM.

Deus, in adjutorium meum intende, etc.

HYMNUS.

Jesu nate de Virgine,
Ex mystico spiramine,
Qui mortem crucis pateris,
Confossus plagis asperis.
Amore Matris anxiæ,
Nostræ parcas miseriæ :
Suique fletus copia,
Perducat nos ad gaudia.
Sit honor.

Antiphona. Stabat Maria.

PSALMUS.

Astiterunt reges terræ, et principes.
Dirumpamus vincula eorum.
Qui habitat in cœlis irridebit eos.
Tunc loquetur ad eos in ira sua.
Gloria Patri, et Filio, etc.

Antiphona. Stabat Maria, Mater pia, foris, plorans acriter, Regem mundi, furibundi, dum tractarent viliter.

Capitulum.

Sit tuarum, obsecro, lacrymarum rivus, in corde meo lapideo mœroris motivus. ℟. Deo gratias.

℣. Per Mariæ lacrymas, Pater pietatis. ℟. Nobis veram gloriam confer cum beatis.

℣. Domine, exaudi.

Oratio.

Propter gemitus et lacrymas, quibus afficiebaris, Virgo dulcissima, quando vidisti Filium tuum dulcissimum judici præsentari, acriter flagellari, variis illusionibus et opprobriis affici : impetra nobis dolorem pro peccatis nostris, et lacrymas salutiferæ contritionis, et adjuva nos, ne nobis possit inimicus illudere, neque diversis pro libitu suo tentationibus flagellare, devictosque statuere terribili Judici; sed magis ipsi accusemus et judicemus nosmetipsos de excessibus nostris, et veræ pœnitentiæ disciplinis flagellemus, ut veniam et gratiam in tempore ne-

cessitatis, tribulationis et angustiæ inveniamus : præstante eodem, etc.

AD TERTIAM.

℣. Deus, in adjutorium, etc.

HYMNUS.

Jesu nate de Virgine.

Antiphona. Quam putamus.

PSALMUS.

Quoniam propter te sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam.

Extraneus factus sum fratribus meis, et peregrinus filiis matris meæ.

Quoniam zelus domus tuæ comedit me, et opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.

Et operui in jejunio animam meam, et factum est in opprobrium mihi.

Gloria Patri, et Filio, etc.

Antiphona. Quam putamus Matris mœstitiam, cum videret prolis angustiam? Non dolor est, ut Matris Virginis plorantis Dei et hominis.

Capitulum.

Dum Christus ad locum Calvariæ duceretur, et crucem sibi bajularet, sequebatur eum Mater, mœstissimas voces emittens, et uberes effundens lacrymas, pectus sacrum percutiens. ℣. Quæso, mihi misero, Virginum Regina. ℟. Tecum flenti (*a*) lacrymas uberes propina.

Oratio.

Propter angustias et cruciatus, quos cor tuum sustinuit, Virgo beatissima, quando audisti Filium tuum dilectissimum adjudicatum morti, et crucis supplicio, succurre nobis tempore infirmitatis nostræ, quando corpus nostrum dolore infirmitatis cruciabitur, et spiritus noster hinc propter insidias dæmonum, illinc propter terrorem districti Judicis angustiabitur, subveni, inquam, nobis, Domina, tunc, ne damnationis æternæ contra nos proferatur sententia, aut ne flammis gehennalibus tradamur æternaliter cruciandi : præstante eodem, etc.

AD SEXTAM.

Deus, in adjutorium meum, etc.

HYMNUS.

Jesu nate de Virgine.

Antiphona. Ad locum.

PSALMUS.

Aruit tanquam testa virtus mea, lingua mea adhæsit faucibus meis, et in pulverem mortis deduxisti me.

Quoniam circumdederunt me canes multi, concilium malignantium obsedit me.

Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea.

Ipsi vero consideraverunt et inspexerunt me, diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.

Gloria Patri, et Filio, etc.

Antiphona. Ad locum supplicii Virgo cum venisset, postquam suum Filium et crucem conspexisset, augentur planctus et lacrymæ, multiplicantur dolores et angustiæ.

Capitulum.

Erecta cruce Jesus ascendit et extendit brachia; manus et pedes clavantur : quæ videns piissima Mater, præ dolore defecit. ℣. Rosa rubens vertitur, heu! mortis in pallorem. ℟. Cum in terram fluere, sacrum videret cruorem.

Oratio.

Propter doloris gladium, qui pertransivit animam tuam, Virgo dulcissima, quando Filium tuum dilectissimum cernebas, nudum in cruce levatum, clavis perforatum, ac per omnia laceratum plagis ac verberibus, necnon et vulneribus; adjuva nos, ut cor nostrum nunc compassionis et compunctionis gladius perfodiat, divinique amoris lancea vulneret, ita ut omnis peccati sanguis effluat a pectore nostro, et a noxiis vitiis emundemur, virtutum indumentis decoremur, semperque mente ac corpore de hac valle miseriæ levemur ad cœlestia, quo tandem, cum promissus dies advenerit, pervenire spiritu et corpore mereamur : præstante eodem Domino nostro Jesu Christo Filio tuo, qui cum Patre.

AD NONAM.

Deus, in adjutorium meum intende, etc.

(*a*) *Cæt. edit.* flendi.

HYMNUS.

Jesu nate de Virgine, etc.

Antiphona. Agnus mitis, etc.

PSALMUS.

Tu scis improperium meum, et confusionem meam, et reverentiam meam.

In conspectu tuo sunt omnes, qui tribulant me; improperium expectavit cor meum et miseriam.

Et sustinui, qui simul contristaretur, et non fuit; et qui consolaretur, et non inveni.

Et dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto. Gloria Patri, etc.

Antiphona. Agnus mitis caput excutiens, Heli clamat in cruce moriens; plorat Mater, cum ipso patitur, ad clamorem ejus fere commoritur.

Capitulum.

Clamor Christi Matrem angustiat; nullus planctus plangentem satiat; est utriusque compassio, nam præcessit summa dilectio. ℣. Virgo Filium tuum in cruce conclavatum. ℟. Redde tuis precibus miseris placatum.

Oratio.

Propter gravamen et tormentum, quo torquebatur spiritus tuus, Virgo sanctissima, quando juxta crucem Filium tuum præ doloribus voce magna clamantem, te Matrem dilectam Joanni commendantem (*a*), in manusque Dei Patris spiritum commendantem attendebas, succurre nobis in fine vitæ nostræ, et maxime tunc, quando lingua nostra nequiverit se ad te invocandum movere, cum oculi nostri lumine privabuntur, aures surdescent et obturabuntur, omnesque vires sensuum nostrorum deficient. Memento, piissima Domina, tunc, quod nunc fundimus preces ad aures tuæ pietatis et clementiæ, et subveni nobis in illa hora extremæ necessitatis, ac Filio tuo dilectissimo commenda spiritum nostrum, per quem tuo interventu a tormentis et terroribus omnibus eruamur, et ad desideratam cœlestis patriæ requiem perducamur : præstante eodem, etc.

AD VESPERAS.

Deus, in adjutorium meum intende, etc.

(*a*) *Cæt. edit.* commendatam. — (*b*) *Item* audiens auxiæ.

PSALMUS.

Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam.

Infixus sum in limo profundi, et non est substantia.

Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me.

Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ.

Defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum.

Gloria Patri, et Filio, etc.

Antiphona. Omnis ætas defleat mortem Salvatoris, gloriosæ Virginis prætextu doloris.

Capitulum.

Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. ℟. Deo gratias.

HYMNUS.

Castæ parentis viscera
Pœna torquentur aspera,
Dum illum, quem conceperat
Verbo, perversi verberant.
Illum tractant crudeliter,
Cædunt, cruentant acriter.
Hæc audientis anxie (*b*),
Matris crescunt angustiæ.
Sed cum ad mortem ducitur,
Hunc Mater tristis sequitur,
Pectus perfundens fletibus,
Afficiens livoribus.
In cruce dum extenditur,
Videns Mater quod moritur;
Nullus dolor amarior,
Nam nulla proles charior.

Sit honor, laus. ℣. Nulla novit genitrix angustias tam duras. ℟. Cum plagas inspiceret, et capitis puncturas.

Ad Magnificat, Antiphona. Virgo, passo Filio, pœnas cordis indicat, et plebis in medio, dolorem cordis replicat : urgente supplicio, mœsta voce supplicat, quæ quondam præ gaudio cecinit Magnificat.

PSALMUS.

Magnificat. ℣. Domine, exaudi.

Oratio.

Propter planctum acerbi ejulatus, quem pro-

fundo pectoris fonte manantem (*a*) abscondere non valebas, Virgo castissima, quando, ut pie creditur, in amplexus ruebas exanimis corporis Filii tui de cruce depositi, cujus genas ante nitentes, et ora rutilantia, mortis conspiciebas perfundi palloribus, ipsumque totum concussum cernebas, lividum livoribus, ac concisum vulnere super vulnus : auxiliare nobis, ut nunc sic nostra plangamus facinora, et emplastris pœnitentiæ peccatorum curemus vulnera, dum corpus nostrum morte deformatur, ut (*b*) nostra tunc rutilet anima candore innocentiæ, quatenus digni simus frui mellifluis osculis, constringamurque amorosis amplexibus super omnia dulcissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi ; qui, etc.

AD COMPLETORIUM.

Converte nos, Deus salutaris. ℟. Et averte iram tuam, etc. Deus, in adjutorium meum intende, etc.

Antiphona. Nos Matris compassio.

Psalmus.

Adversum me susurrabant omnes. Verbum iniquum constituerunt. Etenim homo pacis meæ. Tu autem, Domine, miserere. Gloria Patri, etc.

Antiphona. Nos Matris compassio, Jesu Rex insignis, servet a voragine gehennalis ignis.

Hymnus.

O Genitrix egregia,
Cum Judæos in furia
Christum videres capere,
Cor tuum cœpit tremere.
Alta ducens suspiria,
Tu sequebaris anxia,
In fletibus exuberans,
Ad templum usque properans.
Sit honor, laus, etc.

Capitulum.

Sepulto Domino, dispersisque discipulis, fides universalis Ecclesiæ solum in Domini Matre manebat.

℣. Post mortem Filii, Virgo cum Joanne permanebat.

℟. Parata semper ad carcerem et ad mortem.

Ad Nunc dimit. Antiphona. Passionis gladius, Virgo carens crimine, tuam pertransivit animam, omni cum gravamine, quod promisit Simeon plenus sacro flamine, cum in templo dixit : Nunc dimittis, Domine.

Oratio.

Propter singultus et suspiria, indicibiliaque lamenta, quibus affligebantur intima tua, Virgo gloriosissima, quando Filium tuum unigenitum, animæ tuæ solatium, tibi sublatum atque sepultum videbas, ad nos exules filios Evæ, ad te clamantes et suspirantes in hac valle lacrymarum, illos tuos misericordes oculos converte, et Jesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende, tuisque suffragantibus meritis, ecclesiasticis sacramentis muniri, et fine beato consummari, et æterno Judici tandem misericorditer præsentari : præstante eodem Domino nostro Jesu Christo Filio tuo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit, etc.

(*a*) *Edit. Vat. et Lugd.* manente. *Edit. Ven.* manante. — (*b*) *Cæt. edit. deest* ut.

SPECULUM BEATÆ MARIÆ VIRGINIS [1]

ARGUMENTUM

(*Ex edit. Vaticana, an.* 1596.)

Sanctus Bonaventura hoc Opusculo Salutationem Angelicam dilucide explicat, et sanctissimæ Dei Genitricis excellentiam miris laudibus effert. Propterea enim Opusculo titulum hujusmodi præfigit, quia in eo beatissimæ Virginis gratiæ, virtutes et dona veluti imagines in lucidissimo speculo repræsentantur. Adhibet autem ad hoc comprobandum auctoritates varias, quibus totum Opusculum conspersum est, et, iisdem majori ex parte conquisitis summa cum diligentia, pristino suo splendori restitutum. Sunt autem decem et octo capita, ad quæ reduci possunt omnia, quæ de hoc argumento a Sancto Bonaventura tractantur : ideoque in lectiones totidem tractatum istum distinximus.

[2] PROLOGUS

Quoniam, ut ait beatus Hieronymus [3], nulli dubium est, quin totum ad gloriam et ad laudem pertineat Dei, quidquid digne genitrici suæ impensum fuerit; ideo ad laudem et gloriam Domini nostri Jesu Christi, aliqua de laude et gloria gloriosissimæ matris ejus promere cupiens, dulcissimam ejusdem matris salutationem pro materia assumere dignum duxi. Sed certe ad hoc opus nimiam omnino fateor esse meam insufficientiam, propter nimiam materiæ incomprehensibilitatem, propter nimiam scientiæ meæ tenuitatem, propter nimiam linguæ meæ ariditatem, propter nimiam vitæ meæ indignitatem, et propter nimiam personæ laudandæ laudem et laudabilitatem. Quis namque materiam illam incomprehensibilem esse dubitat, de qua sanctus Hieronymus [4] ea, quæ sequuntur, dicere non dubitat? Quod natura non habuit, usus nescivit, ignoravit ratio, mens non capit humana, pavet cœlum, stupet terra, creatura etiam miratur omnis cœlestis, hoc totum est, quod per Gabrielem Mariæ divinitus nuntiatur, et per Christum adimpletur. Qua de causa, de tali, tantaque me loqui indignum fateor. Item, quomodo scientia mea tenuissima, et mens mea obscurissima, dignas Mariæ laudes excogitare sufficiat, cum in his ille illuminatæ mentis Anselmus deficiat? Ait enim sic: « Lingua mihi deficit, quia mens mea non sufficit, Domina. Domina, omnia intima mea sollicita sunt, ut tantorum beneficiorum tibi gratias exsolvam. Sed nec cogitare possum dignas, et pudet proferre non dignas. » Beatus quoque Augustinus Mariam alloquens, ait [5]: « Quid dicam de te, pauper ingenio, cum de te quidquid dixero, minor laus est, quam dignitas tua meretur? » Item, quomodo lingua mea rudissima, quomodo interpretativa mea aridissima in enarrandis Mariæ laudibus non deficiat, cum ille disertissimæ linguæ Augustinus dicat [6]:

[1] *Cf.* Edit. Argentin., an. 1495, tom. II; edit. Vatic., an. 1596, tom. VI, pag. 450; edit. Ven., an. 1611, tom. II; edit. Lugd., an. 1647, tom. I, pag. 451; edit. Ven., an. 1754, tom. XIII, pag. 261 — [2] Singularum lectionum summam, quæ hoc loco in cæteris editionibus legitur, uniformitatis gratia ad calcem voluminis, seu ad indicem rejecimus. — [3] Hieron., *ad Paulam. et Eustoch.*, epist. ante med. — [4] Ibid., post multa. — [5] August., *de Sanctis*, serm. XXXV, al., n. 4. — [6] Ibid. CCVIII, n. 5, Append. oper Aug., tom. V.

« Quid nos tantilli, quid actione pusilli in laudibus Mariæ referemus, cum omnium nostrum membra si in linguas verterentur, eam laudare nullus sufficere valeret? » Item, cum [1] *laus non* sit *speciosa in ore peccatoris*, quomodo ego miser peccator homo, quomodo indignissimæ vitæ ego homuncio, laudes Mariæ audeam sonare, cum in his illum dignissimæ vitæ Hieronymum audiam trepidare? Sic namque dicit [2] : « Timeo satis, et valde pertimesco, dum vestris cupio parere profectibus, ne forte sicut improbus, ita et indignus laudator inveniar. Profecto, cum nec sanctitas, nec facundia suppetat, ut beatam et gloriosam Virginem digne laudare queam. » Item : « Ad quid aquæ pauxillum mari addam? Ad quid modicum lapillum monti adjiciam? Sed certe cum Maria divinis et angelicis laudibus nimium magnificata sit, quid nostra, quid præcipue mea parvitas ejus laudibus adjicere possit? » Denique Beatus Hieronymus de ipsa loquens ait [3] : « Ut verum fatear, quidquid humanis dici potest verbis, minus a laude cœli est: quoniam divinis et angelicis est excellentius prædicata et laudata præconiis, a prophetis quidem prænuntiata, a patriarchis figuris et ænigmatibus præsignata, ab Evangelistis exhibita et monstrata, ab Angelis venerabiliter atque officiosissime salutata. » Hæc omnia diligenter pensata, pium lectorem piumque auditorem movere debent merito, ut ignoscat mihi, quidquid insufficientiæ, quidquid imperitiæ ei occurrerit in hoc scripto. Quomodo enim ego tam insufficiens, cudere valerem ea, quæ tantæ Virginis laudibus digna, tantæque Virginis zelatoribus forent accommoda, cum in his ille tantus zelator ejus et laudator beatus Bernardus coercetur? Ait enim sic [4] : « Non est quod me delectet magis, quam de gloria Virginis Matris habere sermonem. » Et causam hujus subjungens, ait : « Tanto eam affectu devotionis amplectuntur, honorant, suscipiunt, ut dignum est, universi, ut licet de ea loqui gestiant omnes, quidquid dicitur de indicibili, eo ipso quod (*a*) dici potuerit, minus gratum sit, minus placeat, minus acceptetur. » Hortatur tamen et consolatur me beatus Hieronymus dicens [5] : « Etsi ad hoc nemo invenitur idoneus, votis tamen omnibus cessare non debet quilibet peccator a laudibus. » Beatus etiam Augustinus, loquens quomodo Dei Filius matri suæ fœcunditatem veniendo attulit, et integritatem nascendo non abstulit, post pauca sic intulit dicens : « Tantum quippe donum Dei nec fari possumus, ad ejus enarrandam magnitudinem parvuli; et tamen laudare compellimur, ne tacendo maneamus ingrati. Et certe vidua paupercula, quæ duo æra minuta Deo gratissima obtulit, non propter hoc offerre non debuit, quia magis offerre non valuit; imo offerendo quod potuit, summo Deo placuit. » Hinc est, quod ego pauper ingenio, imo pauperrimus tam scientia quam eloquentia, hoc exiguum donum, hoc pauperculum scriptum ad honorem tantæ Reginæ offerre præsumpsi : ut in ipso, tanquam in quodam obscuro speculo, simpliciores ejusdem Reginæ amatores, qualis et quanta sit saltem tenuiter speculentur. Et quia idem scriptum ad instar rudis speculi aliquantum repræsentativum est vitæ, et gratiæ, et gloriæ Mariæ; ideo non inconvenienter appellari potest Speculum Mariæ (*b*). Eia ergo, benignissima Domina mea Maria, illud exiguum munus, quod dat tibi pauper amicus, accipito placide. Te enim cum hoc munusculo, te cum hoc opusculo salutationis tuæ saluto, te genibus flexis, te capite inclinato, te corde et ore saluto, salutemque dico. *Ave, Maria*, etc.

LECTIO PRIMA.

Quod in Salutatione Angelica quinque sententiæ ordinantur, in quibus quinque dulcissimæ laudes B. Mariæ Virginis insinuantur.

Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Audi, dulcissima Virgo Maria, audi nova, audi mira. Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam. Audi Gabrielem nuntium illum gloriosum. Audi fœcundationis tuæ modum miraculosum. Inclina aurem tuam ad consensum fructuosum. Audi certe quod a Deo Patre tibi annuntiabitur. Vide quomodo Filius Dei ex te incarnabitur. Inclina aurem Spiritui sancto, qui intra te operabitur. Quia ergo habes aures audiendi, audi, et in principio audiendorum, audi

[1] *Eccli.*, XV, 9. — [2] Hieron., loc. jam cit. — [3] Ibid., paulo post. — [4] Bern., *de Assumpt. B. Mar.*, serm. IV, n. 5. — [5] Hieron., ubi sup. proxime.

(*a*) *Cæt. edit.* quo. — (*b*) *Item* speculum, Maria.

inauditam hanc salutationem : *Ave, Maria*. Hoc nomen, *Maria*, non a Gabriele, sed a fidelium devotione et Spiritus sancti inspiratione interpositum est. Ultima quoque clausula, videlicet : *Et benedictus fructus ventris tui*, non a Gabriele salutante edita, sed ab Elisabeth prophetante addita est. Dicamus ergo singuli, dicamus universi : *Ave, Maria*, etc. O vere gratiosa et venerabilis, o vere gloriosa et admirabilis salutatio ! Ut ait Beda [1] : « Quanto humanæ consuetudini inaudita, tanto Mariæ dignitati est congrua. » In hac dulcissima salutatione quinque dulcissimæ sententiæ ordinantur, in quibus quinque dulcissimæ commendationes, sive laudes Virginis insinuantur. O vere dulcis insinuatio ! Insinuatur namque in his quam purissima, quam plenissima, quam tutissima, quam dignissima, quam utilissima fuerit Virgo B. Maria : purissima, inquam, propter culpæ carentiam ; plenissima propter gratiæ affluentiam ; tutissima, propter divinam præsentiam ; dignissima, propter personæ suæ reverentiam ; utilissima, propter prolis suæ excellentiam. Quam purissima propter culpæ carentiam fuerit Maria, bene insinuatur, cum dicitur : *Ave*. Recte namque ei dicitur : *Ave*, quæ ab omni *væ* culpæ immunissima fuit. Sic utique Matrem Dei decuit, Anselmo teste, qui ait [2] : « Decebat ut hominis illius conceptio de matre purissima fieret, (*a*) ut ea puritate, qua major sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus Pater unicum Filium (*b*), quem de corde suo æqualem sibi genuit (*c*), ita dare disponebat, ut (*d*) esset unus atque idem (*e*) Dei et hominis filius. » Item quam plenissima per gratiæ affluentiam fuerit Maria, bene insinuatur, cum dicitur : *Gratia plena*. Et vere plena, et plus quam plena, sicut testatur Anselmus devotissime clamans et dicens : « O fœmina plena et superplena gratia, de cujus plenitudinis exundantia respersa, sic reviviscit omnis creatura ! » Item quam tutissima per divinam præsentiam fuerit Maria, bene insinuatur, cum dicitur : *Dominus tecum*. Merito, Domino præsente, Domino secum existente, Maria specialiter tutissima est ; quia Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus sanctus sic secum est, quod ipsa ei specialiter familiarissima est, sicut patet per beatum Bernardum, qui sic dicit [3] : « Nec tantum Dominus Filius tecum, quem carne tua induis ; sed et Dominus Spiritus sanctus, de quo concipis, et Dominus Pater qui genuit, quem concipis. » Item quam dignissima propter personæ suæ reverentiam fuerit Maria, bene insinuatur, cum dicitur : *Benedicta tu in mulieribus*. Nequaquam enim persona ejus posset non esse dignissima, quæ tanta benedictione est reverendissima. Unde iterum stupens et exclamans dicit Anselmus : « O Virgo benedicta et superbenedicta, per cujus benedictionem benedicitur omnis creatura non solum a Creatore, sed Creator a Creatura ! » Item quam utilissima per prolis suæ excellentiam fuerit Maria, bene insinuatur, cum dicitur : *Et benedictus fructus ventris tui*. Ad salvandum namque mundum per hoc utilissima fuit, quod ipsa fructum salutis excellentissimum et potentissimum genuit. Ideo idem devotus Anselmus ait : « Per fœcunditatem tuam, Domina, immundus peccator est justificatus, damnatus salvatus, et exul reductus. Partus enim tuus, Domina, mundum captivum redemit, ægrum sanavit, mortuum suscitavit. » Videtis, charissimi, ergo quomodo Maria, propter culpæ carentiam et immunitatem, merito per *Ave* salutatur ; propter gratiæ affluentiam et immensitatem, merito *Gratia plena* commemoratur ; propter divinam præsentiam et familiaritatem, merito *Dominus tecum* insinuatur ; propter personæ suæ reverentiam et dignitatem, merito *Benedicta tu in mulieribus* nuntiatur ; propter prolis suæ excellentiam et utilitatem, merito *Benedictus fructus ventris tui* proclamatur. De his autem singulis secundum ordinem videamus.

LECTIO II.

Quod B. Virgo Maria libera fuit a triplici væ culpæ actualis ; a triplici væ miseriæ originalis ; et a triplici væ pœnæ gehennalis.

Ave, Maria, gratia plena, etc. Verbum bonum et suave personemus illud *ave*, quo initiata est nostra redemptio ab æterno væ. Personemus, inquam, singuli ; personemus devotissime universi, dicentes : *Ave, Maria, ave*, et *ave*, et iterum *ave*, et millies *ave*. Ecce, charissimi, sicut supradictum est, sanctissimæ Virgini Mariæ propter omnimodam culpæ carentiam et immu-

[1] Bed., hom. *de Annunt. B. Mar.* — [2] Anselm., *de Concep. Virg. et pecc. orig.*, c. XVIII. — [3] Bern., super *Missus est* hom. III, n. 4.

(*a*) *Add.* Nempe decens erat. — (*b*) *Add.* suum. — (*c*) *Edit. Migne* genitum, tanquam seipsum diligebat. — (*d*) *Add.* naturaliter. — (*e*) *Leg.* unus idemque communis.

nitatem, propter omnimodam vitæ innocentiam et puritatem, merito in principio salutationis *Ave* dicitur; Ave utique, et absque væ. Considerandum autem est, quod triplex est væ, a quo immunissima fuit ista, cui dictum est : *Ave.* Est autem væ culpæ, væ miseriæ, et væ gehennæ. Est autem væ culpæ actualis, væ miseriæ originalis, et væ pœnæ gehennalis. De his tribus væ non incongrue intelligimus quod in *Apocalypsi* legimus [1] : *Audivi*, inquit Joannes, *vocem unius aquilæ volantis per medium cœlum* (*a*), *dicentis voce magna : Væ, væ, væ, habitantibus in terra.* Sed ecce quodlibet istorum trium *væ* multiplicatur, heu! per tria *væ*, ut sic simul sint novem *væ*, contra quæ Mariæ recte dicitur : *Ave.* Nam tria culpæ, tria miseriæ, tria gehennæ sunt væ, pro quorum carentia, ipsa merito salutatur per *Ave.*

Beata Virgo immunis fuit a triplici væ.

Primo igitur, charissimi, considerandum est quod triplex est væ culpæ, videlicet væ culpæ cordis, væ culpæ oris, et væ culpæ operis. De his tribus væ etiam dici potest : *Væ, væ, væ habitantibus in terra.* Væ ergo peccatoribus pro culpa cordis, sicut dicitur in Isaia [2] : *Væ, qui profundi estis corde, ut a Domino abscondatis consilium*, etc. Væ certe profundis corde ad malum, quia profunda corda malorum sunt profundæ sentinæ diabolorum, et profunda sepulcra plena fœtoribus vitiorum. Væ ergo eis, ut dicitur in *Matthæo* [3] : *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui similes estis sepulcris dealbatis, quæ foris apparent hominibus speciosa, intus autem plena sunt ossibus mortuorum, et omni spurcitia.* O quam longe ab isto væ fuit innocentissimum cor Mariæ, teste Bernardo qui ait [4] : « Proprium delictum Maria non habuit, et ab innocentissimo corde ejus etiam pœnitentia longe fuit. » Unde ergo cor Mariæ pœnitere debuit, cum nunquam dignum aliquid pœnitentia admisit? Ideoque mundissimum cor ejus non fuit sentina diaboli, non fuit sepulcrum vitii, imo fuit hortus et paradisus Spiritus sancti, juxta illud *Canticorum* [5] : *Hortus conclusus soror mea sponsa.* « Hortus, » ut ait Hieronymus [6], « hortus deliciarum, in quo consita sunt universa florum genera, et odoramenta virtutum. » Quia ergo Maria tam longe fuit ab isto væ, ideo merito dictum est ei : *Ave.* Item væ peccatoribus pro culpa oris, sicut dicitur in *Isaia* [7] : *Væ qui dicitis malum bonum, et bonum malum.* Væ his, væ omnibus qui ore peccant, sicut in Psalmo dicitur [8] : *Venenum aspidum sub labiis eorum.* O quam longe ab isto væ fuit sanctissimum os Mariæ! Unde beatus Ambrosius dicit [9] : « Nihil torvum in oculis Mariæ, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecundum » fuit. In ore igitur Mariæ non fuit fel et venenum diaboli, sed mel et lac Spiritus sancti, juxta illud *Canticorum* [10] : *Favus distillans labia tua, sponsa : mel et lac sub lingua tua.* Nonne Maria mundissimum lac habuit sub lingua, quando castissimum illud verbum ait [11] : *Quomodo fiet istud?* Nonne etiam Maria dulcissimum mel sub lingua habuit, quando illud mellifluum verbum dixit [12] : *Ecce ancilla Domini?* Quia ergo a Maria tam longe fuit oris væ, ideo merito dictum est ei : *Ave.* Item væ peccatoribus pro culpa operis, sicut dicitur in *Ecclesiastico* [13] : *Væ duplici corde, et labiis scelestis, et manibus male facientibus. Væ duplici corde,* pro culpa cordis; *væ labiis scelestis,* pro culpa oris; *væ manibus male facientibus,* pro culpa operis. O quam longe a tali væ fuit omne opus, et omnis vita Mariæ! Propter quod Bernardus ait [14] : « Decuit Reginam virginum, singulari privilegio sanctitatis, absque omni peccato ducere vitam, ut dum peccati mortisque (*b*) pareret peremptorem, munus vitæ et justitiæ omnibus obtineret. » Nota : nec corde, nec ore, nec opere maculam peccati habuit, nec contraxit, ut vere ei Dominus dicere posset [15] : *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.* Sic ergo innocentissima et sanctissima Maria corde fuit absque væ, ore absque væ, opere absque væ; et ideo dictum est ei : *Ave.*

Beata Maria immunis fuit ab omni peccato cordis, oris, et operis.

Secundo, charissimi, considerandum est, quod Maria immunis fuit non solum a triplici væ culpæ actualis, sed etiam a triplici væ originalis miseriæ : videlicet a væ miseriæ nascentium, a væ miseriæ parientium, et a væ miseriæ morientium. Væ miseriæ nascentium, est væ fomitis nascentes infirmantis; et væ miseriæ parientium, est væ doloris parientes cruciantis; væ miseriæ morientium, est væ resolutionis morientes incinerantis. De his tribus væ dici potest : *Væ, væ, væ, habitantibus in terra.* Væ ergo miseriæ nascentium, est væ fomitis nobis innati,

B. Virgo Maria a triplici væ originalis miseriæ immunis.

[1] *Apoc.*, VIII, 13. — [2] *Isa.*, XXIX, 15. — [3] *Matth.*, XXIII, 27. — [4] Bern., *in Assumpt. B Mar.*, serm. II, n. 8. — [5] *Cant.*, IV, 12. — [6] Hieron., loc. jam cit. — [7] *Isa.*, V, 20. — [8] *Psal.* XIII, 3. — [9] Ambros., *de Virginib.*, lib. II, c. II, n. 7. — [10] *Cant.*, IV, 11. — [11] *Luc.*, I, 34. — [12] Ibid., 38. — [13] *Eccli.*, II, 14. — [14] Bernard., *ad Canonic. Ludg.*, epist. CLXXIV, n. 5. — [15] *Cant.*, IV, 7.

(*a*) Vulg. *cœli.* — (*b*) *Cæt. edit.* mortis.

quo secundum originalem corruptionem tam infirmi ad bonum, et tam proni ad malum sumus, quod quilibet cum fomite natus, quilibet per fomitem infirmus et plagatus, dicere potest illud Hieremiæ [1] : *Væ mihi super contritione mea, pessima plaga mea. Ego autem dixi : Plane hæc infirmitas mea est, et ego portabo illam.* Sed, heu ! non solum inest nascentibus væ infirmitatis et miseriæ, adultos ad peccatum inclinantis; sed etiam væ fœditatis et culpæ, parvulos ad iram obligantis, de qua Apostolus ait [2] : *Omnes nascimur* (*a*) *filii iræ.* O quam immunis ab isto væ nascentium fuit sanctissima nativitas Mariæ, quæ non solum ab originali culpa, sed etiam a fomitis miseria, in quantum ad peccatum ductivus erat, sic liberata creditur per sanctificationem in utero, ut nunquam ad peccatum inclinata fuerit in hoc mundo, teste Bernardo, qui ait [3] : « Puto quod copiosior gratia sanctificationis in ipsam descenderit, quæ non solum ortum ejus sanctificavit (*b*), sed etiam vitam deinceps ab omni peccato custodierit (*c*) immunem.» Quia ergo nativitas Mariæ tam longe fuit ab isto væ, ideo merito ei dictum est : *Ave.* Item væ miseriæ parientium, est illud originalis maledictionis væ, de quo dictum est Evæ [4] : *In dolore paries filios,* etc. De hoc væ plerisque prægnantibus dici potest generaliter, quod Dominus de quibusdam prægnantibus dicit specialiter [5] : *Væ autem prægnantibus et nutrientibus in illis diebus.* O quam immunis ab isto væ fuit prægnans et pariens uterus Mariæ, Augustino teste, qui ait [6] : « O quam beata Mater ista est, quæ sine contaminatione concepit munditiam, et sine dolore peperit medicinam. » Quia ergo Maria tam longe fuit ab isto parientium væ, ideo merito dictum est ei : *Ave.* Item miseriæ væ morientium, est væ incinerationis, quod homini inflictum est, quando peccanti dictum est [7] : *Pulvis es, et in pulverem reverteris.* Unde tam de væ morientium, quam de væ nascentium, bene intelligi potest quod dicitur in *Ecclesiastico* [8] : *Væ vobis, viri impii, qui dereliquistis legem Domini altissimi. Et si nati fueritis, in maledictione nascemini ; et si morti fueritis, in maledictione pars vestra erit.* Certe tam pii, quam impii, nascuntur in maledictione fomitis, et mortui erunt in maledictione pulveris; et tamen solis impiis væ utriusque maledictionis non inconvenienter hic inculcatur, eo quod ipsis et fomes periculosior, et incineratio odiosior esse videatur; denique injustis miseria fomitis nocivior, et memoria incinerationis amarior est, quam justis. O quam longe ab isto incinerationis væ fuit, ut credimus, corpus Mariæ sanctissimum ! Hoc enim corpus est arca sanctissima Dei, quam decuit non putrefieri, sed ad instar filii sui ante omnem putrefactionem suscitari. Unde tam de filio, quam de matre notabiliter ait Propheta [9] : *Surge, Domine, in requiem tuam, tu, et arca sanctificationis tuæ.* Hæc arca de lignis imputribilibus facta est, quia caro Mariæ nequaquam, ut credimus, putrefacta est. Ideoque bene beatus Augustinus ait [10] : « Tam præclarum thesaurum dignius est cœlum servare quam terram, tantamque integritatem merito incorruptibilitas, non putredinis ulla resolutio sequitur. » Si ergo Maria eo modo, quo dictum est, longe fuit a nascentium væ, longe fuit etiam a morientium væ, et ideo merito ei dictum est: *Ave.*

Corpus B. Virginis surrexit gloriosum ante omnem putrefactionem.

Tertio, charissimi, considerandum est, quod Maria immunis fuit non solum a triplici væ culpæ actualis, non solum a triplici væ miseriæ originalis; sed etiam a triplici pœna gehennali. Hoc triplex væ consistit in pœnarum magnitudine, multitudine, et longitudine. Væ ergo damnatis pariter et damnandis : væ, inquam, propter magnitudinem; væ propter multitudinem; væ propter longitudinem tormentorum. De his etiam tribus væ dici potest : *Væ, væ, væ, habitantibus in terra.* Væ ergo gehennæ consistit in pœnarum magnitudine. De hoc væ dicitur in *Ezechiele* [11] : *Væ civitati sanguinum, cujus ego grandem faciam pyram.* Civitas sanguinum est collectio impiorum, cujus grandis erit pyra in grandi concrematione damnatorum. O quam longe ab isto væ grandi magnitudinis pœnæ fuit grandis magnitudo gratiæ et gloriæ Mariæ, cui contra grandem damnandorum pœnam in inferno, etiam Deus præparaverat grandem gloriam in cœlo, ut sicut fuit grandis in merito, ita etiam grandis esset in præmio ! Unde ipsa (*d*) est thonus ille grandis, de quo dicitur [12] : *Fecit Rex Salomon thronum de ebore grandem.* Thronus

B. Virgo Maria immuni a triplic væ pœna gehennalis.

[1] *Jerem.*, x, 19. — [2] *Ephes.*, II, 3. — [3] Bern., ubi supra proxime. — [4] *Gen.*, III, 16. — [5] *Matth.*, XXIV, 19. — [6] August., *de Nativ. B. Mar.*, serm. III, prout habetur in *Milleloquio.* — [7] *Gen.*, III, 19. — [8] *Eccli.*, XLI, 11, 12. — [9] *Psal.* CXXXI, 8. — [10] August., *de Assumpt. Mar.*, lib. unic., c. VI. — [11] *Ezech.*, XXIV, 9. — [12] III *Reg.*, X, 18.

(*a*) Vulg. *eramus natura.* — (*b*) *Al.* sanctificaret. — (*c*) *Al.* custodiret. — (*d*) *Cæt. edit.* ipse.

vero Salomonis est Maria, grandis omnino in gratia et in gloria. Propter quod bene beatus Bernardus ait [1] : « Quantum gratiæ Maria in terris adepta est præ cæteris, tantum in cœlis obtinuit gloriæ singularis. » Quia ergo Maria tam longissime fuit ab isto væ, ideo merito ei dictum est : *Ave.* Item væ gehennæ consistit non solum in pœnæ magnitudine, sed etiam in pœnarum multitudine. Unde in Isaia dicitur [2] : *Væ animæ eorum, quia reddita sunt eis mala.* Pluraliter dicit *mala*, quia plura : imo plurima mala malis redduntur in gehenna. O quam longe ab isto væ multitudinis tormentorum fuit in Maria multitudo meritorum et præmiorum, cui contra multa damnatorum mala in inferno jam Deus præparaverat multa bona in cœlo, ita ut nullus angelus, nullus sanctorum ei æquari possit in multitudine et congregatione bonorum cœlestium, juxta illud *Proverbiorum* [3] : *Multæ filiæ congregaverunt divitias ; tu* sola *supergressa es universas.* Si filias istas intelligamus sanctas animas vel intelligentias angelicas, numquid non supergressa est divitias virginum, confessorum, martyrum, apostolorum, prophetarum, patriarcharum et angelorum, cum ipsa sit primitiva virginum, speculum confessorum, rosa martyrum, registrum apostolorum, oraculum prophetarum, filia patriarcharum, regina angelorum ? Quid enim de divitiis omnium horum defuit ? Hieronymus enim ait [4] : « Mariam si diligentius aspicias, nihil virtutis est, nihil speciositatis, nihil candoris et gloriæ, quod in ea non resplendeat. » Quia ergo Maria tam longissime (*a*) fuit a prædicto væ gehennæ, ideo merito dictum ei : *Ave.* Item væ gehennæ non solum in magnitudine, non solum in multitudine ; sed etiam in longitudine, sive perpetuitate pœnarum consistit. Unde in canonica *Judæ* dicitur [5] : *Væ illis, qui in via Cain abierunt, et errore Balaam mercede effusi sunt, et in contradictione Core perierunt.* Et post pauca sequitur : *Quibus procella tenebrarum servata est in æternum.* Nota, quod dicit, *in æternum* ; et pensa quanta sit illa pœnarum et tenebrarum longitudo, quæ finem non accipit in æternum. O quam longissime ab isto longissimo gehennæ væ fuit longitudo gloriæ Mariæ, cui contra æternas tenebras in inferno, jam Dominus præparaverat æternam lucem in cœlo, ut sicut anima peccatrix sedes diaboli est mirabiliter tenebrosa in æternum, ita Maria mediatrix sedes Christi mirabiliter luminosa est in æternum, juxta illud Psalmi [6] : *Thronus ejus sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in æternum !* Sic ergo beatissima Virgo Maria longe fuit a triplici væ gehennæ ; imo longe fuit a prædictis novem væ , et ideo merito ei dictum est : *Ave.* Nos ergo, charissimi, omnes ei dicamus *ave*, omnesque oremus, ut propter suum dulcissimum ave, nos oret liberari ab omni væ. Per Dominum nostrum Jesum Christum filium suum.

[1] Bern., *in Assumpt. B. Mar.*, serm. I, prope fin. — [2] *Isa.*, III, 9. — [3] *Prov.*, XXXI, 29. — [4] Hieron., loc. jam pluries cit. — [5] *Jud.*, 11, 13. — [6] *Psal.* LXXXVIII, 38. — [7] *Luc.*, I, 27.

LECTIO III.

De significationibus nominis Maria ; et quod B. Virgo mare amarum, stella maris, illuminatrix, et Domina convenientissime dicitur.

Ave, Maria. Hoc nomen, sicut dictum est supra, non angelus, sed devotio fidelium interposuit. De hoc beatus Evangelista Lucas signanter ait [7] : *Nomen Virginis Maria.* Hoc nomen sanctissimum, nomen dulcissimum, nomen dignissimum, tam sanctissimæ, tam dulcissimæ, tam dignissimæ Virgini convenientissime est impositum. *Maria* enim amarum mare, *Maria* est stella maris, et *Maria* illuminata vel illuminatrix, *Maria* domina interpretatur. Maria autem est mare amarum dæmonibus, et stella maris hominibus, et illuminata, vel illuminatrix angelicis spiritibus ; domina creaturis omnibus. Maria, inquam, dæmonibus est mare amarum spiritualiter, et Maria hominibus est stella maris officialiter, et Maria angelis illuminatrix est æternaliter, et Maria creaturis omnibus est domina universaliter.

Quid significet nomen Maria.

Considerandum ergo est, quod Maria interpretatur amarum mare : hoc optime ei competit contra diabolum. Sed nota, quomodo Maria sit mare, et quomodo sit amara, et quomodo simul sit amarum mare. Maria est mare, gratia affluendo ; et Maria est amara, filio compatiendo ; et Maria est amarum mare, diabolum submergendo. Maria utique est mare, per affluentem Spiritus sancti repletionem ; Maria est amara, per affluentem filii sui passionem ; Maria est mare amarum, per submergentem (*b*) diabolum (*c*) suffocationem.

Maria amarum mare.

Primo considera, charissime, quod Maria di-

(*a*) *Cæt. edit.* longissima. — (*b*) *Edit. Ven.* submergendum. — (*c*) *Cæt. edit.* diaboli.

citur mare propter affluentiam et copiam gratiarum. Unde scriptum est in *Ecclesiaste* [1] : *Omnia flumina intrant in mare.* Flumina sunt charismata Spiritus sancti; unde Joannes dicit [2] : *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Omnia ergo flumina intrant in mare, dum omnia charismata sanctorum intrant in Mariam. Flumen enim gratiæ angelorum intrat in Mariam, et flumen gratiæ patriarcharum et prophetarum intrat in Mariam, et flumen gratiæ apostolorum intrat in Mariam, et flumen gratiæ martyrum intrat in Mariam, et flumen gratiæ confessorum intrat in Mariam, et flumen gratiæ virginum intrat in Mariam. *Omnia flumina intrant in mare*, id est omnes gratiæ intrant in Mariam. Unde ipsa optime dicere potest illud *Ecclesiastici* [3] : *In me omnis gratia viæ et veritatis, et in me omnis spes vitæ et virtutis.* Quid mirum, si omnis gratia in Mariam confluxit, per quam tanta gratia ad omnes defluxit? Ait enim beatus Augustinus : « Gratia es plena, Maria, quam apud Dominum invenisti, et hanc per totum mundum effundere meruisti. »

Secundo considera, charissime, quod Maria in passione filii sui valde amara fuit, quando suam ipsius animam gladius pertransivit. Unde ipsa bene potuit dicere illud Ruth [4] : *Non vocetis me Noemi, id est pulchram, sed vocate me Mara, id est amaram, quia amaritudine valde replevit me Omnipotens.* Amara fuit Noemi, quia duo filii sui fuerunt mortui. Noemi pulchra et amara signat Mariam, pulchram quidem per Spiritus sancti sanctificationem, amaram vero per filii sui passionem. Duo autem filii Mariæ sunt homo Deus, et homo purus; unius enim corporaliter, alterius spiritualiter mater est Maria. Unde beatus Bernardus ait : « Tu mater Regis, tu mater exulis : tu mater Dei, tu mater judicis : et tu mater Dei et hominis, cum mater sis utriusque, discordiam inter filios tuos nequis sustinere. » Ideo exclamans Anselmus ait : « O beata fiducia, o tutum refugium, mater Dei, et mater nostra! » Isti duo filii Mariæ ambo mortui fuerunt in passione : unus in corpore, alius mente : unus crucis acerbitate, alter mentis infidelitate. Et ideo viscera Mariæ valde repleta fuerunt amaritudine, sicut sanctus Augustinus testatur, dicens : « Illa, inquit, pia mater immani dolore ejulans, pectora debilitata contundens, ita ipsius viscera omniaque membra fatigaverat, ut incessu deficiens, vix pervenire potuisset ad Christi funus. » Vides modo quomodo Maria sit mare Spiritus sancti; vides secundo, quomodo ipsa sit amara pro morte filii sui.

Tertio considera, charissime, quod Maria est mare amarum diabolo, et angelis ejus per ipsum oppressis, quemadmodum Mare Rubrum amarum fuit Ægyptiis in ipso submersis, de quibus habetur in Exodo [5] : *Reduxit super eos Dominus aquas maris.* O quam amarum et timendum est hoc mare Ægyptiis! O quam amara et timenda est hæc Maria dæmonibus! Unde beatus Bernardus : « Non sic timent hostes visibiles quasi castrorum multitudinem copiosam, sicut aereæ potestates Mariæ vocabulum, patrocinium, et exemplum : fluunt et pereunt sicut cera a facie ignis, ubicumque inveniunt crebram hujus nominis recordationem, devotam invocationem, sollicitam imitationem. Sic ergo vides, charissime, quomodo Maria est mare per affluentiam suæ repletionis, quomodo Maria est mare per vehementiam dominicæ passionis, et quomodo Maria est mare amarum per potentiam diabolicæ submersionis.

Maria est stella maris.

Consequenter considerandum est quod *Maria* interpretatur stella maris. Hoc optime convenit Mariæ, quæ gerit officium stellæ marinæ. Legitur enim, et verum est, quod nautarum mos est, ut cum in aliquam terram navigare disponunt, unum sidus eligunt, cujus signo luce radiante, in eam, quam desiderant partem, possunt sine errore adduci. Tale certe officium est stellæ nostræ Mariæ, quæ navigantes per mare mundi in navi innocentiæ, vel pœnitentiæ, dirigit ad littus cœlestis patriæ. Propter hoc bene Innocentius ait sic : « Quibus auxiliis possunt naves inter tot pericula pertransire usque ad littus patriæ? Certe, » inquit, « per duo, scilicet per lignum et stellam, id est per fidem crucis, et per virtutem lucis, quam peperit nobis Maria maris stella. » Bene autem Maria Stellæ maris comparatur, propter puritatem, propter radiositatem, et propter utilitatem. Maria enim est stella purissima, stella radiosissima, et stella utilissima : Maria est stella purissima purissime vivendo; et Maria est stella radiosissima, radium æternum pariendo; Maria est stella utilissima, ad littus patriæ dirigendo.

Primo ergo considera, charissime, quod Maria est stella purissima, sine peccato purissime vi-

[1] *Eccle.*, I, 7. — [2] *Joan.*, VII, 38. — [3] *Eccli.*, XXIV, 25. — [4] *Ruth*, I, 20. — [5] *Exod.*, XV, 19.

vendo. Unde de ea dici potest illud *Sapientiæ*[1] : *Est enim hæc speciosior sole, et super omnem dispositionem stellarum, luci comparata, invenitur purior.* Quidam legunt hic *prior*, quidam *purior* ; utrumque vero stellæ nostræ competit. Maria enim est *prior*, id est potior sive dignior; Maria etiam *purior* est sole, et stellis, et luce : quia tam dignitate, quam puritate, solem, et stellas, et omnem lucem superat corporalem, imo etiam spiritualem, id est angelicam creaturam, de qua dicitur[2] : *Divisit Deus lucem a tenebris*, id est angelos stantes a cadentibus. Hac utique luce angelica prior et purior est Maria : prior dignitate, et purior sanctitate. Unde Anselmus exclamans, ait[3] : « O benedicta super mulieres, quæ angelos vincis puritate, sanctos superas pietate. » Vides modo quomodo Maria sit stella purissima purissime vivendo.

Secundo considera, charissime, quod Maria est stella radiosissima, radium æternum emittendo, et Dei Filium pariendo. Ipsa enim est stella, de qua dicitur in *Numeris*[4] : *Orietur stella ex Jacob, et consurget virga de Israel*, etc. Virga ista est Dei Filius, qui stellæ nostræ Mariæ est radius; radius utique de quo cantatur [5] : *Sicut sidus radium*, etc. De quo etiam B. Bernardus ait[6] : «Nec sideri radius suam minuit claritatem, nec Virgini filius suam virginitatem. » O vere beatissima, o vere radiosissima stella Maria, cujus radius non solum mundum, imo etiam cœlum, et non solum cœlum, imo etiam infernum penetravit, sicut B. Bernardus scribens, ait [7] : « Ipsa est præclara et eximia stella ex Jacob orta, cujus radius universum orbem illuminat, cujus splendor etiam in supernis præfulget, et inferos penetrat ! » Vides modo quomodo Maria est stella purissima, purissime vivendo ; vides secundo, quomodo Maria sit stella radiosissima, Filium Dei pariendo.

Tertio considera, charissime, quod Maria est stella utilissima nos ad patriam cœlestem dirigendo, imo ducendo nos per mare hujus sæculi ad gratiam Filii sui, tanquam ad portum Paradisi. Unde ipsa est stella illa clarissime fulgens, tres Magos ad Christum rectissime ducens. Maria certe est stella, quæ in fluctibus præsentis vitæ valde est necessaria. Unde Bernardus dicit[8] : « Ne avertas oculos tuos a fulgore hujus sideris, si non vis obrui procellis. Si insurgunt venti tentationum, si incurris scopulos tribulationum, respice stellam, voca Mariam.» Igitur, charissime, ne in mari hujus mundi demergaris, stellam sequaris, Mariam imiteris. Securissimum enim est ipsam sequi, sicut idem B. Bernardus testatur, dicens [9] : « Ipsam sequens non devias; ipsam rogans non desperas ; ipsam cogitans non erras. Ipsa tenente non corruis : ipsa protegente non metuis : ipsa duce non fatigaris : ipsa propitia pervenis : et sic in temetipso experiris, quam merito dictum sit : *Et nomen Virginis Maria.* » Sic ergo vides quomodo Maria est stella purissima a peccato, stella radiosissima in Filio, et stella utilissima in mundo.

Maria est illuminata, et illuminatrix.

His visis, considerandum est, quod *Maria* etiam intrepretatur illuminata, vel illuminatrix. Hoc similiter competit tantæ Virgini, quæ mirabiliter illuminata est per præsentiam Domini, juxta illud *Apocalypsis* [10] : *Vidi Angelum alium descendentem de cœlo, habentem potestatem magnam, et terra illuminata est a gloria ejus.* Filius Dei est Angelus magni consilii : *terra* vero *a gloria Dei illuminata* est Maria, quæ sicut illuminata fuit a gratia ejus in mundo, ita nunc illuminata est a gloria ejus in cœlo, ut sic illuminata, fieret illuminatrix in mundo et in cœlo. Propter quod considerandum est, quod Maria illuminata, illuminatrix est, per exempla, per benecia, et per præmia : illuminatrix per exempla vitæ suæ, illuminatrix per beneficia misericordiæ suæ, illuminatrix est Maria per præmia gloriæ suæ.

Primo ergo considera, charissime, quod Maria est illuminatrix plurimorum per exempla lucidissimæ vitæ suæ. Ipsa est, cujus vita gloriosa lucem dedit sæculo. Ipsa est, cujus vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias. Ipsa enim est lucerna Ecclesiæ, ad hoc illuminata a Deo, ut per ipsam contra tenebras mundi illuminaretur Ecclesia. Oret ergo Ecclesia, oret fidelis anima, et dicat[11] : *Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine, Deus meus, illumina tenebras meas.* Hanc vere lucernam Dominus illuminavit plenissime, et per hanc illuminationem tenebras animarum nostrarum fugat et fugavit. Hoc bene sentiens Bernardus ait : « O Maria, tu virtutum tibi inditarum magnificis exemplis ad imitationem tui nos provocas, sicque noctem nostram illuminas. Qui enim vias tuas insectatus fuerit, non ambulat in tenebris, sed habet lucem vitæ. » Vides

[1] *Sap.*, VII, 29. — [2] *Gen.*, I, 4. — [3] Anselm., *Invoc. Matr. Virg. Mariæ, et filii ejus.* — [4] *Num.*, XXIV, 17. — [5] Prosa in die Nativ. Dom. — [6] Bernard., super *Missus est*, hom. II, circa fin. — [7] Ibid. — [8] Ibid. — [9] Ibid — [10] *Apoc.*, XVIII, 1. — [11] *Psal.* XVII, 32.

modo quomodo Maria est illuminatrix mundi per exempla ludicissimæ vitæ suæ.

Secundo considera, quod Maria est illuminatrix per beneficia lucidissimæ misericordiæ suæ; per quam multi in nocte hujus sæculi illuminati sunt spiritualiter, sicut quandoque filii Israel per columnam ignis illuminati fuerunt corporaliter, juxta illud Psalmi [1] : *Deduxit eos in nube*, etc. Maria est nobis columna nubis, quia tanquam nubes protegit ab æstu divinæ indignationis; protegit etiam ab æstu diabolicæ tentationis, sicut iterum dicitur in Psalmo [2] : *Expandit nubem*, etc. Maria quoque columna ignis est, illuminans nos, imo illuminans mundum multis misericordiæ suæ beneficiis. Quid nos miseri, nos obtenebrati, quid in nocte hujus sæculi faceremus, si tam lucidam lucernam, si tam luminosam columnam non haberemus? Quid enim totus mundus valeret, si solem non haberet? Propter hoc bene B. Bernardus ait [3] : «Tolle corpus hoc solare, quod illuminet mundum, ubi dies? Tolle Mariam, hanc maris stellam, quid nisi caligo involvens, umbra mortis, ac densissimæ tenebræ relinquuntur?» Vides modo quomodo Maria est illuminatrix per lucidissimam vitam; vides secundo quomodo Maria est illuminatrix per lucidissimam misericordiam suam.

Tertio considera, charissime, quod Maria etiam est illuminatrix per lucidissimam gloriam suam, quæ per omnia illuminat cœlum; sicut Sol mundum, juxta illud *Ecclesiastici* [4] : *Sol illuminans per omnia respexit, et gloria Domini plenum est opus ejus*. Sol illuminans est Maria, quæ est pulchra ut Luna, electa ut Sol: pulchra ut Luna per gratiam; electa ut Sol per gloriam. Gloria enim Domini plenum est opus ejus: opus Domini excellentissimum est Maria. Hoc opus, sicut plenum fuit gratia Domini in mundo, sic plenum est gloria Domini in cœlo. Sic ergo illuminans Maria in gloria sua, rutilans per omnia respicit, quia per omnes angelos, et per omnes sanctos gloriæ suæ illuminationem extendit. Quid mirum, si Mariæ præsentia totum illuminat cœlum, quæ etiam totum illustrat orbem? Ait enim Bernardus [5] : « Mariæ præsentia totus illustratur orbis, et ipsa cœlestis patria clarius rutilat virgineæ lampadis irradiata fulgore.» Sic ergo vides quomodo Maria illuminatrix est per vitam suam lucidissimam, quomodo illuminatrix per gloriam suam fulgidissimam est Maria.

Post prædicta omnia considerandum est, quod *Maria* interpretatur Domina. Hoc quoque optime competit tantæ imperatrici, quæ revera Domina est cœlestium, terrestrium, et infernorum; domina, inquam, angelorum, domina hominum, domina dæmonum, domina utriusque in cœlo, domina in mundo, domina in inferno.

Primo considera, charissime, quod Maria est Domina angelorum : ipsa enim signata est in domina Esther Regina, de qua legitur [6], quod super unam famulam suam deliciose innitebatur, altera autem famularum sequebatur dominam, defluentia in humum vestimenta sustentans. Per dominam Esther reginam, intellige Mariam reginam : duæ famulæ, quarum domina est regina Maria, sunt angelica et humana creatura. O quantum gaudendum est nobis miseris hominibus, quod angeli Dominum et Dominam habent ex hominibus! Verissime enim angelorum domina est Maria. Unde Augustinus ipsam alloquens, ait [7] : « Si te cœlum vocem, altior es. Si matrem gentium dicam, præcedis. Si dominam angelorum nominem, per omnia esse comprobaris. Si formam Dei appellem, digna existis.» Anima vero humana est famula, quæ Dominam suam Mariam sequitur in mundo. Sequitur certe colligens vestimenta Dominæ, scilicet colligens virtutes et exempla Mariæ. Intelligentia vero angelica est famula, super quam Domina sua Maria innititur in cœlo. Innititur certe tanquam familiarissima se angelis sociando; innititur etiam tanquam delicatissima in angelis deliciando, innititur quoque tanquam plenissima se cum sua plenitudine angelis communicando; innititur insuper tanquam potentissima, angelis imperando. Omnibus enim angelis Maria innititur suo imperio. Unde Augustinus ait: « Michael dux et princeps militiæ cœlestis cum omnibus spiritibus administratoriis, tuis, Virgo, paret præceptis, in defendendis in corpore, et in suscipiendis de corpore animabus fidelium, specialiter tibi, Domina, et die ac nocte se tibi commendantium.» Vides modo, quomodo Maria est Domina Angelorum in cœlo.

Secundo considera, charissime, quod Maria

Ma
cœle
tium
terre
trium,
inferr
rum
mina.

[1] *Psal.* LXXVII, 14. — [2] *Psal.* CIV, 39. — [3] Bernard., in *Nativ. B. Mar.*, serm. *de aquæductu*, ante med. — [4] *Eccli.*, XLII, 16. — [5] Bern., *in Assumpt. B. Mar.*, serm. I, n. 1. — [6] *Esth.*, XV, 7. — [7] August., *de Sanctis*, serm. XXXV, al. CCVIII, n. 5, in Append. tom. V.

est domina hominum in mundo. De hac domina in Psalmo dicitur [1] : *Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ*, etc. Ancilla Dominæ Mariæ est quælibet anima fidelis, imo etiam Ecclesia universalis. Oculi hujus ancillæ in manibus dominæ suæ semper debent esse, quia oculi Ecclesiæ, oculi omnium nostrum ad manus Mariæ semper debent respicere, ut per manus ejus aliquid boni accipiamus, et per manus ejus quidquid boni agimus, Domino offeramus. Per manus enim hujus Dominæ habemus quidquid boni possidemus, testante B. Bernardo qui ait [2] : « Nihil nos Deus habere voluit, quod per Mariæ manus non transiret. » Per manus quoque hujus Dominæ offerre Deo debemus quidquid boni egerimus, quemadmodum B. Bernardus hortatur, dicens [3] : « Modicum illud quod offerre desideras, gratissimis illis et omni acceptione dignissimis Mariæ manibus tradere cura, si non vis sustinere repulsam. Bene nobis, charissimi, bene nobis, quod talem Dominam habemus, quæ manus tam liberales habet ad nos, et tam præpotens est apud filium super nos, ut securi ad ipsam confugere possimus omnes nos. Unde devotissimus Anselmus ait : « Domina magna, cui gratias agit concio læta justorum, ad quam territa fugit turba reorum : ad te, præpotens et misericors Domina, ego peccator anxius confugio. » Vides modo, quomodo Maria est domina angelorum in cœlo. Vides secundo quomodo Maria est domina hominum in mundo.

Tertio considera, charissime, quomodo Maria est domina dæmonum in inferno, tam potenter eis dominans etiam, ut de ipsa accipi possit illud Psalmi [4] : *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus*, etc. Virga virtutis est virgo Maria. Ipsa est virga Aaron florida per virginitatem, et fructifera per fœcunditatem. Ipsa quoque est virga, de qua dicitur in *Isaia* [5] : *Egredietur virga de radice Jesse.* Hæc virga virgo Maria, virga virtutis est contra inimicos infernales, quibus magna virtute dominatur; et ideo domina tam magna, tam magnæ virtutis, merito a nobis amatur, merito a nobis laudatur, et merito a nobis exoratur, ut nos contra inimicos istos tueatur. Exemplum dat nobis Anselmus, qui tantam Dominam alloquens ait : « Te, Domina magna, et valde magna, te vult cor meum amare, te cupit os meum laudare, te desiderat venerari mens mea, te affectat exorare anima mea, quia tuitioni tuæ se commendat tota substantia mea. Sic ergo vides quomodo Maria est domina angelorum in cœlo, domina hominum in mundo, et domina dæmonum in inferno. Vides ergo ex prædictis, quod Maria mare amarum, quod Maria stella maris, Maria illuminatrix, Maria domina convenientissime interpretatur. Maria enim amarum mare est dæmonibus perversis; Maria stella maris est hominibus conversis; Maria illuminatrix est angelis non aversis; Maria est dominans creaturis universis. Oremus, charissimi, oremus devotissime, oremus Mariam, et dicamus : Eia, mare amarum Maria, adjuva nos, ut in vera pœnitentia totaliter amaricemur. Eia, stella maris Maria, adjuva nos, ut per mare sæculi spiritualiter rectificemur. Eia, illuminatrix Maria, adjuva nos, ut in gloria æternaliter illuminemur. Eia, Domina Maria, adjuva nos, ut tua gubernatione et dominatione filialiter gubernemur. Per Dominum nostrum, etc.

LECTIO IV.

Nomen Maria B. Virgini quam sit convenientissimum, et quod eadem omni vitio caruit, et omni virtute claruit.

Ave, Maria. Nomen id affectuosum et dulcissimum, nomen id gratiosum et nobilissimum, nomen id gloriosum et dignissimum optime convenit beatæ Virgini dominæ nostræ. Convenientissime Virgo tam pia vocata est Maria. Ipsa enim est Maria, quæ et omni vitio caruit, et omni virtute claruit. Ipsa, inquam, est Maria, quæ a septem vitiis capitalibus fuit immunissima. Maria enim contra superbiam profundissima per humilitatem; contra invidiam affectuosissima per charitatem; contra iram mansuetissima per lenitatem; contra acediam indefessissima per sedulitatem; Maria contra avaritiam tenuissima per paupertatem; Maria contra gulam temperatissima per sobrietatem; Maria contra luxuriam castissima per virginitatem fuit. Hæc omnia ex illis scripturis colligere possumus, in quibus nomen Mariæ expressum invenimus.

Primo considera, charissime, quod Maria profundissima apud se fuit per humilitatem. Ipsa enim est Maria, de qua dicitur in *Luca* [6] : *Dixit autem Maria : Ecce ancilla Domini.* O mira et profunda humilitas Mariæ! Ecce Maria archangelus B. Mariæ humilitas.

[1] *Psal.* CXXII, 2. — [2] Bernard., *in Vig. Nat. Dom.*, serm. I, in fine. — [3] Ibid., *de Aquæductu*, circa fin. — [4] *Psal.* CIX, 2. — [5] *Isa.*, XI, 1. — [6] *Luc.*, I, 38.

alloquitur; Maria *gratia plena* dicitur, superventio Spiritus sancti præmittitur; Maria in matrem Domini assumitur; Maria jam omnibus creaturis anteponitur; Maria jam domina cœli et terræ efficitur; et pro his omnibus non extollitur, sed in his omnibus mira humilitate deprimitur, dicens : *Ecce ancilla Domini.* Propter hoc bene ait Beda sic [1] : « Maria nequaquam se de donis cœlestibus, quasi a se hæc essent, extulit; sed ut magis magisque donis apta esset divinis, in custodia humilitatis gressum mentis fixit, Angelo respondens : *Ecce ancilla Domini.* » Hoc est contra multos, qui in prosperis et honoribus, qui in gratiis et virtutibus non humiliantur cum Maria et cum Christo, sed intumescunt cum Eva et Lucifero. Sed certe Mariæ humilitas non solum in verbo, sed etiam in facto declaratur; non solum in verbo regalis responsionis, sed in facto legalis purgationis; non solum in verbo, quo se humiliavit tanquam ancillam servitricem, sed etiam in facto, quo se humiliavit tanquam ream et peccatricem. Ipsa enim est Maria, de qua dicitur in *Luca* [2] : *Postquam impleti sunt dies,* etc. O dura, et infelix superbia! o superba et infelix duritia peccatoris! ecce Maria absque omni peccato legem subiit purgationis, et tu miser plenus peccatis non vis legem subire satifactionis.

B. Maria affectuosa per charitatem.

Vide, charissime, quod Maria affectuosa fuit per charitatem. Ipsa enim est Maria de qua dicitur in *Luca* [3] : *Exsurgens autem Maria, abiit in montana cum festinatione,* etc. Abiit, inquam, ut visitaret, ut salutaret, ut ministraret Elisabeth. Vide quomodo illa visitatio Mariæ plena fuit charitate. In descriptione enim illius visitationis Maria quater nominatur; in quo charitas Mariæ ad Deum, et ad proximum, plenius declaratur. Charitas proximi debet haberi et foveri corde, ore et opere : Maria autem charitatem proximi habebat in corde, et propter hoc exurgens Maria abiit in montana cum festinatione. Quid enim eam ad officium charitatis festinare cogebat, nisi charitas, quæ in corde ejus fervebat? Legimus quod pastores venerunt festinantes ad præsepium, et quod Maria abiit cum festinatione ad obsequium, et quod Zachæus festinans descendit ad hospitandum Dominum. Væ ergo tardis ad opera charitatis. Item Maria charitatem proximi ore fovebat : ipsa enim est de qua ibidem dicitur [4] : *Et factum est, ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth,* etc. Charitas, inquam, proximi salutationibus, et aliis charitativis locutionibus semper fovenda est. Unde Angelus salutavit Mariam : Maria salutavit Elisabeth : Filius Mariæ salutavit Marias euntes de sepulcro, dicens illis [5] : *Avete.* Væ eis, qui propter odium salutationem proximo negant. Væ et illis, qui dolose proximum salutant, sicut Judas, cum dixit [6] : *Ave, Rabbi.* O quam dulciter Maria salutare novit! O Maria, digneris nos per gratiam tuam salutare. Et certe ipsa nos libenter salutat beneficio et consolatione, si nos eam frequenter salutamus servitio et oratione. Libenter nos salutat cum gratia, si libenter eam salutamus cum *Ave, Maria.* Item Maria charitatem non solum corde habebat, non solum ore fovebat; sed etiam opere exercebat. Ipsa enim est Maria, de qua ibi dicitur [7] : *Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus.* Mansit videlicet pro ministerio et consolatione Elisabeth. Unde Ambrosius [8] : « Quæ propter officium venerat, officio inhærebat. » Item Maria sicut in omnibus charitatem habuit ad proximum, ita super omnia charitatem habuit ad Deum. Ipsa enim est Maria, de qua ibidem dicitur [9] : *Magnificat anima mea Dominum.* Anima, quod amat, hoc magnificat, et in hoc exultat. Idcirco anima Mariæ Deum decentissime magnificavit, et in Deo firmissime exultavit, quia Deum excellentissime amavit. De cujus amore bonum verbum dicit magister Hugo de Sancto Victore : « Quia, inquit [10], in corde ejus amor Spiritus sancti singulariter ardebat, ideo in carne ejus virtus Spiritus sancti mirabilia faciebat. »

Mansuetudo, et patientia B. Mariæ.

Tertio vide, charissime, quod Maria mansuetissima fuit per lenitatem, patientissima contra omnem adversitatem : ipsa enim est Maria, quam Simeon sic alloquebatur, sicut in Luca dicitur [11] : *Et dixit ad Mariam matrem ejus : Ecce positus est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum cui contradicetur, et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Hic gladius acutissimam filii sui passionem, sive mortem significat. Gladius corporalis animam nec occidere potest, nec vulnerare; sic acutissima Christi passio, licet animam Mariæ per compassionem pertransivit, ipsam tamen nec per odium occidit, nec per impatientiam vulneravit. Maria

[1] Bed., *de Solemnit. Deipar. quando visitavit Elizabeth.* — [2] *Luc.*, II, 22. — [3] Ibid., I, 39. — [4] Ibid., 41. — [5] *Matth.*, XXVIII, 9. — [6] Ibid., XXVI, 49. — [7] *Luc.*, I, 56. — [8] Ambros., *in Luc.*, lib. II, c. 1. — [9] *Luc.*, I, 46. — [10] Hug. de S. Vict., *de Mar. Virginit. perpet.*, c. II, post med. — [11] *Luc.*, II, 34, 35.

enim interfectores filii sui nunquam odivit, nunquam contra eos impatiens fuit. Nam si alii martyres patientissimi fuerunt in martyrio suo corporali, quanto magis martyr nostra Maria in martyrio suo spirituali? De cujus nobili martyrio Hieronymus ait [1] : « Quia spiritualiter et atrocius passa est gladio passionis Christi, plusquam martyr fuit. » O mira Mariæ patientia et mansuetudo, quæ non solum patientissima fuit, dum coram ipsa filius ejus crucifigeretur; sed etiam dum ante crucifixionem, propter ipsam filius ejus vilipenderetur, sicut in *Evangelio* Marci dicitur [2] : *Nonne hic est fabri filius et Mariæ?* Ubi post pauca sequitur : *Et scandalizabantur in eo.* Revera faber est Christus, sed qui fabricatus est auroram et Solem. Heu, quam longe a gratia mitissimæ Mariæ sunt, qui tam immites, tam impatientes, tam iracundi sunt, sicut commensales, et socii, et vicini sæpe sentiunt!

B. Mariæ diligentia indefessa.

Quarto vide, charissime, quod indefessissima et studiosissima fuit per sedulitatem in bonis operibus. Ipsa namque est Maria illa, de qua dicitur in *Actis* [3] : *Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, et Maria matre Jesu.* Maria, indefesse perseverando in oratione, exemplum dedit : quam oportet sequi, et non deficere. Et si Maria tam sedule oravit in terris, quomodo non sedule orabit pro nobis in cœlis? Propter hoc nos bene hortatur Augustinus dicens [4] : « Omnes Mariæ patrocinia omni nisu imploremus : ut, dum supplici eam obsequio frequentamus in terris, ipsa nos prece sedula commendare dignetur in cœlis. » Sed ecce Maria nostra non solum ore in orationibus, sed etiam corde in sanctis meditationibus indefessa fuit et sedula. Ipsa enim est Maria, de qua dicitur in *Evangelio* Lucæ [5] : *Maria conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.* Quia ergo Maria non fuit acediosa, ideo non fuit odiosa : et ideo, non solum mentem in sanctis meditationibus, non solum linguam in devotis orationibus; sed etiam manus in bonis operibus sedulas habuit. Propter quod bene, sicut supradictum est, mansit Maria cum Elisabeth tribus mensibus. Ad quid? Respondet Beda, et ait [6] : « Ut mulieri provectæ ætatis, virgo juvencula ministerium sedula impenderet. »

Heu! quam longe a gratia Mariæ est miser acediosus, cujus mens, manus et lingua sunt toties a meritis otiosæ!

B. Mariæ paupertas.

Quinto vide, charissime, quod Maria tenuissima fuit per paupertatem. Ipsa enim est Maria, de qua dicitur [7] : *Invenerunt Mariam, et Joseph, et infantem positum in præsepio.* Pastores pauperes invenerunt pauperem Mariam matrem, et pauperem infantem in paupere loco, non in pomposa curia, sed in paupere præsepio : quæ utique paupercula mater bonum hospitium habuisset, si pauper non fuisset. Ista dum diligenter attendis, tunc paupertatem Mariæ evidenter perpendis, de qua Joannes Chrysostomus ait : « Vide paupertatis Mariæ magnitudinem; et quicumque pauper est, accipiat consolationem. » Quicumque certe propter Deum pauper est voluntarie et libenter, vel etiam quicumque pauper est necessarie et patienter, multum consolari potest de paupertate Mariæ, et de paupere Christo. Ab illa consolatione iniqui divites longe sunt, qui longe aliam quærunt. Unde Salvator dicit [8] : *Væ vobis divitibus, qui habetis hic consolationem vestram.* Nolo tamen desperare divites, quia non solum pauperes pastores, sed etiam divites reges pauperem Mariam, et pauperem Filium ejus invenerunt, sicut dicitur in *Matthæo* [9] : *Et intrantes domum invenerunt*, etc. Sic illi divites ipsos invenerunt, qui munera attulerunt. Pauperes ergo consolationem istam inveniunt per paupertatem; divites vero, per liberalitatem. Dum pauperes per paupertatem Christo conformantur, divites per liberalitatem Christo reformantur.

B. Mariæ sobrietas.

Sexto vide, charissime, quod Maria temperatissima fuit per sobrietatem. Ipsa enim est Maria, cui dicitur [10] : *Ne timeas, Maria, invenisti gratiam*, etc. Nota, quod dicitur : *Invenisti gratiam.* Nunquam Maria tantam gratiam invenisset, nisi gratia Mariam in cibo et potu temperatissimam invenisset. Non enim se compatiuntur gratia et gula, quia impossibile est quod homo simul sit per gratiam Deo gratus, et per gulam ingratus. Bonum est ergo quærere gratiam, et fugere gulam. Dicit enim Paulus [11] : *Optimum est gratia stabilire cor, non escis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis.* Nota etiam quod dicitur [12] : *Ecce concipies in utero.* Nunquam Maria Deum in utero concepisset, si idem uterus contra Deum

[1] Hieron., *ad Paul. et Eustoch.*, epist. X, post med. — [2] *Marc.*, VI, 3. — [3] *Act. apost.*, I, 14. — [4] Aug., *de Sanctis*, serm. XXXV, al. CCVIII, n. 12, App. tom. V. — [5] *Luc.*, II, 19. — [6] Bed., hom. *in solemnit. Deip. Virg. quando salutavit Elizabeth*, ante med. — [7] *Luc.*, II, 16. — [8] *Luc.*, VI, 24. — [9] *Matth.*, II, 11. — [10] *Luc.*, II, 30. — [11] *Hebr.*, XIII, 9. — [12] *Luc.*, I, 31.

crapulosus fuisset, et si uterus ille mero æstuasset, cum [1] « Venter mero æstuans cito despumat in libidinem. » Uterus ergo ille, qui Deo incarnato gravidatus est, nunquam in cibo et potu intemperato gravatus est. Unde Joannes Chrysostomus ait [2] : « Comessatrix aut vinolenta Maria nunquam fuit. » Heu, quam longe a gratia Mariæ sunt, qui in cibo et potu toties excedunt!

B. Mariæ virginitas.

Septimo vide, charissime, quod Maria castissima fuit per virginitatem. Ipsa est Maria, de qua dicitur [3] : *Nomen virginis Maria.* Eximiæ castitatis Mariæ testem Evangelistam, testem ipsam Mariam, testem habemus angelicam personam. Casta enim fuit in virginea carne, sicut Evangelium testatur, dicens : *Nomen virginis Maria.* Castior fuit Maria in virginea mente, sicut ipsamet testatur; ipsa enim est, de qua dicitur [4] : *Dixit autem Maria ad angelum : Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* id est, non cognoscere propono. Castissima vero fuit Maria in virginea prole, sicut Angelus testatur, qui de illa Maria dixit in *Matthæo* [5] *: Joseph, fili David, noli timere,* etc. Ex quo Maria Virgo de Spiritu sancto divina est prole fœcundata, nequaquam virginitas ejus tali est prole vitiata, sed mirabiliter est in tanta prole glorificata. Nam in prole approbata, in prole consecrata, in prole nobilitata, in prole ditata, et dotata, consignata et confirmata est tua virginitas, o Maria. Propter quod bene ait Augustinus : « Mariam virginem veraciter prædicamus, et matrem : cujus virginitatem glorificavit vera fœcunditas, et cujus veram fœcunditatem glorificavit intemerata virginitas. » Beatus quoque Bernardus ait [6] : « Longe gloriosior fuit virginitas ex fœcunditate, et fœcunditas ex virginitate. » Heu, quam longe a gratia Mariæ sunt quicumque continentes non sunt, qui castitatis inimici sunt! Cum ergo dulcissimum nomen Mariæ tanta, ut supra dictum est, sit gratia, ideo merito hoc nomen invocamus orantes, secundum quod beatus Bernardus orans, ait [7] : « Dulcissimum Mariæ nomen invocantibus servulis per te, Regina clemens, gratiæ suæ munera largiatur Jesus Christus, Filius tuus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen. »

LECTIO V.

Quod gratia Beatæ Mariæ sit vera, immensa, multiplex, et utilis valde.

Ave, Maria, gratia plena. Ostensum est supra, quomodo Maria propter purissimam vitæ innocentiam merito per *Ave* salutatur. Ostendendum autem est nunc, quomodo per plenissimam gratiæ affluentiam merito *gratia plena* fore commemoratur. *Ave* ergo, *gratia plena.* Consideremus, charissimi, gratiam istam, gratiam Mariæ, gratiam admirandam. Consideremus, inquam, gratiæ Mariæ veritatem, immensitatem, multiplicitatem, et utilitatem. Gratia namque Mariæ gratia verissima, gratia immensissima, gratia multiplicissima, et gratia utilissima est.

B. Mariæ gratia verissima.

Primo consideremus gratiæ Mariæ veritatem. De hac Gabriel ait [8] : *Invenisti gratiam,* etc. Gratia utique vera est, quæ apud Deum invenitur, qui veritas est. *Apud Deum* dicit, non apud diabolum. Diabolus enim gratiam malæ prosperitatis offert, ut eo liberius peccet. Unde Holofernes, qui diabolum signat, ait [9] : *Bibe nunc et accumbe in jucunditate, quoniam invenisti gratiam coram me.* Item, *Apud Deum* dicit, non apud mundum, quia apud mundum, id est, apud homines mundanos sæpe valde falsa gratia, falsa contritio invenitur. Unde in *Ecclesiastico* dicitur [10] : *Non omni homini manifestes cor tuum, ne forte inferat tibi gratiam falsam et convitietur tibi.* Item, *Apud Deum* dicit, non apud homines : ideo beatus Bernardus [11] : « Quæramus gratiam, sed gratiam apud Deum : nam apud homines est gratia fallax. » Item, *Apud Deum* dicit, non apud carnem; nam gratia carnis falsa est, utpote carnis pulchritudo, et hujusmodi. Unde Salomon [12] : *Fallax gratia, et vana est pulchritudo,* quia gratissima virgo Maria falsam gratiam diaboli, falsam gratiam mundi, falsam gratiam carnis contempsit. Ideo merito apud Deum gratiam invenit, veram itaque et puram, nulla adulterina mixtura vitiatam, ut vere dicere possit in *Ecclesiastico* [13] : *Quasi balsamum non mixtum odor meus.* Balsamum Mariæ est unctio gratiæ, qua Maria copiosissime infusa est. Unde Bernardus loquens de illo verbo, *Spiritus sanctus superveniet in te,*

[1] Hieron. — [2] Chrysost., *in Matth., Op. imperf.,* hom. I. — [3] *Luc.,* I, 27. — [4] Ibid., 34. — [5] *Matth.,* I, 20. — [6] Bern., *de B. Virg.,* serm., ex verbis *Apoc.,* XII, 1. — [7] Id., *in Assumpt. B. Mar.,* serm. IV, in fine. — [8] *Luc.,* I, 31. — [9] *Judith,* XII, 17. — [10] *Eccli.,* VIII, 22. — [11] Bern., *in Nativ. B. M., de Aquæductu,* serm., n. 8. — [12] *Prov.,* XXXI, 31. — [13] *Eccli.,* XXIV, 21.

ait [1] : « Pretiosum illud balsamum tanta tibi copia, tantaque plenitudine influet, ut copiosissime effluat circumquaque. » Balsamum misceri solet, et vitiari melle, vel oleo. Sed certe balsamum Spiritus sancti in Maria non fuit mixtum, quia nec melle carnalitatis et mundanæ consolationis, nec oleo vanæ (*a*) laudis et adulationis fuit vitiatum. Sed quia tam vera et tam pura Mariæ gratia fuit, ideo bene Hieronymus de ipsa sic dicit [2] : « Quicquid in Maria gestum est, totum puritas et simplicitas, totum gratia et veritas, totum misericordia et justitia fuit, quæ de cœlo prospexit. » Quicumque ergo cum Maria veram gratiam invenire desiderant, ipsi cum Maria omni desiderio, omni studio ad eum, apud quem invenitur, accedant; sicut hortatur Apostolus *ad Hebræos* dicens [3] : *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ ejus, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* Et nota, quod quicumque vult invenire, debet quærere; et quicumque vult invenire (*b*), debet se inclinare. Inclinet ergo se cum Maria per humilitatem veram, quicumque cum Maria invenire cupit gratiam veram. Dicitur enim in *Ecclesiastico* [4] : *Quanto magnus es, humilia te in omnibus; et coram Deo invenies gratiam.* Maria certe, quia verissime se per humilitatem inclinavit, verissimam gratiam invenit, ut vere dicere possit [5] : *Respexit humilitatem meam.*

B. Mariæ gratia immensa.

Secundo consideremus, charissimi, gratiæ Mariæ immensitatem : propter hanc dicta est *gratia plena.* Immensa certe fuit gratia, qua ipsa fuit plena. Immensum enim vas non potest esse plenum, nisi immensum sit istud quo est plenum. Maria autem vas immensissimum fuit, ex quo illum, qui cœlo major est, continere potuit. Quis est cœlo major? Certe ille, de quo Salomon ait [6] : *Si cœlum et cœli cœlorum te capere non possunt, quanto magis domus hæc, quam ædificavi?* Non utique domus per Salomonem ædificata; sed domus per illam significata Deum capere potuit. Tu ergo, immensissima Maria, capacior es cœlo, quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti. Tu capacior es mundo, quia quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera factus homo. Si ergo Maria tam capacissima fuit ventre, quanto magis mente? et si capacitas tam immensa fuit gratia plena, oportuit utique quod gratia illa, quæ tantam implevisse potuit capacitatem, esset immensa. Quis immensitatem Mariæ potest mensurare? Ecce quod dicitur in *Ecclesiastico* [7] : *Altitudinem cœli, latitudinem terræ, et profundum abyssi quis dimensus est?* Cœlum est Maria, tum quia cœlesti puritate, cœlesti claritate, cœlestibus aliis virtutibus abundavit; tum quia sedes Dei altissima fuit, teste Propheta, qui dicit [8] : *Dominus in cœlo paravit sedem suam.* Terra quoque Maria fuit, quæ fructum illum nobis protulit, de quo idem propheta ait [9] : *Terra dedit fructus suos.* Abyssus etiam est Maria in bonitate et in misericordia profundissima. Unde etiam profundissimam misericordiam Filii sui pro nobis interpellat, quasi [10] *abyssus abyssum invocat.* Cœlum ergo est Maria, terra est Maria, abyssus est Maria. Quis hujus cœli altitudinem, quis hujus terræ latitudinem, quis hujus abyssi profunditatem, quis, inquam, Mariæ immensitatem dimensus est, nisi ille solus qui ipsam non solum in gratia et in gloria, sed etiam in misericordia tam altissimam, tam latissimam, tam profundam operatus est? Unde specialiter de ejus misericordia ait beatus Bernardus [11] : « Quis misericordiæ tuæ, o benedicta, longitudinem, et latitudinem, et sublimitatem, et profundum queat investigare? Nam longitudo ejus usque ad novissimum diem invocantibus eam subvenit universis; latitudo ejus replet orbem terrarum, ut sua quoque misericordia plena sit omnis terra; sed et sublimitas ejus supernæ civitatis invenit restaurationem, et profundum ejus sedentibus in tenebris et umbra mortis obtinuit redemptionem. »

Tertio consideremus, charissimi, gratiæ Mariæ multiplicitatem, de qua ipsa dicere potest illud *Ecclesiastici* [12] : *Ego, quasi terebinthus, extendi ramos meos, et rami mei honoris et gratiæ.* Terebinthus magna arbor est in Syria secundum Glossam et Plinium [13], et habet ramos multos, et extensos. Masculus hujus arboris non fert fructum, sed tantum fœmina : cujus fructus invenitur duplex, videlicet rubeus, et pallidus, et est jucundi odoris. Arbor ista arbor procera, et crescens in Syria, est beata virgo Maria. *Syria* enim interpretatur humectata. Et vere

Beata Maria

[1] Bernard., ubi sup. proxime, n. 5. — [2] Hieron., *de Assumpt. B. Mar.*, epist. x. — [3] *Hebr.*, IV, 16. — [4] *Eccli.*, III, 20. — [5] *Luc.*, I, 48. — [6] III *Reg.*, VIII, 27. — [7] *Eccli.*, I, 2. — [8] *Psal.* CII, 19. — [9] *Psal.* LXVI, 7. — [10] *Psal.* XLI, 8. — [11] Bern., *de Assumpt. B. Mar.*, serm. IV, n. 8. — [12] *Eccli.*, XXIV, 22. — [13] Plin., *de Natur. Hist.*, lib. XIII, c. VI.

(*a*) *Cæt. edit.* veræ. — (*b*) *Leg.* quærere.

est ... humectata fuit per gratiam tota vita Mariæ, quæ in humore gratiæ crevit ab utero matris suæ. Quid mirum, si Maria in humore gratiæ crescat, cum sine humore gratiæ omne semen arescat? Unde de semine dicitur in *Luca* [1] : *Natum aruit, quia non habebat humorem.* Rami hujus arboris, *rami honoris et gratiæ*, sunt virtutes, et exempla, et beneficia Beatæ Mariæ. Multi enim rami sunt multæ ejus gratiæ merita, multa ejus virtutes et exempla, multæ ejus misericordiæ et beneficia. In his ramis libenter habitant, in his libenter jubilant cœlestes aviculæ, id est animæ sanctæ, ut de ipsis etiam dici possit illud *Danielis* [2] : *In ramis ejus conversabantur volucres cœli.* O quam late, quam alte arbor illa magna beata Virgo Maria ramos suos extendit! quam late ad homines, quam longe ad angelos, quam alte ad Deum! Quomodo autem ad hos omnes extendit ramos gratiarum et misericordiarum suarum, Bernardus exponit, dicens [3] :« Maria omnibus sinum misericordiæ aperuit, ut de plenitudine ejus accipiant universi, captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, angelus lætitiam, denique tota Trinitas gloriam, Filii persona carnis humanæ substantiam. » Fructus hujus arboris est ille de quo dicitur [4] : *Benedictus fructus ventris tui.* Iste fructus rubeus fuit sanguine, pallidus autem morte. Unde sponsa Dei, id est anima sancta, ait illud *Cantici* [5] : *Dilectus candidus et rubicundus;* jam etiam potest dicere : « Dilectus meus pallidus et rubicundus. » Iste quoque fructus odore jucundus est devotis animabus. Quod bene senserat beatus Joannes apostolus, qui Domino dixit : Odor tuus in me concupiscentias excitavit æternas. O anima, o anima, misericordiæ odorem hujus fructus non sentis? O si sentires, nonne post ipsum curreres, sicut dicitur in *Canticis* [6] : *Curremus in odorem unguentorum tuorum?* Notabile autem est, quod fructum hujus terebinthi non masculus, sed fœmina hujus arboris proferre solet. Sic certe fructum vitæ Jesum Christum non masculus, sed fœmina, non vir, sed virgo protulit. Propter quod bene Augustinus ait : « Electa est virgo mater, quæ sine concupiscentia carnis conciperet carnem, et sine viro pareret virum. »

Quarto consideremus, charissimi, gratiæ Mariæ utilitatem. De hac dicitur [7] : *Mulier gratiosa inveniet gloriam.* Ecce utilitas gratiæ gratiosæ Mariæ; est inventio gloriæ perpetuæ. Utilissima certe fuit gratia Mariæ et sibi et nobis. Utilissima, inquam, fuit gratia Mariæ sibi ipsi. Gratia enim deliciosam, gratia miraculosam, gratia gloriosam fecit Mariam : deliciosam in animo, miraculosam in Filio, gloriosam in regno. Deliciosa certe fuit Maria in mente spirituali, miraculosa in prole virginali, gloriosa in diademate æternali. Gratia ergo mentem et animam Mariæ fecit deliciosam deliciis spiritualibus, tanquam Dei vivi spiritualem paradisum, juxta illud *Ecclesiastici* [8] : *Gratia sicut paradisus in benedictionibus.* Vere paradisus Dei fuit in benedictionibus multiplicium deliciarum spiritualium. De quibus etiam beatus Bernardus ait [9] : « Quidni (*a*) delicias dixerim decus virginitatis, cum munere fœcunditatis, insigne humilitatis, distillantem charitatis favum, misericordiæ viscera, plenitudinem gratiæ, prærogativam gloriæ singularis? » Item gratia Mariam fecit miraculosam in prole, miraculoso conceptu et partu, dum miraculose virgo peperit, et miraculosius Deum concepit, Deum peperit. Unde de hac ejus gratia bene dicitur [10] : *Invenisti gratiam apud Deum,* » etc. De hoc nomine beatus Bernardus ad Mariam loquens, dixit [11] : « Intellige, prudens Virgo, quantum ex nomine promissi filii, et quam specialem gratiam inveneris apud Deum. » Item gratia Mariam fecit gloriosam; propter quod bene supra dictum est [7] : *Mulier gratiosa inveniet gloriam.* O vere felix inventrix Maria, quæ tam magna in mundo, tam magna in cœlo! Nulla pura creatura tantam gratiam in mundo; nulla tantam gloriam in cœlo invenit. Et certe tam gratiam, quam gloriam, invenit apud Dominum, quia, sicut in Psalmo dicitur [12] : *Gratiam et gloriam dabit Dominus.* Sed certe, charissimi, gratia Mariæ non solum utilissima fuit sibi ipsi, sed etiam nobis, imo toti humano generi. Gratia enim Mariæ colligit malos, impinguat bonos, liberat universos. Colligit a culpa, impinguat gratia, liberat a morte æterna. Dico ergo, quod gratia Mariæ colligit ad misericordiam, colligit ad Ecclesiam malos. Hoc bene signatum est in gratia, quam in colligendis spicis a messoribus derelictis Ruth invenerat, quando dixit ad

Beatæ Mariæ gratia utilissima sibi, et nobis.

[1] *Luc.*, VIII, 6. — [2] *Dan.*, IV, 9. — [3] Bernard., *de B. Mar.*, ex *Apocal.*, c. XII, serm., inf. oct. Assumpt., n. 2. — [4] *Luc.*, I, 42. — [5] *Cant.*, V, 10. — [6] *Cant.*, I, 3. — [7] *Prov.*, XI, 16. — [8] *Eccli.*, XL, 17. — [9] Bern., *in Assumpt. B. Mar.*, serm. IV, n. 1. — [10] *Luc.*, I, 30. — [11] Bern., super *Missus est*, hom. III, n. 10. — [12] *Psal.* LXXXIII, 12. — (*a*) *Cæt. edit.* Quid nisi.

Booz [1] : *Inveni gratiam in oculis domini mei*, etc. Ruth interpretatur *videns* vel *festinans;* et signat beatam Virginem, quæ vere videns in contemplatione, et bene festinans fuit in actione. Videns etiam nostram miseriam est, et festinans ad impendendam suam misericordiam. Booz interpretatur *virtus*, et signat illum, de quo in Psalmo dicitur [2] : *Magnus Dominus, et magna virtus ejus.* Ruth ergo in oculis Booz, Maria in oculis Domini hanc gratiam invenit, ut ipsa spicas, id est animas a messoribus derelictas, colligere ad veniam possit. Qui sunt messores, nisi doctores et rectores? O vere magna Mariæ gratia, qua multi ex eis ad misericordiam colliguntur, qui a doctoribus et rectoribus tanquam incorrigibiles relinquuntur! Et ideo bene beatus Bernardus ait [3] : « Maria, tu peccatorem toti mundo despectum materno affectu amplecteris, foves, nec deseris, quousque horrendo judici miserum reconcilies. » Item gratia Mariæ bonos impinguat pinguedine gratiæ. Unde in *Ecclesiastico* dicitur [4] : *Gratia mulieris sedulæ delectabit virum suum, et ossa illius impinguabit.* Mulier sedula Maria fuit, de cujus sedulitate Beda ait [5] : « Maria secreta Dei ore tacito, vigili tamen (*a*) corde sedula scrutabatur. » Quis hujus mulieris est vir, nisi ille quem ipsa circumdedit in utero? De quo dicit Hieremias [6] : *Creavit Dominus novum super terram; mulier circumdabit virum.* Hujus viri ossa sunt quicumque in corpore ejus, id est, in Ecclesia fortes sunt. Ista ossa, suffragante gratia Mariæ, impinguantur unctionibus gratiæ. Impinguantur, inquam, pinguedine Spiritus sancti, qua et ille impinguari cupiebat, qui dicebat [7] : *Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea.* O! quis æstimare valeat, quam multæ animæ, opitulante gratia Mariæ, sint per gratiam impinguatæ? Imo certe, quis æstimare valeat, quanta in ipsa Maria fuit impinguatio gratiarum, cujus gratia impinguata sunt tot millia animarum? Cujus enim virtutis pinguedine ipsa caruit, quæ omnium virtutum pinguissimum habitaculum fuit? Ait enim Joannes Damascenus [8] : « Maria in domo Domini plantata et impinguata spiritu, ut oliva fructifera, omnis virtutis habitaculum facta est. » Item gratia Mariæ liberat a morte æterna universos qui liberantur. Hoc bene signatum est in Esther, de qua legitur sic [9] : *Adamavit eam rex plusquam omnes mulieres, et posuit diadema regni in capite ejus.* Hujus autem gratiæ, quam Esther coram rege habuit, duplex legitur fuisse utilitas : una, quod ipsa diadema regni obtinuit; alia, quod ipsa gentem suam morti addictam a morte eripuit. Sic certe Esther nostra beata Maria tantam gratiam coram rege æterno impetravit, quod per hanc non solum ipsa ad coronam pervenit, sed etiam generi humano, morti addicto, subvenit. Unde Anselmus ait : « Quid, inquit, digne referam genitrici Dei et Domini mei, per cujus fœcunditatem captivus sum redemptus, per cujus partum de morte æterna sum exemptus, per cujus prolem, perditus, sum restitutus, et de exilio miseriæ ad patriam æternæ beatitudinis sum reductus? O ergo mater gratiæ, fac nos filios gratiæ : fac, ut per gratiam tuam verissimam, colligemur ad veniam remissionis, impinguemur per gratiam devotionis, liberemur a morte damnationis. Per Dominum nostrum, etc.

LECTIO VI.

Quod quadruplex gratia in B. Maria est consideranda, scilicet donorum, labiorum, privilegiorum, et præmiorum, et de earum singulis.

Ave, Maria, gratia plena. Adhuc, charissimi, aliqua de gratia dulcissimæ Mariæ sunt dicenda. Consideranda est ergo quadruplex Mariæ gratia, videlicet gratia donorum, gratia labiorum, gratia privilegiorum, et gratia præmiorum.

B. Maria habuit gratiam donorum Spiritus sancti.

Primo considerate, charissimi, in Maria gratiam donorum Spiritus sancti. De hac gratia Maria gratulabunda dicere potest illud *Ecclesiastici* [10] : *In me omnis gratia vitæ et veritatis.* Quid mirum, si ipsa est gratia plena vitæ et veritatis, quæ mater est ejus, quem legimus [11] *plenum gratiæ et veritatis?* Et quid mirum, si in illa virga est tanta donorum Spiritus sancti affluentia, in cujus flore Spiritus sanctus requievit cum tanta donorum suorum effluentia? Maria namque est illa virga, et filius Mariæ est ille flos de quo dicitur in Isaia [12] : *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudiuis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris*

[1] *Ruth*, II, 12. — [2] *Psal.* CXLVI, 5. — [3] Vel Ecbert., *Serm. paneg.*, seu *Deprec. et laud. ad B. Mar.*, n. 2, inter spuria Bern. — [4] *Eccli.*, XXVI, 16. — [5] Bed., *de Sanct.*, in aur. Nativ. Dom., Hom. Hiem. — [6] *Jerem.*, XXXI, 32. — [7] *Psal.* LXII, 6. — [8] Damasc., *de Fid. Orthod.*, lib. IV, c. XIII. — [9] *Esth.*, II, 17. — [10] *Eccli.*, XXIV, 25. — [11] *Joan.*, I, 14. — [12] *Isa.*, XI, 1, 2. — (*a*) *Cæt. edit.* cum.

Domini. In hoc flore mira Spiritus sancti effluentia, de quo in omnem Ecclesiam tam mira fit influentia, ut beatus evangelista Joannes dicat [1] : *De plenitudine ejus nos omnes accepimus gratiam pro gratia*. Cum ergo de isto flore tanta gratia redundet in totum hortum, quanto magis in ipsam hujus floris virgam, in ipsam Mariam? Dicat ergo Maria, dicat secure [2] : *In me omnis gratia vitæ et veritatis*. Gratia certe vitæ et veritatis consistit in prædictis septem Spiritus sancti donis : per prædicta enim septem dona fuit gratia vitæ et veritatis in Maria. Gratia veritatis ordinavit Mariam in veritate supra se, infra se, intra se, et extra se. Gratia, inquam, veritatis ordinavit Mariam in veritate supra se, per donum sapientiæ ; infra se, per donum consilii ; intra se, per donum intellectus ; extra se, per donum scientiæ. Gratia utique veritatis ordinavit animam Mariæ in veritate supra se, in sapientissima fruendorum contemplatione ; infra se, in consultissima fugiendorum provisione ; intra se, in certissima credendorum cognitione ; extra se, in rationabilissima agendorum discretione. Gratia autem vitæ ordinavit vitam Mariæ in bona vita respectu diaboli, respectu proximi, et respectu Dei. Gratia, inquam, vitæ ordinavit Mariam in bona vita : erga diabolum, per donum fortitudinis ; erga proximum, per donum pietatis ; erga Deum, per donum timoris. Gratia utique vitæ ordinavit vitam Mariæ erga diabolum, in fortissima resistentia ; erga proximum, in piissima benevolentia ; erga Deum, in devotissima reverentia. Hinc est, quod Spiritus sanctus Mariam per domum convenientissime signavit [3], quam sibi Sapientia increata cum septem columnis septem donorum Spiritus sancti excellentissime ædificavit. Quicumque ergo columnas Spiritus sancti cœperit desiderare, ipse formam columnarum in ista domo poterit invenire, quam pro columnis hujusmodi debet cum magnis desideriis et precibus convenire. Similiter quicumque septiformem Spiritus sancti gratiam adipisci desiderat, ipse florem Spiritus sancti in virga quærat. Per virgam enim ad florem, per florem ad Spiritum, in ipso requiescentem, pervenimus. Per Mariam ad Christum accedimus, et per Christum gratiam Spiritus sancti invenimus. Propter quod bene Mariam alloquens beatus Bernardus, ait [4] : « Per te accessum habemus ad Filium, o benedicta inventrix gratiarum, genitrix vitæ, mater salutis, ut per te suscipiat nos, qui per te datus est nobis. »

Beata Maria est domus, quam sibi Sapientia ædificavit.

Secundo considerate, charissimi, in Maria gratiam labiorum, de qua in Psalmo dicitur [5] : *Diffusa est gratia in labiis tuis*. Tanta siquidem fuit gratia labiorum in Maria, ut ipsa optime per Judith signari possit, de qua dicitur in libro *Judith* [6] : *Non est mulier talis super terram, in aspectu, in pulchritudine, et in sensu verborum*. Revera non est, non fuit, non erit mulier talis super terram, qualis Maria fuit, in aspectu clarissimæ vitæ, in pulchritudine mundissimæ conscientiæ, et in sensu verborum disertissimæ linguæ. Gratiam autem verborum labiorum Mariæ videbimus evidenter, si verba labiorum ejus ex Evangelio colligamus diligenter. Invenimus autem septem in Evangelio mellifluas sententias, de mellifluis Mariæ labiis distillantes et mellifluam labiorum ejus gratiam optime indicantes, juxta illud *Canticorum* [7] : *Favus distillans labia tua*. Septem mellis stillæ sunt septem dulcissima verba Mariæ, quæ ad angelum, ad hominem, et ad Deum legitur habuisse. Duo ad angelum, duo ad hominem, tria ad Deum. Ad angelum Maria habuit verbum castitatis, et verbum humilitatis. Verbum castitatis habuit Maria ad angelum in labiis, quando angelo respondens dixit [8] : *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Hoc est contra impudicos, qui non casta, non pudica, sed impudica, et turpia et carnalia verba in labiis suis habent. Verbum autem humilitatis ad angelum habuit Maria in labiis, quando angelo humiliter respondens, dixit [9] : *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*. Hoc est contra superbos et arrogantes, qui de se nec humilia sentiunt, nec loquuntur ; sed verba jactantiæ et inflationis in labiis suis habent. Item ad hominem habuit verbum charitatis et verbum veritatis : verbum charitatis in salutatione ; verbum veritatis in instructione. Verbum charitatis ad hominem Maria in labiis habuit, quando matrem præcursoris tam affectuose salutavit, quod etiam infans in utero ejus exultavit. Hoc est contra rancorosos, qui proximis suis vel charitative non loquuntur, vel omnino eis loqui dedignantur. Verbum veritatis Maria in labiis habuit, quando, deficiente vino, ministris dixit [10] : *Quodcumque dixerit vobis, facite*. Hoc est contra illos, qui alios non ad bonum, sed ad malum instruunt,

[1] *Joan.*, I, 16. — [2] *Eccli.*, ut supra. — [3] *Prov.*, IX, 1. — [4] Bern., *de Adv. Dom.*, serm. II, prope fin. — [5] *Psal.* XLIV, 3. — [6] *Judith*, XI, 19. — [7] *Cant.*, IV, 11. — [8] *Luc.*, I, 34. — [9] Ibid., 38. — [10] *Joan.*, II, 5.

et malum eis consulunt. Item ad Dominum tria verba habuit Maria. Plus ergo cum Deo, quam cum angelo, vel cum homine locuta est Maria, ex quo bis angelo, bis homini, ter autem Deo locuta est. Heu, heu, contra multos, qui tam parum cum Deo in orationibus, et tam multum cum hominibus loquuntur in fabulationibus inutilibus et sæpe valde nocivis. Habuit autem Maria ad Deum verbum gratulativum, querulativum, et compassivum : gratulativum, pro sui respectione; querulativum, pro filii amissione; compassivum, pro vini defectione. Verbum gratulationis Maria ad Deum habuit in labiis, quando pro eo quod Dominus humilitatem suam respexit, dixit [1] : *Magnificat anima mea Dominum.* Hoc est contra ingratos, qui, heu, pro multis et magnis beneficiis parvas Deo gratias agunt, et quandoque per ipsa Dei beneficia contra Deum insolescunt. Verbum querulationis Maria ad Deum habuit in labiis, quando Filio, per triduum amisso, dixit [2] : *Fili, quid fecisti nobis sic?* sequitur : *Pater tuus et ego dolentes quærebamus te.* Hoc est contra indevotos, qui cum dolore Jesum non quærunt, quando ipsum per subtractionem devotionis per multos dies amiserunt. Verbum compassionis ad Deum habuit Maria, quando in nuptiis Filio dixit [3] : *Vinum non habent.* Hoc est contra immisericordes, quos aliorum defectus ad pietatem non movent, nec apud Deum, nec apud homines proximos suos promovent. Eia nunc, advocata nostra Maria, ecce adhuc necesse est nobis, ut Filio tuo suggeras pro nobis, quoniam vinum non habent multi ex nobis : vinum utique gratiæ Spiritus sancti, vinum compunctionis, vinum devotionis, vinum spiritualis consolationis. De quo beatus Bernardus sic ait [4] : « Quoties mihi necesse est, fratres, post lacrymosas querimonias vestras exorare Matrem misericordiæ, ut suggerat benignissimo Filio suo quoniam vinum non habetis! Et ipsa, dico vobis, charissimi, si pie a vobis pulsata fuerit, non deerit necessitati vestræ, quoniam misericors est (*a*) misericordiæ Mater. Nam si compassa est verecundiæ illorum, a quibus fuerat invitata, multo magis compatietur vobis, si pie fuerit invocata. » Pensate, fratres, ex prædictis, quantus amicus Mariæ Rex regum fuerit, cum ipsa tantam gratiam labiorum habuerit. Scriptum quippe est in *Proverbiis* [5] : *Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum habebit amicum regem.*

Tertio considerate, charissimi, in Maria gratiam privilegiorum. De hac quidem gratia dicitur [6] : *Invenisti gratiam apud Dominum, ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur.* Vide quomodo Gabriel, asserens Mariam invenisse gratiam, statim eamdem gratiam specificans, subjungit : *Ecce*, inquit, *concipies in utero*, etc. O quam magnum et omnibus sæculis inauditum previlegium, quod virgo in utero concepit, et Filium Altissimi peperit! Possumus autem notare septem privilegia Mariæ : privilegium, inquam, immensis gratiis esse plenam, soli Mariæ a Deo concessum. Primum Mariæ privilegium, est quod, super omnes homines, ab omni peccato sit purissima. Fuit namque tam copiosissime in utero sanctificata, quod etiam ad veniale peccatum nunquam in tota vita sua fuisse creditur inclinata. Unde Bernardus ait [7] : « Decuit Reginam virginum, singularis privilegio sanctitatis, immunem absque (*a*) omni peccato ducere vitam, quæ dum peccati mortisque pareret peremptorem, munus vitæ et justitiæ omnibus obtineret. » Secundum Mariæ privilegium est, quod ipsa super omnes homines fuit gratia plenissima. Unde Hieronymus [8] : « Cæteris per partes præstatur; Mariæ vero se tota infudit plenitudo gratiæ. » Et ideo bene beatus idem Doctor, gratiam Mariæ gratiæ angelorum conferens, et præferens, ait : « Beatam et gloriosam Virginem Mariam credendum est ampliora promeruisse virtutum privilegia, et percepisse etiam gratiam ab angelis collaudatam. » Tertium Mariæ privilegium est, quod ipsa sola mater et virgo incorruptissima est. Hoc privilegium beatus Bernardus commendans, ait [9] : « Optimam partem elegit sibi Maria : optimam plane, quia bona est fœcunditas conjugalis, melior castitas virginalis, optima virginea fœcunditas, seu fœcunda virginitas. Mariæ privilegium non dabitur alteri, quia non auferetur ab ea. » Quartum Mariæ privilegium est, quod ipsa sola mater Filii ineffabilissima est, ipsa sola illius Filii mater est, cujus solus Deus Pater est. Mirum supra modum, quod tam maximum

B. Maria habuit gratiam privilegiorum.

Privilegium primum.

Privilegium 2.

Privilegium 3.

Privilegium 4.

[1] *Luc.*, I, 46. — [2] *Luc.*, II, 48. — [3] *Joan.*, II, 3. — [4] Bern., *in Domin. 1. post octav. Epiph.*, serm. II, n. 4. — [5] *Prov.*, XXII, 11. — [6] *Luc.*, I, 30-32. — [7] Bern., *ad Canon. Lugd.*, epist. CLXXIV, n. 5. — [8] Hieron., *de Assumpt. B. Mar.*, serm., ante med., idem cum epist. X. — [9] Bern., *in Assumpt. B. Mar.*, serm. IV, n. 5.

(*a*) *Apud Bern. add.* et. — (*b*) *Cæt. Edit.* ab.

privilegium creaturæ concessum est. De hoc etiam privilegio beatus Bernardus ait [1] : « Ipsa est nostræ Virginis gloria singularis, et excellens prærogativa Mariæ, quod Filium suum eumdem cum Deo Patre meruit habere communem. » Quintum Mariæ privilegium est, quod ipsa super omnem creaturam Deo corporaliter familiarissima fuit. Nam, quod numquam creaturæ concessum est, nec concedetur in æternum, ipsa Deum novem mensibus in utero portavit, ipsa Deum ubere de cœlo pleno lactavit, ipsa Deum multis annis dulciter educavit, ipsa Deum sibi subditum habuit, ipsa Deum purum in amplexibus et osculis familiarissime contrectavit, sicut Augustinus evidenter asserit, dicens [2] : « Nec mirum, Maria, ut dignetur tibi congaudere Deus regnans in cœlis, quem parvulum ex te hominem natum, toties osculata es in terris. » Sextum Mariæ privilegium est, quod ipsa super omnem creaturam apud Deum potentissima est. Unde Augustinus [2] : Ipsa meruisti existere mater ejusdem Redemptoris. » Idem [2] : « Impetra quod rogamus, excusa quod timemus, quia nec potentiorem meritis invenimus quam te, quæ meruisti existere mater ejusdem Redemptoris et Judicis. » Grande privilegium est, quod ipsa præ omnibus sanctis apud Deum tam potentissima est; sicut illud Augustinus [3] declarat dicens : « Neque enim dubium, quæ meruit pro liberandis proferre pretium, posse plus omnibus sanctis libertatis impendere suffragium. » Sed quid tanta Mariæ potentia prodesset nobis, si ipsa nihil curaret de nobis? Propter hoc, charissimi, sciamus indubitanter, et pro hoc gratias agamus incessanter, quia sicut ipsa apud Deum omnibus sanctis est potior, ita quoque pro nobis apud Deum omnibus sanctis est sollicitior, testante eodem Doctore Augustino qui sic ait : « Te solam, o Maria, pro sancta Ecclesia sollicitam præ omnibus sanctis scimus, quæ impetras inducias transgressoribus, ut renuntient suis erroribus. » Septimum Mariæ privilegium est, quod ipsa super sanctos in gloria excellentissima est. Unde Hieronymus [5] : « Ubique confidenter sancta Dei canit Ecclesia, quod de nullo alio sanctorum fas est credere, ut ultra angelorum vel archangelorum merita transcenderit. Hoc quippe privilegium quasi non naturæ, sed gratiæ, est Virginis Mariæ. » Ecce quam gloriosum gloriæ Mariæ privilegium, quod ipsa in gloria gloriosissima est post Deum. Gloriosum gloriæ Mariæ privilegium est, quod quidquid post Deum pulchrius, quidquid dulcius, quidquid jucundius in gloria est, hoc Maria, hoc in Maria, hoc per Mariam est. Gloriosum omnino gloriæ Mariæ privilegium est, quod post Deum major gloria nostra, majus nostrum gaudium de Maria est. Unde Bernardus : « Summa gloria est, o Maria, post Dominum te videre, tibi adhærere, in tuæ protectionis munimine demorari. » Hæc igitur sunt septem gloriosissima privilegia Mariæ, quorum gratia obtinemus vitam gratiæ. Et ideo obsecrare possumus Mariam, sicut Abraham obsecravit Saram dicens [6] : *Dic, obsecro, quod soror mea sis, ut bene mihi sit propter te, et vivet anima mea ob gratiam tui.* O ergo Maria, o Sara nostra, dic quod sis soror nostra, ut propter te bene nobis sit a Deo, et ob gratiam tui, vivant animæ nostræ in Deo. Dic, inquam, charissima Sara nostra, quod sis soror nostra, ut propter talem sororem Ægyptii, id est, dæmones nos revereantur, ut etiam propter talem sororem angeli nobis in acie conjungantur, ut insuper propter talem sororem, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus nostri misereantur.

Privilegium 5.

Privilegium 6.

Privilegium 7.

Quarto considerate, charissimi, in Maria gratiam præmiorum : de qua tamen pro parte in septimo Mariæ privilegio jam tactum est. De hac gratia potest accipi, quod dicitur in *Ecclesiastico* [7] : *Gratia super gratiam mulier pudorata et sancta.* Mulier super omnes mulieres pudorata, super omnes sancta est Maria, in qua est gratia super gratiam, gratia gloriæ super gratiam viæ, gratia præmiorum in cœlo, super gratiam meritorum in mundo. Hæc autem gratia beatitudinis Mariæ consistit in septem dotibus corporis et animæ. Quodlibet enim corpus glorificatum habet quatuor dotes gloriosas, videlicet dotem miræ charitatis, dotem miræ subtilitatis, dotem miræ agilitatis, et dotem miræ impassibilitatis; et si omnium beatorum corpora his quatuor dotibus Deus glorificavit, quanto magis corpus istud, quod ipsum glorificatorem omnium corporum genuit? Quid mirum, si dote claritatis clarissima sit in cœlo, quæ dono sanctitatis tam clarissima fuit in mundo? De ipsa namque beatus Bernardus ait [8] :

B. Maria habuit gratiam præmiorum.

B. Maria habet dotes beatorum corporum.

[1] Bern., *de Annunt. Dom.*, serm. II, n. 2. — [2] Aug., *de Sanct.*, serm. XXXV, al. CCVIII, n. 11, in Append. — [3] Ibid., n. 12. — [4] Hieron., *de Assumpt., B. Mar.*, serm., idem cum epist. X, ante med. — [6] *Gen.*, XII, 13. — [7] *Eccli.*, XXVI, 19. — [8] Vel Ecbert., *Serm. paneg.*, n. 1.

« Adhuc inter peccatores degens, tanta ante Deum claruisti sanctitate, ut sola solio æterni Regis approximare merueris. » Item, quid mirum, si dote subtilitatis subtilissima sit, quæ dono humilitatis tam subtilissima fuit in mundo? Ipsam enim alloquens beatus Bernardus dicit [1] : « Nunquam supra choros angelorum sublimata ascendisses, nisi prius infra omnes homines humiliata descendisses. » Item, quid mirum, si dote agilitatis velocissima sit in cœlo, quæ dono pietatis tam velocissima fuit in mundo? Ipsa namque abiit in montana cum festinatione pro officio pietatis; de cujus festinationis velocitate Ambrosius ait [2] : « Quo jam Deo plena, nisi in montana cum festinatione ascenderet? Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia. » Item, quid mirum, si dote impassibilitatis impassibilissima sit in cœlo, quæ dono patientiæ et æquanimitatis tam impassibilissima fuit in mundo, ut ipsa nec minimum impatientiæ vel odii vulnus sentiret, cum suam ipsius animam gladius pertransiret? Imo etiam signum vulneris, signum passionis impatientiæ, nec legimus, nec credimus in Maria quandoque apparuisse. Unde Bernardus ait [3] : « Revolve diligenter evangelicæ historiæ seriem universam, et si quid forte increpatorium, si quid durum, si quod denique signum vel tenuis indignationis occurrerit in Maria, de cætero suspectam habeas, et accedere verearis. » Cæterum si tanta est gloria gloriosissimi corporis Mariæ, quanta, putas, est gloria suæ beatissimæ animæ? Quod licet certe beata anima tres habet dotes ipsam beatificantes, videlicet dotem miræ cognitionis, dotem miræ dilectionis, dotem miræ fruitionis, vel, secundum modernos quosdam, dotem visionis, fruitionis, et tentionis, quocumque autem modo dotes animæ accipiantur, certum est quod dotes animæ Mariæ omnium animarum dotibus præferantur. Nam si omnes beatæ animæ his dotibus beatificantur in cœlo, quanto magis anima ejus, quæ omnium animarum beatificatorem genuit in mundo? Quid mirum, si jam in lucidissima cognitione est anima Mariæ, quæ jam profundissime (*a*) unita est luci æternæ? Unde beatus Bernardus [4] ait : « Profundissimam divinæ sapientiæ, ultra quam credi valeat, penetravit abyssum, ut quantum sine personali unione creaturæ conditio patitur, luci illi inaccessibili videatur unita. » Item, quid mirum si jam in fœcundissima dilectione est anima Mariæ? quid, inquam, mirum, si præ omnibus diligat, quæ præ omnibus est dilecta? Vere præ omnibus; ait enim beatus Augustinus ad ipsam [5] : « Te ipse Rex regum, ut matrem veram et decoram sponsam, præ omnibus diligens, amoris amplexu sibi associat. » Item, quid mirum, si jam in jucundissima fruitione sit anima Mariæ, quæ benedicto fructu ventris sui pascitur dulcissime? Unde beatus Augustinus ait [6] : « Mariæ anima claritate fruitur Christi, et gloriosis ejus amplexibus, semper præsens, semper conspiciens, semper videre sitiens, inæstimabiliter pascitur. » Igitur sicut gloriosissima Maria omnes sanctos excedit in gratia viæ, et in gratia meritorum, ita omnes sanctos excedit in gratia gloriæ, et in gratia præmiorum. Unde bene ipsa signata est per Esther reginam, de qua legitur [7], quod ducta ad cubiculum Regis Assueri, habuit gratiam et misericordiam coram eo super omnes mulieres, et posuit diadema regni in capite ejus. Esther interpretatur *Evacuata* et *Elevata*. Hoc optime convenit Mariæ, de qua beatus Hieronymus ait [8] : « Elevatur super choros angelorum, ut possit speciem vultumque videre Salvatoris, quem amaverat, quem concupierat ex toto desiderio cordis. » Ista Esther regina, beata Virgo Maria, ducta est in ejus assumptione in cubiculum regis Assueri, Regis æterni, in cubiculum utique de quo Augustinus Mariam alloquens ait [5] : « Tu in cubiculi regii beatitudine, gemmis ac margaritis ornata consistis. » Ducta itaque in hoc cubiculum quietis æternæ regina Maria, gratiam regis Assueri, id est, gratiam veri Regis habet super omnes mulieres, id est, super omnes intelligentias angelicas, et super omnes beatas animas, ut sit in Maria gratia super gratiam omnium beatorum. Nam revera in capite ejus Rex regum diadema regni posuit. Diadema certe tam impretiabile, diadema tam delectabile, diadema tam mirabile, quod hoc omni linguæ inenarrabile, omni ingenio incrustabile est. Sic ergo, charissimi, vidistis quanta gratia donorum, quanta gratia labiorum, quanta gratia privilegiorum, quanta gratia præmiorum affluentissima sit Maria. Ro-

[1] Vel Ecbert., ubi supra proxime, n. 5. — [2] Ambros., *in Luc.*, lib. II, n. 19. — [3] Bernard., *in Dom. inf. octav. Assumpt.*, serm. n. 2. — [4] Ibid., n. 3. — [5] *De Sanct.*, serm. XXXV, al. CCVIII, n. II, inter *Oper.* Aug., Append. tom. V. — [6] Ibid., *de Assumpt. B. Mar.*, VI, Append. tom. VI. — [7] *Esth.*, II, 17. — [8] Hieron., *de Assumpt. B. Mar.*, serm., post med.

(*a*) *Al.* profundissimæ.

gemus ergo ipsam tantam inventricem gratiarum, ut et nos faciat invenire gratiam apud Dominum, per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum : qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti, Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

LECTIO VII.

Quod novem sint plenitudines in Maria, quæ novem ordinum angelorum plenitudines repræsentant in gloria.

Ave, gratia plena. Non sufficit Archangelo gratiam Mariæ simpliciter commendare, sed etiam plenitudinem ejus voluit signanter insinuare, cum dixit : *Gratia plena.* O vere plena, et plene plena! Adhuc certe non dixerat Gabriel : *Ecce concipies in utero,* etc. Adhuc etiam non dixerat : *Spiritus sanctus superveniet in te,* etc. Si ergo ante superventionem Spiritus sancti, si ante conceptionem Filii Dei plena fuit Maria, quanto magis post? Propter hoc bene de ejus plenitudine et de plenitudinis ejus gratitudine dicit Anselmus : « Hæc millies plenissima ab Angelo salutata, Spiritu sancto repleta, plenitudine divinitatis afflata. » Bene ergo plena dicitur Maria. Plena, inquam, illuminatione sapientiæ, plena inundatione gratiæ, plena possessione bonæ vitæ, plena unctione misericordiæ, plena fœcundatione prolis piæ, plena perfectione Ecclesiæ, plena respersione odoriferæ famæ, plena resultatione divinæ gloriæ, plena etiam fruitione æternæ lætitiæ. Has novem plenitudines consideremus in Maria, quæ novem ordinum angelicorum plenitudines repræsentant in gloria.

B. Maria plena illuminatione sapientiæ.

Primo consideremus, charissimi, quod plena est Maria illuminatione sapientiæ et intellectus. Unde ipsa bene per lunam plenam signari potest, de qua dicitur in *Proverbiis* [1] : *Non est vir in domo sua, abiit via longissima : sacculum pecuniæ secum tulit, in die plenæ lunæ reversurus.* Hic est vir ille, de quo Hieremias ait [2] : *Creavit Dominus novum super terram, mulier circumdabit virum.* Mulier Maria, mulier utique sexu, non corruptione, mater virtutis Dominum nostrum circumdedit utero suo, circumdedit habitu nostro. Hic vir, si tamen, ut ait Josephus [3], virum appellari fas est, tres domos habet. Imperatoriæ majestatis est in palatio habere tres mansiones, videlicet consistorium, cœnaculum, et cubiculum. Consistorium est domus causarum; cœnaculum, ciborum; cubiculum, quietis. Sic Imperator noster, qui imperat ventis et mari, habet domum causarum, mundum; habet domum ciborum, modo Ecclesiam, olim Synagogam; habet domum quietis, rationalem animam. Sed, heu! vir iste Dominus virtutum, a domo mundi, a domo Synagogæ, a domo animæ valde fuit elongatus, quia [4] *longe a peccatoribus salus.* Vir ergo iste in domo sua non fuit, quando per Hieremiam conquerendo dixit [5] : *Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam.* Sacculum etiam pecuniæ secum tulit, quia thesaurum misericordiæ et gratiæ suæ a mundo abscondit. Sed ecce vir iste in die plenæ lunæ reversus est, illius, inquam, lunæ, de qua dicitur in *Canticis* [6] : *Pulchra ut luna.* Luna ergo est Maria; luna plena, Maria plena. Lunæ plenæ Maria bene comparata est, quæ lumine sapientiæ et veritatis a sole æterno plene illuminata est. Unde Maria bene *illuminata* interpretatur, sive *illuminatrix.* Ipsa namque, luna et lucerna nostra, illuminata fuit a Domino, et illuminatrix fuit mundo, juxta illud propheticum [7] : *Quoniam tu illuminas lucernam,* etc. In hujus lunæ plenitudine, vir reversus est in domum, quando Christus per carnem venit in mundum. O vere mirabilis hujus lunæ plenitudo! Ecce si Maria plena fuit lumine sapientiæ, quod a sole æterno recepit, priusquam ipsum concepit; quanto plenior fuit, dum hunc solem tam mirabiliter concepit, et tam totaliter in se recepit? Et ideo bene plenitudinem sapientiæ Mariæ beatus Bernardus commendans, ait : « Extruxit in Maria sibi domum sapientia cœlestis : quæ adeo mentem ejus replevit, ut de plenitudine mentis ejus fœcundaretur et caro, ac Virgo singulari gratia eamdem ipsam sapientiam carne tectam pareret, quam prius mente pura conceperat. »

B. Ma... plen... inund... tion... grati...

Secundo consideremus, quod plena est Maria inundatione gratiæ in affectu. Tanta nempe inundatio gratiæ, tanta profunditas et magnitudo in Maria fuit, ut ipsa bene mare plenum dici possit, juxta illud [8] : *Tonet mare, et plenitudo ejus.* Sicut in mari aquarum, sic in Maria sunt congregationes gratiarum. Unde scriptum est [9] : *Congregationesque aquarum appellantur* (*a*) *maria.* Dicitur quoque in *Ecclesiaste* [10] : *Omnia flumina in-*

[1] *Prov.*, VII, 20. — [2] *Jerem.*, XXXI, 32. — [3] Joseph., *Antiq. Judaic.*, lib. XVIII, c. IV. — [4] *Psal.* CXVIII, 155. — [5] *Jerem.*, XII, 7. — [6] *Cant.*, VI, 9. — [7] *Psal.* XVII, 29. — [8] I *Paral.*, XVI, 32. — [9] *Gen.*, I, 10. — [10] *Eccle.*, I, 7. — (*a*) Vulg. *appellavit.*

trant in mare. Omnia flumina sunt omnia gratiarum dona, quæ intraverunt in Mariam, juxta illud Sapientis [1] : *In me omnis gratia viæ et veritatis*, etc. Quam plenum sit hoc mare, quam plena gratia sit Maria, beatus Hieronymus aperit, dicens [2] : « Bene plena, quia cæteris per partes præstatur; Mariæ vero simul se tota infudit plenitudo gratiæ. » Hoc ergo plenum mare, audiamus contra vitia tonare. Tonet ergo mare et plenitudo ejus, tonet plenum mare, tonet plena Maria. Tonet contra luxuriam, castitatem proponendo, et dicat [3] : *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Tonet etiam contra superbiam, humilitatem sentiendo, et dicat [4] : *Ecce ancilla Domini*, etc. Tonet quoque contra ingratudinem, gratias agendo, et dicat [5] : *Magnificat anima*, etc. De plenitudine hujus maris similiter in Psalmo dicitur [6] : *Moveatur mare, et plenitudo ejus.* Moveatur mare, moveatur Maria, moveatur certe suspiriis et castigationibus, moveatur lacrymis et orationibus, moveatur eleemosynis et aliis venerationibus. Moveatur, inquam, plene, ut nobis effundat de sua plenitudine. Attendamus, quid nobis beatus Bernardus de ea loquatur. Ait enim sic : « Vas liquore plenum si moveatur, de facili subvertitur, et effundit liquorem. Sic beata virgo Maria, si moveatur precibus, effundit liquorem in nobis. »

laria plena ɔsses- ɔnibus æ vi-

Tertio consideremus, quod plena est Maria possessionibus bonæ vitæ in effectu. De hac plenitudine vere possumus dicere [7] : *Domini est terra*, etc. Per terram bene significatur Maria, de qua sic legitur in *Isaia* [8] : *Aperiatur terra, et germinet Salvatorem.* Quid terra humilius? quid terra utilius? Terram omnes sub pedibus habemus, et de terra omnes vitam fovemus. Unde enim victum et vestitum, panem et vinum, lanam et linum, et hujus vitæ necessaria, nisi de terra, et de plenitudine terræ habemus? Quid ergo humilius? quid utilius terra? Similiter quid humilius, quid utilius Maria? Ipsa denique humilitate sua omnium est infima; ipsa plenitudine sua omnium est utilissima. Vitæ namque spiritualis necessaria habemus de plenissima terra Maria. Et ideo bene beatus Bernardus ait [9] : « Altius intuemini quanto devotionis affectu a nobis voluit honorari Mariam, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria : ut proinde si quid spei in nobis est, si quid salutis, ab ea noverimus redundare. » Sed a quo, et cujus est tanta hujus terræ plenitudo? Audi Psalmistam [10] : *Domini est terra et plenitudo ejus.* Et iterum [11] : *Meus est orbis terræ et plenitudo ejus.* Plenitudo terræ consistit in fructibus et diversis possessionibus terræ, juxta illud Psalmistæ [12] : *Impleta est terra possessione tua.* Fructus autem et possessiones plenissimæ terræ Mariæ sunt opera, mores, exempla, et diversa merita sanctissimæ vitæ Mariæ. Talibus enim possessionibus eam Dominus replevit, talibus eam bonis implevit, ut dicitur in *Ecclesiastico* [13] : *Dominus in terram respexit, et implevit eam bonis suis.* De hac ejus plenitudine Hieronymus mentionem faciens, inquit [14] : « Talibus decebat Virginem oppignerare muneribus, ut esset gratia plena, quæ dedit cœlis gloriam, terris Deum pacemque refudit, fidem gentibus, finem vitiis, ordinem vitæ et moribus disciplinam. »

Maria est plena misericordiæ oleo.

Quarto consideremus, charissimi, quod Maria plena est unctione misericordiæ, plena oleo pietatis. Unde ipsa signata esse potest per illam mulierem, cui clauso ostio domus suæ, omnia vasa intus congregata, facta sunt miraculose oleo plena, secundum quod Elisæus ei prædixerat, dicens [15] : *Cum plena fuerint, tolles.* Mulier ista est Maria, quæ etiam a Filio suo mulier appellata est in *Joanne*, ubi dicitur [16] : *Mulier, ecce filius tuus.* Hujus mulieris vasa sunt affectus et effectus, desideria et beneficia, quæ omnia oleo misericordiæ plena sunt in Maria. Unde de hoc oleo beatus Bernardus bene ait [17] : « Nec mirum, o Domina, si tam copioso oleo misericordiæ cordis tui perfusum est sanctuarium, cum illud inæstimabile opus misericordiæ, quod prædestinavit Deus ante sæcula in redemptionem nostram, primum sit in te a mundi artifice fabricatum. Dicamus ergo, charissimi, dicamus Mariæ [18] : *Date nobis de oleo vestro.* Petamus oleum misericordiæ ejus in mundo, ne frustra petamus in judicio. Quod autem domus, in qua vasa replebantur, clausa fuit, hoc optime Mariæ convenit, de cujus clausura Ezechiel ait [19] : *Porta hæc clausa erit, et non aperietur, et vir non transiet per eam; quoniam Dominus Deus*

[1] *Eccli.*, XXIV, 25. — [2] Hieron., *de Assumpt. B. Mar.*, serm., idem cum epist. X, ante med. — [3] *Luc.*, I, 34. — [4] Ibid., 38. — [5] Ibid., 46. — [6] *Psal.* XCV, 11. — [7] *Psal.* XXIII, 1. — [8] *Isa.*, XLV, 8. — [9] Bernard., *in Nativ. B. Mar., de aquæductu*, n. 6. — [10] *Psal.* XXIII, 1. — [11] *Psal.* XLIX, 12. — [12] *Psal.* CIII, 24. — [13] *Eccli.*, XVI, 30. — [14] Hieronym., ubi supra. — [15] IV *Reg.*, IV, 4. — [16] *Joan.*, XIX, 26. — [17] Bernard., *Deprec. ad V. Mar.*, non longe a princ. — [18] *Matth.*, XXV, 8. — [19] *Ezech.*, XLIV, 2.

Israel egressus (*a*) *est per eam.* Porta Mariæ clausa fuit sera virginali; vir non transivit per eam amplexu maritali; Dominus Deus egressus est per eam nativitate singulari. Sed certe, quia ad multiplicationem olei, vasa etiam vicinorum non pauca collecta fuerunt; ideo quoque per vasa illa omnes signari possunt, qui plenitudinis misericordiæ Mariæ participes sunt. Qui autem sint illi, beatus Bernardus declaravit, cum dixit [1]: « Maria omnibus sinum misericordiæ aperuit, ut ex plenitudine ejus accipiant universi: captivatus (*b*) redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, angelus lætitiam, denique tota Trinitas gloriam, Filii persona carnis humanæ substantiam. »

B. Maria plena fœcunditate prolis divinæ.

Quinto, charissimi, consideremus quod plena est Maria fœcundatione prolis divinæ. De plenitudine illa intelligere possumus illud Isaiæ [2]: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, et elevatum, et plena erat domus majestate ejus.* Domus illa in cujus solio Dominus sedit, est beata Virgo, in cujus mentis solio Dominus requievit. O vere beatissimum, o vere stabilissimum solium! sicut dicitur in libro *Regum* [3]: *Firmissimum solium tuum in æternum.* Hoc solium excelsum est in intellectu, elevatum in affectu. Excelsum est quoque super homines, elevatum super homines. Excelsum insuper est gratia, elevatum in gloria. In solio ergo Mariæ, in solio, inquam, mentis ejus Dominus sedebat (*c*), et domus corporis ejus majestate Verbi incarnati plena erat. De hac ineffabili plenitudine beatus Ambrosius ait [4]: « Bene sola gratia plena dicitur, quæ sola gratiam, quam nulla alia (*d*), consecuta est, ut gratiæ repleretur auctore. » O vere felix domus tam felici fœcunditate plena! Ait namque beatus Bernardus [5]: « Bene gratia plena, quæ et virginitatis gratiam tenuit, et fœcunditatis gloriam acquisivit. » Dominus ergo in solio mentis Mariæ sedit per gratiam, et domum corporis ejus majestate sua implevit per assumptam naturam. Unde in tertio *Regum* dicitur [6]: *Impleverat gloria Domini domum Domini.* Tunc ait Salomon [7]: *Dixit Dominus, ut habitaret in nebula.* Domus ergo Domini Maria impleta est gloria divinæ majestatis per nebulam assumptæ a Deo humanitatis, illam dico nebulam, de qua dicitur in *Ecclesiastico* [8]: *Medicina omnium in festinatione nebulæ.* Et iterum: *Quasi stella matutina in medio nebulæ*, etc. Nam quasi stella in nebula est Verbum in carne assumpta.

B. Maria plena perfectione universalis Ecclesiæ.

Sexto consideremus, charissimi, quomodo Maria fuerit plena perfectione universalis Ecclesiæ. Diversas et mirificas perfectiones et gratias in diversis sanctis suis habuit et habet Ecclesia, in quorum plenitudine videtur detenta fuisse Maria, ut vere possit dicere illud *Ecclesiastici* [10]: *In plenitudine sanctorum detentio mea.* Revera in plenitudine sanctorum Mariæ detentio fuit, dum in mirifica perfectione sua, plenitudo perfectionis sanctorum sibi non defuit. Sicut beatus Bernardus declarat, cum ait: « Merito in plenitudine sanctorum detentio ejus, cui nec defuit fides patriarcharum, spiritus prophetarum, zelus apostolorum, constantia martyrum, sobrietas confessorum, castitas virginum, fœcunditas conjugatorum, imo nec puritas ängelorum. » Scriptum enim est in *Ecclesiastico* [11]: *In plenitudine sancta admirabitur.* Ad hoc certe in plenitudine sanctorum, non in plenitudine impiorum detentio Mariæ est; quia apud eos qui pleni sunt sanctitate, non apud eos qui pleni sunt iniquitate, Maria libenter est. Ipsa quoque non solum in plenitudine sanctorum detinetur, sed etiam in plenitudine sanctos detinet, ne eorum plenitudo minuatur. Detinet nimirum virtutes, ne fugiant; detinet merita, ne pereant; detinet dæmones, ne noceant; detinet Filium, ne peccatores percutiat. Ante Mariam non fuit, qui sic detinere Dominum auderet, testante Isaia, qui dixit [12]: *Non est qui invocet nomen tuum, qui consurgat et teneat te.*

B. Maria plena respersione odoriferæ famæ.

Septimo consideremus, quomodo plena sit Maria respersione odoriferæ famæ. Sicut enim ager plenus odoriferarum specierum odoribus, sic Maria plena est odoriferis famæ aspersionibus. De hac plenitudine accipiamus quod legitur in Genesi [13]: *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Ager iste est Maria, in qua thesaurus angelorum, imo totus Dei Patris absconditus est. Felix qui [14] *vendit omnia quæ habet, et emit agrum istum.* Hujus agri pleni plenus odor est plena Maria fama, plenus honor. De hoc beatus Hieronymus ait [15]: « Quia

[1] Bernard., Domin. inf. octav. Assumpt., n. 2. — [2] *Isa.*, VI, 1. — [3] III *Reg.*, VIII, 13. — [4] Ambros., *in Luc.*, lib. II, n. 9. — [5] Bern., super *Missus est*, hom. III, n. 3. — [6] III *Reg.*, VIII, 11. — [7] Ibid., 12. — [8] *Eccli.*, XLIII, 24. — [9] Ibid., L, 6. — [10] *Eccli.*, XXIV, 16. — [11] Ibid., 3. — [12] *Isa.*, LXIV, 7. — [13] *Gen.*, XXVII, 27. — [14] *Matth.*, XIII, 44. — [15] Hieron., ubi supra.

(*a*) Vulg. *ingressus.* — (*b*) *Al.* captivus. — (*c*) *Cæt. edit.* sedebit. — (*d*) *Suppl.* meruerat.

multis repleta erat virtutum odoribus, manans ex ea fragrabat suavissimus odor spiritibus angelicis. » De isto odore ipsa sancta gloriando dicere potest illud *Ecclesiastici* [1] : *Sicut cinnamomum et balsamum, amœnitatis odorem dedi.* Odor Mariæ fuit sicut cinnamomum exterius, in cortice conversationis; sicut balsamum interius, in unctione devotionis; sicut myrrha, in amaricatione castigationis. Fuit quoque odor Mariæ sicut cinnamomum in actione; sicut balsamum in contemplatione; sicut myrrha in passione. O vere dives et nimis dives, quæ præter alia aromata, tam plena fuit odorifero Spiritus sancti balsamo, ut bene de illo super illud, *Spiritus sanctus superveniet in te,* beatus Bernardus dicat [2] : « Pretiosum illud balsamum tanta tibi copia tantaque plenitudine influet, ut copiosissime effluat circumquaque. » Bene ergo dicere potuit Deus Pater : *Ecce odor Filii mei sicut odor agri pleni,* quasi dicat : Ecce odor Filii mei, honor Filii pleni, ex honore plenæ matris suæ est et fama. Unde Hieronymus ait [3] : « Honor maternus ejus est, qui de ea natus est. »

Octavo consideremus, charissimi, quomodo plena est Maria resultatione sive expressione divinæ gloriæ, juxta illud *Ecclesiastici* [4] : *Gloria Domini plenum est opus ejus.* Antonomastice opus Domini mirabile est Maria, de quo dicitur in *Ecclesiastico* [5] : *Vas admirabile opus Excelsi.* Vere opus mirabile, quia nunquam invenitur simile. Unde de hoc dicitur [6] : *Non est factum tale opus in universis regnis.* Non utique in regno cœlestium, non in regno terrestrium, non in regno infernorum : quia nullum tale opus in cœlo, nullum tale in mundo, nullum tale in limbo fuit. Hoc enim opus plenum est dominica gloria, quia super omnem puram creaturam resultat, et relucet plenissime in Maria. Nam præter assumptam a Verbo naturam, nullum est opus, nulla est creatura, in qua tanta divinæ gloriæ materia reluceat, sicut in Maria. Gloriam enim de restauratione facta in cœlo, gloriam de redemptione facta in mundo, gloriam de liberatione facta in inferno, habet Dominus per Mariam, habet per plenitudinem Mariæ. Et ideo bene ait Anselmus sic : « Tibi solum loquor, Domina, beneficiis tuis plenum esse mundum; inferna penetravit, cœlos superavit. Per plenitudinem enim gratiæ tuæ, quæ in inferno erant, se lætantur liberata, et quæ supra mundum sunt, se gaudent restaurata. » Plenum ergo est gloria Domini opus ejus Maria, quia, sicut dicitur in Isaia [7] : *Plena est omnis terra gloria ejus.* Plena utique est omnis terra, plena est tota Maria relucente in se plenissime divina gloria. Merito autem omnibus prædictis gratiis plenissima dicitur, quæ omnibus non ingratis gratissima creditur, sicut beatus Bernardus ostendit, qui de hoc verbo, *Ave, gratia plena,* loquens, sic ait : « Bene plena gratia, quia Deo et angelis, et hominibus grata : hominibus per fœcunditatem, angelis per virginitatem, Deo per humilitatem. »

B. Maria plena fruitione lætitiæ æternæ.

Nono consideremus, charissimi, quomodo plena sit Maria fruitione lætitiæ æternæ. Quis enim nesciat, eam ab his non exclusam, quibus Filius ejus dixit [8] : *Petite, et accipietis, ut gaudium vestrum plenum sit.* Si ergo omnium Apostolorum, imo omnium cum Deo regnantium gaudium plenum est, quanto Matris Dei gaudium plenissime est plenum? De hac plenitudine B. Hieronymus inquit [9] : « Plena siquidem gratia, plena Deo, plena virtutibus, non potest non possidere pleniter gloriam claritatis æternæ. » Quid mirum, si lætitiam et gloriam plenam, et superplenam habet in regno, quæ gratiam plenam et superplenam habuit in exilio? Quid certe mirum, si tam in cœlo quam in mundo ejus plenitudo super omnem creaturam sit, de cujus plenitudine omnis creatura virescit? Unde Anselmus ait : « O femina plena et superplena gratia, de cujus plenitudinis exundantia respersa reviviscit omnis creatura! » Sic ergo, charissimi, videtis in Maria plenitudinem sapientiæ illuminativam, plenitudinem gratiæ inundativam, plenitudinem vitæ fructificativam, plenitudinem misericordiæ subventivam, plenitudinem Ecclesiæ perfectivam, plenitudinem famæ respersivam, plenitudinem divinæ gloriæ expressivam, et plenitudinem æternæ lætitiæ supergressivam. Eia ergo, plenissima Virgo Maria, nos tam inanes, tam vacuos, sic participes plenitudinis tuæ facias, ut tandem ad æternam plenitudinem pertingere valeamus. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

[1] *Eccli.*, XXIV, 20. — [2] Bernard., *in Nativ. B. Mar., de aquæductu,* serm., n. 5. — [3] Hieronym., ubi supra proxime. — [4] *Eccli.*, XLII, 16. — [5] *Eccli.*, XLIII, 2. — [6] III *Reg.*, X, 20. — [7] *Isa.*, VI, 3. — [8] *Joan.*, XVI, 24. — [9] Hieron., ubi supra.

LECTIO VIII.

Quod Dominus, de quo dicitur B. Mariæ Dominus tecum, *generaliter est Dominus universalis omnium rerum, potentissimus, sapientissimus, opulentissimus, ac indeficientissimus, et cum eo beata Maria etiam talis.*

Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum. Ostensum est supra, quomodo Maria propter purissimam vitæ innocentiam merito per *Ave* salutatur : ostensum est quoque quomodo propter copiosissimæ gratiæ affluentiam merito *gratia plena* commemoratur. Ostendendum autem nunc est, quomodo propter specialissimam Dei præsentiam merito Dominus secum fore insinuatur. *Dominus* ergo tecum. O magne Gabriel, magnum magnæ Mariæ de magno Domino nuntias. Magnum est quod ei dicis, *Dominus tecum.* Sed dic nobis, quantum, vel quomodo secum ? Et ecce beatus Augustinus in persona Gabrielis ad hoc respondens, ait [1] : « *Dominus tecum,* sed plusquam mecum. *Dominus tecum,* sed non sicut mecum. In me licet sit Dominus, memetipsum creavit Dominus; per te autem nasciturus est Dominus. » Dominus ergo, o Maria ; sed quis, vel quantus? Dominus terræ et omnium generaliter, Dominus hominum specialiter, Dominus tuus singulariter, o Maria. Dominus, inquam, creaturæ generaliter universalis, Dominus specialiter naturæ rationalis, Dominus singulariter aulæ tuæ virginalis, o Maria. Considerandum est ergo, charissimi, quod Dominus iste, de quo dicitur : *Dominus tecum,* ipse es generaliter Dominus creaturæ universalis. Unde Judith [2] : *Dominus cœlorum, Creator aquarum, et Dominus totius creaturæ.* Et Sapiens [3] : *Omnium Dominus dilexit illam.* Omnium certe universaliter, omnium, inquam, visibilium et invisibilium. Iste universalis omnium Dominus sic cum Maria fuit, quod etiam ipsam universalem omnium dominam fecit : dominam, inquam, cœli, et dominam mundi. Propter quod Anselmus ait : « Regina cœli, et domina mundi, mater ejus qui mundat mundum, tibi confiteor, quod corpus meum nimis est immundum. » Sed ecce iste universalis omnium Dominus, ipse est Dominus potentissimus, Dominus sapientissimus, Dominus opulentissimus, Dominus indeficientissimus. Dominus enim sine potentia, dominus sine sapientia, dominus sine opulentia, dominus sine permanentia minus perfectus dominus esset. Unde dominus impotens, dominus insipiens, dominus indigens, dominus deficiens, sive non permanens, minus reputaretur. Dominus ergo universalis, ipse Dominus est potentissimus voluntate, Dominus sapientissimus veritate, Dominus opulentissimus proprietate, Dominus indeficientissimus æternitate.

Verbi illius, Dominus tecum, declaratio.

Primo attendite, charissimi, quod Dominus universalis qui cum Maria est, cum Dominus potentissimus voluntate sit, bene de illo Propheta ait [4] : *Omnia quæcumque voluit, Dominus fecit,* etc., usque *in omnibus* (*a*) *abyssis.* Ergo nec in cœlis, nec in terris, nec in omnibus inferni abyssis, voluntati tam potentissimi Domini resistere quisquam potest, teste Mardocheo, qui de isto Domino ait [5] : *Domine Rex Omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita, et non est, qui tuæ resistere possit voluntati.* Ecce, Maria, quantus Dominus est, quam potentissimus Dominus est, qui tecum est. Et quia Dominus potentissimus, potentissime tecum est : ideo et tu es potentissima secum, potentissima es per ipsum, potentissima apud ipsum, ita ut vere dicere possis illud *Ecclesiastici* [6] : *In Hierusalem potestas mea.* Hierusalem signat Ecclesiam triumphantem in cœlis; signat etiam Ecclesiam militantem in terris. Nam vere tam in cœlis, quam in terris potestatem habet Mater potentissima Creatoris. Quam potentissimam cognoscit Anselmus, cum orans ait : « Exaudi, pia; adesto, propitia; adjuva, potentissima, ut mundentur sordes mentis meæ, et illuminentur tenebræ meæ. » Dominus ergo tecum, o Maria potentissima.

Secundo attendite, charissimi, quod universalis Dominus, qui est cum Maria, ipse est Dominus sapientissimus veritate. Ipse enim est Dominus, de quo in Psalmo dicitur [7] : *Magnus Dominus noster, et magna virtus ejus, et sapientiæ ejus non est numerus.* O quam sapientissimus Dominus, cujus sapientiam nihil fallere, nihil latere potest, quia omnia manifesta et occulta novit. Omnia utique opera nostra bona et mala, omnia verba nostra bona et mala, omnes cogitationes et omnia desideria nostra bona et mala, omnia scit Dominus. Unde Petrus ait [8] : *Domine, tu omnia scis* . Ecce, Maria, qualis Dominus est, quam sapientissimus Dominus, qui tecum est.

[1] *De Temp.*, serm. XVIII, al. CXCV, n. 2, *Oper.* Aug., Append. tom. V. — [2] *Judith*, IX, 17. — *Sap.*, VIII, 3. — [4] *Psal.* CXXXIV, 6. — [5] *Esth.*, XIII, 9. — [6] *Eccli.*, XXIV, 15. — [7] *Psal.* CXLVII, 5. — [8] *Joan.*, XXI, 17.

(*a*) Cæt. edit. deest *omnibus.* — (*b*) Vulg. *nosti.*

Et quia Dominus sapientissimus sapientissime est tecum; ideo tu es sapientissima secum, sapientissima es per ipsum. Tu enim signata es per illam Abigail, de qua dicitur [1] : *Eratque illa mulier prudentissima et speciosa.* Maria tam prudentissima, tam speciosa fuit, ut Anselmus de ipsa audacter dicat : « Omnes thesauri sapientiæ et scientiæ in Maria. » Dominus ergo tecum, o Maria sapientissima.

Tertio attendite, charissimi, quod Dominus universalis, qui cum Maria est, ipse est Dominus opulentissimus proprietate, sicut bene de isto Domino Propheta testatur, dicens [2] : *Domini est terra,* etc., usque *in eo.* Domini certe est non solum terra et plenitudo ejus, imo etiam cœlum et plenitudo ejus. *Tui* enim [3], Domine, *sunt cœli, et tua est terra,* quia [4] *cœlum cœli Domino.* Domini hujus omnia sunt propria, cœlum et terra, corporalia et spiritualia, omnis natura, omnis gratia, omnis cœlestis gloria, omnia sunt Domini propria. Dominus ergo ditissimus est, sicut etiam Apostolus ait [5] : *Ideo Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum.* Ecce, Maria, quantus Dominus est, quam opulentissimus Dominus est, qui tecum est. Et quia Dominus opulentissimus opulentissime est tecum, ideo tu es opulentissima sive ditissima secum, ita ut vere tibi dici possit illud *Proverbiorum* [6] : *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.* Filia Agnes, filia Lucia, filia Cæcilia, filia Agatha, filia Catharina, et multæ aliæ filiæ, et multæ aliæ virgines sanctæ, multæ animæ justæ congregaverunt divitias virtutum et gratiarum, divitias meritorum et præmiorum; sed, Maria, universis divitiis supergressa es excellentissime universas. O quam dives est Maria in gloria, quæ tam dives fuit in miseria! O quam dives est in cœlo, quæ tam dives fuit in mundo! O quam dives est in anima sua, quæ tam dives fuit in carne sua, ut etiam beatus Bernardus exclamans dicat : « O dives in omnes et super omnes Maria, de cujus substantia modica pars assumpta, totius mundi suffecit solvere delicta! » Dominus ergo tecum, o Maria opulentissima.

Quarto attendite, charissimi, quod Dominus universalis, qui est cum Maria, ipse est Dominus indeficientissimus æternitate; unde habetis in *Exodo* [7] : *Dominus regnabit in æternum, et ultra.* Et in Psalmo de isto Domino dicitur [8] : *Tu autem, Domine, in æternum permanes.* Ecce, Maria, quantus Dominus est, quam indeficientissimus Dominus est qui tecum est; et quia Dominus indeficientissimus indeficientissime est tecum, et ideo tu es indeficientissime in æternum secum. Tu enim es thronus ille indeficiens, thronus in æternum, thronus Filii Dei, de quo Pater per Prophetam ait [9] : *Thronus ejus sicut Sol in conspectu meo, et sicut Luna perfecta in æternum,* et vere in æternum. Unde non solum vere dicimus : *Tu autem, Domine, in æternum permanes;* sed etiam vere dicere possumus : « Tu autem, Domina, in æternum permanes. » Quid mirum, si Maria ipsa in Filio suo permaneat in æternum, cum etiam beneficia Mariæ in servis suis permaneant in æternum? Ait enim beatus Bernardus [10] : « In te, o Maria, angeli lætitiam, justi gratiam, peccatores veniam inveniunt in æternum. » Dominus ergo tecum, o Maria indeficientissima. Gaude nunc, Maria, gaude. Ecce Dominus potentissimus sic est tecum, quod tu es potentissima secum. Dominus sapientissimus sic est tecum, quod tu es sapientissima secum. Dominus opulentissimus sic est tecum, quod tu es opulentissima secum. Dominus indeficientissimus sic est tecum, quod tu es indeficientissima secum. Eia ergo, potentissima Domina, esto nobis impotentissimis auxiliatrix. Eia, sapientissima Domina, esto nobis insipientibus auxiliatrix et consiliatrix. Eia, opulentissima Domina, esto nobis indigentibus locupletatrix. Eia, indeficientissima Domina, esto nobis deficientibus perpetuatrix in omni bono.

LECTIO IX.

Quod Dominus, de quo dicitur Beatæ Mariæ : Dominus tecum, *specialiter est Dominus creaturæ rationalis, piissimus, justissimus, certissimus, ac nominatissimus, et talis etiam cum ipso beata Maria.*

Consequenter consideremus, charissimi, quod Dominus iste de quo dicitur : *Dominus tecum,* ipse est Dominus specialiter creaturæ rationalis, sicut ipsa rationalis creatura in Psalmo ait [11] : *Domine Dominus noster,* etc. Dominus omnium universaliter; Dominus noster specialiter. Sic utique Dominus noster, sicut dicitur in *Isaia* [12] :

[1] I *Reg.*, XXV, 1. — [2] *Psal.* XXIII, 1. — [3] *Psal.* LXXXVIII, 12. — [4] *Psal.* CXIII, 16. — [5] *Rom.*, X, 12. — [6] *Prov.*, XXXI, 29. — [7] *Exod.*, XV, 18. — [8] *Psal.* CI, 13. — [9] *Psal.* LXXXVIII, 38. — [10] Bern., *in diem Pent.*, serm. II, n. 4. — [11] *Psal.* VIII, 1. — [12] *Isa.*, XXXIII, 22.

Dominus judex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster. Dominus legifer noster in mundo; Dominus judex noster in judicio; Dominus rex noster, nos coronans in cœlo. Iste specialis noster Dominus sic cum Maria fuit, quod etiam ipsam specialem nostram dominam fecit. Quod bene beatus Bernardus recognoscens, ait : « Domina nostra, mediatrix nostra, advocata nostra, tuo filio nos reconcilia, tuo filio nos commenda, tuo filio nos repræsenta. » Sed ecce iste noster specialis Dominus, ipse est piissimus, Dominus justissimus, Dominus certissimus, Dominus nominatissimus. Dominus enim qui non esset pius in beneficiis, justus in judiciis; Dominus qui non esset certus in promissis, Dominus qui non esset nominatus in populis, minus reputaretur. Dominus ergo noster est Dominus piissimus liberalitate; Dominus justissimus æquitate; Dominus certissimus fidelitate; Dominus nominatissimus famositate.

Primo ergo attendite, charissimi, quod Dominus noster specialis, qui cum Maria est, ipse est Dominus piissimus liberalitate misericordiæ suæ infinitæ. Ipse enim est Dominus, de quo Propheta ait [1] : *Tu, Domine, suavis et mitis, et multæ misericordiæ omnibus invocantibus te.* Multæ misericordiæ Dominus, in multis beneficiis temporalibus, spiritualibus, æternalibus, quæ ex multa misericordia sua contulit nobis, et conferre non cessat. Utinam tantis Domini misericordiis non simus ingrati ! Utinam Domino tam misericordissimo simus valde grati cum Isaia, qui de Domino ait [2] : *Miserationum Domini recordabor : laudabo Dominum super omnibus, in quibus reddidit nobis Dominus.* Ecce, Maria, qualis Dominus est, quam piissimus, quam misericordissimus Dominus est, qui tecum est. Et quia Dominus misericordissimus misericordissime est tecum, ideo et tu es misericordissima secum, ut vere de te dici possit illud Isaiæ [3] : *Præparabitur in misericordia solium ejus, et sedebit super illud in veritate.* Solium divinæ misericordiæ est Maria, mater misericordiæ, in quo omnes inveniunt solatia misericordiæ. Nam sicut misericordissimum Dominum, ita misericordissimam Dominam habemus. Dominus noster multæ misericordiæ est omnibus invocantibus se; et Domina nostra multæ misericordiæ est omnibus invocantibus se. Propter quod optime Bernardus dicit [4] : « Sileat misericordiam tuam, Virgo beata, qui invocatam eam in necessitatibus suis, sibi meminerit defuisse. » Dominus ergo tecum, o Maria misericordissima.

Secundo attendite, charissimi, quod Dominus noster specialis, qui est cum Maria, ipse est Dominus justissimus æquitate, sicut bene de Domino isto in Psalmo dicitur [5] : *Justus Dominus, et justitias dilexit.* Et iterum [6] : *Justus es, Domine, et rectum judicium tuum.* Justus certe est Dominus in omnibus judiciis suis, in omnibus causis, in omnibus factis suis, sicut iterum in Psalmo dicitur [7] : *Justus Dominus in omnibus viis suis.* Dominus ita justus est in omni via justitiæ, quod propter nullam personam declinat a via justitiæ. Et ideo bene de isto Domino dicitur [8] : *Non subtrahet personam cujusquam Dominus, qui est omnium dominator, nec verebitur magnitudinem cujusquam, quoniam pusillum et magnum ipse fecit, et æqualiter est illi cura de omnibus.* Ecce, Maria, qualis Dominus est, quam justissimus Dominus est, qui tecum est. Et quia Dominus justissimus est tecum, ideo et tu es justissima secum. Tu enim es virga Aaron, recta, florida et fructifera : recta, imo rectissima per justitiam et æquitatem; florida, per virginitatem; fructifera, per fœcunditatem. Quæ enim esset virga recta, si non virga Aaron esset recta ? Quæ anima esset justa, si non Maria esset justa ? Hoc est quod beatus Bernardus dicit [9] : « Quis justus, si non Maria justa, de qua ortus est Sol justitiæ ? » Dominus ergo tecum, o Maria justissima.

Tertio attendite, charissimi, quod Dominus specialis noster, qui est cum Maria, ipse est Dominus certissimus fidelitate, et fidelissimus certitudine, sicut Propheta testatur, qui ait [10] : *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis.* Recogitate ergo verba ista, quibus promisit coronam justis, et gehennam injustis; et scitote quod Dominus fidelis fideliter verba sua tenebit, fideliter quod locutus est implebit, sicut de isto Domino dicitur in *Ezechiele* [11] : *Ego Dominus locutus sum, et faciam.* Verba utique sua Dominus fidelissimus fidelissime tenebit, sicut ipse in Evangelio suo dicit [12] : *Cœlum et terra transibunt*, etc. Ecce, Maria, qualis Dominus est, quam fidelissimus Dominus est, qui tecum est. Et quia Dominus fidelissimus fidelissime est tecum, ideo

[1] *Psal.* LXXXV, 5. — [2] *Isa.*, LXIII, 7. — [3] *Isa.*, XVI, 5. — [4] Bern., *de Assumpt. B. Mar.*, serm. IV, n. 8. — [5] *Psal.* X, 8. — [6] *Psal.* CXVIII, 137. — [7] *Psal.* CXLIV, 17. — [8] *Sap.*, VI, 8. — [9] Bernard., *in Nativ. B. Mar., de aquæd.*, serm., n. 5. — [10] *Psal.* CXLIV, 13. — [11] *Ezech.*, XXX, 12. — [12] *Matth.*, XXIV, 35.

et tu es fidelissima secum. Tu enim es illa fidelissima columba Noe, quæ inter summum Deum, et mundum diluvio spirituali submersum, mediatrix fidelissima extitit. Corvus infidelis, columba fidelis fuit. Sic et Eva infidelis; Maria vero fidelis inventa est. Eva infidelissima mediatrix perditionis; Maria vero fidelissima mediatrix salutis fuit. Ideo beatus Bernardus ait [1] : « Fidelis mediatrix Maria, quæ salutis antidotum viris et mulieribus propinavit. » Dominus ergo tecum, o Maria fidelissima.

Quarto, attendite, charissimi, quod noster Dominus specialis, qui cum Maria est, ipse est Dominus nominatissimus famositate. Magni enim nominis est, teste Hieremia, qui de Domino isto ait [2] : *Non est similis tui, Domine, et magnus tu, et magnum nomen tuum.* Magnum utique fama et laude nomen Domini est in omni populo, sicut Propheta ostendit dicens [3] : *Reges terræ, et omnes populi; principes, et omnes judices terræ. Juvenes et virgines, senes cum junioribus laudent nomen Domini.* Nominis autem Domini laus et fama non solum omnem populum, sed etiam ad omne tempus se extendit, sicut per eumdem prophetam patet, qui ait [4] : *Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc et usque in sæculum.* Item nominis Domini laus et fama non solum ad omnem populum, non solum ad omne tempus; sed etiam ad omnem locum se extendit, sicut jam dictus propheta declarans ait [5] : *A solis ortu usque ad occasum laudabile nomen Domini.* Ecce, Maria, quantus Dominus, quam nominatus Dominus est, qui tecum est; et quia Dominus nominatissimus, sive famosissimus, famosissime est tecum, ideo et tu famosissima et nominatissima secum. Tu enim bene signata es per illam Ruth, de qua legitur sic [6] : *Sit exemplum virtutis in Ephrata, et habeat celebre nomen in Bethleem,* id est in Ecclesia. O celeberrimi nominis Maria, quomodo posset nomen tuum non esse celebre, quæ etiam devote nominari non potes sine nominantis utilitate? Testatur tuus Bernardus dicens [7] : « O magna, o pia, o multum laudabilis Maria, tu nec nominari potes, quin accendas; nec cogitari quidem, quin recrees affectus diligentium te; tu nunquam sine dulcedine divinitus tibi insita, piæ memoriæ portas ingrederis. » Maria ergo, fratres, optime signata est per illam famosissimi nominis fœminam Judith, de qua scriptum est [8] : *Hæc erat in omnibus famosissima, quoniam timebat Dominum valde, nec erat qui de illa loqueretur verbum malum.* Famosa quidem est Maria propter virtutes et exempla sua tam laudabilia; famosior autem propter misericordias et beneficia sua tam inenarrabilia; famosissima vero propter gratias et privilegia sua tam mirabilia. Quid enim mirabilius, quam esse matrem et virginem, et esse Dei matrem? Quid autem mirum, si Maria de tantis millibus misericordiæ suæ beneficiis famosa est in mundo, quæ tam famosa est de unico beneficio suo circa Theophilum exhibito? Ait beatus Bernardus [9] : « Famosum summæ tuæ benignitatis testimonium est per te restauratus Theophilus, o Maria. » Dominus ergo tecum, famosissima o Maria. Gaude nunc, o Maria; gaude. Ecce Dominus piissimus sic est tecum, quod tu es piissima secum. Dominus justissimus sic est tecum, quod tu es justissima secum. Dominus famosissimus sic est tecum, quod tu es famosissima secum. Eia ergo, piissima Maria, nos impios salva per tuam misericordiosissimam pietatem. Eia, justissima Maria, nos injustos salva per tuam justissimam æquitatem. Eia, fidelissima Maria, nos perfidos salva per tuam certissimam fidelitatem. Eia, famosissima Maria, nos infames salva per tuam suavissimam famositatem.

LECTIO X.

Quod Dominus, de quo dicitur B. Mariæ : Dominus tecum, *tam singulariter est cum Maria, ut ipsa ejus sit filia nobilissima, mater dignissima, sponsa venustissima, et ancilla devòtissima.*

Post prædicta, charissimi, considerandum quod Dominus iste, de quo dicitur : *Dominus tecum,* non solum est Dominus generaliter creaturæ universaliter, non solum est Dominus specialiter creaturæ rationalis; imo ipse etiam est Dominus singulariter aulæ virginalis suæ sanctissimæ genitricis. Maria singulariter, tam corpore quam anima, est aula Domini, domus Dei sanctissima, de qua in Psalmo dicitur [10] : *Domum tuam decet sanctitudo, Domine.* O vere singulariter beatam domum, quæ sola tam singulariter talem meruit habere Dominum. Ecce enim beatus Bernardus ait [11] : « Tu sola digna inventa

[1] Bern., *in Dom. inf. octav. Assumpt.*, serm., n. 2. — [2] *Jerem.*, x, 6. — [3] *Psal.* CXLVIII, 11-12. — [4] *Psal.* CXII, 2. — [5] Ibid., 3. — [6] *Ruth*, IV, 11. — [7] Vel Ecbert., *Serm. paneg.*, seu *Deprec. et laud. ad Virg. Mar.*, n. 6. — [8] *Judith*, VIII, 8. — [9] Vel Ecbert., ubi sup., n. 2. — [10] *Psal.* XCII, 8. — [11] Vel Ecbert., ubi supra proxime.

es, ut in tua virginali aula Rex regum et Dominus dominantium, a regalibus sedibus veniens, primam sibi inter filios hominum mansionem eligeret. » Iste singularis Mariæ Dominus sic singulariter cum Maria fuit, quod etiam ipsam tam singulariter dominam fecit, quod nec primam similem visa est, nec habere sequentem : dum ipsa singulariter Domini filia, Domini mater, Domini sponsa, et Domini ancilla facta est : Maria enim filia Domini singulariter, generosa mater Domini singulariter, gloriosa sponsa Domini singulariter, pretiosa ancilla Domini singulariter obsequiosa fuit. Si autem illa tribus personis divinis volumus appropriare, possumus dicere quod Dominus iste qui tam singulariter est cum Maria, ipse est Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus sanctus, Dominus trinus et unus. Ipse est Dominus Pater, cujus Maria filia nobilissima. Ipse est Dominus Filius, cujus Maria mater dignissima. Ipse est Dominus Spiritus sanctus, cujus Maria sponsa justissima. Ipse est Dominus trinus et unus, cujus Maria est ancilla subjectissima. Maria certe est filia summæ æternitatis, mater summæ veritatis, sponsa summæ bonitatis, ancilla summæ Trinitatis.

Dominus est cum Maria ejus filia nobilissima

Primo ergo attendite, charissimi, quod Dominus iste, qui tam singulariter est cum Maria, ipse est Dominus cujus filia nobilissima est Maria. De isto enim Domino, et de illa filia accipi potest, quod Booz dixit [1] : *Benedicta es a Domino, filia, quia priorem misericordiam posteriore superasti.* Unde benedicta a Domino filia est Maria; a summo, inquam, Domino, cujus ipsa est filia. O vere nobilissimi Regis nobilissima filia, quæ tam multiplici interius ornata es gloria, ut vere de ea dicere possit [2] : *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus,* etc. Ideo tanquam verissima Regis filia ad regnum copiosissime est tracta, teste beato Bernardo qui ait : « Tu filia delicata, et omni gratia plena, charissima in deliciis tuis, tracta es ad gloriam decoris tui, et in signum dilectionis. » Ista benedicta filia priorem misericordiam posteriore superavit : magna enim erga miseros fuit misericordia Mariæ adhuc exulantis in mundo; sed multo major erga miseros est misericordia ejus jam regnantis in cœlo. Majorem per beneficia innumerabilia nunc ostendit hominibus misericordiam, quæ (*a*) magis nunc videt innumerabilem hominum miseriam. Unde pro splendore prioris misericordiæ fuit Maria pulchra ut Luna; pro splendore vero posterioris misericordiæ, est electa ut Sol. Nam quemadmodum Sol Lunam superat magnitudine splendoris; sic priorem Mariæ misericordiam superat magnitudo posterioris. Quis est super quem Sol et Luna non luceat? quis est super quem misericordia Mariæ non resplendeat? Audi quid de hoc beatus Bernardus sentiat; ait enim sic [3] : « Quemadmodum Sol oritur super bonos et malos indifferenter; sic Maria petita non discurrit merita, sed omnibus sese exorabilem, omnibus clementissimam præbet, omnium denique necessitatibus amplissimo miseretur affectu. » Dominus ergo tecum, o Maria, sicut pater cum filia nobilissima.

Domini, qui est singulariter cum Maria, ipsa est mater dignissima.

Secundo attendite, charissimi, quod Dominus iste, qui tam singulariter est cum Maria, ipse est Dominus, cujus mater dignissima est Maria. De isto Domino et de ista matre dixit Elisabeth [4] : *Unde mihi hoc, ut veniat mater Domini ad me?* Mater Domini, mater et virgo, mater est dignissima. Ipsa est mater, quæ tali filio est decentissima. Ipsa mater est, cui talis filius decentissimus fuit. Ipsa est, qua majorem Deus facere non posset. Majorem mundum posset facere Deus, majus cœlum posset facere Deus; majorem matrem, quam matrem Dei, non posset facere Deus. Unde Bernardus ait [5] : « Nec enim decebat Deum alia mater, quam virgo; nec Virginem alius filius, quam Deus : » quia nec major inter matres, nec major inter filios nasci potuit. Hæc itaque mater est flos misericordiæ, mater Solis justitiæ, mater fontis sapientiæ, mater Regis gloriæ. Mater, inquam, est ejus, cujus misericordia ad dilectionem, cujus justitia ad timorem, cujus sapientia ad agnitionem, cujus gloria ad spem nos inducit. Maria ergo mater ejus, qui (*b*) effective est nostra dilectio per misericordiam, noster timor per justitiam, nostra agnitio per sapientiam, nostra spes per gloriam, ut vere ipsa dicere possit illud *Ecclesiastici* [6] : *Ego mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei.* Sed numquid solius Christi mater est Maria? Imo certe, quod jucundissimum est, Maria non solum est mater Christi singularis, sed etiam mater omnium fidelium universalis. Unde beatus Ambrosius ait : « Si Christus est credentium frater, cur non ipsa,

Maria omnium fidelium mater est

[1] *Ruth*, III, 10. — [2] *Psal.* XLIV, 14. — [3] Bern., *in Dom. inf. oct. Assumpt.*, serm. n. 3, seu *de B. Mar., ex verb. Apoc.* c. XII. — [4] *Luc.*, I, 43. — [5] Bern., super *Missus est*, hom. II, n. 1, quoad sensum. — [6] *Eccli.*, XXIV, 24.

(*a*) *Cæt. edit.* qui. — (*b*) *Item* quæ.

quæ genuit Christum, credentium sit mater? » Eia, charissimi, omnes nunc gaudeamus, nunc omnes gaudendo dicamus : Benedictus frater, per quem Maria est nostra mater ; et benedicta mater, per quam Christus est noster frater. Hinc bene Anselmus ait : « Domina mater, per quam talem fratrem habemus, quid gratiarum, quid laudis tibi retribuemus? Deus ergo tecum, o Maria, sicut Filius cum matre dignissima.

Tertio attendite, charissimi, quod Dominus iste, qui tam singulariter est cum Maria, ipse est Dominus, cujus sponsa venustissima est Maria. Unde tam de isto Domino, quam de ista sponsa exponi potest illud *Oseæ* [1] : *Sponsabo te mihi in justitia, et judicio, et in misericordia, et in miserationibus, et sponsabo te mihi in fide : et scies quia ego Dominus.* Ecce pulchra sponsa, pulchra in justitia et judicio respectu sui, pulchra in miserationibus et misericordia respectu proximi, pulchra in fide respectu Dei. Pulchra utique in justitia vitæ, et in judicio conscientiæ, pulchra in misericordia in affectu, et in miserationibus in effectu ; pulchra in fide, qua credidit omnia credenda supra se, et qua credidit omnia perficienda in se, juxta illud [2] : *Beata quæ credidisti, quoniam perficientur in te ea, quæ dicta sunt tibi a Domino.* Sed ecce sponsa Spiritus sancti Maria, sicut formosissima fuit et est in conversatione, ita etiam dulcissima est in allocutione, sicut dicitur in *Canticis* [3] : *Favus distillans*, etc. usque *tua.* O quam melliflua verba sæpius distillaverunt dulcissima Mariæ labia! Quæ etiam bene lac et mel sub lingua habuit in duobus verbis, quæ ipsa Gabrieli respondit. Nonne Maria lac sub lingua habuit, quando lacteum illud continentiæ verbum respondit [4] : *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Nonne etiam mel sub lingua habuit, quando mellifluum illud dulcedinis verbum respondit [5] : *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum?* De mellifluentia namque hujus melliflui verbi, per totum mundum melliflui facti sunt cœli. Maria insuper mel sub lingua habuit in mellifluis orationibus ad Deum ; lac vero sub lingua habuit in lacteis collationibus ad proximum. Eia ergo, quanti decoris et quanti dulcoris est illa sponsa summi consolatoris! Quia, inquit Augustinus [6] : « Quæ est hæc virgo tam sancta, ut ad eam venire dignaretur Spiritus sanctus? tam speciosa, ut eam sponsam eligeret Deus? » Dominus ergo tecum, o Maria, sicut sponsus cum sponsa delicatissima.

Quarto attendite, charissimi, quod Dominus iste, qui tam singulariter est cum Maria, ipse est Dominus, cujus ancilla devotissima est Maria, sicut ipsamet testatur dicens [7] : *Ecce ancilla Domini.* Maria ancilla est Domini Patris, Domini Filii, et Domini Spiritus sancti. Quid mirum, si Maria sit hujus Domini ancilla, cum etiam filius Mariæ sit hujus Domini servus, secundum assumptam a matre naturam? Ipse enim in Psalmo confitetur, dicens [8] : *O Domine, quia ego servus tuus* (*a*), *ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ.* O quam bona ancilla, et bonus ancillæ filius! Heu quot sunt malæ ancillæ, et mali ancillarum filii! *Sed* [9] *quid dicit Scriptura? Ejice ancillam et filium ejus.* Legitur in *Genesi* de ancilla Saræ, quod [10] *concepisse se videns, despexit dominam suam.* Mala ergo ancilla Agar de fœcunditate inflatur ; bona vero ancilla Maria de humilitate fœcundatur. Ancilla illa superba dominam despexit ; ancillam istam humilem Dominus respexit, sicut ipsa humiliter recognoscens dicit [11] : *Respexit humilitatem ancillæ suæ.* O anima christiana, Domini ancilla, sic cum Maria amplectere fœcunditatem, ut nequaquam deseras humilitatem. Ut ergo de boni operis fœcunditate non infleris, sed magis de humilitate fœcunderis, attende humilem ancillam, respice humilem Mariam. *Ecce*, ait, *ancilla Domini* ; unde Ambrosius [12] : « Vide, inquit, humilitatem, vide devotionem. Ancillam se dicit Domini, quæ mater eligitur Domini, nec repentino exaltata promisso est. » O vere admiranda humilitas! Ecce non solum Domini ancilla, sed etiam servorum Domini ancilla, quodam modo dignatur esse Maria. Ipsa namque signata est per illam Abigail, pro qua adducenda cum David nuntios misisset, respondit [13] : *Ecce famula tua sit in ancillam, ut lavet pedes servorum Domini mei.* Per benedictam ancillam Mariam quasi tot servi Domini loti sunt, quot fideles ejus suffragiis a peccatis mundati sunt. Ipsa enim quasi tot servorum Domini pedibus aquam obtulit, quot pœnitentibus lacrymas compunctionis obtinuit. Dominus ergo tecum, o Maria, tanquam cum

Domini, qui est singulariter cum Maria, ipsa est ancilla devotissima.

[1] *Osc.*, II, 19-20. — [2] *Luc.*, I, 45. — [3] *Cant.*, IV, 11. — [4] *Luc.*, I, 34. — [5] Ibid., 38. — [6] Aug., *de Sanct.*, serm. XXXV, et *de Temp.*, serm. X, al. Append., serm. CXXI, n. 5, et CCVIII, n. 4. — [7] *Luc.*, I, 38. — [8] *Psal.* CXV, 16. — [9] *Gal.*, IV, 30. — [10] *Gen.*, XVI, 4. — [11] *Luc.*, I, 48. — [12] Ambros., *in Luc.*, lib. II, n. 16. — [13] I *Reg.*, XXV, 41.

(*a*) *Cæt. edit. deest* tuus.

ancilla devotissima ; Dominus Pater tecum, Dominus Filius tecum, et Dominus Spiritus sanctus tecum. Unde Bernardus[1] : « Pater, inquit, tecum, qui suum Filium facit et tuum. Filius tecum, qui ad condendum in te mirabile sacramentum, miro modo et sibi reserat genitale secretum, et tibi servat virginale signaculum. Spiritus sanctus tecum, qui cum Patre et Filio tuum sanctificat uterum. Dominus ergo tecum. » Dominus certe, cujus filia es, qua nulla nobilior ; Dominus, cujus mater es, qua nulla mirabilior ; Dominus, cujus sponsa es, qua nulla amabilior ; Dominus, cujus ancilla es, qua nulla humilior unquam fuit, nec est, nec erit in æternum. Eia ergo, Domina, quia Dominus tantus ac talis tantum ac taliter est tecum, fac ut etiam ipse per gratiam sit nobiscum.

LECTIO XI.

Quod Maria propter se et propter nos convenientissime auroræ comparatur.

Dominus tecum. His dulcissimis verbis ille devotus beatæ Mariæ Anselmus devote alludens, ait sic[2] : « Maria, obsecro te per gratiam, qua sic Dominus esse tecum, et te voluit esse secum, fac propter ipsum secundum eamdem ipsam gratiam misericordiam tuam mecum : fac ut amor tui semper sit mecum, et cura mei semper sit tecum : fac ut clamor (*a*) necessitatis meæ, quamdiu ipsa persistit, sit tecum, et respectus pietatis tuæ, quamdiu ego subsisto, sit mecum : fac ut congratulatio beatitudinis tuæ semper sit mecum, et compassio miseriæ meæ semper, quantum mihi expedit, sit tecum. » Dominus ergo tecum, o Maria. Tecum certe, tecum. Tecum fuit, tecum est, tecum erit. Tecum utique, sicut sol cum aurora ipsum præveniente ; tecum, sicut flos cum virga ipsum producente ; tecum, sicut rex cum regina ad ipsum ingrediente. Sol namque omnibus luminibus luminosior, flos omnibus floribus pretiosior, rex omnibus regibus gloriosior est Dominus Jesus Christus. Aurora vero hunc solem clarissima irradiatione præveniens, virga hunc florem mirabilissima emissione producens, regina ad hunc regem solemnissima processione ingrediens, est beatissima Virgo Maria. De his singulis per ordinem videamus.

Dominus tecum. Tecum certe, sicut Sol cum aurora de Sole procedente, et ortum Solis præveniente, et lumine Solis diem initiante. Revera enim aurora mundi Maria a Sole æterno singulariter præparata progrediens, ejusdemque Solis ortum mirabiliter irradiata præveniens, diem gratiæ tanti (*b*) Solis mundo feliciter initiavit, testante beato Bernardo, qui ait[3] : « Sicut aurora valde rutilans in mundo progressa es, o Maria, quando veri Solis splendorem tantæ sanctitatis jubare præcucurristi, ut vere diem salutis, diem propitiationis, diem quam fecit Dominus, a tua (*c*) claritate initiari dignum fuerit. » Maria ergo aurora, de qua dicitur[4] : *Quæ est ista, quæ progreditur*, etc. *usque consurgens.* Bene auroræ comparata Maria, tam propter se, quam propter nos : propter se specialiter, propter nos generaliter. Maria propter se bene comparatur auroræ secundum Scripturam : primo, propter abscessum noctis culpæ ; secundo propter processum lucis gratiæ ; tertio, propter ortum Solis justitiæ ; quarto propter locum sedis gloriæ. Primum in plenissima ejus sanctificatione ; secundum in clarissima ejus conversatione ; tertium in mirabilissima filii ejus generatione ; quartum in gloriosissima ejus assumptione attendamus.

B. Maria auroræ comparatur.

Primo attendite, charissimi, quod quædam felix aurora est Maria, propter felicem abscessum noctis culpæ in sua sanctificatione. Unde Job, maledicens nocti, *in qua dictum est, Conceptus est homo*, ait[5] : *Obtenebrentur stellæ ejus caligine. Expectet lucem, et non videat, nec ortum surgentis auroræ.* Quid hic per stellas, quid per lucem, quid per auroram signatur? Dico, quod per stellas, animæ sanctorum ; per lucem, Sanctus sanctorum ; per auroram, Regina sanctorum designatur. Stellæ utique omnes Sancti sunt, qui ordinem morum et disciplinæ, cursum quoque fervoris et bonæ vitæ non relinquunt, et sic contra diabolum vi pugnaturi sunt. Unde de his stellis bene legitur in libro *Judicum*[6] : *Stellæ manentes in ordine et cursu suo, adversus Sisaram pugnaverunt.* Sisara interpretatur *tollens recedentem*, et signat diabolum, qui quemlibet recedentem a Deo tollit. Per lucem quoque Sanctus sanctorum Jesus Christus signatur, sicut ipse ostendit, dicens[7] : *Ego sum lux mundi ; qui sequitur me, non ambulat in tenebris.* Sequamur fratres, sequamur

B. Maria aurora ob abscessum noctis culpæ.

[1] Bernard., sup. *Missus est*, hom. III, n. 4. — [2] Anselm., *Orat.* LI, ol. L, col. 956, edit. Migne. — [3] Vel Ecbert., Serm. paneg., seu *Deprec. et laud. ad B. V. Mar.*, n. 4. — [4] *Cant.*, VI, 9. — [5] *Job*, III, 3, 9. — [6] *Judic.*, V, 20. — [7] *Joan.*, VIII, 12.

(*a*) *Cæt. edit.* timor. — (*b*) *Item* tantæ. — (*c*) *Item* tanta.

hanc lucem, ne in tenebris ambulantes, cadamus in lutum peccati, et in foveam inferni. Sequamur autem non claudicando, secundum quod dicitur [1] : *Usquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum; si autem Baal, sequimini illum.* Per auroram autem, cujus ortum nox non vidit, beata Virgo significatur, cujus nativitatem nox originalis culpæ non initiavit. Nox enim cui Job maledicit, nox in qua conceptus est homo, peccatum originale est, in quo omnes concipimur. Unde Psalmista [2] : *In peccatis concepit me mater mea.* Quia ergo vere omnes Sancti in peccato concipiuntur, et in peccato nascuntur, ideo bene hic dicitur, quod stellæ per hanc noctem obtenebrantur. Sed quia Christus nec conceptus, nec natus in peccato fuit, ideo bene hic dicitur, quod nox ista lucem non vidit. Quia vero beata Virgo in peccato concepta fuit, sed sine peccato nata; in peccato orta non fuit: ideo non auroram, sed ortum auroræ dicitur nox ista non vidisse. Hoc est contra illos, qui ipsam non solum sine peccato natam, sed etiam sine peccato conceptam dicunt. Contra quos beatus Bernardus arguens ait [3] : « Si ante conceptum suum Maria sanctificari non potuit, quoniam non erat, sed nec in ipso conceptu propter peccatum, quod inerat; restat ut post conceptum in utero jam existens, sanctificationem accepisse credatur, quæ excluso peccato, sanctam fecerit nativitatem, non conceptionem. [4] »

Secundo attendite, charissimi, quod quædam felix aurora est Maria propter felicem ejus progressionem in luce gratiæ, juxta illud [5] : *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora*, etc. Sicut enim lux auroræ progreditur crescendo in claritate, sic Maria progrediebatur proficiendo in claritate gratiæ et bonæ vitæ. Progrediebatur utique proficiendo in omnibus virtutibus universaliter, ut in omni virtutum claritate esset quasi aurora consurgens apud se, pulchra ut Luna apud proximos, electa ut Sol apud Deum. Progrediebatur quoque proficiendo in quibusdam virtutibus specialiter, de quibus beatus Bernardus ait sic [6] : « Fervebat in quærendo gratiam Mariæ charitas, splendebat in carne virginitas, in obsequio humilitas eminebat. » Harum itaque virtutum claritate, Maria fuit quasi aurora consurgens in rutilanti virginitate, pulchra ut Luna in micanti humilitate, electa ut Sol in radiante charitate. Felix qui hos tres fulgores, has tres virtutes Mariæ secutus fuerit, per quas ipsa Deum et magistrum omnium virtutum concepit, testante iterum beato Bernardo, qui ait [7] : « Hanc invenit gratiam plena jam gratia, ut charitate fervida, virginitate integra, humilitate devota, fieret sine virili commixtione gravida, sine muliebri dolore puerpera. »

B. Maria aurora ob ortum Solis justitiæ.

Tertio attendite, charissimi, quod quædam felix aurora est Maria, propter felicem ortum Solis justitiæ. Sol namque justitiæ Christus Deus noster, mediante aurora sua Maria, ortus est in mundo; ortus utique absque ullo peccati nubilo : propter quod aurora illa valde rutilans fuit oriente Sole suo, juxta illud [8] : *Sicut lux auroræ oriente Sole mane absque nubibus rutilat*, etc. Lux igitur auroræ est sanctitas Mariæ, qua ipsam irradiare dignatus est processurus de ipsa Sol justitiæ. De hoc bene beatus Bernardus ait [9] : « Recte quidem, o Maria, auroræ officium implesti. Ipse enim Sol justitiæ de te processurus ortum suum quadam matutina irradiatione prævenies, in te lucis suæ radios copiose transfudit. » Lux hujus auroræ mirabiliter rutilabat oriente Sole absque nubibus, id est nascente Christo absque originalis peccati obscuritatibus. Ecce hic dicitur, quod Sol absque nubibus oritur; et in *Exodo* dicitur [10], quod rubus absque combustione ignitur; et in *Daniele* dicitur [11], quod lapis sine manibus abscinditur. Quid ergo per solem, quid per ignem, quid per lapidem, nisi Christus signatur? Ipse enim est sol illuminans intellectum, ignis accendens affectum, lapis firmans nos contra defectum. Dico, quod Christus Jesus est sol illuminans intellectum, juxta illud *Malachiæ* [12] : *Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ.* Vide ergo si timeas Dominum; scriptum quippe est [13] : *Qui timet Deum, nihil negligit.* Item Christus est ignis accendens affectum, ut dicit Apostolus ad Hebræos [14] : *Deus noster ignis consumens est.* Hic ignis non solum fuit in rubo uteri virginalis, sed etiam in rubo devoti cordis est. Hunc namque ignem senserunt, qui dixerunt [15] :

[1] III *Reg.*, XVIII, 21. — [2] *Psal.* L, 7. — [3] Bern., *ad Canon. Lugd.*, epist. CLXXIV, post med. — [4] Hæc, et quæ sequuntur, ex iis quæ a Papa Pio IX, die 8 decembris 1854, definita sunt, retractanda. — [5] *Cant.*, VI, 9. — [6] Bernard., *in Nativ. B. Mar.*, *de aquæductu*, serm., n. 9. — [7] Ibid., n. 12. — [8] II *Reg.*, XXIII, 4. — [9] Vel Ecbert., *Deprec. et laud. ad B.V. Mar.*, n. 4. — [10] *Exod.*, III, 2. — [11] *Dan.*, II, 45. — [12] *Malach.*, IV, 2. — [13] *Eccle.*, VII, 19. — [14] *Hebr.*, XII, 29. — [15] *Luc.*, XXIV, 32.

Nonne cor, etc. Item Christus est lapis firmans nos contra defectum, si bene fundati fuerimus super ipsum. Unde dicitur in *Mattheo* [1] : *Descendit pluvia, venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et non cecidit : fundata enim erat supra petram.* Ecce nec pluvia hæreticæ eloquentiæ, nec flumina mundanæ concupiscentiæ, nec venti humanæ violentiæ, nocere possunt domui mentis supra petram Christi fundatæ. Quid ergo est quod sol sine nube oritur, rubus sine combustione ignitur, lapis sine manu abscinditur, nisi quod Christus, qui est sol veritatis, ignis charitatis, lapis firmitatis sive æternitatis, ipse concipitur et nascitur sine nube peccati originalis, sine combustione concupiscentiæ carnalis, sine manibus amplexus maritalis? In conceptione enim Christi nec peccatum prolis, nec concupiscentiam matris, nec amplexus patris invenies. Quod autem Virgo tam miraculose concepit, hoc ille facere potuit, qui alludentia huic miraculo mirabilia multa præmisit, sicut beatus Augustinus testatur, qui sic dicit [2] : « Qui scripsit lapideas tabulas sine ferro, ipse gravidavit Mariam Spiritu sancto; et qui produxit panem in eremo sine aratione, ipse imprægnavit Virginem sine corruptione; et qui fecit virgam sine pluvia germinare, ipse fecit filiam David sine semine generare. »

B. Maria aurora ob ejus locum in gloria.

Quarto attendite, charissimi, quod quædam felix aurora est Maria propter felicem locum ejus in gloria; et secundum hoc bene de aurora dicitur ad (*a*) Job [3] : *Numquid ostendisti auroræ locum suum?* Jam certe aurora nostra Maria sublimiter locata in cœlo locum tenet vicinissimum Soli æterno. Considerare autem possumus triplicem Mariæ locum notabilem : primus est, quo ipsa Dominum suscepit spiritualiter; secundus est, quo Dominum suscepit corporaliter; tertius est, quo ipsam Dominus recepit æternaliter. Ecce triplex locus Mariæ. Dico quod primus locus, quo Maria Dominum suscepit spiritualiter, est mens Mariæ pacificata et quietata, secundum quod Psalmista dicit [4] : *Factus est in pace locus ejus, et habitatio ejus in Sion,* quod interpretatur vel speculum, vel speculatio. Ecce quicumque Deum mente speculari desiderat, oportet ut ei in pace mentis locum faciat : nam sine pace mentis nemo venit ad speculationem contemplationis. Unde Apostolus [5] : *Pacem sequimini cum omnibus, et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.* O quis enarrare, vel etiam cogitare sufficiat, in qualibus quotidie speculationibus sancta illa Sion, sancta illa mens Mariæ fuerit, dum omnia illa mysteria præ omnibus mortalibus sibi nota ferventissima sibi mente revolvit? De hoc bene beatus Hieronymus ait [6] : « Si qua sunt in vobis viscera pietatis, considerate quo cruciabatur amore, quove desiderio æstuabat hæc virgo, dum revolveret animo cuncta quæ audierat et viderat, quæ cognoverat, quantisve movebatur, repleta Spiritu sancto, cœlestium secretorum incitamentis. » Item locus, quo Maria concepit corporaliter, est uterus Mariæ, de quo accipi potest illud *Genesis* [7] : *Fluvius qui egrediebatur de loco voluptatis,* Jesus Christus de utero Virginis, *ad irrigandum Paradisum.* Paradisus specialis est Maria; universalis, est Ecclesia. Felix irrigatio utriusque paradisi per fluvium ventris Mariæ Jesum Christum, qui ait [8] : *Dixi : Irrigabo hortum plantationum mearum.* Hinc est quod bene sanctus Hieronymus loquens de illis verbis : *Vidi speciosam ascendentem desuper rivos aquarum,* ait [9] : « Bene desuper rivos aquarum, quia super aquam refectionis educaverat eam Dominus, et nutrierat; de qua multi educti rivi, omnem irrigant terram deliciarum, et infundunt hortum voluptatis. » Item locus quo Mariam Dominus suscepit mansuram æternaliter in cœlo, est locus gloriæ, de quo Dominus ab Job loquitur [10] : *Numquid ostendisti auroræ locum suum?* quasi dicat : Non tu, sed ego. Non ad te pertinet ostendere auroræ Mariæ locum suum in cœlo, sed ad me. Bene autem dicit *suum*, quasi appropriando, et discernendo illum ab aliis omnium sanctorum locis. Hinc etiam bene legitur [11] : *Intulerunt sacerdotes arcam fœderis Domini in locum suum.* Hic certe locus est super omnes choros angelorum. Hic denique locus est in cœlo dignissimus, testante beato Bernardo qui ait [12] : « Nec in mundo locus dignior virginalis uteri talamo, in quo Filium Dei Maria suscepit; nec in cœlis regali solio, quo Mariam Mariæ filius sublimavit. » Sic ergo Maria propter se bene comparatur auroræ : primo propter termina-

[1] *Matth.*, VII, 25. — [2] Inter *Opera* Aug., *de Temp.*, serm. XVIII, al. in Append., serm. CXCV, n. 6. — [3] *Job*, XXXVIII, 12. — [4] *Psal.* LXXV, 3. — [5] *Hebr.*, XII, 14. — [6] Hieron., *de Assumpt. B. Mar.* serm., idem cum epist. X. — [7] *Gen.*, II, 10. — [8] *Eccli.*, XXIV, 42. — [9] Hieron., ubi supra, post pauca. — [10] *Job* XXXVIII, 12. — [11] III *Reg.*, VIII, 6. — [12] Bern., *in Assumpt. B. M. Mar.*, serm. I, n. 3.

(*a*) *Cæt. edit.* a.

tionem noctis culpæ, in plenissima ejus sanctificatione; secundo propter progressionem lucis gratiæ, in clarissima ejus conversatione; tertio propter productionem Solis justitiæ, in mirabilissima filii ejus generatione; quarto propter appropriationem loci gloriæ, in gloriosissima ejus assumptione.

Maria tiam opter s au- oræ mpa- atur.

Deinde considerandum est, quod lucidissima virgo Maria, non solum propter se, sed etiam propter nos bene comparatur auroræ. Nam, sicut in Scriptura per auroram signatum est, ipsa nobis est ad Deum mediatrix, ad angelos pacificatrix, ad dæmones defensatrix, ad nos ipsos illuminatrix.

Maria edia- : inter os et oum.

Primo attendite, quod aurora nostra Maria nobis est ad Deum mediatrix, sicut in Psalmo signatum est, ubi dicitur [1] : *Tuus est dies, et tua nox est, tu fabricatus es auroram et Solem.* Sicut bene beatus Gregorius ait [2] : « Dies vita justi, nox vero vita accipitur peccatoris. » Et ideo bene Dominus filios Israel præcedebat per diem in columna nubis, per noctem vero in columna ignis, quia ab ardore iræ suæ tanquam nubes pios protegit, et tanquam ignis impios urit. Unde bene Sol intelligitur Christus : Sol utique justitiæ, qui illuminat electos, et urit reprobos. Graviter quandoque urit in mundo, gravius autem in judicio, gravissime autem in inferno. De hac triplici ustione intelligi potest illud *Ecclesiastici* [3] : *Tripliciter Sol exurens montes*, id est, superbos peccatores. Propter hoc bene refrigeratrice, mediatrice inter nos et Solem justum, indigemus. Et ideo bene Psalmista, in prædicto versu, auroram inter noctem et solem ponit mediam, quæ certe etiam ordine naturali media est. Aurora itaque est beatissima virgo Maria, quæ inter noctem et solem, inter hominem et Deum, inter hominem injustum et Deum justum est optima mediatrix, optima iræ Dei refrigeratrix. Testatur beatus Bernardus dicens : « Securum jam habet homo accessum ad Deum, ubi mediatorem causæ suæ Filium habet ante Patrem, et ante Filium matrem. Filius nudato corpore Patri ostendit latus et vulnera; Maria Filio pectus et ubera. Non potest ullo modo fieri repulsa, ubi concurrunt et perorant tanta charitatis insignia. »

Maria omo-

Secundo attendite, charissimi, quod aurora nostra Maria nobis est ad angelos pacificatrix, sicut signatum est in *Genesi*, ubi legitur [4], quod angelus qui cum Jacob luctabatur, benedixit eum in aurora. Dicente namque angelo : *Dimitte me, jam enim ascendit aurora*, non dimisit eum Jacob, nisi ipsum benediceret. In aurora lucta fuit inter angelum et Jacob, discordia fuit inter Deum, angelos et homines. Homo enim peccando offenderat Creatorem; offenso autem Creatore, omnis offenditur creatura; quanto magis illa, quæ Creatori magis est conjuncta! Illa ergo lucta potuit hujus discordiæ esse figura. Sed certe adveniente aurora, adveniente Maria, pacificati sunt angelus atque homo, ita quod in ipsa aurora, in ipsa virgine Maria angelicam benedictionem consecutus est homo. Angelus namque dixit [5] : *Benedicta tu in mulieribus*, ad Virginem, et per hanc benedictionem Virginis homo consequitur benedictionem pacis et salutis in Filio Virginis; benedictionem utique illam, de qua Apostolus ait [6] : *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione in cœlestibus in Christo*; quam etiam benedictionem ipse benedictus Filius benedictæ Virginis confirmabit, quando dicet [7] : *Venite, benedicti Patris*, etc. Jacob ergo auroræ ascendenti, et nos Mariæ advenienti gratias agamus pro benedictione, qua cum Angelo pacificati sumus. Merito certe per auroram, merito per Mariam homines cum angelis pacificantur, ex quo per Mariam ab hominibus angelorum chori reintegrantur, sicut Anselmus insinuat, dicens : « O fœmina mirabiliter singularis, et singulariter mirabilis, per quam elementa renovantur, inferna remediantur, homines salvantur, Angeli reintegrantur! »

do pacificatrix.

Tertio attendite, charissimi, quod aurora nostra Maria nobis est contra dæmones defensatrix, sicut signatum est in Job, ubi de homicida, et de fure, et de adultero dicitur [8] : *Perfodiunt in tenebris domos, sicut in die condixerant sibi, et ignoraverunt lucem. Si subito apparuerit aurora, arbitrantur umbram mortis.* Homicida diabolus, fur diabolus, adulter diabolus est. Homicida, inquam, est, quia genus humanum occidit; fur, quia, quæcumque potest, nobis bona subtrahit; adulter, quia sponsam Dei animam corrumpit. Heu, quanta nobis mala hujusmodi malefici, quanta nobis mala spiritus maligni faciunt! Perfodiunt namque in tenebris ignorantiæ, in tenebris obscuritatis, interiores domos mentium nostrarum, domos utique, de

B. Maria defendit nos a dæmonibus

[1] *Psal.* LXXIII, 6. — [2] Greg., in Evang. hom. XXI, n. 3. — [3] *Eccli.*, XLIII, 4. — [4] *Gen.*, XXXII, 26. — [5] *Luc.*, I, 28. — [6] *Ephes.*, I, 1. — [7] *Matth.*, XXV, 34. — [8] *Job*, XXIV, 16, 17.

quibus in Psalmo dicitur [1] : *Deus in domibus ejus cognoscetur.* Perfodiunt certe tentationibus perforativis domos illas, in quibus ille libenter habitat, qui dicit [2] : *Hodie in domo tua oportet me manere.* Perfossis autem domibus, perforatis usque ad infelicem peccati consensum mentibus, heu, quanta mala malefici isti occidendo, furando, adulterando committunt in animabus! Ad evadenda ergo tanta pericula, utinam nobis aurora appareat, utinam nobis Maria succurat! Si enim subito apparuerit aurora, si cito nobis advenerit, et supervenerit Mariæ gratia et misericordia, arbitrantur umbram mortis, id est, sic timent dæmones (*a*), sic trepidant, sic fugiunt, sicut homines timent et fugiunt umbram mortis. Propter hoc bene beatus Bernardus ait : « Non sic timent hostes visibiles quamlibet castrorum multitudinem copiosam, sicut aereæ potestates Mariæ vocabulum et exemplum; fluunt et pereunt sicut cera a facie ignis, ubicumque invenerint crebram hujus nominis recordationem, devotam invocationem, sollicitam imitationem. »

B. Maria illuminat nos.

Quarto attendite, charissimi, quod aurora nostra Maria nobis est quoad nosipsos illuminatrix ad bene operandum. Operarii ab ascensu auroræ incipiunt operari. Unde in *Neemia* (*b*) dicitur [3] : *Nos ipsi faciemus opus; media pars nostrum teneat lanceas ab ascensu auroræ, donec egrediantur astra.* Duo nobis necessaria sunt, videlicet ut bonis operibus insistamus, et ideo bene aiunt ædificantes : *Nosipsi faciemus opus.* Quod opus, nisi de quo Apostolus ait [4] : *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei?* Bene autem dicunt : *Nosipsi faciemus : nosipsi,* non nostri vicarii. Unde alibi ait [5] : *In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros.* Sed certe Maria non nutricem aliam, non vicariam, sed semper semetipsam exhibuit Dei ministram, sicut beatus Augustinus testatur dicens [6] : « Maria absque dubio operi ministratrix extitit, quæ hunc utero gessit, partuque profusum aluit et fovit, in præsepio reclinavit, et a facie Herodis abscondit fugiens in Ægyptum, et omnem infantiam ejus pio matris affectu est prosecuta, ita ut usque ad mortem crucis, ab ejus indubitanter non recesserit consectatu, non solum gressibus pedum, tanquam pro amore filii, verum etiam imitatione morum, tanquam pro reverentia Domini. » Necessarium etiam nobis est, ut non solum bonis operibus insistamus, sed etiam ut vitiis resistamus; et ideo bene additur de lanceis tenendis : tenere enim debemus lanceam zeli contra impetum vitii, contra impugnationem diaboli, carnis et mundi. De his lanceis bene dicitur in *Hieremia* [7] : *Polite lanceas, induite vos loricis.* Lorica justitiæ a malo protegimur; sed lancea zeli malum impugnamus. Si lanceam zeli contra vitia non extendis in mundo, Deus lanceam iræ suæ contra te extendet in judicio. Unde in *Sapientia* dicitur [8] : *Acuet iram duram in lanceam.* O qualis bellatrix fuit Maria, cui sancta zeli sui lancea! Unde Bernardus [9] : « Tu bellatrix egregia, primo eum, qui primus Evam supplantavit, expugnare viriliter aggressa es. » Ut ergo bonis operibus fideliter insistamus, et malis viriliter resistamus, necessarium nobis est, ut Mariæ exemplum inspiciamus, Mariæ suffragium imploremus. Tunc quasi ab ascensu auroræ operamur, quando irradiante exemplo et vita Mariæ, quando irradiante patrocinio et misericordia Mariæ, ad bene operandum incitamur. Bene autem operari debemus, donec egrediantur astra, hoc est, donec animæ nostræ lucidæ tanquam astra, exeuntes de corporibus, evolent ad astra. Sed super omnia astra jam egressa, vel adhuc egressura ad astra, splendidissimum astrum est aurora nostra Maria, testante B. Bernardo [10], qui ait : « Tu veri Solis expressissima imago, inter millia astrorum Deo assistentium, virginali puritate in cœlis gloriosa præfulges. » Sic ergo, charissimi, vidistis quam convenienter aurora dicta sit Maria. Dominus ergo tecum, o Maria, sicut Sol cum aurora. Eia ergo, Domina, aurora suavissima, Domina Maria dulcissima, fac etiam nobiscum esse Solem justitiæ, Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

LECTIO XII.

Quomodo B. Maria sit virga, et virga florens.

Dominus tecum. Viso quomodo Dominus fuit

[1] *Psal.* XLVII, 4. — [2] *Luc.*, XIX, 5. — [3] II *Esdr.*, IV, 21. — [4] *Gal.*, VI, 10. — [5] II *Cor.*, VI, 4. — [6] Imo auctor, quisquis ille sit, libri *de Assumpt. B. Mar.* VII, in Append. tom. VI. *Oper.* S. Aug. — [7] *Jerem.*, XLVI, 4. — [8] *Sap.*, V, 21. — [9] Vel Ecbert., *Deprec. et laud. ad Mar. Virg.*, n. 5. — [10] Vel Ecbert., ibid.

(*a*) *Cæt. edit.* homines. — (*b*) Vulg. *Nehemia,* seu II *Esdr.*, et sic deinceps.

cum Maria sicut Sol cum aurora ipsum præveniente, videamus nunc quomodo Dominus sit cum Maria sicut flos cum virga florente. Maria enim est illa virga, de qua dicitur in *Isaia* [1] : *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini.* His verbis oculum mentis apponamus, et primo ad virgam, secundo ad florem considerationem nostram dirigamus.

Primo consideremus, charissimi, quod virga ista, virga regia, est virgo Maria, sicut patet per beatum doctorem Ambrosium, qui beatam Virginem alloquens, ait [2] : « Tu ipsa, quæ Dominum genuisti, ex populo Israel : in virgam crevisti, virga de radice Jesse : surrexisti et floruisti, virga Aaron, fronduisti et peperisti. » Est autem Maria virga fumea, virga lignea, virga aurea, virga ferrea. Maria est virga fumea incipientibus, virga lignea proficientibus, virga aurea consummantibus, virga ferrea incorrigibilibus et dæmonibus.

. Maria rga fumea incipientibus.

Dico quod Virgo Maria est virga fumea incipientibus et pœnitentibus. De hac virga dicitur in *Canticis* [3] : *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris, et universi pulveris pigmentarii?* Desertum est cor peccatoris, quod utique desertum est a gratia et virtutibus. Fumus aromaticus, fumus suavis animæ, est aspiratio spei veniæ. Beata itaque virgo Maria per desertum quasi virgula fumi ascendit, quando, ipsa suffragante, cor peccatoris fumum veniæ suscepit. Hic autem fumus generatur ex aromatibus myrrhæ in contritione, et thuris in confessione, et universi pulveris pigmentarii in multimoda satisfactione. Nullum piissima virgo Maria desertum abhorret, nullum peccatorem despicit; sed quocumque pertransierit, suavissimum spei veniæ fumum respergit. Unde optime beatus Bernardus sic ait [4] : « Peccatorem quantumcumque fœtidum non horres, non despicis, si ad te suspiraverit, tuumque interventum pœnitenti corde flagitaverit; tu illum de desperationis baratro pia manu retrahis, spei medicamen aspiras, ac toti mundo despectum materno affectu amplecteris, foves, nec deseris, quousque tremendo judici miserum reconcilies. »

Item virgo Maria est virga lignea, virga florida proficientibus. De hac virga dicitur in *Numeris* [5], quod virga Aaron, quæ utique lignea fuit, flores simul et fructum habuit. Per flores virtutes signantur, quæ post transitum diabolicæ hiemis in cordibus oriuntur, sicut bene de his floribus dicitur in *Canticis* [6] : *Jam hiems transiit*, etc., usque *nostra*. Transeat ergo hiems, transeat torpor, quo charitas refrigescit, et tunc iterum flores virtutum appareant. O quantis floribus Virgo florida abundavit, teste beato Bernardo [7], qui ipsam alloquens ait : « Tu sanctorum areola aromatum, a cœlesti consita pigmentario, virtutum omnium floribus delectabiliter vernans es (*a*). » Sicut autem per flores virtutes, ita per fructus opera virtutum signantur. De his bene dicitur [8] : *A fructibus eorum cognoscetis eos.* Quando ergo in virtutibus et in virtutum operibus, per exempla et merita Mariæ proficimus, tunc virga lignea, florida et fructifera nobis est virgo Maria.

B. Maria virgo florida proficientibus.

Item Virgo Maria est virga aurea perfectis et contemplativis. De hac virga legitur [9], quod Esther cum duabus puellis ingressa est ad regem Assuerum, cum præ nimio stupore pene exanimata fuisset, extendit ad eam Rex virgam auream ad confortandum ipsam. Esther interpretatur *elevata* vel *abscondita*, et signat animam contemplativam, quam in contemplatione elevat Deus, et abscondit in abscondito faciei suæ a conturbatione hominum. Ista per contemplationem ingreditur ad regem Christum. Duæ puellæ, cum quibus ingreditur, sunt duæ vires animæ, videlicet intellectiva, quæ præcedit per cognitionem, et affectiva, quæ sequitur per dilectionem. Anima autem, quæ sic ad Christum bene ingressa fuerit, ipsa præ stupore quandoque a se deficit, dum inaccessibilem divinæ gloriæ claritatem, vel terribilem divinæ justitiæ severitatem attendit. Virga aurea, virga regia, est illa aurea, illa regia virgo Maria : aurea quidem charitate; regia vero nobilitate : aurea quoque per munditiam; regia vero per justitiam : aurea insuper per incorruptionem et integritatem virginalem; regia vero per dominationem et potestatem regalem. Hæc est felix virga, quæ ad animam contemplativam confortandam clementer extenditur, quando felix

B. Maria virga aurea perfectis.

[1] *Isa.*, XI, 1, 2. — [2] Ambros., vel quisquis sit alius, *de Purifi. B. M. Virg.*, serm. — [3] *Cant.*, III, 6. — [4] Vel Ecbert. — [5] *Num.*, XVII, 8. — [6] *Cant.*, II, 11. — [7] Vel Ecbert., ubi supra proxime, n. 2, ubi supra proxime, n. 4. — [8] *Matth.*, VII, 16. — [9] *Esth.*, XV, 15.

(*a*) *Edit. Mabill.* vernas. *S. Bern. tom. V, col.* 689.

virgo Maria contemplationi et devotioni ejusdem animæ tam pia et dulcis ingeritur, quod ex hoc ipsa anima contra terrorem divinæ justitiæ et splendorem divinæ gloriæ confortatur. Hanc virgam illa contemplativa Anselmi anima ad se extendi desideravit, quando tam devote exclamans dicit : « O pulchra ad intuendum, amabilis ad contemplandum, delectabilis ad amandum, quæ evadis (*a*) capacitatem cordis, nunc præstolare, Domina, infirmam animam te sequentem. »

B. Maria est virga ferrea dæmonibus.

Item virgo Maria est virga ferrea dæmonibus et incorrigibilibus. De hac virga non incongrue accipi potest illud Psalmi [1] : *Reges eos in virga ferrea.* O Maria, virga aurea perfectis, virga aurea duris, virga aurea hominibus, virga ferrea et dura dæmonibus, arceas dæmones a nobis. Hoc, Domina, petimus, et devote petimus cum Innocentio petente, et dicente sic : « Ave, Dei mater alma, quæ ex dignitate, qua Dei mater es, imperare potes dæmonibus. Compesce dæmones, ne nobis noceant; præcipe angelis, ut nos custodiant. » Sic ergo beata virgo Maria est nobis virga fumea in nostra conversione, virga florida in nostra conversatione, virga aurea in nostra contemplatione, virga ferrea in nostra defensione. Hanc virgam vere contemplans et digne admirans beatus Bernardus ait [2] : « O Virgo, virga sublimis, ad quantam celsitudinem verticem sanctum erigis! usque ad sedentem in throno, usque ad Dominum (*b*) majestatis, quoniam in altum mittis radices humilitatis. » Consequenter consideremus, charissimi, florem hujus virgæ; consideremus, inquam, in virga regia, et in virgine Maria quadruplicem florem, videlicet florem pretiosæ, florem virginitatis virtuosæ honestatis, florem miraculosæ fœcunditatis, et florem gloriosæ immortalitatis.

In B. Maria fuit flos virginitatis.

De flore primo consideremus, charissimi, in Maria florem pretiosæ virginitatis, qui est ipsa virginitas. De hoc dicitur in *Isaia* [3] : *Exultabit solitudo, et florebit quasi lilium.* Maria convenienter solitudo dici potuit, quæ tam libenter solitaria fuit, quam etiam tanquam libenter solitariam Angelus visitavit. Ideoque bene B. Ambrosius ait [4] : « Solam in penetralibus, quam nemo virorum videret, solus autem reperit solam sine comite, aut solam sine teste. » Quomodo autem ista solitudo, quomodo Maria virgo exultaverit, ipsa dicat, ipsam audiamus [5] : *Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.* Hæc terræ solitudo floruit quasi lilium per virginitatem. O lilium angelicum! o flos cœlestis! O vere flos cœlestis, quem tantum dilexit apis illa supercœlestis! Dicit enim B. Bernardus [6] : « Apis illa quæ pascitur inter lilia, quæ florigeram inhabitat patriam, quando ad civitatem Nazareth, quod interpretatur flos, advolavit, et ad suaveolentem perpetuæ virginitatis florem pervenit, illi insedit, illi inhæsit. » Flos virginitatis quasi tot habet folia, quot virginitas conditiones et præconia. O quantum hujus floris coronæ per Mariam sunt multiplicatæ! Unde B. Ambrosius ait : « Cum in toto mundo virgineus flos Maria immarcessibiles coronas innectat, et sceptrigeram (*c*) pudoris aulam immaculato conservet affectu, quousque integritas perseveravit ad palmam, ut in puellis trophæum sanctitatis arriperet, et per vestigia Matris Virginis ad cœlestem thalamum perveniret. »

In B. Maria flos honestatis.

Secundo consideremus, charissimi, in Maria florem virtuosæ honestatis, morum et vitæ, et de hoc quid ipsa dicat, audiamus [7] : *Flores mei,* inquit, *fructus honoris et honestatis.* O quam pulcher est virtuosæ et honestæ vitæ flos morum et disciplinæ! Sed certe pluraliter dicitur : *Flores mei* : ideo dicamus, quod tot sunt in moribus flores, quot virtutes; tot sunt honestæ vitæ flores, quot sunt virtutes vitam honestantes. De his floribus dicitur [8] : *Flores apparuerunt in terra nostra.* De his etiam dicitur [9] : *Lectulus noster floruit* (*c*). Ecce flores in terra, flores in lecto invenimus. Terra mens activorum; lectus autem mens contemplativorum. Terra, inquam, est mens fructificans in bona actione; lectulus autem, mens quietem fovens in contemplatione. Sive ergo sit mens activa, sive contemplativa, semper debet floribus esse venusta. Hoc quoque notandum est, quod flos honestatis, imo flos cujuslibet virtutis quasi tot habet folia, quot bona et meritoria habet opera. O quam florida fuit terra, quam floridus fuit lectulus Mariæ, quæ in floridæ vitæ honestate florebat omnium virtutum venustate, sicut testatur beatus Bernardus, dicens [10] : « Tu sancto-

[1] *Psal.* II, 9. — [2] Bern., *de Adv. Dom.*, serm. II, n. 4. — [3] *Isa.*, XXXV, 1. — [4] Ambros., *in Luc.*, lib. II, n. 8. — [5] *Luc.*, I, 47. — [6] Bern., ubi supra proxime, n. 3. — [7] *Eccli.*, XXIV, 23. — [8] *Cant.*, II, 12. — [9] Ibid., I, 16. — [10] Bern., vel Ecbert., *Deprec. et laud. ad B.V. Mar.*, n. 4.

(*a*) *Cæt. edit.* evadit. — (*b*) *Item* thronum. — (*c*) *Item* septigeram. — (*d*) Vulg. *floridus.*

rum areola aromatum, o Maria, a cœlesti consita pigmentario, virtutum omnium speciosis floribus delectabiliter vernans, inter quorum pulcherrimos trium in te miramur excellentiam : viola humilitatis, lilium castitatis, rosa charitatis hi sunt. »

In B.Maria flos fecunditatis.

Tertio consideremus, charissimi, in Maria florem miraculosæ fœcunditatis. Hic flos est ipse Filius Virginis, de quo specialiter dicitur [1] : *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet*, etc. Eia, quam pulcher hic flos egressus est sine peccato nascendo, et quam misere contritus est quasi peccator moriendo, juxta illud [2] : *Quasi flos egreditur et conteritur!* O quam candidus in egressione, et quam rubicundus in contritione fuit flos iste! Flos, inquam, angelis delectabilis, flos hominibus ad vitam perutilis. Unde Bernardus ait [3] : « Flos est Filius Virginis, flos candidus et rubicundus, electus ex millibus, flos in quem desiderant angeli prospicere, flos ad cujus odorem reviviscunt mortui. » Felix silva, quæ producit hujus floris virgam. Felix magis virga, quæ producit hunc florem in silva. Felix super omnia flos, sine quo nulla silva nec virga felix esse potest. Vere felicissimus flos, in quo Spiritus Domini sic requievit, ut sine ipso nullus gratiam Spiritus sancti habere possit. » Testatur hoc B. Hieronymus, dicens [4] : « Spiritus sanctus, qui in magna silva humani generis requiem non invenerat, tandem super hunc florem requievit, ita quod absque Christo nec sapiens quis esse potest, nec intelligens, nec consiliarius, nec fortis, nec eruditus, nec pius, nec plenus timoris Domini. » Hic flos quasi tot habet folia, quot sunt ministeria et exempla. Si hunc florem habere desideras, virgam floris precibus flectas. Si flos est nimis altus divinitate, virga tamen est flexibilis pietate. Et si flos est rarissimus, quia in cœlo et in terra non invenitur nisi unicus, est tamen communissimus, tanquam flos non in horto clausus, sed in campo omnibus transeuntibus expositus. Et ideo bene dicere potest Christus illud [5] : *Ego flos campi*. Unde flos campi dicitur non solum propter hoc quod omnibus patulus exponitur; sed etiam propter hoc quod sine omni cultura humana producitur. Hoc bene B. Bernardus meminit, cum dixit [6] : « Campus sine omni humano floret adminiculo, non seminatus ab aliquo, non defossus sarculo, non impinguatus fimo : sic omnino, sic Virginis alvus floruit, sic inviolata et integra casta Mariæ viscera tanquam pascua æterni viroris protulere, cujus pulchritudo non videat corruptionem, cujus gloria in perpetuum non marcescat. »

In B.Maria flos immortalitatis.

Quarto consideremus, charissimi, florem gratiosæ immortalitatis. De hoc signatum esse potest in libro *Numerorum*, ubi dicitur [7] quod virga Aaron flores simul et fructum habuit. In virga Aaron recte virgo Maria potest esse figurata. In virga namque, Mariæ rectitudo; in flore autem, corporis glorificati pulchritudo; in fructu vero, animæ ejus beatitudo potest esse signata. Notandum enim est, quod caro floret in juventute, sicut in Psalmo dicitur [8] : « *Mane floret et transit* (*a*). Flos autem perit in morte, sicut dicitur in *Isaia* [9] : *Exsiccatum est fœnum, et cecidit flos.* Refloret et in gloriosa resurrectione, juxta Psalmistam [10] : *Refloruit caro mea.* Iste flos glorificationis corporis quasi tot habet folia, quot corpus glorificatum habet dotes et præmia. Et certe quidam sancti Doctores probabiliter sentire videntur, et rationabiliter probare nituntur, et fideles hunc sensum pie amplectuntur, videlicet quod beata Maria jam cum corpore sit assumpta, et corpus jam omnino cum anima sit glorificatum. De hoc namque Augustinus sic ait [11] : « Vera ratione confitendum censeo, Mariam in Christo, et apud Christum esse : in Christo, quia in ipso vivimus, movemur, et sumus; apud Christum, ad gloriam æternitatis assumptam. » Unde digne credimus lætari Mariam lætitia inerarrabili, anima et corpore, in proprio filio, per filium proprium, nec ullam sequi corruptionis ærumnam, quam nulla secuta est tantum filium pariendo integritatis corruptio, quæ omnium integram perfectamque genuit vitam; sit cum illo, quem in suo gessit utero; sit apud illum illa, quæ genuit, fovit, et aluit. Illa Maria, Dei genitrix, Dei ministratrix, Dei nutrix, et Dei secutrix. De qua, quia aliter sentire, quam dixi, non debeo, aliter dicere non præsumo. Secundum hoc ergo Maria jam dicere potest : *Refloruit caro mea.* Et secundum hoc etiam florem et fructum simul habet : florem, inquam, corporis glorificati, et fructum spiritus glorificati : flo-

B. Maria corpore et anima assumpta in cœlo.

[1] *Isa.*, XI, 1. — [2] *Job*, XIV, 2. — [3] Bern., *de Adv. Dam.*, serm. II, n. 4. — [4] Hieron., *in Isa.*, c. XI, lib. IV. — [5] *Cant.*, II, 1. — [6] Bernard., ubi supra proxime. — [7] *Num.*, XVII, 8. — [8] *Psal.* LXXXIX, 6. — [9] *Isa.*, XL, 8. — [10] *Psal.* XXVII, 7. — [11] Imo auctor, quisquis sit, lib. *de Assumpt. B. M.*, VIII, in Append. tom. VI *Oper.* S. Aug.

(*a*) Vulg. *floreat et transeat.*

rem utique in gloriosa corporis pulchritudine, fructum vero in voluptuosa animæ beatitudine. Notandum etiam est, quod secundum quadruplicem florem prædictum, Virgo Maria quadruplicem simul habuit florem virginitatis, et fructum fœcunditatis; simul habuit florem honestatis, et fructum humilitatis; simul habuit in prole florem humanitatis, et fructum divinitatis; simul habuit florem immortalitatis in corpore, et fructum beatæ voluptatis in anima. Hos igitur flores, charissimi, in virga virginea deligamus, et illos novos gaudiorum flores de horto virgineo colligamus, quos vidit, quos collegit, quos nobis commendavit B. Bernardus [1], cum ad Mariam loquens dixit : « Hortus deliciarum nobis est tuus sanctissimus uterus, o Maria; quia ex eo multiplicis gaudii flores colligimus, quoties recolimus mente, quam magna multitudo dulcedinis immenso orbi inde profluxerit. » O igitur dulcissima Virgo Maria, ecce vere Dominus tecum, sicut flos cum virga ipsum producente. Fac ergo, ut etiam Dominus sit mecum, imo nobiscum, communicetque nobis florem istum, Dominum nostrum Jesum Christum. Amen.

LECTIO XIII.

Quomodo B. Maria comparetur reginæ, in palatium cum rege ingredienti.

Dominus tecum, o Domina Domino charissima, Domino familiarissima. *Dominus tecum*, o Domina aptissima, Domino dignissima. *Dominus tecum* : tecum certe, secundum quod supra dictum est, sicut Sol cum aurora ipsum præveniente, sicut flos cum virga ipsum producente, sicut rex cum regina in palatium ingrediente. Viso ergo quomodo Maria sit aurora Solem æternum, Solem justitiæ præveniens; viso quoque quomodo Maria sit virga florem æternum, florem misericordiæ proferens; videamus modo quomodo Maria sit regina ad Regem æternum, ad Regem gloriæ ingrediens. Maria ergo, charissimi, est regina illa ingrediens, de qua dicitur [2], quod ingressa est regina Sabba in Hierusalem cum comitatu multo et divitiis. Vere regina est Maria, testante B. Augustino, qui ait [3] : « Hanc vere fateamur reginam cœlorum, pro eo quod Regem peperit angelorum. » Sed de hac regina disserui in sermone : *Astitit regina*, etc.; ideo nunc de ejus ingressu disserendum est. Considerandum est ergo, quod Mariam ingredientem, egredientem, progredientem, et supergredientem invenimus. Egressus est naturæ, progressus gratiæ, ingressus gloriæ, supergressus abundantiæ. Egressa est nascendo, progressa proficiendo, ingressa perveniendo, supergressa omnes sanctos excedendo. Egressa est sine peccato, progressa sine exemplo, ingressa sine obstaculo, supergressa sine termino.

Primo considera, charissime, quod invenimus Mariam egredientem per nativitatem suam sine peccato. Ipsa namque potest esse vas illud, de quo dicitur [4] : *Aufer rubiginem de argento, et egredietur vas purissimum.* Rubigo fuit ablata de argento, quando ab originali peccato Maria sanctificata fuit in utero; et certe sic egressa est, tanquam vas purissimum. Hic distinguendum est vas purum, vas purius, et vas purissimum. Vas purum in ingressu fuit, quicumque ex utero sic sanctificatus processit, quod tamen fomes tam ad mortale, quam ad veniale peccatum in ipso remansit, sicut quidam dicunt fuisse in Hieremia. Vas autem purius in egressu fuit, quicumque ex utero sic sanctificatus processit, quod in ipso fomes, secundum quod ductivus est ad effectum mortalis peccati, extinctus fuit, sed ad veniale remansit, sicut in beato Joanne Baptista, de quo canit Ecclesia [5] : *Ne levi saltem maculare vitam famine posset.* Vas ergo in egressu purissimum fuit beata Virgo, quæ ex utero sic sanctificata processit, quod in ea, ut creditur, fomes ad effectum tam mortalis, quam venialis peccati non remansit. Propter hoc B. Bernardus ait [6] : « Ego puto, quod copiosior benedictio sanctificationis in eam descenderit, quæ non solum ejus ortum sanctificaverit, verum etiam vitam ejus deinceps ab omni peccato custodivit (*a*) immunem. » Ablata ergo rubigine originalis peccati, egressum est ex utero vas purum in Hieremia, vas purius in Joanne Baptista, vas purissimum in Maria.

Hier mias, Joanne Beata Virgo divers mode fuerun in ma terno utero sanctifi cati.

Secundo considera, charissime, quod invenimus Mariam progredientem sine exemplo per gratiam. Unde in *Canticis* [7] : *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol?* His tribus luminosis, vide-

Grati et priv legia, quæ ha buit Ma ria in v ta.

[1] Vel Ecbert., *Deprec. et laud. ad B. V. M.*, n. 4. — [2] III *Reg.*, x, 1. — [3] *De Sanct.*, serm. XXXV, al. serm. CCVIII, n. 2, in Append. tom. V *Oper.* S. Aug. — [4] *Prov.*, XXV, 4. — [5] Hymn. ad Matut., in festo Nativ. S. Joan. Bapt., ante emendationem. — [6] Bern., *ad Canonic. Lugd.*, epist. CLXXIV, n. 5. — [7] *Cant.*, VI, 9.

(*a*) *Apud Bern.* Sanctificaret.... custodiret.

licet Auroræ, Lunæ, et Soli, bene comparatur Maria, propter tria in ipsa lucidissime excellentissima : fuit enim in corde et mente ejus excellenter lucida virginitas; fuit in virginitate excellenter lucida fœcunditas; fuit in fœcunditate ejus excellenter lucida singularitas. Aurora refrigerativa et avibus grata, fuit ista virgo Maria : ipsa enim virginitate sua carnis ardorem refrigeravit, teste B. Bernardo [1], qui ad eam loquens ait : « Tu ardorem vetitæ concupiscentiæ virtute castitatis in tua virginea carne catenus extinxisti, ut is, in cujus conspectu nec astra munda sunt, tantæ munditiæ carnem tuam judicaverit, ut eam suæ divinæ puritati agglutinare non despexerit. » Ipsa etiam (*a*) virginitate sua avibus cœli, id est, angelis Dei, grata fuit; quia, ut Hieronymus ait [2] : « Semper est angelis cognata virginitas. » Propter hoc bene legitur, quod angelus in aurora benedixit Jacob. Hic Jacob spiritum castum potest signare, qui fratrem suum, id est, corpus suum supplantavit. Hic non solum a patre, sed etiam ab Angelo benedicitur in aurora, hoc est in castissima virgine Maria, cui Angelus dixit [3] : *Benedicta tu in mulieribus.* Item, pulchra ut Luna fuit virgo Maria in luminosa virginitatis fœcunditate : pulchritudo enim Lunæ consistit in lumine recepto a Sole. Pensa igitur, quam pulchra luna fuerit Maria, quando æternus ille Sol totus receptus et conceptus est in ipsa. Maria ergo est illa luna, in cujus plenitudine ille vir Ecclesiæ rediit, de quo dicitur [4] : *In die plenæ lunæ reversurus est in domum suam.* Beata Virgo fuit luna plena, quando ei dictum fuit : *Ave, gratia plena.* Item electa ut Sol fuit Maria in lucidissima fœcunditatis singularitate, quando non homo purus, non angelus verus, sed ipse Dei Filius, ipse Sol justitiæ in sole posuit tabernaculum suum, dum in Maria conceptus fuit. Valde certe singulare fuisset, si Virgo purum hominem concepisset; multo autem singularius fuisset, si Virgo angelum concepisset; sed supra omnia singularissimum fuit, quod Virgo Deum concepit, Deum peperit. Propter quod bene beatus Augustinus ait [5] : « Merito Beata Maria singulari a nobis præconio extollitur, quæ singulare commercium mundo præbuit, cum tantum se ad cœli fastigia sublimavit, ut Verbum in principio apud Deum manens, de suprema cœli arce susciperet. » Beata igitur Virgo Maria progressa est quasi aurora consurgens, in miranda (*b*) carnis et mentis virginitate; electa ut sol, in adoranda partus virginalis divinitate.

B. Maria quomodo ingressa fuit cœlum.

Tertio considera, charissime, quod invenimus Mariam ingredientem ad gloriam cœlestem sine obstaculo. Quis enim obstare posset tantæ reginæ cum tanto comitatu progredienti? Ipsa namque signata est per reginam Sabba, de qua dicitur [6] : *Et ingressa Hierusalem cum comitatu multo, et divitiis, camelis portantibus aromata, et aurum infinitum nimis, et gemmas pretiosas.* Considera in his verbis gloriam ingredientis Mariæ in cœlestem Hierusalem. Considera, dico, ingredientis excellentiam, ingredientis potentiam, ingredientis opulentiam. Considera excellentiam in principatu, potentiam in comitatu, opulentiam in apparatu. Considera certe excellentiam principatus Reginæ nostræ Mariæ in eo, quod dicitur *Regina Saba*, quod interpretatur clamor. Maria enim est Regina mundi, ubi est clamor gemebundus. Est etiam Regina cœli, ubi est clamor jucundus. Clamant enim in cœlo, sicut dicitur in *Apocalypsi* [7] : *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens.* Hæc et ipsa Regina clamantium cum cæteris clamantibus clamare non cessat, testante Augustino qui ait [8] : « Tu, Maria, concivis cœli civibus, sine fine choris conjuncta angelicis archangelisque sociata, indefessa voce, *Sanctus, Sanctus, Sanctus,* clamare non cessas. » Hæc utique est Regina, quam Psalmista describens ait [9] : *Astitit regina,* etc., usque *varietate.* Hanc Reginam ad regnum sequi possunt fiducialiter, quicumque ei in mundo servierint fideliter. Unde B. Bernardus [10] : « Præcessit nos Regina nostra; præcessit, et tam gloriose suscepta est, ut fiducialiter servi ad Dominam clamantes [11] : *Trahe me post te,* dicant. » Item considera in ingressu Reginæ nostræ potentiam comitatus ipsam stipantis, in eo quod dicitur : *Comitatu multo.* Ingressa enim est Maria cœlestem Hierusalem, cum comitatu multo potentium angelorum. Unde B. Hieronymus ait [12] : « Legimus quam sæpe ad funera et sepulturas quorumlibet sanctorum angelos advenisse, et animas electorum usque ad cœlos cum hymnis

[1] Vel Ecbert., *Deprec. et laud. B. M. V.*, n. 5. — [2] Hieronym., *de Assumpt. B. M.*, serm., idem cum epist. x. — [3] *Luc.*, I, 28. — [4] *Prov.*, VII, 20. — [5] Imo auctor, quisquis ille sit, serm. *de Sanct.*, XXXV, al. CCVIII, n. 4. — [6] III *Reg.*, X, 2. — [7] *Apoc.*, IV, 8. — [8] Imo auctore ignoto, ubi supra proxime, n. 11. — [9] *Psal.* XLIV, 10. — [10] Bern., *in Assumpt. B. M.*, serm. 1, n. 1. — [11] *Cant.*, I, 3. — [12] Hieron., *de Assumpt. B. M.*, serm., idem cum epist. x.

(*a*) *Cæt. edit.* enim. — (*b*) *Item* in imitanda.

atque laudibus detulisse. » Et post pauca : « Quanto magis credendum est militiam cœlorum, cum suis agminibus, festive obviam venisse Genitrici Dei, eamque ingenti lumine circumfulsisse, et usque ad thronum olim sibi ante mundi constitutionem paratum, cum laudibus et canticis spiritualibus perduxisse. » Item considera in Maria opulentiam meritorum, in apparatu munerum pretiosorum : attulit namque secum aurum infinitum dilectionis Dei et proximi, gemmas pretiosas virtutum et donorum, aromata bonorum operum et exemplorum. Parum est enim quod de thesauris Mariæ dico, respectu ejus, quod B. Bernardus Mariam alloquens, dixit : « In manibus, inquit, tuis sunt omnes thesauri miserationum Domini. Absit ut cesset manus tua; neque enim gloria tua minuitur, sed augetur, cum pœnitentes ad veniam, justificati ad gloriam assumuntur. » Ingressa igitur est Mater Domini ad gloriam, tanquam Regina cœlorum, ingressa est cum multo comitatu angelorum, ingressa est cum divitiis innumerabilium meritorum.

B. Maria ingreditur cœlum, meritis et præmiis superans omnes sanctos.

Quarto considera, charissime, quod invenimus supergredientem omnes sanctos in superabundantia meritorum et præmiorum sine termino, juxta illud [1] : *Multæ filiæ congregaverunt divitias; tu supergressa es universas.* Supergressa utique es, supergressa certe es in natura, supergressa es in gratia, supergressa es in gloria, universas filias, universas animas, universas intelligentias angelicas, o Maria. Dico, quod Maria in natura supergressa est universas filias hominum, dum quod natura non admittit, virgo concepit, et virgo peperit, juxta illud [2] : *Ecce virgo concipiet, et pariet filium.* Et non solum hoc, quod virgo filium, sed etiam quod Deum peperit, super omnem naturam est. Ideoque B. Hieronymus sic ait [3] : « Quod natura non habuit, usus nescivit, ignoravit ratio, mens non capit humana, pavet cœlum, stupet terra, creatura etiam omnis miratur cœlestis, hoc totum est quod per Gabrielem Mariæ divinitus nuntiatur, et per Christum adimpletur. » Item supergressa est Maria in gratia universas animas sanctorum, dum non solum gratia plena, sed etiam superplena fuit, teste Gabriele qui prius dixit: *Ave, gratia plena*; et postea subjunxit: *Spiritus sanctus superveniet in te.* Si autem gratia plena fuit, ergo quidquid sibi superveniens postea Spiritus contulit, in hoc utique plusquam plena, in hoc certe superplena fuit. Unde B. Bernardus ait [4] : « Veniente jam Spiritu sancto, plena sibi; eodem quoque superveniente, nobis superplena et supereffluens fit Maria. » Item supergressa est Maria in gloria universas intelligentias angelicas : ipsa enim est thronus ille sapphireus, qui, sicut in *Ezechiele* legitur [5], *super firmamentum* angelicum exaltatus est. Propter hoc B. Bernardus bene ait sic [6] : « Ascendit plane Maria super omne humanum genus; ascendit usque ad angelos; sed et ipsos quoque transcendit, et cœlestem omnem supergreditur creaturam. » Sic ergo, charissimi, Maria egressa, et progressa, et ingressa, et supergressa est. Egressa, inquam, est nascendo ad vitam miserorum; progressa est proficiendo in gratia privilegiorum; ingressa est perveniendo ad regnum cœlorum; supergressa est excedendo gloriam omnium beatorum. Ecce igitur, dulcissima virgo Maria, ecce vere Dominus tecum, sicut Sol cum aurora progrediente, sicut flos cum virga florente, sicut Rex cum Regina ingrediente. O igitur aurora suavissima, fac ut etiam nobiscum sit Sol sapientiæ. O virga sublimissima, fac etiam, ut nobiscum sit flos gratiæ. O Regina potentissima, fac ut etiam nobiscum sit Rex gloriæ Dominus noster Jesus Christus.

[1] *Prov.*, XXXI, 29. — [2] *Isa.*, VII, 14. — [3] Hieron., ubi supra proxime, ante med. — [4] Bernard., *in Assumpt. B. M.*, serm. II, n. 2.— [5] *Ezech.*, I, 26. — [6] Bernard., *in Nativ. B. M., de aquæductu*, n. 9.

LECTIO XIV.

Quod B. Maria sit benedicta ob plenitudinem gratiæ, ob celsitudinem prolis, ob multitudinem misericordiæ suæ, et ob magnitudinem gloriæ suæ.

Benedicta tu in mulieribus. Ostensum est supra, quomodo Maria propter purissimam vitæ innocentiam merito per *Ave* salutatur : ostensum quoque est, quomodo Maria propter copiosissimam gratiæ affluentiam merito *gratia plena* commemoratur : ostensum insuper est, quomodo Maria (*a*) propter specialissimam Dei præsentiam merito *Dominus secum* fore insinuatur. Ostendendum autem nunc est, quomodo propter gratissimam personæ suæ reverentiam, *benedicta in mulieribus* nuntiatur. Ecce igitur gloriosus ille archangelus Gabriel, gloriosam virginem Mariam salutans gloriosa salutatione, ipsam decentissime consummavit in benedictione, dicens : *Benedicta tu in mulieribus*, id est,

(*a*) *Leg.* Mariæ.

benedicta plusquam omnes mulieres. Ac per hoc quidquid maledictionis infusum est per Evam, totum abstulit benedictio Mariæ. Dicat ergo Gabriel; dicat : *Benedicta tu in mulieribus.* Benedicta, inquam, propter plenitudinem gratiæ in te venerandæ; benedicta propter multitudinem misericordiæ per te præstandæ; benedicta propter celsitudinem personæ ex te incarnandæ; benedicta propter magnitudinem gloriæ super te cumulandæ.

B. Maria benedicta propter gratiam, quam in se habet.

Primo pensate, charissimi, quomodo vere benedicta est Maria propter plenitudinem gratiæ in ipsa venerandæ, sicut apte ostendit Gabriel, dicens : *Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Benedicta tu, quia plena es tu. *Invenisti enim gratiam apud Dominum*, et ideo tu es benedicta apud Dominum. Unde B. Bernardus optime de hac benedictione Mariæ dicit [1] : « Per te accessum habemus ad Filium, o benedicta inter mulieres, inventrix gratiæ, genitrix vitæ, mater salutis. » Benedicta tu, Maria, propter gratiam. Benedicta, inquam, propter gratiam cordis, propter gratiam oris, propter gratiam operis. Benedicta utique in corde, propter gratiam donorum; benedicta in ore, propter gratiam labiorum; benedicta in opere, propter gratiam morum. Vere benedicta Maria propter gratiam cordis, propter gratiam donorum in corde, propter quam cor ejus fuit deliciosissimum, sicut paradisus Dei, ita ut de hac benedictione merito intelligi possit *Ecclesiasticus* [2] : *Gratia sicut paradisus in benedictione.* Ibi dicit (*a*) interlinearis : « Fructificans diversas species virtutum. » De his felicibus gratiarum et virtutum benedictionibus Apostolus dicit [3] : *Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo.* Si ergo gratia mentem humanam in benedictionibus virtutum deliciosam facit sicut paradisum Dei, quanto magis deliciosissima anima Mariæ fuit sicut paradisus Dei in benedictionibus donorum Spiritus sancti! Imo certe paradisus Dei non solum mente, sed etiam ventre fuit Maria, continens in se lignum vitæ Jesum Christum. Unde B. Bernardus ait [4] : « Vere paradisus Dei tu es, quæ mundo lignum vitæ contulisti (*b*), de quo qui manducaverit, vivet in æternum. » Heu, quam longe est ab hac benedictione Mariæ, cujuscumque mens non est paradisus Dei in benedictionibus gratiæ, sed est sentina diaboli in maledictionibus malitiæ! Talis enim, sicut in Psalmo dicitur [5] : *Dilexit maledictionem, et veniet ei; et noluit benedictionem, et elongabitur ab eo.*

Propter gratiam cordis.

Item, charissimi, benedicta est Maria non solum propter gratiam donorum cordis, sed etiam propter gratiam labiorum oris, juxta illud Psalmi [6] : *Diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum.* O quanta in orationibus devotissimis, quanta in collationibus utilissimis gratia in labiis Mariæ fuit! O quanta ad homines, quanta ad angelos, quanta ad Dominum gratia semper fuit in labiis Mariæ! Ipse namque Deus verba labiorum ejus libenter audivit, testante beato Bernardo, qui alloquens ipsam dicit [7] : « Cui placuisti ex silentio, jam magis placebis ex verbo, cum ipse tibi clamet e cœlo : O pulchra inter mulieres, fac me audire vocem tuam. » Eia, quam veracissima, quam sincerissima semper fuerunt Mariæ labia! et ideo vere benedixit eam Deus in æternum. Heu, quam longe ab hac Mariæ benedictione illi sunt, quorum labia labiis Mariæ dissimilia sunt; illi, inquam, in quorum labiis non est gratia diffusa, sed malitia confusa est! Propterea non benedixit, sed maledicet eos Deus in æternum.

B. Maria benedicta propter gratiam labiorum.

Item, charissimi, benedicta est Maria non solum propter gratiam donorum cordis, non solum propter gratiam labiorum oris, sed etiam propter gratiam morum conversationis. Et de hac benedictione accipi potest, quod dicitur in *Hieremia* [8] : *Benedicat tibi Dominus, pulchritudo justitiæ, mons sanctus.* Mons sanctus est sancta Maria, quæ bene mons dicitur, propter excellentiam meritorum, propter altitudinem vitæ et morum. Hic est mons, de quo, sicut in *Daniele* legitur [9] : *Lapis sine manibus abscissus est;* dum Christus de Maria sine opere maritali natus est. Pulchritudo hujus montis, pulchritudo, inquam, justitiæ, pulchritudo vitæ et morum Mariæ tanta fuit, ut merito in *Canticis* de ipsa dici possit [10] : *Tota pulchra es, amica mea*, etc. Pulchra utique in vita, pulchra in morum disciplina, et tota pulchra. Tota certe, tota. Quomodo tota? Audi Hieronymum; ait enim sic [11] : « Quidquid in Ma-

B. M. benedicta propter gratiam operationum.

[1] Bernard., *in Adv. Dom.*, serm. II, circa fin. — [2] *Eccli.*, XL, 17. — [3] *Ephes.*, I, 1. — [4] Vel Ecbert., *Deprec. et laud. ad B. V. M.*, n. 4, inter spuria Bern., Serm. paneg. — [5] *Psal.* CVIII, 18. — [6] *Psal.* XLIV, 3. — [7] Bern., sup. *Missus est*, hom. IV, n. 8. — [8] *Jerem.*, XXXI, 23. — [9] *Dan.*, II, 45. — [10] *Cant.*, IV, 7. — [11] Hieronym., *in Assumpt. B. M.* serm., al. epist. X.

(*a*) *Suppl.* Glossa. — (*b*) *Al.* protulisti.

ria gestum est, totum puritas et simplicitas, totum gratia et veritas fuit, totum misericordia et justitia, quæ de cœlo prospexit. Tali pulchritudini Mariæ Dominus merito benedixit. Heu, quam longe est ab ista benedictione Mariæ, quicumque talis est in opere, quod, sicut Mariæ dicitur : *Benedicat tibi Dominus, pulchritudo justitiæ*; sic ei dici potest : Maledicat tibi Dominus, turpitudo injustitiæ! o quanta maledictio erit, quum dicetur [1] : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum.* Ecce vidimus, o charissima Maria, quod tu es vere benedicta propter plenitudinem gratiæ. Benedicta, inquam, propter gratiam conscientiæ et donorum, benedicta propter gratiam linguæ et labiorum, benedicta propter gratiam vitæ et morum.

B. Maria benedicta propter prolem.

Secundo pensate, charissimi, quomodo vere benedicta sit Maria propter celsitudinem suæ benedictæ prolis, propter benedictum fructum sui ventris. Merito enim terra illa benèdicta est, quæ tam benedictum fructum profert. Unde Psalmus [2] : *Benedixisti, Domine, terram tuam.* Terra illa est Maria, de qua in eodem Psalmo dicitur [3] : *Veritas de terra orta est.* Veritas est Christus, quia ait [4] : *Ego sum via, veritas, et vita.* Benedicta est ergo hæc terra propter benedictum fructum; benedicta est Maria propter benedictum Filium. Unde beatus Bernardus dicit [5] : « Non quia tu benedicta, ideo benedictus fructus ventris tui; sed quia ille te prævenit in benedictionibus dulcedinis, ideo tu benedicta. » Igitur Maria propter prolem piam benedicta. Benedicta, inquam, a Domino, ab Angelo, ab homine. Propter prolem utique benedicta est a Domino, benedictionem ejus operante; benedicta ab Angelo, benedictionem ejus nuntiante; benedicta ab homine, benedictionem ejus prophetante. Vere benedicta propter prolem est Maria a Domino, benedictionem ejus operante sive donante. Hoc bene signatum est in secundo *Regum*, ubi legitur [6], quod *benedixit Dominus Obededom propter Arcam.* Obededom interpretatur *servus sanguineus.* Et bene signat Christum, qui servus noster factus est, serviens nobis miseris usque ad sanguinem. Propter nos enim servus, propter nos sanguineus factus est Christus : sanguineus in dorso per flagella, sanguineus in capite per spinas, sanguineus in latere per lanceam, sanguineus in manibus et pedibus per clavos. Hujus servi domus Maria, de qua in Psalmo dicitur [7] : *Replebimur in bonis domus tuæ.* Arca in hac domo locata Christum signat : Christus enim servus noster, Christus vita nostra est. In arca urna aurea et manna. Arca sancta carnem sanctam; urna aurea animam Christi pretiosissimam; manna vero divinitatem dulcissimam signat. Propter hanc arcam, propter Jesum Christum Filium Mariæ, Dominus benedixit domui Mariæ. O vere domus benedicta, ex qua omnium processit vita! Ait enim Augustinus [8] : « Benedicta tu in mulieribus, quæ vitam viris et mulieribus peperisti. »

Item, charissimi, propter prolem benedicta est Maria non solum a Domino benedictionem ejus operante, sed etiam ab Angelo benedictionem ejus nuntiante, sicut patet in Gabriele dicente : *Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Quomodo *tecum?* Augustinus ait [9] : « Tecum in corde, tecum in ventre. » Ideo benedicta tu secum, quia sic est tecum. Tecum utique, tecum, non tantum sicut Creator cum creatura, sed etiam sicut partus cum paritura. Propter partum enim benedicta es ante partum; propter partum benedicta es in partu; propter partum benedicta es post partum. Vere benedicta, quæ sic partum effudisti, quod ante partum, et in partu, et post partum virgo permansisti : et ideo præcipue benedicta dici meruisti, quia non hominem purum, non angelum verum, sed hominum (*a*) et angelorum Dominum peperisti. Propter quod bene ait Beda sic [10] : « Vere benedicta in mulieribus, quæ sine exemplo muliebris conditionis, cum decore virginitatis gavisa est honore parentis, quodque Virginem Matrem decebat, Deum Filium procreavit. »

Item, charissimi, benedicta propter prolem est Maria, non solum a Domino benedictionem ejus operante, non solum ab Angelo benedictionem ejus nuntiante, sed etiam ab homine benedictionem ejus prophetante, sicut patet in Elisabeth, quæ, exultante in utero ejus infante, repleta Spiritu sancto, prophetando exclamavit, dicens [11] : *Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui.* Ideo utique benedicta, quia benedictus fructus ventris tui; sicut

[1] *Matth.*, XXV, 41. — [2] *Psal.* LXXXIV, 2. — [3] Ibid., 12. — [4] *Joan.*, XIV, 6. — [5] Bernard., sup. *Missus est*, hom. III, n. 5. — [6] II *Reg.*, VI, 11. — [7] *Psal.* LXIV, 5. — [8] Imo auctor, quisquis ille sit, serm. *de Temp.*, XXI, al. CXX, n. 4, et *de Sanctis*, serm. XVIII, al. CXCIV, n. 2, in Append. tom. V, *Oper.* S. Aug. — [9] Ibid., n. 1. — [10] Bed., in hom. hiemal. *de Sanctis*, in fest. Annunt. B. M. Virg. — [11] *Luc.*, I, 42.

(*a*) *Edit. Vat. et Ven.* hominem.

ager ideo benedictus, quia benedictus fructus ejus est. Maria enim, fratres, est ager ille benedictus, de quo dicitur in *Genesi* [1] : *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* De hoc beatus Hieronymus ait sic [2] : Bene ager plenus dicitur, quia Maria plena gratia pronuntiatur, de cujus utero credentibus fructus vitæ processit. » O vere ager super omnes agros benedictus propter fructum ! O vere mater super omnes matres benedicta propter Filium ! secundum quod etiam exclamans beatus Augustinus ait [3] : « O fœmina super fœminas benedicta, quæ virum omnino non novit, et virum suo utero circumdedit! Ecce vidimus, o dulcissima Maria, quia tu, propter benedictum Filium ventris tui, es vere benedicta benedictione divina, angelica, et humana. Heu, quam longe ab ista benedictione Mariæ sunt, qui propter maledictum fructum operis sui, maledictionem incurrunt divinam, angelicam et humanam : dum maledicti a Deo, maledicti ab angelis, maledicti ab hominibus erunt in æternum !

B. M. benedicta propter misericordiam, quam nobiscum operatur.

Tertio pensate, charissimi, quomodo vere benedicta sit Maria propter multitudinem misericordiæ suæ. Ipsa namque per illam Ruth signatur, de qua dicitur [4] : *Benedicta es a Domino, filia, quia priorem misericordiam posteriore superasti.* Prior Mariæ misericordia fuit, quam exhibuit, dum adhuc viveret in mundo ; posterior vero ejus misericordia est, quam jam amplius quam per mille ducentos annos exhibuit de cœlo. Posterior namque priorem superavit, quia ista illam multitudinem innumerabilium beneficiorum excessit. Quis æstimare possit quam inæstimabiliter Maria propter misericordiam suam sit benedicta, cum inæstimabilis sit ipsa ejus misericordia? Et quis æstimare potest quam inæstimabilis sit Mariæ misericordia, propter quam ipsa tam inæstimabiliter est benedicta? Hinc est, quod beatus Bernardus exclamans dicit [5] : « Quis misericordiæ tuæ, o benedicta, longitudinem, et latitudinem, et sublimitatem, et profunditatem queat investigare? » Benedicta ergo est Maria pro multiplici misericordia, quam per eam homo recepit ; benedicta utique, quia per eam Deus homini placabilis est ; benedicta quoque est, quia per eam homo Deo acceptabilis est ; benedicta insuper est, quia per eam diabolus homini superabilis est. Dico, charissimi, quod Maria benedicta est, quia per eam Deus homini placabilis est, sicut signatum est in Abigail, de qua legitur, quod cum David offensus occidere vellet Nabal stultum, Abigail occurrens offenso, placavit eum. Qui placatus dixit [6] : *Benedictum eloquium tuum, et benedicta tu, quæ prohibuisti me, ne irem hodie ad sanguinem, et ulciscerer me manu mea.* Nabal stultus signat peccatorem. Omnis enim peccator stultus est. Sed, heu ! sicut dicitur in *Ecclesiaste* [7] : *Stultorum infinitus est numerus.* Abigail Mariam signat, interpretatur enim *Patris exultatio.* O quanta Patris cœlestis in Maria, et Mariæ in Patre cœlesti fuit exultatio, cum ipsa dixit [8] : *Exultavit spiritus meus in Deo salutari meo!* Sicut autem Abigail Dominam nostram, sic David Dominum nostrum signat. David autem offensus est stulto Nabal, quando Dominus offensus est homini impio. David Nabal stulto per Abigail placatur, quando Dominus impio per Mariam reconciliatur. Abigail placavit David verbis et muneribus ; Maria placat Dominum precibus et meritis. Abigail ultionem temporalem, Maria vero æternalem convertit, dum illa humanum, ista vero divinum gladium convertit. Propter hoc bene ait Bernardus [9] : « Nemo tam idoneus, Domina, qui gladio Domini pro nobis manum objiciat, ut tu Dei amantissima, per quam primum suscepimus misericordiam de manu Domini Dei nostri. » Item, charissimi, Maria non solum benedicta est, quia per eam Deus homini placabilis est ; sed etiam ideo benedicta est, quia per eam homo Deo acceptabilis est, eo quod per ipsam benedictam homo benedictus est. Unde bene in *Isaia* dicitur [10], quod *erit Israel benedictio in medio terræ, cui benedixit Dominus exercituum, dicens : Benedictus populus meus,* etc. Medium terræ cui benedixit Dominus, dici potest beata Virgo, in quo terræ medio inchoata est salutis nostræ benedictio, juxta illud Psalmi [11] : *Deus autem Rex noster ante sæcula operatus est salutem in medio terræ.* De hoc terræ medio B. Bernardus sic ait [12] : « Maria mirabili proprietate terræ medium appellatur ; ad illam enim, sicut ad medium, sicut ad arcam

[1] *Gen.*, XXVII, 27. — [2] Hieron., *de Assumpt. B. M.*, serm., al. epist. X, post med. — [3] Imo auctor, quisquis ille sit, serm. *de Temp.*, IX, al. CXIX, n. 3, in Append. tom. VI, *Oper.* S. Aug. — [4] *Ruth*, III, 10. — [5] Bern., *in Assumpt. B. M.*, serm. IV, n. 8. — [6] I *Reg.*, XXV, 32. — [7] *Eccle.*, I, 15. — [8] *Luc.*, I, 47. — [9] Vel Echert., *Deprec. et laud. ad B. V. M.*, fere in princ. — [10] *Isa.*, XIX, 24. — [11] *Psal.* LXXIII, 12. — [12] Bern., *de Pent.*, serm. II, n. 4, ubi sup.

Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negotium sæculorum respiciunt, et qui habitant in cœlo, et qui habitant in inferno, et qui nos præcesserunt, et qui nos sequuntur. Illi qui sunt in cœlo, ut resarciantur ; qui in inferno, ut eripiantur ; qui præcesserunt, ut prophetæ (*a*) fideles inveniantur ; qui sequuntur, ut glorificentur. » In hoc ergo benedicto terræ medio benedictus est Israel, benedictus est Dei populus, dum per benedictam Dei matrem Deo est acceptus. Quid mirum, si perbenedictam Mariam benedicta et accepta Deo sit creatura rationalis, cum etiam per ipsam benedicta sit creatura universalis ? Unde Anselmus exclamans dicit : « O Virgo benedicta et superbenedicta, per cujus benedictionem benedicitur omnis creatura, non solum creatura a Creatore, sed Creator a creatura. »

Item, charissimi, Maria non solum benedicta est, quia per eam Dominus homini placabilis est ; non solum quoque benedicta est, quia per eam homo Deo acceptabilis est ; sed etiam ideo benedicta est, quia per eam diabolus homini superabilis est. Unde ipsa per Judith signata est, de qua dicitur [1] : *Benedixit te Dominus in virtute sua, qui per te ad nihilum redegit inimicos nostros.* Inimici nostri sunt dæmones, quos beata Virgo ad nihilum redegit, dum et in se, et in multis aliis vires eorum confregit, sicut B. Bernardus testatur, cum ait [2] : « Tu bellatrix egregia, » et infra : « Omnis ante faciem tuam militia spiritualium nequitiarum in fugam est conversa. » Fugiamus ergo, fratres, et confugiamus ad auxilium matris Domini, in omnibus vexationibus et impugnationibus diaboli. Ipsa namque est inimicis animarum nostrarum terribilis, ut castrorum acies ordinata. Et, heu ! quia multiplex est nostra miseria, pro qua benedictione Mariæ indigemus et misericordia, ideo hanc benedictionem invocemus cum beato Bernardo, qui sic ait [3] : « Sit pietatis tuæ, Virgo benedicta, ipsam quam apud Deum meruisti, gratiam notam facere mundo, reis veniam, ægris medelam, pusillis corde robur, afflictis consolationem, peregrinantibus adjutorium et liberationem, sanctis tuis precibus obtinendo. » Ecce vidimus, o dulcissima Maria, quia tu es vere benedicta pro tua multiplici misericordia. Benedicta, inquam, es, quia per te Deus homini placatur ; benedicta es, quia per te homo Deo gratificatur ; benedicta, quia per te diabolus ab homine superatur. Heu, quam longe ab hac Mariæ benedictione est, cuicumque Deus placatus non est, quicumque Deo gratus non est, quicumque a diabolo subjugatus est ! Et ideo talis a Deo maledictus est.

B. Mariæ benedicta propter magnitudinem gloriæ suæ

Quarto pensate, charissimi, quomodo vere benedicta sit Maria propter magnitudinem gloriæ suæ, juxta illud *Ezechielis* [4] : *Benedicta gloria Domini de loco suo.* Gloria Domini est gloriosa mater Domini, quæ vere benedicta est propter gloriam, quam habet de loco suo duplici. Benedicta, inquam, de loco, quo Filius ejus apud ipsam requievit in utero. Benedicta est de loco, quo ipsa apud Filium requiescit in cœlo. Uterque enim locus dignissimus est, sicut patet per B. Bernardum dicentem sic [5] : « Nec in mundo locus dignior virginalis uteri thalamo, in quo Filium Dei Maria suscepit, nec in cœlis regali solio, in quo Mariam Filius Mariæ sublimavit. » Benedicta ergo est Maria propter gloriam suam : benedicta utique propter gloriam suam sublimissimam, copiosissimam, et stabilissimam. Benedicta, dico, propter gloriam suam sublimissimam dignitate ; benedicta propter gloriam suam copiosissimam immensitate ; benedicta propter gloriam suam stabilissimam perpetuitate. Dico, charissimi, quod benedicta est Maria propter gloriam suam excellentissimam dignitate. De hac benedictione accipi potest verbum Psalmistæ dicentis [6] : *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ.* Nota quod est annus æquanimitatis, annus severitatis, et annus benignitatis. Primus annus militantium in mundo ; secundus ejulantium in inferno ; tertius exultantium in cœlo. Primus annus habet dies et noctes ; secundus habet noctes, et non dies ; tertius habet dies, et non noctes. Dico quod primus annus habet dies et noctes, id est, bonos et malos, qui simul in hoc mundo sunt. Tot autem sunt dies et noctes in hoc anno, quot sunt boni et mali in mundo. Secundus annus habet solas noctes, id est, solos peccatores noctibus tenebrosiores. Tot autem sunt noctes in hoc anno, quot sunt peccatores in inferno. Tertius annus habet solos dies, scilicet solos bonos dies clariores. Tot autem sunt dies in hoc anno, quot sunt justi in cœlo. In primo anno æquanimitatis, boni et mali æquanimiter tolerantur ; in secundo anno severitatis, mali severissime

[1] *Judith*, XIII, 22. — [2] Vel Ecbert., *Deprec. et laud. ad V. M.*, n. 5, ubi sup. — [3] Bern., *in Assumpt. B. M.*, serm. IV, n. 9. — [4] *Ezech.*, III, 12. — [5] Bern., *de Assumpt. B. M.*, serm. I, n. 3. — [6] *Psal.* LXIV, 12.

(*a*) *Cæt. edit.* prophetas, ut.

cruciantur; in tertio anno benignitatis, boni benignissime coronantur. Hujus autem anni benedicti corona est benedicta Virgo Maria. Ipsa certe est corona omnium dierum hujus anni, quia ipsa est corona omnium sanctorum cœli. Corona enim super caput poni solet : sic Maria quasi super capita omnium sanctorum locata est, sicut testatur B. Hieronymus dicens [1] : « Exaltari meruit super choros angelorum, et pervenit ultra quam nostræ humilitatis est natura. » Filius certe Mariæ est summa sanctorum corona; Maria vero corona sub corona. Patet ergo, quam sublimiter benedicta sit corona nostra, mater nostra Maria. Omnes ergo tam sublimiter benedictam sequamur, benedictam utique, de qua beatus Bernardus ait [2] : « Non est nobis hic manens civitas; sed eam inquirimus, ad quam hodie Maria benedicta pervenit. »

Item, charissimi, benedicta est Maria non solum propter gloriam ejus excellentissimam dignitate, sed etiam propter gloriam ejus copiosissimam immensitate : cujus copia tanta est, quod ad omnes distenditur, et ideo merito ab hominibus benedicitur, secundum quod de ipsa per significationem dicitur in libro *Judith* [3] : *Benedixerunt eam omnes una voce dicentes : Tu gloria Hierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri.* Benedixerunt eam utique omnes. Nota, quod dicitur *omnes*, nam *omnis* est signum universale, requirens tria appellata. Et ecce quasi tria appellata sunt, Deus, Angelus, et homo, qui Mariam benedixerunt. Deus utique benedixit Mariam : Pater benedixit Mariam; Filius benedixit Matrem (*a*); Spiritus sanctus benedixit eam; omnes tres personæ benedixerunt eam. Angelus etiam benedixit Mariam : prima hierarchia benedixit eam; secunda benedixit eam; tertia benedixit eam; omnes Angeli benedixerunt eam. Homo quoque benedixit Mariam : conjugati benedixerunt eam; viduæ benedixerunt eam; virgines benedixerun eam; omnes benedixerunt eam. Benedixerunt autem eam, dicentes : *Tu gloria Hierusalem* triumphantis, gloria, inquam, omnium Sanctorum; *tu lætitia Israel* Deum contemplantis, tu lætitia, inquam, omnium angelorum; *tu honorificentia populi* peregrinantis, honorificentia, inquam, omnium in mundo justorum. Benedictus ergo sit dulcissimus Filius tuus, o Maria, qui copiosissima benedictione tua, tanta præstat bona in cœlo et in terra, ut tam angeli quam homines gratulari possint cum Anselmo, qui ait : « Hæc tanta bona per benedictum fructum benedicti ventris benedictæ Mariæ provenerunt. »

Item, charissimi, Maria non solum benedicta est propter gloriam ejus sublimissimam dignitate, non solum benedicta est propter gloriam ejus copiosissimam immensitate; imo etiam benedicta est propter gloriam ejus stabilissimam perpetuitate. Ipsa namque per domum illam signatur, de qua primo *Paralipomenon* dicitur [4] : *Te, Domine, benedicente, benedicta erit in perpetuum.* Vere in perpetuum, sicut etiam in Psalmo dicitur [5] : *Propterea benedixit te Deus in æternum.* Sic ergo, o dulcissima Virgo Maria, tu es vere in mulieribus, et super mulieres, imo etiam super viros, imo etiam super angelos benedicta. Benedicta, inquam, propter plenitudinem gratiæ, quam invenisti; benedicta propter celsitudinem personæ, quam genuisti; benedicta propter multitudinem misericordiæ, quam exhibuisti; benedicta propter magnitudinem gloriæ, quam percepisti. Te igitur, o nimis benedicta, invocamus, te imploramus, te oramus cum beato Bernardo, qui benedictam orans, ait [6] : « Fac, o benedicta, per gratiam quam invenisti, per prærogativam quam meruisti, per misericordiam quam peperisti, ut qui mediante te fieri dignatus est particeps infirmitatis et miseriæ nostræ, te quoque intercedente, participes nos faciat beatitudinis et gloriæ suæ. Amen. »

LECTIO XV.

Quod Maria sit benedicta per septem virtutes contra septem capitalia vitia.

Benedicta tu in mulieribus. De benedictione nostræ Virginis benedictæ adhuc dicamus, adhuc audiamus. Felix Maria benedicta; infelix vero omnis anima maledicta, omnes quibus dicetur [7] : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum.* Maledicta certe omnis anima vitiosa; benedicta tu vero, Maria virtuosa. Maledictionem per septem vitia capitalia mundus incurrit; benedictionem autem per virtutes contrarias Maria obtinuit. Benedicta ergo tu in mulieribus, o

[1] Hieron., loc. cit., id est epist. x, ante med. — [2] Bernard., *in Assumpt. B. M.*, serm. I, non longe a princ. — [3] *Judith*, XV, 10. — [4] I *Paralip.*, XVII, 27. — [5] *Psal.* XLIV, 3. — [6] Bern., *de Adv.*, serm. II, prope fin. — [7] *Matth.*, XXV, 41.

(*a*) *Cæt. edit. deest* Filius benedixit matrem.

Maria. Benedicta utique pro humilitate contra superbiam, pro charitate contra invidiam, pro lenitate contra iracundiam, pro strenuitate contra acediam, pro liberalitate contra avaritiam, pro sobrietate contra gulam, benedicta pro castitate contra luxuriam.

B. Maria benedicta pro humilitate contra superbiam.

Primo audiamus, charissimi, quomodo benedicta sit Maria pro humilitate contra superbiam. Superbi enim maledicti sunt, sicut scriptum est [1] : *Increpasti superbos; maledicti qui declinant a mandatis tuis.* Contra hanc superbiæ maledictionem, Maria obtinuit humilitatis benedictionem. Unde ipsa per vallem illam signari potest, de qua in libro *Paralipomenon* dicitur [2] : *Vocaverunt locum illum vallem benedictionis.* Si omnis humilis est quædam Dei vallis, juxta illud *Isaiæ* [3] : *Omnis vallis exaltabitur;* quanto magis vallis fuit Maria, quæ tanta fuit humilitate profunda! Quid mirum, si ipsa fuit vallis vallium, quæ fuit humillima humilium? O quantis hæc vallis benedicta benedictionibus est exaltata pro humilitate sua, tam profunda, tam utili, tam grata! Unde B. Augustinus ait [4] : « O vere beata humilitas Mariæ, quæ Dominum hominibus peperit, vitam mortalibus edidit, cœlos innovavit, mundum purificavit, paradisum aperuit, et hominum animas ab inferis liberavit! » Vallis quanto humilior, tanto receptibilior est aquarum; sic et Maria gratiarum. Vallis autem irrigationes aquarum recipit, quandoque a superiori, quandoque ab inferiori : a superiori quidem, per pluvias de monte defluentes; ab inferiori vero, per aquas de fonte effluentes. Similiter humilis Maria quasi de superiori et inferiori, quasi de monte et fonte irrigata est, cum de divina et humana Filii sui natura, tanta gratiarum benedictione infusa est. Hæc itaque benedictio est, de qua legitur in libro *Judicum*, quod cum Axa diceret patri suo [5] : *Da mihi benedictionem;* dedit ei pater suus irriguum superius et inferius. Axa Mariæ typum gerit, quæ irriguam a Patre cœlesti benedictionem suscepit. Dedit enim ei Deus Pater irriguum superius in Christi divinitate, inferius vero in Christi humanitate : item superius in mente, inferius in ventre : item superius in charitate Dei, inferius in charitate proximi : item superius in contemplatione, inferius in actione. Vel certe Pater ejus cœlestis dedit ei benedictionem ineffabilis irrigui superius in cœlis, inferius in terris : ut in cœlis benedictionem gloriæ, in terris vero benedictionem gratiæ possidens, benedicta esset tam in cœlo, quam in terra, secundum quod B. Bernardus innuens dicit [6] : « Memento, Maria, quod Christus maledictionem pertulit crucis, qui te suam matrem benedixit in cœlis. Sed et in terris ab Angelo benedicta, et a cunctis terræ generationibus merito benedicta prædicaris. »

B. Maria benedicta pro charitate contra invidiam.

Secundo, charissimi, audiamus, quomodo benedicta est Maria pro charitate contra invidiam. Invidi namque maledicti sunt, sicut de invido Caim dicitur [7] : *Maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, et suscepit sanguinem fratris tui de manu tua.* Contra invidiæ maledictionem, Maria obtinuit charitatis benedictionem. Unde ipsa bene per Saram signari potest, de qua Dominus dixit [8] : *Benedicam ei, et ex illa dabo tibi filium, cui benedicturus sum.* Sara interpretatur carbo. Hoc bene Mariæ convenit, quæ tanquam carbo ardore charitatis ignita fuit. Propter quod etiam ipsa bene per rubum ardentem signatur, per quam fideli cuilibet benedictio gratiæ ministratur. Unde in *Deuteronomio* dicitur [9] : *Benedictio illius, qui apparuit in rubo, veniat super caput Joseph.* Joseph interpretatur *augmentum*, et significat quemlibet fidelem divina gratia adauctum. Benedictus rubus, et benedictus qui per incarnationem apparuit in rubo, per quem tanta venit super capita fidelium benedictio. Et o vere benedictus carbo, tam benedictam flammam producens, benedicta Maria tam benedictam prolem gignens! *Ex illa*, inquit Dominus, *dabo tibi filium, cui benedicturus sum.* Pensa ergo quantam Maria charitatem ad Deum habuerit, cum Deus filius ejus sit corporaliter. Pensa etiam quantam ad proximum habuerit, cum bonus proximus filius ejus spiritualiter sit. Si autem filii ejus sumus, ergo et fratres Filii ejus sumus. Et ideo bene de ista matre benedicta dicit Anselmus : « O benedicta et exaltata, non tibi soli, sed etiam nobis, quid est, quam magnum est, quam amabile est, quod video per te evenire nobis, quod videns gaudeo, quod gaudens dicere non audeo? Si enim tu, Domina, es mater Dei, nonne et alii filii tui fratres Dei? »

Tertio, charissimi, audiamus, quomodo be-

[1] *Psal.* CXVIII, 21. — [2] II *Paralip.*, XX, 6. — [3] *Isa.*, XL, 4. — [4] Imo auctor, quisquis ille sit, serm. *de Sanct.*, XXXV, al. CCVIII, n. 10, in Append. tom. VI, *Oper.* S. Aug. — [5] *Judic.*, I, 15. — [6] Bern., sup. *Missus est*, hom. III, n. 8. — [7] *Gen.*, IV, 11. — [8] *Gen.*, XVII, 16. — [9] *Deut.*, XXXIII, 1.

B. Maria benedicta pro mansuetudine contra iram.

nedicta sit Maria pro lenitate et mansuetudine contra iracundiam. Iracundi enim maledicti sunt, sicut scriptum est in *Genesi* [1] : *Maledictus furor eorum, quia pertinax; et indignatio eorum, quia dura.* Contra hanc iræ maledictionem, Maria obtinuit mansuetudinis benedictionem. Cujus revera tanta fuit mansuetudo, quod non solum propria ira caruit, sed etiam iram Domini ad mansuetudinem convertit. Unde ipsa bene per Abigail signatur, cui David dixit [2] : *Benedictum eloquium tuum, et benedicta tu, quæ prohibuisti me, ne irem hodie ad sanguinem, et ulciscerer me manu mea.* Proprium est hoc mansuetorum, mansuetis verbis frangere iram offensorum, juxta illud *Proverbiorum* [3] : *Responsio mollis frangit iram.* Mansueta Abigail mansuetam Mariam signat. Vis nosse quam mansueta fuerit Maria? audi B. Bernardum [4] : « Revolve, inquit, diligentius evangelicæ historiæ seriem universam, et si quid forte increpatorium, si quid durum, si quod denique signum vel tenuis indignationis occurrerit in Maria, de cætero suspectam habeas, et accedere verearis. Quod si plena magis omnis pietatis et gratiæ, plena mansuetudinis et misericordiæ inveneris quæ ad eam pertinent; gratias age ei, qui talem tibi mediatricem benignissima miseratione providit, in qua nihil possit esse suspectum. » David Christum signat, qui per mansuetissimam Mariam mansuescit et placatur, ne se de peccatore per mortem æternam ulciscatur. Omnis enim anima, morti æternæ obnoxia, anhelare non cesset ad tantam Mariæ mansuetudinem, pro qua ipsa merito est benedicta. Dico ergo : Omnis spiritus moribundus dicat cum Anselmo, dicente sic : « O tu benedicta super mulieres, quæ angelos vincis puritate, sanctos superas pietate, anhelat moribundus spiritus meus ad tantæ benignitatis respectum; sed erubescit ad tanti nitoris aspectum. »

B. Maria benedicta pro strenuitate contra acediam.

Quarto audiamus, charissimi, quomodo benedicta sit Maria pro strenuitate contra acediam. Acediosi enim maledicti sunt, qui opera Dei strenue et fideliter non agunt. Unde Hieremias dicit [5] : *Maledictus, qui facit opus Dei fraudulenter.* Contra torporis maledictionem, Maria meruit rigoris (*a*) benedictionem. Ipsa namque per illam Jahel signata esse potest, quæ clavo Sisaram interfecit. Propter quod in libro *Judicum* dicitur [6] : *Benedicta inter mulieres Jahel*, etc. Jahel interpretatur *ascendens*, quod convenit Mariæ, quæ non, sicut acediosi, descendit; sed strenue de virtute in virtutem, de inferioribus in superiora (*b*) semper ascendit, juxta illud *Canticorum* [7] : *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi?* ista benedicta Jahel quid fecit? certe clavo tabernaculi Sisaram interfecit. Sisara *exclusio gaudii* interpretatur : et bene diabolum signat; quia a gaudio cœlesti exclusus etiam alios excludere festinat. Imo, heu! nos omnes excluserat per matrem generis humani, cujus exclusionis maledictio exclusa est per benedictam matrem Salvatoris. Unde bene venerabilis presbyter Beda ait [8] : « Benedicta tu inter mulieres, per cujus partum virgineum a natis mulierum maledictio primæ matris exclusa est. » Sed quid per clavum signatur, quo caput Sisaræ perforatur? Quis est clavus iste, nisi rigor disciplinæ? Quid est enim rigor disciplinæ acediosis, nisi quasi quidam clavus in oculis? Rigor utique disciplinæ clavus est diabolum acerrime pungens, clavus est rigidissime configens. Benedicta itaque Jahel caput Sisaræ clavo interficiente confixit, quando benedicta Maria virtutem Satanæ rigore disciplinæ in se extinxit. Benedicta ergo inter mulieres Jahel, benedicta inter mulieres Maria. Inter quas mulieres? audi Bedam qui dicit : « Non solum benedicta tu in mulieribus, sed inter mulieres benedictas majori benedictione specialiter insignis. »

Quinto audiamus, charissimi, quomodo benedicta sit Maria pro liberalitate contra avaritiam. Avari enim maledicti sunt, ut Petrus ait [9] : *Cor excitatum avari habentes maledictionis filii*, etc. Contra hanc avari maledictionem, Maria meruit largitatis et profusionis benedictionem. Ipsa tanquam vera fontana semper fuit effluens, semper larga : et ideo vere benedicta, juxta illud [10] : *Sit vena tua benedicta.* In temporalibus vena illa Maria plus quam larga fuit, quia large et perfecte omnia contempsit. Unde secundum expositionem Haymonis [11], beata Dei genitrix Lunam sub pedibus habuit, quia cuncta temporalia despexit. O quantæ gratiæ per hanc venam ad homines defluxerunt! Sit ergo, o Ec-

[1] *Gen.*, XLIX, 7. — [2] I *Reg.*, XXV, 32. — [3] *Prov.*, XV, 1. — [4] Bernard., *Dom. inf. oct. Assumpt.*, serm. ex verbis *Apoc.* c. XII, n. 2. — [5] *Jerem.*, XLVIII, 10. — [6] *Judic.*, V, 24. — [7] *Cant.*, III, 6. — [8] Bed., Hom. æst., *in solemn. Deip. Virg. Mar., quando salutavit Elisabeth*, ante med. — [9] II *Petr.*, II, 13. — [10] *Prov.*, V, 18. — [11] Haym., *in Apoc.*, c. XII.

(*a*) *Leg.* vigoris. — (*b*) *Cæt. edit. deest* in superiora.

clesia, vena tua benedicta, per quam tibi tanta affluunt bona. Vere vena nobilis, vena Spiritu sancto plena, vena fontis vitæ, vena salutis nostræ Maria. Per hanc namque venam fons vitæ Christus ad nos venit, et per hanc ad fontem vitæ Jesum Christum etiam nos venimus : et ideo vere est benedicta. Unde beatus Bernardus ait [1] : « Per te accessum habemus, o benedicta inventrix gratiæ, genitrix vitæ, mater salutis, ut per te suscipiat nos, qui per te datus est nobis. »

B. Maria benedicta pro temperantia contra gulam.

Sexto, audiamus, charissimi, quomodo benedicta sit Maria pro sobrietate contra gulam. Gulosi namque maledicti sunt, sicut patet in gula primorum parentum, pro qua et ipsi et totum genus humanum maledictionem incurrerunt. Contra hanc gulæ maledictionem, Maria obtinuit abstinentiæ et omnis temperantiæ benedictionem. Merito enim contra maledictiones gulæ in paradiso materiali, abundaverunt benedictiones temperantiæ in paradiso spirituali, juxta illud *Ecclesiastici* [2] : *Gratia quasi paradisus in benedictionibus.* Tanta gratiarum copia in Maria abundavit, ut etiam ipsa gratiosa Virgo gratia quodam modo dici possit. Hæc autem gratia, videlicet gratiosissima Virgo Maria, fuit quasi paradisus in benedictionibus. Sicut enim in paradiso materiali gula Evæ meruit maledictiones pœnarum, sic in paradiso spirituali temperantia Mariæ meruit benedictiones gratiarum. Unde Augustinus ait [3] : « Maledictio Evæ in benedictionem vertitur Mariæ. » Sicut autem gula Evæ non solum maledictionem in anima, sed etiam in corpore; sic Maria non solum benedictionem in corpore, sed etiam in anima, non solum benedictionem spiritualem, sed etiam corporalem obtinuit. Maledictio enim Evæ gulosæ fuit parere cum dolore; benedictio autem Mariæ temperatæ, parere sine dolore, teste beato Bernardo, qui ait [4] : « Benedicta tu in mulieribus, quæ illam generalem maledictionem evasisti, qua dictum est [5] : *In dolore paries filios;* et nihilominus illam qua dictum est [6] : *Maledicta sterilis in Israel*; ac singularem consecuta es benedictionem, ut nec sterilis maneas, nec cum dolore parias. »

B. Maria

Septimo audiamus, charissimi, quomodo benedicta est Maria pro castitate (*a*) contra luxuriam. Luxuriosis dicitur [7] : *Maledictus qui dormit cum uxore alterius proximi sui; et dicit omnis populus : Amen.* Sic dicitur in *Deuteronomio.* Contra hanc incontinentiæ maledictionem, Maria meruit continentiæ benedictionem, sicut signatum potest esse in libro *Judith*, ubi dicitur [8] : *Benedixerunt eam una voce dicentes : Tu gloria Hierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi, quæ fecisti viriliter, et confortatum est cor tuum, eo quod castitatem amaveris, et post virum tuum alium nescieris. Ideo manus Domini confortavit te, et eris benedicta in æternum.* In hac castæ Judith benedictione, potest benedictio Mariæ non solum signari, sed etiam per locum a majori probari. Si enim sic benedicta est vidua casta, quanto magis virgo casta? Maxime talis virgo, quæ Deum parere, et certe sic parere meruit, quod virginitatem non amisit. Propter quod bene Beda dicit [9] : « Benedicta est incomparabiliter, quæ et divini germinis gloriam suscepit, et coronam virginitatis servavit. » Notandum autem est, quod in Scripturis invenimus benedictam conjugatam, benedictam viduam, et benedictam Virginem. Benedicta conjugata fuit Sara, de qua dicitur in *Tobia* [10] : *Dicatur benedictio super uxorem Tobiæ.* Benedicta autem vidua fuit Judith, sicut ostensum est. De vidua quoque benedicta in Psalmo dicitur [11] : *Viduam ejus benedicens benedicam.* Benedicta vero fuit Virgo Maria, teste Angelo, qui dixit : *Benedicta tu in mulieribus.* Benedicta ergo quæ conjugalem; benedicta magis quæ vidualem; benedicta maxime, quæ virginalem amaverit castitatem. Benedicta certe, quæ cum Sara et Susanna fuerit casta conjugaliter; benedicta magis, quæ cum Judith et Anna fuerit casta vidualiter; benedicta maxime, quæ cum Maria fuerit casta virginaliter. Propter quod beatus Augustinus dicit [12] : « Bonum Susannæ in conjugali castitate laudamus; sed tamen ei bonum viduæ Annæ, ac multo magis virginis Mariæ anteponimus. » Vere dignum et justum est hoc. Dignum est, ut benedicta sit, quæ cum viro suo alium non novit; justum magis est, ut benedicta sit quæ nec cum viro suo, nec post virum, alium non novit. Dignum et justum est, ut maxime benedicta sit, quæ nec

benedicta pro castitate (*a*) contra luxuriam.

[1] Bern., *de Adv.*, serm. II, circa fin. — [2] *Eccli.*, XL, 17. — [3] Imo auctor, quisquis ille sit, serm. *de Sanct.*, XVIII, al. CXCIV, n. 1, in Append. tom. V, *Oper.* S. Aug. — [4] Bern., sup. *Missus est*, hom. III, n. 7. — [5] *Deut.*, VII, 14, in sensu. — [6] *Gen.*, III, 16. — [7] *Deut.*, XXVII, 20. — [8] *Judith.*, XV, 10, 11. — [9] Bed., ubi sup. proxime. — [10] *Tob.*, IX, 10. — [11] *Psal.* CXXXI, 15. — [12] Aug., *de Bon. conj.*, n. 8.

(*a*) *Cæt. edit.* per castitatem.

suum, nec alium virum novit, et tamen virum tam immensum concepit. Ideoque Augustinus exclamans dicit[1] : « O fœmina super fœminas benedicta, quæ virum omnino non novit, et virum suo utero circumdedit ! » Sic ergo, charissimi, pro humilitate benedicta, benedicta pro charitate, benedicta pro lenitate, benedicta pro strenuitate, benedicta pro liberalitate, benedicta pro sobrietate, benedicta pro castitate Maria merito fuit : quæ humilitate excellentissima, charitate opulentissima, lenitate patientissima, strenuitate ferventissima, largitate affluentissima, sobrietate abstinentissima, virginitate continentissima fuit. Eia ergo, tu tam multipliciter benedicta, tu tam feliciter superbenedicta Maria, oramus, ut tua benedictione nos miseros absolutos ab omni maledictione, dignos reddas divina benedictione. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

LECTIO XVI.

Quis et qualis sit fructus ventris beatæ Mariæ.

Benedictus fructus ventris tui. Ostensum est supra quomodo Maria propter purissimam vitæ innocentiam merito per *Ave* salutatur ; quomodo propter copiosissimam gratiæ affluentiam, merito gratia plena commemoratur; quomodo propter familiarissimam Dei præsentiam Dominus secum fore insinuatur. Ostendendum autem nunc est quomodo propter utilissimam prolis suæ excellentiam, merito benedictus fructus ventris sui proclamatur. *Benedictus* ergo *fructus ventris tui,* o benedicta Mater Filii Dei. Hic est ille fructus, de quo Propheta dicit[2] : *Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum* (*a*). Quod exponens Beda dicit[3] : « Dedit Dominus benignitatem, quia in ingressu unigeniti sui, virginalis uteri templum, Spiritus sancti gratia, consecravit. Et terra nostra dabit fructum suum, quia eadem Virgo, quæ de terra corpus habuit, Filium genuit, divinitate quidem Deo Patre coæqualem, sed sibi carnis veritate consubstantialem. Considerandum autem est, quod fructus iste fructus generosissimus, fructus deliciosissimus, fructus virtuosissimus, fructus copiosissimus est. Fructus, inquam, generositate sublimissimus, fructus delectabilitate desiderabilissimus, fructus virtuositate utilissimus, fructus copiositate universalissimus.

Primo consideremus, charissimi, quomodo fructus uteri virginalis generosissimus sit. Generosus quidem est, quia de utero regali est; generosior autem est, quia de utero virginali est; generosissimus certe est, quia de utero paternali, de utero, inquam, Patris æterni est. Dico, charissimi, quod generosus est fructus iste, quia de utero regali, de utero, inquam, regis David prodiit, sicut sibi Dominus promiserat dicens in *Psalmo*[4] : *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Hoc autem promissum Apostolus testatur, dicens ad Romanos[5] : *Qui factus est ex semine David secundum carnem.* Et certe fructus iste generosus et nobilis est, non solum propter regem David, sed et propter omnes illos nobiles reges, progenitores suos, per quos secundum genealogiam a Matthæo descriptam propagatus in mundum venit, juxta illud *Sapientiæ*[6] : *A regalibus sedibus venit.* Item, charissimi, fructus iste licet generosus sit propter uterum regalem, generosior tamen est propter uterum virginalem, de quo dicitur : *Benedictus fructus ventris tui*; ventris utique, qui, secundum quod in virga Aaron significatum fuit, florem virginitatis simul cum fructu fœcunditatis retinuit. Propter quod bene beatus Bernardus ait[7] : « Nascitur Christus ex muliere, sed cui fœcunditatis fructus sic accedat, ut non decidat flos virginitatis. » Ista fructus virginalis nobilitas, sicut mirabilior, ita excellentior est quam prima, plusquam cœli exaltentur a terra. O vere mirabilis et inaudita nobilitas ! o vere nobilis de Virgine nativitas ! « Nobilitas, » inquit Augustinus[8], « fuit nascentis in virginitate parientis, et nobilitas parientis in divinitate nascentis. » Item, charissimi, fructus iste licet generosus sit propter uterum regalem, generosior autem propter uterum virginalem, generosissimus tamen propter uterum paternalem. Unde de isto fructu accipi potest illud *Oseæ*[9] : *Ex me fructus tuus inventus est.* Originale habet *tuus,* sed Septuaginta habent *ejus.* Dicat ergo Deus Pater ad Mariam, dicat ad fidelem animam, dicat ad Ecclesiam : *Ex me fructus tuus inventus est* ; tuus, o Maria, ad hunc fructum producendum electa; tuus, o anima, ad hunc fructum

Fructus uteri virginalis generosissimus

Christus e stirpe regia.

Christus ex Virgine.

[1] Imo auctor serm. *de Sanct.*, XVIII, al. CXCIV, n. 3, in Append. tom. V, *Oper.* S. Aug. — [2] *Psal.* LXXXIV, 13. — [3] Bed., *in solemn. Deip. B. V. M. quando salutavit Elizabeth*, ante med. — [4] *Psal.* CXXXI, 11. — [5] *Rom.*, I, 3. — [6] *Sap.*, XVIII, 15. — [7] Bern., *de Circumc. Dom.*, serm. I, n. 2. — [8] Aug., *in Epiph. Dom.*, serm. CC, n. 2. — [9] *Ose.*, XIV, 9.

(*a*) Cæt. edit. *fructus suos.*

diligendum illecta; tuus, o Ecclesia, ad hunc fructum percipiendum collecta. Tuus, inquam, tuus. Tuus certe corporaliter per assumptam naturam; tuus spiritualiter per gratiam; tuus sacramentaliter per Eucharistiam; tuus æternaliter per gloriam. Ex me tamen tuus est, quia ex meo utero genitus est, sicut in Psalmo scriptum est [1] : *Ex utero ante luciferum genui te.* O vere nimis admiranda nimisque veneranda nobilitas, quod fructus ventris materni est Filius uteri æterni et Sapientia cordis paterni, sicut et B. Bernardus de isto fructu ait [2] : « Illius, o Maria, eris mater, cujus Deus est Pater : Filius paternæ charitatis, erit corona tuæ castitatis : Sapientia paterni cordis, erit fructus uteri virginalis. » Ista ergo fructus generosissimi hujus nobilitas primam et secundam in infinitum sua dignitate præcedit, et omnem intellectum humanum et angelicum cum sua sublimitate excedit. Ideoque bene de hoc fructu dicitur ab Isaia [3] : *Erit germen Domini in magnificentia et gloria, et fructus terræ sublimis* : in magnificentia, propter regalem; in gloria, propter virginalem; sublimis, propter æternalem sive paternalem generositatem.

Fructus uteri virginalis deliciosissimus

Secundo consideremus, charissimi, quomodo fructus uteri virginalis deliciosissimus sit. Deliciosus quidem est in odore, deliciosior in specie, deliciosissimus vero in sapore. Decorem autem ejus fide, odorem spe, saporem ejus charitate percipimus. Dico, charissimi, quod fructus Mariæ deliciosus est suavi odore. Unde de ipso bene potest dicere mater ejus illud *Ecclesiastici* [4] : *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris.* Fructus vitis est proles Virginis. Quod tamen vere mirum est, et mire verum est, teste Augustino, qui de hoc fructu sic ait [5] : « De creatura Creator omnium procreatus nascitur, de rivulo suo fons magnus educitur, radix omnium de virgulto suo nascitur, et vitis vera palmitis sui fructus efficitur. » Fructus vitis vinum est; odor vini delectabilis est. Sic certe odor exemplorum Christi, odor consolationum Christi, odor promissionum Christi valde delectabilis est animæ Christum sitienti. Et ideo sicut odor vini sitientem, sic odor Christi trahit post ipsum currentem et dicentem [6] : *Trahe me post te,* etc. Quod nos miseri, heu! non currimus, sed vix serpimus, signum est, quod de odore hujus fructus, heu! parum suscepimus. Oh! si olfactum Isaac haberemus, qui hujus fructus odorem tam longe præsensit, teste beato Bernardo qui sic dicit [7] : « Hujus odoriferi fructus fragrantiam sentiebat, qui dicebat [8] : *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus!* » Item, charissimi, fructus iste non solùm deliciosus est odore, sed etiam deliciosior est specie et decore. De hoc nota quod dicitur in *Levitico* [9] : *Sumetisque die primo fructus arboris pulcherrimæ,* Primus dies animam illuminans est fides. Et certe si sumere debemus fructus arboris pulcherrimæ, arbor pulcherrima est Maria : pulchra quidem in foliis oris; pulchrior autem in floribus cordis; pulcherrima vero in pulcherrimo fructu ventris. De quo B. Bernardus infert sic [10] : « Si, inquit, fructus ille mortis non solum suavis fuit ad vescendum, sed etiam, teste Scriptura [11], *delectabilis aspectu;* quanto magis hujus vitalis fructus vivificum decorem debemus inquirere illum [12], *in quem desiderant angeli prospicere?* » Pulcher utique fructus Christus est, qui [13] *speciosus forma præ filiis hominum* est. Si autem plenius cognoscere volumus fructus hujus pulchritudinem, recurramus ad ipsam arborem pulcherrimam, requiramus ipsam pulcherrimam ejus matrem, et dicamus illud *Canticorum* [14] : *Qualis est dilectus tuus ex dilecto, o pulcherrima mulierum?* Et ecce ipsa respondens statim dicit [15] : *Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus.* Ipse [16] *candor lucis æternæ,* candidus quidem est divinitate, rubicundus autem humanitate; candidus quoque conversatione, rubicundus passione. Ecce quam pulcher fructus. Propter hoc bene de ipso dicit Augustinus [17] : « Pulcher in cœlis, pulcher in terris, pulcher in Patre Verbum, pulcher in matre caro et Verbum. » Hæc autem pulcherrima arbor Maria non solum habet pulcherrimum fructum ventris, sed etiam pulcherrimos habet fructus mentis. De quibus Apostolus ad Galatas scribens ait [18] : *Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, conti-*

[1] *Psal.* CIX, 3. — [2] Bern., sup. *Missus est*, hom. III, n. 8. — [3] *Isa.*, IV, 2. — [4] *Eccli.*, XXIV, 23. — [5] Imo auctor, quisquis ille sit, serm. *de Temp.*, IX, al. CXIX, n. 2, in Append. tom. VI, *Oper.* S. Aug. — [6] *Cant.*, I, 3. — [7] Bern., ubi sup. proxime, n. 6. — [8] *Gen.*, XXVII, 27. — [9] *Levit.*, XXIII, 40. — [10] Bernard., ubi sup. proxime. — [11] *Gen.*, III, 6. — [12] II *Petr.*, I, 12. — [13] *Psal.* XLIV, 3. — [14] *Cant.*, V, 9. — [15] Ibid., 10. — [16] *Sap.*, VII, 16. — [17] Imo auctor, quisquis ille sit, serm. *de Temp.*, XI^VI, al. CXXVIII, n. 5. — [18] *Gal.*, V, 22.

nentia, castitas. Item, charissimi, fructus iste non solum deliciosus est odore, et deliciosior decore, sed etiam deliciosissimus est sapore. Quod bene illa sancta anima experta fuit, quæ in *Canticis* dicit [1] : *Sub umbra illius, quem desiderabam (a), sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo.* Quid mirum, si fructus iste tam dulcis est, qui tam altus est? Dicit enim beatus Bernardus : « Fructus quanto altior, tanto dulcior. » Ergo tu solus dulcissimus, quia tu solus altissimus. Quomodo autem potest altissimus esse ille fructus, cujus brevissima est arbor? Sed certe arbor hujus fructus Maria, et altissima simul est, et brevissima : altissima dignitate, brevissima humilitate; altissima in oculis Domini, brevissima in oculis suis; quæ licet hoc modo sit brevis, fructus tamen ejus est valde dulcis. Unde in *Ecclesiastico* dicitur [2] : *Brevis in volatilibus est apis, et initium dulcoris habet fructus ejus.* Si igitur fructus ventris Mariæ in olfactu, in visu et in gustu deliciosissimus est, ideo vere benedictus est. Sicut etiam beatus Bernardus testatus est, dicens [3] : « *Benedictus fructus ventris tui :* Benedictus in odore, benedictus in sapore, benedictus in specie. »

Fructus virginalis uteri virtuosissimus

Tertio, charissimi, consideremus quomodo virginalis uteri fructus sit virtuosissimus. Nam revera virtuosus est ad perditorum salvationem, ad salvandorum multiplicationem, et ad multiplicatorum conservationem. Dico, charissimi, quod fructus iste benedictus virtuosus est ad salvandum, sive ad salutem; propter quod etiam fructus salutis dicitur. Unde *Ecclesiasticus* ait [4] : *Corona sapientiæ timor Domini, replens pacem et salutis fructum.* Quid est, quod dicit pacem et fructum? fructus salutis nostræ et pax nostra ille est, qui fecit utraque unum, Jesus Christus. Et certe hunc fructum, hanc pacem timor Domini replevit, teste Isaia, qui ait [5] : *Et replevit eum spiritus timoris Domini.* Bene autem dicitur fructus salutis, sine quo nulla salus est nobis, juxta illud [6] : *Non est in aliquo alio salus.* Et Anselmus : « Non est, inquit, salus, nisi quem tu, Virgo, peperisti. » Tu igitur, o Maria, vere es arbor salutis, quæ mundo portasti fructum salutis, sicut B. Bernardus exclamans dicit [7] : « O vere cœlestis planta, pretiosior cunctis, sanctior universis! O vere lignum vitæ, quod solum fuit dignum portare salutis fructum. » Sed, heu! multi fructum istum (*b*) salutiferum faciunt mortiferum, fructumque tam melliferum sibi convertunt in absinthium æternum, sicut in *Amos* dicitur [8] : *Convertistis in amaritudinem judicium, et fructus justitiæ in absinthium.* Item, charissimi, fructus iste valde est virtuosus non solum virtute salvativa, sed etiam virtute multiplicativa. Unde etiam in bono exponere possumus quod scriptum est [9] : *A fructu frumenti, vini et olei sui multiplicati sunt,* ut frumentum ad corpus Christi, oleum ad animam Christi, vinum ad divinitatem Christi referamus. Fructum quoque frumenti ad sacramentum corporis Christi, fructum autem vini ad sacramentum sanguinis Christi, fructum vero olei ad unguentum Spiritus sancti referre possumus. Ab hoc ergo fructu multiplicati sunt filii in Ecclesia, et multiplicata est Ecclesia in filiis. Nam omnes filii ventris Ecclesiæ sunt hæreditas et merces fructus ventris Mariæ, sicut in Psalmo dicitur [10] : *Ecce hæreditas Domini filii merces, fructus ventris.* De hoc quoque beatus Hieronymus ait [11] : « Ipse Dominus, natus ex Virgine, factus est fructus ventris, cujus assumpta humanitas hanc accepit mercedem, ut gentes vocatæ in filiis sint hæreditas ejus. » Item, charissimi, fructus iste benedictus non solum virtute salvativa virtuosus, non solum virtute multiplicativa virtuosior, sed etiam virtute conservativa virtuosissimus est. Unde de hoc fructu possumus accipere illud *Proverbiorum* [12] : *Fructus justi, lignum vitæ.* Sicut enim lignum vitæ, quod fuit in medio paradisi terrestris, virtutem habuit servandi vitam naturæ, sic certe fructus ventris Mariæ, qui est lignum vitæ et fructus vitæ, in medio paradisi Ecclesiæ conservat vitam gratiæ; in medio paradisi cœlestis patriæ, vitam gloriæ. Conservat quidem vitam gratiæ a corruptione culpæ; vitam vero gloriæ a corruptione omnis miseriæ, ut sic recipiamus in fructu Mariæ, quod amisimus in fructu Adam et Evæ, sicut bene notavit Beda, dicens [13] : « Benedictus fructus ventris illius, per quem et semen incorruptionis in agro supernæ hæreditatis, quam in Adam perdidimus, fructum recipimus. » Sit ergo benedictus fructus Mariæ salutem dando spiritualiter, salvandos multipli-

[1] *Cant.*, II, 3. — [2] *Eccli.*, XI, 3. — [3] Bern., super *Missus est*, hom. III, n. 6. — [4] *Eccli.*, I, 22. — [5] *Isa.*, XI, 2. — [6] *Act.*, IV, 12. — [7] Bern, *de Adv. Dom.*, serm. II, n. 4. — [8] *Amos*, VI, 13. — [9] *Psal.* IV, 8. — [10] *Psal.* CXXVI, 3. — [11] Hieron., *in Psal.* CXXVI. — [12] *Prov.*, XI, 30. — [13] Beda, Hom. æst., *in solemn. Deip. V. M., quando salutavit Elisabeth*, ante med.

(*a*) Vulg. *desideraveram.* — (*b*) *Cæt. edit.* justum.

cando universaliter, multiplicatos conservando æternaliter virtuosissimus.

Fructus virginalis uteri copiosissimus.

Quarto consideremus, charissimi, quomodo virginalis uteri fructus sit copiosissimus. Revera enim tam copiosus est, quod animam plene potest reficere; tam copiosus est, quod omnibus potest sufficere; tam copiosus est, quod nunquam potest deficere. In primo quidem copiosus; in secundo copiosior; in tertio copiosissimus est. Dico, charissimi, quod fructus iste benedictus tam copiosus est, quod animam rationalem, quam totus mundus omnisque creatura satiare non potest, fructus iste ad satietatem reficere potest. Unde scriptum est [1]: *De fructu operum tuorum satiabitur terra.* Fructus ventris Mariæ est fructus operum tuorum, Domine : tuorum utique, tuorum; non humanorum, non mortalium, sed tuorum. Tuum enim, Domine, opus est tantæ virtutis præparatio; tuum opus est Gabrielis missio; tuum opus est Spiritus sancti superventio; tuum opus est Verbi et carnis unitio. Talium operum tuorum, Domine, est fructus iste, quia de talibus operibus, quasi de quibusdam floribus, processit fructus iste. Unde etiam in Nazareth, quod *flos* interpretatur, bene apparuerunt flores isti. Dicit enim beatus Bernardus [2]: « In Nazareth nuntiatur Christus nasciturus, quia in flore speratur fructus processurus. » Terra quæ isto fructu satiatur est humana, quæ ad modum terræ semper est germinativa, sive utilium, sive inutilium herbarum, id est, cogitationum et desideriorum. Ista, inquam, terra fructu Mariæ satiatur, sicut scriptum est [3] : *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Quid mirum, si in gloria satientur hoc fructu fruentes, cum etiam in miseria satientur credentes? Unde Cassiodorus exclamans dicit [4]: « O fructus ille mirabilis, qui humanum genus dulcissima credulitate satiavit! » Unde non gustare peccare est. Vide ergo quam copiosus iste fructus est, qui animam satiare potest, quam totus mundus satiare non potest. Item, charissimi, fructus iste benedictus non solum tam copiosus est, quod animam insatiabilem potest plene reficere; sed etiam tam copiosus est, quod universitati salvandorum potest bene sufficere. Hinc enim est fructus arboris illius gloriosæ, de qua dicitur [5]: *Fructus ejus nimius, esca universorum in ea est :* universorum certe in Domino viventium, quiescentium et resurgentium, sicut pulchre signatum potest esse in *Levitico,* ubi dicitur [6] : *Dabo vobis benedictionem meam anno sexto, et faciet fructum trium annorum.* Annus sextus ætatem sextam, septimus septimam, octavus octavam signat. Iste annus sextus est annus plenitudinis, secundum illud Apostoli [7] : *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum,* etc. Hic itaque annus protulit fructum, Dei Filium, fructum utique tam copiosum, quod per ipsum, anno sexto viventium, anno septimo quiescentium, et anno octavo resurgentium, habemus omnes fructus animarum nostrarum. Ipse ergo est fructus sufficiens universitati animarum nostrarum, quia est, Dominus sufficiens universitati creaturarum. Hic autem est fructus ventris Mariæ, teste Augustino, qui ait : « Illa virgo singulari gratia præventa est atque repleta, ut ipsum haberet ventris sui fructum, quem ex initio habet universitas Dominum. » Item, charissimi, fructus noster benedictus non solum in hoc copiosus est quod animas satiandas potest ad satietatem reficere; non solum in hoc copiosior est, quod animarum satiandarum potest universitati sufficere; sed etiam tam copiosissimus est, quod satiandis animabus et angelis nunquam potest deficere, juxta illud *Ezechielis* [8] : *Non deficiet fructus ejus.* O infinita copia ! o copia defectus nescia ! Deficere utique non potest copia hujus fructus in æternum, cum sit copiosissime benedictus in æternum. Ait enim beatus Bernardus [9] : « *Benedictus fructus ventris tui,* qui est benedictus in æternum. » Sic ergo fructus iste benedictus copiosus est, dum ad satietatem reficit; copiosior, dum satiandorum universitati sufficit; copiosissimus, dum satiandis in perpetuum non deficit. Vides nunc, o lector, vides, o auditor, quam generosissimus, quam deliciosissimus, quam copiosissimus sit fructus ventris Mariæ benedictus. Vides, inquam, quomodo sit generosus ex utero regali, generosior ex virginali, generosissimus ex paternali. Vides etiam quomodo deliciosus sit odore, deliciosior decore, deliciosissimus sapore. Vides nihilominus quomodo virtuosus sit ad curandum, virtuosior ad multiplicandum virtuosissimus ad conservandum. Vides insuper quomodo copiosus ad satietatem, copiosior ad universalitatem, copiosissimus ad perpetuitatem. Hæ duodecim conditiones hujus fructus signari possunt per illos

Christus solus animam satiare potest.

[1] *Psal.* CIII, 13. — [2] Bern., sup. *Missus est,* serm. I, n. 3. — [3] *Psal.* XVI, 15. — [4] Cassiod., *in Psal.* I. — [5] *Dan.,* IV, 9. — [6] *Levit.,* XXV, 21. — [7] *Gal.,* IV, 4. — [8] *Ezech.,* XLVII, 12. — [9] Bern., sup. *Missus est,* serm. III, n. 7.

duodecim fructus, de quibus in *Apocalypsi* dicitur [1], quod angelus Joanni ostendit lignum vitæ afferens fructus duodecim. Et quia fructus iste, fructus vitæ, lignum vitæ, omnibus hominibus ad vitam producitur, ideo merito omnis homo ad laudandum hujus fructus auctorem inducitur, sicut scriptum est [2]: *Confiteantur tibi populi, Deus, confiteantur tibi populi omnes; terra dedit fructum suum.* Eia nunc, benedicta mater hujus benedicti fructus, fac ut hoc fructu fruamur in æternum, per eumdum fructum Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum. Amen.

LECTIO XVII.

Fructus ventris Beatæ Mariæ quorum sit, et quibus debeatur.

Benedictus fructus ventris tui. Postquam tenuiter vidimus de fructu ventris Mariæ, qualis et quantus sit et credatur; videamus modo quorum sit, et quibus debeatur. Fructus namque iste non solum est fructus ventris, sed etiam mentis. Fructus est ventris solius Mariæ; fructus autem mentis cujuslibet fidelis animæ: fructus ventris per carnem; fructus mentis per fidem. Unde sanctus Ambrosius ait [3]: « Si secundum carnem una mater est Christi, secundum tamen mentem omnium fructus est Christus. Omnis enim anima concipit Dei Verbum, si tamen immaculata et immunis vitiis. » Igitur, secundum Ambrosium, quæcumque mens hunc fructum sibi voluerit adesse, debet a vitiis immunis esse. Christus enim fructus est mentis non vitiosæ, sed virtuosæ: non vitiosæ per septem vitia capitalia, sed virtuosæ contra septem vitia capitalia. Fructus ergo iste est fructus humilium contra superbiam, fructus amantium contra invidiam, fructus mitium contra iram, fructus laborantium contra acediam, fructus liberalium contra avaritiam, fructus abstinentium contra gulam, fructus continentium contra luxuriam.

Fructus ventris Mariæ est humilium, contra superbiam.

Primo, charissimi, videamus quomodo fructus iste benedictus sit humilium contra superbiam. De hoc enim accipere possumus quod dicitur in libro *Regum* [4]: *Quodcumque reliquum fuerit de domo Juda, mittet radicem deorsum, et faciet fructum sursum.* De domo Juda fuit beata Maria; de domo Juda est quælibet fidelis anima: illa corporaliter, ista spiritualiter: illa per carnem, ista per fidem. Et ideo non solum Maria, sed etiam quilibet fidelis volens facere fructum sursum, debet radicem mittere deorsum. Radix autem deorsum mittenda, humilitas est; quæ ad modum radicis semper ad ima tendens est. Hujus benedictæ radicis arbor quanto fuerit procerior, tanto radix ipsa debet esse profundior, juxta illud *Ecclesiastici* [5]: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam.* Alioquin arbor quanto major esset, tanto citius vento inflationis subverteretur, si non magna et profunda humilitatis radice firmaretur. Pensemus ergo quantum illius virgæ radix profunda fuerit, quæ sic in sublime excrevit, quod fructum angelis altiorem ferre meruit, fructum utique de quo beatus Ambrosius ait [6]: « Ipse fructus est flos radicis, de qua (*a*) Isaias [7]: *Exiet,* inquit, *virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet.* » Quæcumque anima hanc humilitatis radicem deorsum miserit, ipsa hunc sursum habebit; sursum, inquam, in alto intellectu, sursum in alto affectu; sursum in contemplatione, sursum in dilectione. Sic ergo fructus iste benedictus humilium est. Ideo Maria super omnes homines fuit hoc dignissima, quia super omnes homines humilitate fuit radicatissima. Propter quod bene beatus Bernardus exclamans dicit [8]: « O Virgo, virga sublimis, ad quantam celsitudinem verticem sanctum erigis! usque ad thronum majestatis, quoniam in altum mittis radicem humilitatis. »

Fructus Mariæ est diligentium, contra invidiam.

Secundo videamus, charissimi, quomodo fructus iste benedictus sit amantium Deum et proximum, contra invidiam. De hoc accipere possumus illud Psalmi [9]: *Ecce hæreditas Domini filii merces, fructus ventris.* Hoc exponens beatus Ambrosius ait [10]: « Hæreditas Domini, filii sunt, qui merces sunt fructus illius, qui de Mariæ ventre processit. » Multi ergo filii sunt merces unici filii, qui est fructus ventris benedicti. Sed ubi, vel quando meruit hanc mercedem? Meruit certe nascendo, meruit in præsepio jacendo, meruit circumcisionem sustinendo, meruit docendo, meruit opera salutis nostræ exercendo, meruit moriendo; meruit, inquam, nobis, triginta tribus annis nobis serviendo. Et propter hoc justissime hanc mercedem exigit, dicens [11]: *Si bonum est in oculis vestris, afferte mercedem*

[1] *Apoc.*, XXII, 2. — [2] *Psal.* LXVI, 7. — [3] Ambros., *in Luc.*, lib. II, n. 26. — [4] IV *Reg.*, XIX, 30. — [5] *Eccli.*, III, 20. — [6] Ambros., lib. cit., n. 24. — [7] *Isa.*, XI, 1. — [8] Bern., *de Adv. Dom.*, serm. II, n. 4. — [9] *Psal.* CXXVI, 3. — [10] Ambros., ubi sup. proxime. — [11] *Zach.*, XI, 12. — (*a*) *Al.* quo.

meam. Sed certe non solum filii sunt merces fructus ventris; sed ipse fructus ventris sanctissimi est merces filii cujuslibet adoptivi. Qui autem sunt isti filii? audi. Filiorum est diligere patrem, et patris filios. Filii ergo Dei et filii Ecclesiæ sunt, quicumque Deum et proximum diligunt. Unde Apostolus ad Ephesios [1]: *Estote imitatores Dei, sicut filii charissimi, et ambulate in dilectione*, etc. Et in *Matthæo* dicitur [2]: *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est*, etc. Tales ergo filii, videlicet amatores Dei et proximi, sunt merces hujus fructus benedicti, taliumque filiorum merces est ipse fructus benedictus. Sic igitur fructus iste diligentium est; et ideo Maria super omnes homines fuit hoc fructu dignissima, quia super omnes homines fuit charitate affectuosissima. Propter quod bene ait beatus Augustinus sic : « Quis dubitare poterit omnino in affectionem charitatis transisse viscera Mariæ, in quibus ipsa, quæ Deus est, charitas novem mensibus corporaliter requievit? »

Fructus Mariæ est mitium, contra iram.

Tertio, charissimi, videamus quomodo fructus Mariæ benedictus sit patientium et mitium, contra iram. De hoc accipiamus quod dicitur in libro *Job* [3]: *Acquiesce ergo illi, et habeto pacem, et per hæc habebis fructus optimos*. Acquiescere et pacem habere, est mitium et patientium : qui autem tales sunt, ipsi per hæc fructus optimos habebunt. Duo autem optimi sunt fructus, unus virtutis, alter ventris. Optimus fructus mentis est charitas, de qua Apostolus ait [4]: *Fructus autem spiritus*, etc. Fructus qui ibi enumerantur, alii quidem sunt boni, alii vero meliores; sed primus, qui est charitas, optimus est, per quem alii omnes, sicut ostendit Augustinus, boni sunt. Optimus autem fructus ventris est Christus: ille namque bonus fructus ventris est, quicumque in ventre sanctificatus est : idecque bonus est fructus ventris Elisabeth; melior autem fructus ventris Annæ; optimus autem fructus ventris Mariæ. Bonus autem fructus ventris Elisabeth Joannes; melior fructus Annæ Maria; optimus fructus Mariæ Jesus. Pensa, frater, quis sit iste fructus, et de qua terra sit productus, et videbis quod est optimus. Audi Hieronymum, qui ait [5]: « Fructus est virgo de virgine, Dominus de ancilla, Deus ex homine, Filius ex matre, fructus ex terra. » O felices, qui in omnium castigationum disciplina animum tam patientem habent et tam paratum, quod ex hoc justissime consequuntur fructum patientium, fructum pacatissimum, de quo ad Hebræos Paulus loquitur [6]: *Omnis*, inquit, *disciplina in præsenti quidem non videtur esse gaudii, sed mœroris; postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ*. Exercitatam ergo patientiam habentes, fructum optimum referunt, juxta illud *Lucæ* [7]: *Fructum afferunt in patientia*. Sicut ergo fructus iste benedictus est patientium et mitium, et ideo Maria super omnes homines fuit hoc fructu dignissima, quia super omnes homines fuit mitissima, ita ut nec oculo, nec verbo, nec facto tenuissimum impatientiæ signum ostenderit; et patientissima, teste Ambrosio, qui ait [8]: « Nihil torvum in oculis Mariæ, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecundum. »

Fructus Mariæ est laborantium, contra acediam.

Quarto, charissimi, videamus quomodo fructus Mariæ sit exercentium se et laborantium, contra acediam. De hoc dicitur in *Sapientia* [9]: *Bonorum laborum gloriosus est fructus*. Quærendus ergo est fructus iste cum exercitio laboris, secundum quod apis quærit fructum mellis; fructum, inquam, de quo Ecclesiasticus dicit [10]: *Brevis in volatibilibus est apis, et initium dulcoris habet fructus ejus*. Considera, charissime, quomodo apis de horto ad hortum, de arbore ad arborem, de flore ad florem discurrit pro fructu mellis : sic et tu meditationibus, et desideriis, et zelo imitandæ virtutis, discurre circa exempla justorum, et maxime perfectorum. Discurre, inquam, de horto ad hortum, id est, de statu ad statum. Discurre de arbore ad arborem, id est, de justo ad justum; de flore ad florem, id est, de virtute ad virtutem, de exemplo ad exemplum. Discurre maxime super illum florem, in quo invenies totum divini mellis fructum, super illum utique florem, qui est et flos, et fructus, de quo beatus Ambrosius ait [11]: « Flos Mariæ Christus est, qui velut bonæ arboris fructus, pro nostræ processu virtutis nunc fructificat in nobis. » Laboremus, fratres, bene pro hoc fructu, quia [12] *bonorum laborum gloriosus est fructus*. Nota ergo : non quorumcumque laborum, sed tantum bonorum laborum est fructus iste; non enim est illorum laborum, de quibus dicitur in *Sapien-*

[1] *Ephes.*, v, 2. — [2] *Matth.*, v, 44. — [3] *Job*, xxii, 21. — [4] *Gal.*, v, 22. — [5] Hieron., *in Psal.* lxvi. — [6] *Hebr.*, xii, 11. — [7] *Luc.*, viii, 15. — [8] Ambros., *de Virginib.*, lib. II, n. 7. — [9] *Sap.*, iii, 15. — [10] *Eccli.*, xi, 3. — [11] Ambros., *in Luc.*, lib. II, n. 24. — [12] *Sap.*, ubi sup. proxime.

tia [1] : *Sapientiam qui abjicit et disciplinam, infelix est, et vacua est spes illorum, et labores sine fructu.* Sic ergo fructus iste benedictus exercentium se in bono, contra acediam. Et ideo Maria super omnes homines fuit hoc fructu dignissima, quia super omnes homines in bono fuit exercitatissima, sicut bene ostendit Beda, qui super hoc verbo : *Magnificat anima mea Dominum,* inducit ipsam sic loquentem [2] : « Totum animi affectum in agendis gratiarum laudibus offero ; totum quod vivo, quod sentio, quod discerno in ejus magnitudine contemplanda, totum in ejus præceptis observandis impendo. »

'ructus entris Iariæ t libe- alium, ontra varitiam.

Quinto videamus, charissimi, quomodo fructus Mariæ sit liberalium, contra avaritiam, et maxime illorum liberalium, qui pro hoc fructu renuntiant omnibus temporalibus, juxta illud *Canticorum* [3] : *Vir affert pro fructu ejus mille argenteos,* « relinquendo scilicet omnia, » dicit interlinearis. Et iterum Glossa dicit : « Per *mille* perfectio, per *argentum* omne mundanum accipitur. » Qui ergo perfecte omne mundanum pro Christo relinquit, ipse quasi mille argenteos pro hoc fructu tradit. Sed ecce qui dare noluerit mille, omnia relinquendo, det saltem aliqua pro hoc fructu, pauperibus subveniendo, ut sit sicut oliva fructifera, fructum misericordiæ ferendo. Quia vero summus misericordiæ fructus est summa misericordia, quæ est Deus; ideo Maria, quæ hunc (*a*) misericordiæ fructum copiosissime tulit, ipsa sicut fructifera, ipsa quasi oliva speciosa in campis convenientissime fuit. Propter quod bene Joannes Damascenus dicit [4] : « Maria in domo Domini plantata, et impinguata Spiritu sancto, ut oliva fructifera, omnis virtutis habitaculum facta est. » Heu, quam longe ab isto fructu misericordium, et terrena non concupiscentium, sunt animæ avarorum! De quibus dicitur [5] : *Ab sollicitudinibus et divitiis et voluptatibus vitæ euntes suffocantur; et non referunt fructum.* Dicitur quoque in *Ecclesiaste* [6] : *Qui amat divitias, fructum non capiet ex eis.* Sic ergo fructus iste benedictus liberalium et temporalia contemnentium est ; et ideo Maria super omnes homines fuit hoc fructu dignissima, quia super omnes homines in contemptu temporalium fuit liberalissima, testante beato Bernardo, qui ait [7] : « Quidquid Maria honoris in populo, quidquid rerum terrenarum de paterna domo habere potuisset, omnia arbitrata est quasi stercora, ut Christum lucrifaceret. »

Fructus Mariæ est abstinentium, contra gulam.

Sexto videamus, charissimi, quomodo fructus Mariæ sit abstinentium, contra gulam. Et de hoc notemus quod dicitur a Salomone [8] : *De fructu oris sui satiabitur bonis.* Fructus Mariæ fructus oris dici potest, non solum quia oris oratione et doctrina, sed etiam quia oris abstinentia acquiritur. De isto fructu satiabitur spiritualibus, qui pro isto fructu abstinens est a bonis temporalibus. Satiabitur bonis de isto fructu, quicumque esurit et sitit corporaliter, magis autem spiritualiter pro isto fructu. Unde beatus Bernardus ait [9] : « Bonus fructus est, qui animarum esurientium et sitientium justitiam esca et potus est. » Bene qui pro hoc fructu esuriunt in mundo, quia de ipso satiabuntur in cœlo, juxta illud Salvatoris [10] : *Beati qui nunc esuritis, quia saturabimini.* Hic ergo pro hoc fructu abstinentes, ibi erunt de isto fructu comedentes. Unde Isaias dicit [11] : *Dicite justo, quoniam bene : quoniam fructum adinventionum suarum comedet.* Si ergo fructus iste benedictus est abstinentium contra gulam, et ideo Maria super omnes homines fuit contra gulam temperatissima. Propter quod bene Joannes Chrysostomus ait [12] : « Comessatrix aut vinolenta nunquam Maria fuit, non levis, non jocosa, non cantatrix, non turpium verborum amatrix; talia certe intemperantiam sequi solent. »

Fructus Mariæ est continentium, contra luxuriam

Septimo, charissimi, videamus quomodo fructus ventris Mariæ sit continentium, contra luxuriam. De hoc enim dicit Sapiens [13] : *Felix sterilis et incoinquinata, quæ nescivit torum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum.* In respectione, inquam, per gratiam, magis autem in respectione per gloriam. Et certe, fructus ventris castissimi (*b*), fructus ventris virginalis, merito est fructus continentium specialis. Cum enim per fructum Virginis benedictum benedicantur omnes fideles generaliter, merito continentes benedicentur per ipsum specialiter, per quem etiam continentium Regina benedicta est præ omnibus, ut dicit beatus Bernardus declarans [14] : « Vere benedictus fructus ventris tui,

[1] *Sap.*, ubi supra proxime, 11. — [2] Bed., *in Luc.* c. I, lib. I. — [3] *Cant.*, VIII, 11. — [4] Damasc., *de Fid. Orthod.*, lib. IV, c. XV. — [5] *Luc.*, VIII, 14. — [6] *Eccle.*, V, 9. — [7] Bern., sup. *Missus est,* hom. III, n. 3. — [8] *Prov.*, XIII, 2. — [9] Bern., ubi sup. proxime, n. 6. — [10] *Luc.*, VI, 21. — [11] *Isa.*, III, 10. — [12] Apud Chrysost., *in Matth.*, Op. imperf., hom. I. — [13] *Sap.*, III, 13. — [14] Bern., ubi sup. proxime, n. 5.

(*a*) *Cæt. edit.* habet. — (*b*) *Item* altissimi.

in quo benedictæ sunt omnes gentes : de cujus plenitudine tu quoque accepisti cum cæteris, et etiam differentius a cæteris. » Væ luxuriosis, qui nullam partem habent in fructu virgineo : væ miseris, qui nullum habent ramum, qui possit ferre fructum virgineum. Unde de adultera dicitur in *Ecclesiastico* [1] : *Rami ejus non dabunt fructum.* Igitur fructus iste benedictus est continentium, contra luxuriam. Et ideo Maria super omnes fuit hoc fructu dignissima, quia super omnes homines fuit castissima, sicut bene testatur Chrysostomus, dicens [2] : « O ineffabilis laus Mariæ ! magis credebat Joseph castitati ejus quam utero ejus, et plus gratiæ quam naturæ; possibilius credebat mulierem sine viro concipere, quam Mariam posse peccare. » O igitur Maria felicissima, quæ vere, tanquam virtuosissima, fructu divino fuisti dignissima, adjuva nos, ut virtutibus ad hunc fructum pertingere valeamus, Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum. Amen.

LECTIO XVIII.

Fructus ventris beatæ Mariæ ad quos effectus sit necessarius, et de duodecim utilitatibus ejus.

Benedictus fructus ventris tui. Vidimus de benedicto fructu ventris Mariæ quis et qualis fuit; vidimus quoque quorum et qualium sit : videamus nunc ad quos et ad quales effectus necessarius sit. Nam fructus iste contra malum, fructus ad bonum necessarius est. Necessarius est quidem propter sex effectus contra malum; necessarius est etiam propter sex effectus ad bonum. Hujus itaque benedicti fructus sunt duodecim effectus valde utiles, sive utilitates valde notabiles, pro quibus merito ejusdem fructus (*a*) laudant omnes homines, juxta quod scriptum est in Psalmo [3] : *Confiteantur tibi populi, Deus, confiteantur tibi populi omnes : terra dedit fructum suum.* Primus ergo fructus effectus est expiatio culpæ mortalis; secundus, pacificatio inimicitiæ capitalis; tertius, sanatio plagæ originalis; quartus, relevatio inediæ mentalis; quintus, evitatio iræ judicialis; sextus, elongatio pœnæ gehennalis; septimus, renuntiatio substantiæ temporalis; octavus, locupletatio animæ rationalis; nonus, consummatio vitæ spiritualis; decimus, multiplicatio Ecclesiæ universalis; undecimus, reintegratio ruinæ empyrealis; duodecimus, perpetuatio gloriæ æternalis.

Fructus Virginis, nempe Filius ejus, duodecim utilitates habet.

Primo ergo, charissimi, fructus Mariæ benedictus necessarius est ad expiationem culpæ mortalis. De hoc exponi potest quod dicitur in *Isaia* [4] : *Iste omnis fructus, ut auferatur peccatum ejus.* Omnis fructus intelligi potest ille, de quo beatus Bernardus loquens ait : « In cruce pendet omnis fructus vitæ, quia ipsa arbor vitæ in medio paradisi. » Omnis ergo fructus est totus fructus, totus ille. Hic fructus ad hoc datus est, ad hoc natus est, ad hoc passus est, ut auferaratur peccatum hominis. Ipse enim, sicut Angelus inquit apud Matthæum [5], *salvum fecit populum suum a peccatis eorum.* Ipse quoque est, de quo Joannes dixit [6] : *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Iste ergo agnus, iste certe fructus tollit peccata mundi, tam mortalia, quam venialia : ut qui per hunc fructum purgatus a mortalibus, ejusdem fructum portat, purgetur et a venialibus, ut fructum abundantius ferat, juxta illud [7] : *Omnem, qui facit fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat.*

Fructus ventris Mariæ necessarius ad expiationem culpæ mortalis.

Secundo, charissimi, fructus Mariæ benedictus necessarius est ad pacificationem inimicitiæ capitalis, quæ fuit inter Deum et hominem, inter angelos et homines. Unde Isaias ait [8] : *Creavi fructum labiorum pacem, pacem ei qui longe est, et qui prope est.* Fructus ventris Mariæ bene potest dici fructus labiorum Mariæ, quia dum de labiis suis stillaverunt melliflua verba illius [9] : *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum,* statim concepit mellifluum fructum suum. O vere melliflua labia, sicut dicitur in *Canticis* [10] : *Favus distillans labia tua, sponsa.* Horum ergo labiorum fructum Jesum Christum Deus Pater creavit, sive fecit pacem; pacem, inquam, ei qui longe est per culpam, ut fiat prope per gratiam, pacemque ei qui prope est per gratiam, ne fiat longe per culpam. *Ipse* enim, sicut Apostolus ait [11], *est pax nostra, qui fecit utraque unum.* Fructus iste etiam factus est pax inter homines, quæ longe est in mundo, et inter angelum, qui prope est in cœlo : utrosque enim pacificavit in patibulo, juxta illud Apostoli [12] : *Pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in cœlis, sive quæ in terris sunt.* Itaque fructus iste pax hominis ad hominem, pax hominis ad angelum, et pax hominis ad Deum factus est. Quid mirum, si per hunc fructum pacem habeat homo

[1] *Eccli.*, XXIII, 35. — [2] Apud Chrys., ubi sup. proxime. — [3] *Psal.* LXVI, 7. — [4] *Isa.*, XXVII, 9. — [5] *Matth.*, I, 21. — [6] *Joan.*, I, 29. — [7] Ibid., XV, 2. — [8] *Isa.*, LVII, 19. — [9] *Luc.*, I, 38. — [10] *Cant.*, IV, 11. — [11] *Ephes.*, II, 14. — [12] *Coloss.*, I, 20. — (*a*) *Leg.* fructum.

cum Deo, cum ipse fructus pacificans sit Deus et homo? Testatur Beda, qui ait [1] : « Terra nostra dabit fructum suum, quia Virgo Maria, quæ de terra corpus habuerat, filium genuit divinitate quidem Deo Patri coæqualem, sed sibi carnis veritate consubstantialem. »

Fructus ventris Mariæ necessarius ad curationem plagæ originalis.

Tertio, charissimi, fructus Mariæ benedictus necessarius est ad curationem plagæ originalis : gravi enim plaga, imo gravibus plagis homo, incidens in latrones, vulneratus est, dum per originale peccatum tam cæcus ad verum, tam infirmus ad bonum, tam pronus ad malum factus est. Sed hæ plagæ per hunc fructum sanantur. In hac quidem vita in parte sanantur per gratiam; in futura vero tota in toto sanabuntur per gloriam. Unde bene legitur in *Apocalypsi*, quod [2] *Angelus ostendit* Joanni *lignum vitæ, per menses singulos reddens fructum suum, et folia ligni ad sanitatem gentium.* Lignum vitæ est mater vitæ Maria; vel lignum vitæ est lignum crucis; vel etiam lignum est ipse auctor vitæ Jesus Christus, qui est fructus vitæ : hujus folia sanativa sunt verba et documenta ædificativa. Si autem sanativa sunt folia ejus, quanto magis sanativus est ipse fructus! Ut ergo per hunc fructum sanemur, accedamus ad arborem ejus; accedamus, inquam, ad Mariam, orantes cum Anselmo, qui orans ait : « Exaudi me, Domina, sana animam servi tui peccatoris per virtutem benedicti fructus ventris, qui sedet in dextera omnipotentis Patris sui. »

Quarto, charissimi, fructus Mariæ benedictus necessarius est ad relevationem inediæ, sive famis mentalis, ne, propter defectum nutrimenti deficiant animalia Dei. Propter quod bene dicitur a propheta Joele [3] : *Nolite timere, animalia regionis, quia germinaverunt speciosa deserti, et lignum attulit fructum suum.* Desertum, quod sine cultura germinat et profert pastum animalium, signare potest Mariam, quæ sine cultura maritali protulit filium, qui est pastus omnium fidelium. Ideo bene de ipsa dici potest illud Ezechielis [4] : *Terra illa inculta, facta est ut hortus voluptatis.* Speciosa hujus felicis deserti sunt speciosa germina cœlestium desideriorum, speciosæ herbæ operum bonorum, speciosi flores virtutum et donorum, speciosa folia utilium verborum, et certe speciosus fructus ventris sui, qui est pastus omnium justorum. Maria est desertum hoc speciosum; Maria quoque est lignum hoc fructuosum, de quo dicitur [5] : *Et lignum attulit fructum suum.* O vere mirabilem fructum, per quem tam fames, quam sitis relevatur animarum, sicut testatur beatus Bernardus dicens [6] : « Bonus fructus, qui animarum esurientium et sitientium esca et potus est. » Nolite ergo timere, animalia Dei; nolite timere, fideles Christi, quod inedia deficiatis, cum plena pascua in deserto, plenum fructum in ligno, plenum etiam pabulum in præsepio habeatis. Ait enim beatus Bernardus : « Natus reclinatur in præsepio, ut fideles omnes velut facta (*a*) animalia carnis suæ alimento reficeret. » Et beatus Augustinus ait [7] : « O præsepe splendidum, in quo jacuit fœnum animalium, sed angelorum inventum est pabulum! »

Quinto, charissimi, necessarius est fructus Mariæ benedictus ad evitationem iræ judicialis, quam utique certam habet omnis injustus, sicut fructum, quo iram judicii (*b*) evadere, certum utique habet omnis justus. Unde in Psalmo dicitur [8] : *Si utique est fructus justo, utique est Deus judicans eos in terra,* eos, id est, injustos, sicut exponit Glossa. Injustos namque judicabit Deus in terra, dum in judicio justi in aere erunt, injusti vero in terra remanebunt, quia terrenis contra Deum adhæserunt, ita ut dicere possent [9] : *Adhæsit in terra venter noster.* Dominus ergo ibi, sicut utique est fructus suavis justo, sic utique erit judex gravis injusto. Væ ergo eis, qui fructum tam suavissimum convertunt sibi in judicium amarissimum, sicut dicitur in *Amos* [10] : *Convertistis in amaritudinem judicium, et fructum justitiæ in absinthium.* Fructus justitiæ, fructus justi. Justus est fructus Mariæ, de quo certe Psalmista ait [11] : Justum fructum dedit (*c*). Terra Virgo, quia *veritas de terra orta est.*

Sexto, charissimi, necessarius est fructus Mariæ benedictus ad elongationem sive declinationem pœnæ gehennalis, sive mortis æternalis, de quo exponere possumus, quod dicitur in libro *Regum* [12] : *Transferam vos in terram fructiferam, et fertilem vini, terram panis, et olei ac mellis, et vivetis, et non moriemini.* In terram Mariæ, vel in terram Ecclesiæ transferentur, qui toto

[1] Bed., Hom. æst., *in solemnit. B. Virg. Mar., quando salutavit Elizabeth.* — [2] *Apoc.*, XXII, 2. — [3] *Joel.*, II, 22. — [4] *Ezech.*, XXXVI, 35. — [5] *Joel.*, loc. jam cit. — [6] Bern., sup. *Missus est*, hom. III, n. 6. — [7] Imo auctor serm. IX, *de Temp.*, al. CXIX, n. 5. — [8] *Psal.* LVII, 12. — [9] *Psal.* XLIII, 25. — [10] *Amos*, VI, 13. — [11] *Psal.* LXVI, 7, et LXXXIV, 12, 13. — [12] IV *Reg.*, XVIII, 32.

(*a*) *Leg.* rationabilia. — (*b*) *Suppl.* possit. — (*c*) Leg. *Terra dedit fructum suum.*

corde ad ipsam convertuntur. Hæc autem terra valde est fructifera, ferens fructum panis, vini, olei et mellis, Dominum nostrum Jesum Christum. Ipse namque nobis est fructus panis confortantis, contra defectum; ipse nobis est fructus vini, ad perfectum; ipse quoque nobis est fructus olei illuminantis intellectum; ipse insuper nobis est fructus mellis dulcorantis affectum. Per hujusmodi certe fructum vivetis, charissimi, non moriemini morte æterna. Benedicta sit terra hujus fructus; benedictus super omnia sit ipse fructus, per quem exempti sumus a tantis malis, sicut etiam bene declaravit Anselmus, cum dixit: « Quid digne referam genitrici Dei et Domini mei, (*a*) per cujus fœcunditatem captivus sum redemptus, per cujus partum de morte æterna sum exemptus, per cujus prolem perditus sum restitutus, et de exilio miseriæ ad patriam sum reductus? » *Benedicta in mulieribus*, hæc omnia mihi dedit benedictus fructus ventris tui in regeneratione baptismatis sui. Væ ergo omnibus ab isto fructu alienis; scriptum namque est [1]: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur.*

Septimo, charissimi, necessarius est fructus Mariæ benedictus ad renuntiationem sive contemptum substantiæ temporalis. Unde in *Canticis* dicitur [2]: *Vir affert pro fructu ejus mille argenteos*: « Relinquendo temporalia, » dicit Interlinearis. Nam, sicut alia Glossa dicit, per *mille* perfectio, per *argentum* vero omne mundanum accipitur. Unde quasi mille argenteos pro hoc fructu dat, quicumque perfecte omnibus temporalibus pro Christo renuntiat : et vere merito pro hoc fructu omnia temporalia ferventer vilipendit, quicumque quam pretiosissimus sit ille fructus diligenter attendit, dicens illud *Proverbiorum* [3]: *Melior est fructus meus auro et lapide pretioso, et gemma mea auro electo.* Vir certe est, quicumque tam virilis est; vir autem ille viriliter pro hoc fructu contemnere debet non solum res et divitias, sed etiam honores et potentias, dicens illud *Judicum* [4]: *Non possum deserere dulcedinem meam fructusque dulcissimos, et ire ut inter cætera ligna promovear.* Suavissimi sunt fructus Christi, et charitas. Ligna silvarum, sicut dicit Glossa, sunt homines infructuosi, æterno incendio præparati. Igitur propter fructus istos suavissimos viriliter contemnat honores super ligna silvarum periculosissimos; viriliter contemnat omnia propter fructum benedictum, qui est super omnia benedictus Deus in sæcula.

Octavo, charissimi, necessarius est fructus Mariæ benedictus ad locupletationem, sive repletionem animæ rationalis. Unde dicitur in *Proverbiis* [5]: *De fructu oris sui unusquisque replebitur bonis.* Dominum Jesum non solum fructum ventris, sed etiam fructum oris non incongrue fateamur, quia ipsius oris prædicatione, oris confessione et oris oratione meremur; ipsum quoque ore exteriori sumimus sacramentaliter, ore quoque interiori spiritualiter. Propter quod Hieronymus ait [6]: « Flos Mariæ factus est fructus, ut nos illum comederemus. » De isto fructu oris unusquisque replebitur fidelis bonis spiritualium divitiarum, bonis, inquam, virtutum et gratiarum. De talium bonorum repletione Apostolus dicit [7]: *Deus autem spei repleat vos omni gaudio et pace in credendo, ut abundetis in spe et virtute Spiritus sancti.* O vere beata hujus fructus plenitudo, qua repletus est non solum ager Virginis hunc fructum producentis, sed etiam saccus uniuscujusque fidelis hunc fructum continentis, sicut patet per beatum Hieronymum, qui ait [8]: « Bene ager plenus dicitur, quia plena virgo Maria pronuntiatur, de cujus utero credentibus fructus vitæ processit, et nos omnes de plenitudine ejus accipimus gratiam pro gratia. »

Nono, charissimi, necessarius est fructus Mariæ benedictus ad perfectionem vitæ spiritualis. Unde de viro perfecto bene in Psalmo dicitur [9]: *Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum*, etc., usque, *prosperabuntur.* Quid intelligere debemus per decursus aquarum, nisi irrigationes gratiarum, per quas homo dat, sive profert fructum suum Dominum Jesum Christum? Tres autem hic conditiones perfectæ vitæ insinuantur, quæ hominem hoc fructu fructiferum comitantur. Perfectorum namque est tempus suum non negligere; propter quod bene dicitur [10]: *Fructus suos* (*b*) *dabit in tempore suo.* Perfectorum quoque est in verbis inutilibus non defluere, propter quod bene additur : *Et folium ejus non defluet.* Perfectorum insuper est, quæ spiritui prospera sunt, non

[1] *Matth.*, III, 10. — [2] *Cant.*, VIII, 11. — [3] *Prov.*, VIII, 19. — [4] *Judic.*, IX, 11. — [5] *Prov.*, XVIII, 20. — [6] Hieronym., *in Psal.* XCIX. — [7] *Rom.*, XV, 13. — [8] Hieron., *de Assumpt. B. V.*, serm., sive epist. X. — [9] *Psal.* I, 3, 4. — [10] Ibidem.

(*a*) *Cæt. edit. add.* et. — (*b*) Vulg. *fructum suum.*

omittere; propter quod bene subjungitur : *Omnia quæcumque faciet, prosperabuntur.* Vel certe ei qui hunc fructum per charitatem tulerit, omnia prosperabuntur, quando sibi omnia in bonum cooperabuntur (*a*), sicut scriptum est [1] : *Scimus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Beatus vir qui tam perfecte tulerit fructum istum, ut tempus suum non transeat infructuosum, ut verbum sibi non defluat otiosum, ut opus sibi non pereat virtuosum, sicque sit tanquam lignum fructiferum spiritualiter, quemadmodum etiam Maria fuit corporaliter, de qua beatus Bernardus ait [2] : « O vere lignum vitæ, quod solum dignum fuit portare salutis fructum! »

Fructus Mariæ necessarius ad Ecclesiæ multiplicationem.

Decimo, charissimi, necessarius est fructus Mariæ benedictus ad multiplicationem Ecclesiæ universalis. Unde dicitur [3] : *De fructu manuum suarum plantavit vineam.* Dominus Jesus, sicut bene dicitur fructus ventris, quia ventre concipitur, et sicut bene fructus oris dicitur, quia ore sumitur ; ita bene fructus manuum dicitur, quia manibus bonorum operum acquiritur, manibus quoque sacerdotalibus ministratur. Unde fructus iste plenissime est fructus Mariæ : fructus certe ventris ejus est, quia de ventre ejus singularissime natus est; fructus etiam oris ejus est, quia ore ejus dulcissime communicatus est; fructus quoque manuum ejus est, quia manibus ejus devotissime attrectatus est. De isto itaque manuum fructu Maria, vel primitiva Ecclesia, sicut exponit Glossa, plantavit vineam, id est, Ecclesiam universalem per orbem diffusam. O quomodo palmites hujus vineæ, videlicet fideles Ecclesiæ, per hunc fructum multiplicati sunt, dum rectores Ecclesiæ in cordibus fidelium eumdem fructum spiritualiter nasci fecerunt! Hinc bene in Psalmo dicitur [4] : *Fecerunt fructum nativitatis, et benedixit eis, et multiplicati sunt nimis.* Et quia Ecclesia de omnibus generationibus est per hunc fructum multiplicata, ideo Virgo, hunc fructum producens, merito ab omnibus generationibus prædicatur beata. Propter quod bene ipsa ait [5] : *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* De quibus verbis loquens Bernardus, inducit Mariam loquentem sic : « Ecce jam video quod futurum est in me, quis fructus procedat de me, quot et quanta bona non mihi soli, sed omnibus generationibus provenient per me. »

Fructus Mariæ necessarius ad restaurationem ruinæ empyrealis.

Undecimo, charissimi, necessarius est fructus Mariæ benedictus ad restaurationem ruinæ empyrealis, ruinæ, inquam, factæ in cœlo empyreo. De hoc notare possumus, quod Dominus de medulla cedri plantare volens, dixit per Ezechielem [6] : *In monte sublimi Israel plantabo illud, et erumpet ut germen, et faciet fructum.* Mons sublimis est sublimis illa mansio, sublimis illa societas angelorum, quæ bene mons Israel dicitur, quia Israel *visio Dei* interpretatur. Et ecce angeli semper sunt in visione Dei, testante eo qui ait in Evangelio Matthæi [7] : *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.* In isto sublimi monte, in ista sublimi angelorum societate Deus plantavit illud, quod de massa perditionis elegit; plantavit, inquam, medullam cedri, medullam generis humani, id est, omnes electos Dei, quorum quidam in re, quidam in spe plantati jam sunt in angelico monte. O vere super omnia diligendus fructus, propter quem tam sublimiter plantatur omnis electus! Libenter hunc fructum Dominum nostrum Jesum Christum portare possumus, propter quem inter angelos jam in spe plantati sumus: huic etiam fructui semper gratias agimus, cujus gratia angelorum universitatem reintegramus. Unde hujus fructus mater Maria bene potest gloriari, et dicere verba illa, quæ beatus Bernardus, quasi ex ore Mariæ loquens, ait : « Angelicarum generationum numerus per meum generatum reintegrabitur, et hominum generatio, per Adam maledicta, per benedictum fructum ventris mei ad æternam beatitudinem regenerabitur. »

Fructus Mariæ necessarius ad perpetuitatem gloriæ.

Duodecimo, charissimi, necessarius est Mariæ fructus benedictus ad perpetuationem gloriæ æternalis, quæ æterna non esset, nisi per hunc fructum conservaretur. Unde dicitur in *Proverbiis* [8] : *Fructus justi, lignum vitæ.* Optime fructus iste dictus est lignum vitæ, quia sicut lignum fuit ad conservandam vitam naturalem in paradiso terrestri, sic Christus est ad conservandam vitam æternalem in paradiso cœlesti. Hæc ergo tanta bona, quæ per benedictum Mariæ fructum consequimur, benedictus ille Anselmus bene advertit, cum dixit: « Hæc tanta bona per benedictum fructum benedicti ventris benedictæ Mariæ provenerunt. »

Epilogus.

Sic ergo, charissimi, audistis, quomodo benedictus fructus Mariæ necessarius omnino est: primo, ad expiandam culpam mortalem; se-

[1] *Rom.*, VIII, 28. — [2] Bern., *in Adv. Dom.*, serm. II, n. 4. — [3] *Prov.*, XXXI, 16. — [4] *Psal.* CVI, 37, 38. — [5] *Luc.*, I, 48. — [6] *Ezech.*, XVII, 23. — [7] *Matth.*, XVIII, 10. — [8] *Prov.*, XI, 30.

(*a*) *Cæt. edit.* cooperantur.

cundo, ad pacificandam inimicitiam capitalem; tertio, ad sanandam plagam originalem; quarto, ad relevandam (a) inediam mentalem; quinto, ad vitandam iram judicialem; sexto, ad declinandam pœnam gehennalem; septimo, ad contemnendam substantiam temporalem; octavo, ad locupletandam animam rationalem; nono, ad consummandam vitam spiritualem; decimo, ad multiplicandam Ecclesiam universalem; undecimo, ad reparandam ruinam empyrealem; duodecimo, ad conservandam gloriam æternalem. Et ecce hi duodecim effectus, sive utilitates hujus fructus, signari possunt per duodecim fructus ligni vitæ, quos omnes habemus in fructu ventris Mariæ. De quibus duodecim fructibus legitur in *Apocalypsi* [1], quod *Angelus ostendit* Joanni *lignum vitæ, afferens fructus duodecim.* Adjuva ergo nos, o benedicta in mulieribus, ut per benedictum fructum ventris tui, benedictionem horum duodecim fructuum consequamur. Adjuva, o Virgo fructifera, ut per fructum tuum his fructibus ita fructuosi efficiamur, quod per hos fructus fructu tuo frui perpetuo mereamur. Adjuva, o dulcissima, ut nobis concedat dulcedine sua frui ille liberalissimus communicator benedictus fructus ventris tui, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

[1] *Apoc.*, XXII, 2.

(a) *Cæt. edit.* revelandam.

LEGENDA S. FRANCISCI [1]

ARGUMENTUM

(*Ex editione Vaticana* an. 1596.)

Cum hoc (quod superest) inter cætera complectatur ea, quæ ad religiosos, ac præcipue ad fratres Ordinis Minorum spectant, eaque Opuscula apponantur, quæ idem Auctor ad instructionem fratrum sui Ordinis, et ad eorumdem defensionem composuit; non abs re visum est in principio collocare Opusculum, quod Legenda S. Francisci inscribitur, ut auctor est Trithemius, in quo de vita S. Francisci per quindecim capita agitur, et postea de ejusdem Sancti miraculis, ut videre licet in Prologo ipsius S. Bonaventuræ. Hoc autem Opusculum, licet antea extra tomos Opusculorum vagaretur, nunc denuo huic editioni adjunctum est, quantum fieri potuit, suo pristino nitori restitutum ope antiqui exemplaris MS. ex bibliotheca Illustrissimi, et Reverendissimi D. Cardinalis Sernani ex Ordine Minorum, cui S. Bonaventuræ Operum edendorum a Sixto Quinto Pontifice Maximo cura commissa est, quique pro emittendis virorum illustrium sui Ordinis libris auctis, et illustratis, nec labori nec impensis pepercit.

PROLOGUS

Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri diebus istis novissimis in servo suo Francisco omnibus vere humilibus, et sanctæ paupertatis amicis, qui superaffluentem in eo Dei misericordiam venerantes, ipsius erudiuntur exemplo, impietatem, et sæcularia desideria funditus abnegare, Christo conformiter vivere, et ad beatam spem desiderio indefesso sitire. In ipsum namque ut vere pauperculum, et contritum, tanta Deus excelsus benignitatis condescensione respexit, quod non solum de mundialis conversationis pulvere suscitavit egenum; verum etiam evangelicæ perfectionis professorem, ducem, atque præconem effectum, in lucem dedit credentium : ut testimonium perhibendo de lumine, viam lucis et pacis ad corda fidelium Domino præpararet. Hic etenim, *quasi stella matutina in medio nebulæ* [2], claris vitæ micans et doctrinæ fulgoribus, *sedentes in tenebris, et umbra mortis* [3]. irradiatione præfulgida direxit in lucem, et *tanquam arcus refulgens inter nebulas gloriæ* [4], signum in se dominici fœderis repræsentans, pacem et salutem evangelizavit hominibus, existens et ipse angelus veræ pacis, secundum imitatoriam quoque similitudinem Præcursoris destinatus a Deo, ut *viam parans* [5] in deserto altissimæ paupertatis, tam exemplo quam verbo pœnitentiam prædicaret : primum supernæ gratiæ præventus donis, dehinc virtutis invictæ adauctus meritis, prophetali quoque repletus spiritu, necnon et angelico deputa-

[1] *Cf.* Edit. Vatic., an. 1596, tom. VII, pag. 295; edit. Lugdun. an. 1647, tom. II, pag. 284; edit. Venet. an. 1754, tom. V, pag. 478. — [2] *Eccli.*, L, 6. — [3] *Luc.*, I, 79. — [4] *Eccli.*, L, 8. — [5] *Luc.*, I, 76.

tus officio, incendioque seraphico totus ignitus, et ut vir hierarchicus curru igneo sursum vectus, sicut ex ipsius vitæ decursu luculenter apparet, rationabiliter comprobatur venisse in spiritu et virtute Eliæ. Ideoque alterius amici Sponsi, Apostoli et Evangelistæ Joannis vaticinatione veridica, sub similitudine Angeli ascendentis ab ortu solis, signumque Dei vivi habentis, astruitur non immerito designatus. Sub apertione namque sexti sigilli : *Vidi*, ait Joannes in Apocalypsi [1], *alterum angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei vivi.* Hunc Dei nuntium amabilem Christo, imitabilem nobis, et admirabilem mundo, servum Dei fuisse Franciscum, indubitabili fide colligimus, si culmen in eo eximiæ sanctitatis advertimus, qua (*a*) inter homines vivens imitator fuit puritatis angelicæ, qua et positus est perfectis Christi sectatoribus in exemplum. Ad quod quidem fideliter sentiendum, et pie, non solum inducit officium, quod habuit, vocandi ad fletum et planctum, calvicium, et cingulum sacci, signandique thau super frontes virorum gementium et dolentium, signo pœnitentialis crucis, et habitus cruci conformis; verum etiam irrefragabili veritatis testificatione confirmat signaculum similitudinis Dei viventis, Christi videlicet crucifixi, quod in corpore ipsius fuit impressum, non per naturæ virtutem vel ingenium artis, sed potius per admirandam potentiam Spiritus Dei vivi. Ad hujus tam venerabilis viri vitam omni imitatione dignissimam describendam indignum et insufficientem me sentiens, id nullatenus attentassem, nisi me fratrum fervens incitasset affectus, generalis quoque Capituli concors induxisset instantia, et ea, quam ad sanctum patrem habere teneor, devotio compulisset : ut pote, qui per ipsius invocationem et merita in puerili ætate, sicut recenti memoria teneo, a mortis faucibus erutus, si præconia laudis ejus tacuero, timeo sceleris argui, ut ingratus. Et hæc penes me causa præcipua hunc assumendi laborem, ut ego, qui vitam corporis et animæ a Deo mihi conservatam recognosco per ipsum, et virtutem ejus in me ipso expertus agnovi vitæ illius virtutes, actus et verba, quasi fragmenta quædam partim neglecta, partimque dispersa, quanquam plene non possem, utcumque colligerem, ne morientibus iis, qui cum famulo Dei convixerant, deperirent. Ut igitur vitæ ipsius veritas ad posteros transmittenda certius mihi constaret et clarius, adiens locum originis, conversationis, et transitus viri sancti, cum familiaribus ejus adhuc superviventibus collationem de his habui diligentem, et maxime cum quibusdam, qui sanctitatis ejus, et conscii fuerunt, et sectatores præcipui : quibus propter agnitam veritatem, probatamque virtutem, fides est indubitabilis adhibenda. In descriptione autem eorum, quæ per servum suum Deus dignanter effecit, curiosum styli ornatum negligendum esse putavi, cum legentis devotio plus simplici sermone, quam phalerato proficiat. Nec semper historiam secundum ordinem temporis texui propter confusionem vitandam; sed potius ordinem servare studui magis aptæ juncturæ, secundum quod eodem peracta tempore diversis materiis, vel diversis patrata temporibus eidem materiæ congruere videbantur. Initium autem vitæ ipsius, progressus et consummatio, quindecim distincta capitulis describuntur inferius annotatis.

Agitur enim primo de conversatione ipsius in habitu sæculari;

Secundo de perfecta conversione ejus ad Deum, et de reparatione trium ecclesiarum;

Tertio de institutione religionis, et approbatione regulæ;

Quarto de profectu ordinis sub manu ipsius, et confirmatione regulæ prius approbatæ;

Quinto de austeritate vitæ, et quomodo creaturæ præbebant ei solatium;

[1] *Apoc.*, VII, 2.

(*a*) *Cæt. edit.* quam.

Sexto de humilitate, et obedientia, et de condescensionibus divinis sibi factis ad nutum;

Septimo de amore paupertatis, et mira suppletione defectuum;

Octavo de pietatis affectu, et quomodo ratione carentia affici videbantur ad ipsum;

Nono de fervore charitatis, et desiderio martyrii;

Decimo de studio, et virtute orationis;

Undecimo de intelligentia Scripturarum, et spiritu prophetiæ;

Duodecimo de efficacia prædicandi, et gratia sanitatum;

Tertiodecimo de stigmatibus sacris;

Quartodecimo de patientia ipsius, et transitu mortis;

Quintodecimo de canonizatione, et translatione ipsius;

Postremo de miraculis post transitum ejus felicem ostensis aliqua subnectuntur.

CAPUT PRIMUM.

De conversatione ejus in habitu sæculari.

Vir erat in civitate Assisii Franciscus nomine, cujus memoria in benedictione est, pro eo quod Deus ipsum in benedictionibus dulcedinis benigne prævenies, et de præsentis vitæ periculis clementer eripuit, et cœlestis gratiæ donis affluenter implevit. Etenim cum inter vanos fuerit hominum filios juvenili ætate nutritus in vanis, et post aliqualem litterarum notitiam lucrativis mercationum deputatus negotiis; superno tamen sibi assistente præsidio, nec inter lascivos juvenes, quamvis effusus ad gaudia, post carnis petulantiam abiit, nec inter cupidos mercatores, quanquam intentus ad lucrum, speravit in pecunia et thesauris. Inerat namque juvenis Francisci præcordiis divinitus indita quædam ad pauperes miseratio liberalis : quæ secum ab infantia crescens tanta cor ipsius benignitate repleverat, ut jam Evangelii non surdus auditor, omni proponeret se petenti tribuere, maxime si divinum allegaret amorem. Cum autem semel negotiationis intentus tumultibus, pauperem quemdam pro amore Dei petentem eleemosynam præter morem solitum vacuum repulisset, statim ad cor reversus, cucurrit post ipsum, et eleemosyna illi clementer impensa, promisit Domino Deo, quod nunquam ex tunc, dum adesset possibilitas, petentibus pro amore Domini se negaret : quod usque ad mortem indefessa pietate observans, copiosa in Deum dilectionis et gratiæ incrementa promeruit. Aiebat enim post, cum jam perfecte Christum induerat, quod etiam existens in habitu sæculari, vocem divini expressivam amoris audire vix unquam sine cordis immutatione valebat. Porro mansuetudinis lenitas cum elegantia morum, patientia, et tractabilitas supra humanum modum, munificentiæ largitas ultra suppetentiam facultatum, quibus bonæ indolis adolescens certis florere conspiciebatur indiciis, quædam videbantur esse præludia, quod copiosior super eum foret in posterum divinæ benedictionis abundantia diffundenda. Quidam sane de Assisio valde simplex, ut creditur eruditus a Deo, cum aliquando per civitatem eunti obviaret Franciscus, deponebat pallium, sternebat ipsius pedibus vestimentum, asserens omni fore Franciscum reverentia dignum, utpote qui esset in proximo magna facturus, et ob hoc ab universitate fidelium magnifice honorandus. Ignorabat autem adhuc Franciscus circa se consilium Dei, pro eo quod tam jussione patris ad exteriora distractus, quam corruptione naturalis originis ad inferiora depressus, nondum didicerat contemplari cœlestia, nec assueverat degustare divina. Et quia spirituali *auditui dat intellectum* in-

flicta *vexatio* [1], *facta est super eum manus Domini* [2], *et immutatio dexteræ Excelsi* [3], diutinis languoribus ipsius corpus affligens, ut coaptaret animam ad sancti Spiritus unctionem. Cumque resumptis corporeis viribus, sibi vestimenta decentia more solito præparasset, obvium habuit militem quemdam generosum quidem, sed pauperem, et male vestitum, cujus pauperiem pio miseratus affectu, illum protinus se exuto vestivit : ut simul in uno geminum impleret pietatis officium, quo et nobilis militis verecundiam tegeret, et pauperis hominis penuriam relevaret. Nocte vero sequenti, cum se sopori dedisset, palatium speciosum et magnum cum militaribus armis crucis Christi signaculo insignitum clementia sibi divina monstravit, ut misericordiam, pro summi Regis amore, pauperi exhibitam militi, præostenderet incomparabili compensandam esse mercede. Unde, et cum quæreret cujus essent illa omnia, sua fore, militumque suorum, superna fuit assertione responsum. Evigilans itaque mane, cum nondum haberet exercitatum animum ad divina perscrutanda mysteria, nesciretque per visibilium species transire ad contuendam invisibilium veritatem, magnæ fore prosperitatis indicium existimabat insolitam visionem. Disposuit itaque, divinæ adhuc dispositionis ignarus, in Apuliam ad quemdam liberalem comitem se conferre, in ipsius sperans obsequio decus adipisci militiæ, ut ostensa sibi visio prætendebat. Cumque paulo post iter aggressus ivisset usque ad proximam civitatem, audivit in nocte Dominum familiari sibi allocutione dicentem : Francisce, quis potest melius facere tibi, dominus aut servus, dives aut pauper? Cui cum Franciscus respondisset, quod tam dominus, quam dives, facere melius potest, intulit statim : Cur ergo relinquis pro servo Dominum, et pro paupere homine divitem Deum? Et Franciscus : Quid me vis, Domine, facere? Et Dominus ad eum : Revertere in terram tuam : quia visio, quam vidisti, spiritualem præfigurat effectum, non humana, sed divina in te dispositione complendum. Mane itaque facto, cum festinatione revertitur versus Assisium securus et gaudens; et jam exemplar obedientiæ factus, expectabat Domini voluntatem. Ex tunc a publicæ negotiationis tumultu se subtrahens, supernam devote precabatur clementiam, ut quid sibi foret agendum, ostendere dignaretur. Cum autem ex frequenti orationis usu flamma desiderii cœlestis in eo vehementer succresceret, et jam pro amore supernæ patriæ terrena omnia despiceret quasi nihil, thesaurum sentiebat se reperisse absconditum; ac velut prudens negotiator, margaritam inventam excogitabat, venditis omnibus, comparare. Adhuc tamen, qualiter id ageret, ignorabat, nisi quia ipsius suggerebatur spiritui, quod spiritualis mercatio a mundi contemptu sumat initium, Christique militia sit a sui ipsius victoria inchoanda. Quadam itaque die dum æquitaret per planitiem, quæ subjacet civitati Assisii, leprosum quemdam habuit obvium, cujus inopinatus occursus ei non parvum incussit horrorem. Recurrens autem ad perfectionis mente jam conceptæ propositum, et recolens quod seipsum oporteret primum devincere, si vellet effici Christi miles, ad deosculandum eum, equo lapsus, occurrit. Cui cum manum quasi aliquid accepturus leprosus protenderet, pecuniam cum osculo reportavit. Statim autem equum ascendens, et se circumquaque convertens, cum campus pateret undique liber, leprosum illum minime vidit. Admiratione itaque repletus et gaudio, laudes cœpit Domino decantare devote, proponens ex hoc semper ad majora conscendere. Solitaria proinde loca quærebat amica mœroribus; in quibus, dum gemitibus inenarrabilibus incessanter intenderet, post longum precum instantiam a Domino meruit exaudiri. Dum enim una dierum sic sequestratus oraret, et præ nimietate fervoris totus esset absorptus in

[1] *Isa.*, XXVIII, 19. — [2] *Ezech.*, I, 3. — [3] *Psal.* LXXVI, 11.

Deum, apparuit ei Christus Jesus veluti cruci confixus. Ad cujus conspectum liquefacta est anima ejus, et memoria passionis Christi visceribus cordis ipsius adeo impressa medullitus, ut ab illa hora, cum Christi crucifixio veniret in mentem, vix posset a lacrymis et gemitibus exterius continere; sicut ipse postmodum familiariter retulit, cum appropinquaret ad finem. Intellexit per hoc nempe vir Dei illud evangelicum sibi dici [1] : « Si vis venire post me, abnega temetipsum, et tolle crucem tuam, et sequere me. » Induit ex tunc spiritum paupertatis, humilitatis sensum, et affectum intimæ pietatis. Nam cum prius leprosorum non solum consortium, verum etiam longinquum contuitum vehementer horreret; jam propter Christum crucifixum, qui juxta verbum propheticum [2], contemptibilis ut leprosus apparuit, ut semetipsum plenum contemneret, humilitatis et humanitatis obsequia leprosis benefica pietate præstabat. Visitabat enim frequenter domos ipsorum, liberaliter eis eleemosynas erogabat, et cum multo compassionis affectu manus eorum osculabatur, et ora. Pauperibus etiam mendicantibus non solum sua, verum etiam seipsum cupiebat impendere, aliquando vestimenta exuens, aliquando dissuens, aliquando scindens ad largiendum eis, cum præ manibus alia non haberet. Sacerdotibus etiam pauperibus reverenter subveniebat et pie, præcipue in ornamentis altaris, quo et cultus divini particeps fieret, et cultorum inopiæ supplementa præberet. Cum autem religiosa devotione tunc temporis limina visitaret Apostoli Petri, conspecta multitudine pauperum ante fores ecclesiæ, partim pietatis ductus dulcedine, partim paupertatis allectus amore, uni ex eis magis egenti proprias largitus est vestes, et semicinctiis contectus illius, diem illum in medio pauperum cum insolita spiritus jucunditate transegit, ut et sæcularem gloriam sperneret, et ad perfectionem evangelicam gradatim conscendendo perveniret. Mortificationi carnis invigilabat attentius, ut Christi crucem, quam interius ferebat in corde, exterius etiam circumferret in corpore. Agebat autem hæc omnia vir Dei Franciscus nondum habitu, vel convictu, sequestratus a mundo.

[1] *Matth.*, XVI, 24. — [2] *Isa.*, LIII, 4.

CAPUT II.

De perfecta conversione ejus ad Deum, et de reparatione trium ecclesiarum.

Quoniam autem servus Altissimi doctorem non habebat aliquem in hujusmodi, nisi Christum, addidit adhuc ipsius clementia eum in gratiæ visitare dulcedine. Dum enim die quadam egressus ad meditandum in agro deambularet juxta ecclesiam Sancti Damiani, quæ (*a*) minabatur præ nimia vetustate ruinam, et in eam instigante se Spiritu causa orationis intrasset, prostratus ante imaginem Crucifixi, non modica fuit in orando spiritus consolatione repletus. Cumque lacrymosis oculis intenderet in dominicam crucem, vocem de ipsa cruce dilapsam ad eum corporeis audivit auribus, ter dicentem : Francisce, vade, et repara domum meam, quæ, ut cernis, tota destruitur. Tremefactus Franciscus, cum esset in ecclesia solus, stupet ad tam mirandæ vocis auditum, cordeque percipiens divini virtutem eloquii, mentis alienatur excessu. In se tandem reversus, ad obediendum se parat, et totum se recolligit ad perficiendum mandatum de materiali ecclesia reparanda : licet principalior intentio verbi ad eam ferretur, quam Christus suo sanguine acquisivit, sicut eum Spiritus sanctus edocuit, et ipse postmodum fratribus revelavit. Surrexit proinde signo crucis se muniens, et assumptis pannis venalibus, ad civitatem, quæ Fulgineum dicitur, festinus accessit; ibique venditis quæ portaverat, equum, cui tunc insederat, felix mercator, assumpto pretio, dereliquit. Rediensque Assisium, ecclesiam, de cujus reparatione mandatum acceperat, reverenter intravit; et in-

(*a*) *Cæt. edit.* qui.

vento illic sacerdote pauperculo, ei reverentiam decentem exhibuit, et ad reparationem ecclesiæ et pauperum usum pecuniam obtulit, et, ut secum se morari pateretur ad tempus, humiliter requisivit. Acquievit sacerdos de mora ipsius; sed, timore parentum, pecuniam recusavit. Quam verus pecuniarum contemptor in quamdam fenestram projiciens, abjectam velut pulverem vilipendit. Moram autem faciente servo Dei cum sacerdote prædicto, cum hoc intellexit pater ipsius, perturbatus animo, cucurrit ad locum. At ipse, quia novus Christi erat athleta, cum audiret persequentium minas, et eorum præsentiret adventum, dare locum iræ volens, in quadam occulta fovea se abscondit, in qua diebus aliquibus latitando, rogabat Dominum incessanter lacrymarum imbre perfusus, ut liberaret de manibus persequentium animam suam, et pia, quæ inspiraverat, vota benigno favore compleret. Igitur excessiva quadam completus lætitia, cœpit de pusillanimitatis ignavia semetipsum arguere; relictaque fovea, et abjecto pavore, versus civitatem Assisii iter aggressus est. Quem cum cives cernerent facie squalidum, et mente mutatum, ac per hoc alienatum putarent a sensu, luto platearum et lapidibus impetebant, et tanquam insano, et dementi, clamosis vocibus insultabant. Famulus autem Domini, nulla fractus aut mutatus injuria, ut surdus in omnibus pertransibat. Cumque clamorem hujusmodi pater audisset, statim accurrens non ad liberandum eum, sed potius ad perdendum, omni miseratione subtracta, pertractum domi, primo verbis, deinde verberibus et vinculis angit. Ipse autem, ad exequendum Domino quod cœperat, promptior ex hoc et validior reddebatur, recolens illud Evangelii verbum [1] : *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Post modicum vero tempus, patre a patria discedente, mater ejus factum mariti non approbans, et inflexibilem filii constantiam emolliri posse non sperans, a vinculis absolutum abire permisit. At ipse gratias omnipotenti Deo referens, ad locum, in quo prius fuerat, est reversus. Rediens autem pater, et eum non inveniens domi, convitiis illatis uxori, fremens cucurrit ad locum, ut, si eum revocare non posset, saltem de provincia effugaret. Franciscus vero confortatus a Deo obvium ultro se obtulit patri furenti, libera voce clamans, se pro nihilo ducere vincula et verbera ejus, insuper et contestans se pro Christi nomine gaudenter mala omnia subiturum. Ardens itaque pater, quod eum revocare non posset, ad extorquendam pecuniam se convertit : qua tandem inventa in fenestrula quadam, aliquantulum ipsius mitigatus est furor, avaritiæ siti utcumque per haustum pecuniæ temperata. Tentabat deinde pater carnis filium gratiæ, pecunia jam nudatum ducere coram Episcopo civitatis, ut, in ipsius manibus, facultatibus renuntiaret paternis, et omnia redderet, quæ habebat. Ad quod faciendum se promptum exhibuit verus paupertatis amator, perveniensque coram Episcopo, nec moras patitur, nec contatur de aliquo, nec verba expectat, nec facit, sed continuo depositis omnibus vestimentis, restituit ea patri. Inventus est autem tunc vir Dei cilicium habere ad carnem sub vestibus delicatis. Insuper ex admirando fervore, spiritu ebrius, rejectis etiam femoralibus, totus coram omnibus denudatur, dicens ad patrem : Usque nunc vocavi te patrem in terris; amodo autem secure dicere possum : *Pater noster, qui es in cœlis*, apud quem omnem thesaurum reposui, et omnem spei fiduciam collocavi. Hoc cernens Episcopus, et admirans tam excedentem in viro Dei fervorem, protinus exsurrexit, et inter brachia sua illum cum fletu recolligens, uti erat vir pius et bonus, pallio, quo erat amictus, operuit, præcipiens suis, ut aliquid sibi darent ad membra corporis contegenda : oblatus est autem ei mantellus pauper et vilis cujusdam agricolæ servientis Episcopo. Quem ipse

[1] *Matth.*, v, 10.

gratanter suscipiens, cum cæmento, quod sibi occurrit, ad modum crucis manu propria consignavit, experimentum formans ex eo crucifixi hominis, et pauperis seminudi. Sic igitur servus Regis altissimi nudus relictus est, ut nudum sequeretur crucifixum Dominum, quem amabat, sic utique cruce munitus, ut animam suam ligno salutis committeret, per quod de mundi naufragio salvus exiret. Solutus exinde mundi contemptor a vinculis mundanarum cupidinum, civitate relicta, securus et liber secretum solitudinis petiit, ut solus et silens supernæ audiret allocutionis arcanum. Dumque per silvam quamdam iter faciens, laudes Domino lingua Francorum vir Dei Franciscus decantaret cum jubilo, latrones super eum ex abditis irruerunt. Quibus ferali animo quis esset interrogantibus, vir Dei confidentia plenus prophetica voce respondit : Præco sum magni Regis. At illi percutientes eum in defossum locum plenum nivibus projecerunt, dicentes : Jace, rustice præco Dei. Ipse vero, recedentibus illis, exiluit de fovea, magnoque exhilaratus gaudio, altiori cœpit voce per nemora laudes Creatori omnium personare. Et veniens ad quoddam vicinum cœnobium, eleemosynam petiit, ut mendicus, et recepit, ut incognitus et despectus. Inde vero progrediens devenit Eugubium, ubi a quodam amico prist no agnitus et susceptus, paupere tunicula, ut Christi pauperculus, est contectus. Exinde totius humilitatis amator se transtulit ad leprosos, eratque cum eis diligentissime serviens omnibus propter Deum. Lavabat ipsorum pedes, ligabat ulcera, educebat plagarum putredinem, et saniem abstergebat, osculabatur etiam ex miranda devotione ulcerosas plagas ipsorum evangelicus medicus mox futurus. Propter quod tantam est a Domino consecutus virtutem, ut in spiritualibus et corporalibus morbis mirabiliter expurgandis mirabilem efficaciam obtineret. Referam unum de multis quod accidit, viri Dei fama postmodum latius clarescente. Cum enim cujusdam, de comitatu Spoletano, os pariter et maxillam morbus quidam horribilis depascendo corroderet, nec subveniri posset eidem aliquo medicinæ remedio, contigit ut propter sanctorum exposcenda merita, Apostolorum visitatis liminibus, de peregrinatione rediens, servo Dei occurreret : cumque præ devotione vellet ipsius osculari vestigia, vir humilis, hoc non ferens, osculari volenti pedes, osculum oris dedit. Dum autem leprosorum servus Franciscus mirabili pietate illam plagam horribilem ore sacro contingeret, omni fugato morbo, subito æger ille sanitatem recuperavit optatam. Nescio quod horum magis sit merito admirandum, an humilitatis profunditas in osculo tam benigno, an virtutis præclaritas in miraculo tam stupendo. Fundatus jam in Christi humilitate Franciscus, ad memoriam reducit obedientiam sibi e cruce injunctam de Sancti Damiani ecclesia reparanda, et tanquam verus obediens Assisium rediit, ut saltem mendicando voci divinæ pareret. Depositaque omni verecundia propter amorem pauperis Crucifixi, mendicabat apud eos, inter quos abundare solebat, debile corpus, attritum jejuniis, oneribus lapidum supponendo. Prædicta igitur ecclesia, juvante se Domino, et devotione civium assistente, refecta, ne post laborem corpus torperet ignavia, transtulit se ad reparandam ecclesiam quamdam Beati Petri longius a civitate distantem, ob devotionem specialem, quam ad Apostolorum Principem sinceræ fidei puritate gerebat. Hac tandem ecclesia consummata, pervenit ad locum, qui Portiuncula dicitur, in quo ecclesia Beatissimæ Virginis genitricis Dei antiquitus fabricata extiterat; sed deserta, tunc a nemine curabatur. Quam cum vir Dei sic derelictam conspiceret, ob devotionem ferventem, quam habebat ad Dominam mundi, cœpit illic assidue pro ipsius reparatione morari. Sentiens autem juxta nomen ipsius ecclesiæ, quo ab antiquo Sancta Maria de Angelis vocabatur, angelicarum ibi visitationum frequentiam,

pedem fixit ibidem propter reverentiam angelorum, amoremque præcipuum Matris Christi. Hunc locum vir sanctus amavit præ cæteris mundi locis : hic etenim humiliter cœpit, hic virtuose profecit, hic feliciter consummavit, hunc in morte fratribus tanquam Virgini charissimum commendavit. De hoc frater quidam Deo devotus, ante conversionem suam, visionem viderat relatione condignam. Innumeros cernebat homines cæcitate percussos, facie in cœlum directa, et genibus flexis, in hujus ecclesiæ stare circuitu : qui omnes, protensis manibus in altum, lacrymabiliter clamabant ad Deum, misericordiam postulantes et lumen. Et ecce ingens de cœlo splendor advenit, se per omnes diffundens, qui lumen unicuique tribuit, et salutem desideratam concessit. Hic est locus, in quo Fratrum Minorum Ordo a S. Francisco per divinæ revelationis instinctum inchoatus est. Divinæ namque providentiæ nutu, qua Christi servus dirigebatur in omnibus, tres materiales erexit ecclesias, antequam, Ordinem inchoans, Evangelium prædicaret, ut non solum a sensibilibus ad intelligibilia, a minoribus ad majora ordinato progressu conscenderet; verumetiam ut, quid esset facturus in posterum, sensibili foris opere mysterialiter præsignaret. Nam instar reparatæ triplicis fabricæ ipsius sancti viri ducatu, secundum datam ab eo formam, regulam et doctrinam, Christi triformiter renovanda erat Ecclesia, trinaque triumphatura militia salvandorum, sicut et nunc cernimus esse completum.

CAPUT III.

De institutione Religionis, et approbatione Regulæ.

In ecclesia igitur Virginis Matris Dei moram faciente servo ipsius Francisco, et apud eam, quæ concepit Verbum *plenum gratiæ et veritatis* [1], continuis insistente gemitibus, ut fieri dignaretur advocata ipsius, meritis Matris misericordiæ concepit ac peperit spiritum evangelicæ veritatis. Dum enim die quodam Missam de Apostolis devotus audiret, perlectum est evangelium illud, in quo Christus discipulis ad prædicandum mittendis formam tribuit evangelicam in vivendo, ne videlicet possideant aurum vel argentum, nec in zonis pecuniam, nec peram in via, nec duas tunicas habeant, nec calceamenta deferant, neque virgam. Quod audiens et intelligens, ac memoriæ commendans apostolicæ paupertatis amicus, indicibili mox perfusus lætitia : Hoc est, inquit, quod cupio; hoc quod totis præcordiis concupisco. Solvit proinde calceamenta de pedibus, deponit baculum, peram rejicit, et pecuniam execratur, unaque contentus tunicula, rejecta corrigia, pro cingulo funem sumit, omnem sollicitudinem cordis apponens qualiter audita perficiat, et apostolicæ rectitudinis regulæ per omnia se coaptet. Cœpit ex hoc vir Dei, divino instinctu, evangelicæ perfectionis æmulator existere, et ad pœnitentiam cæteros invitare. Erant autem ipsius eloquia non inania, nec risu digna; sed virtute Spiritus Sancti plena erant, medullas cordis penetrantia, ut in vehementem stuporem audientes converterent. In omni prædicatione sua pacem annuntians, dicendo : *Dominus det vobis pacem*, populum in sermonis exordio salutabat. Hanc quippe salutationem Domino revelante didicerat, sicut ipse postmodum testabatur. Unde factum est, ut juxta sermonem propheticum [2], et ipse, prophetarum spiritu afflatus, annuntiaret pacem, prædicaret salutem, ac salutaribus monitis fœderaret plurimos veræ paci, qui discordes a Christo prius extiterant a salute longinqui. Innotescente itaque apud multos viri Dei tam doctrinæ simplicis veritate, quam vitæ, cœperunt ipsius exemplo viri quidam ad pœnitentiam animari, et eidem, rejectis omnibus, habitu vitaque conjungi : quorum primus extitit vir venerabilis Bernardus, qui vocationis divinæ particeps factus, patris beati primogenitus esse

[1] *Joan.*, I, 14. — [2] *Isa.*, LII, 7.

promeruit, tam prioritate temporis, quam privilegio sanctitatis. Hic enim servi Christi sanctitate comperta, ipsius exemplo disponens perfecte contemnere mundum, ab eodem, qualiter id perficeret, consilium requisivit. Quo audito, Dei famulus pro primæ prolis conceptu Sancti Spiritus consolatione repletus : A Deo est, inquit, hoc consilium requirendum. Intraverunt proinde ecclesiam S. Nicolai, mane jam facto, et oratione præmissa, cultor Trinitatis Franciscus ter Evangeliorum librum aperuit, trino exposcens a Deo testimonio sanctum Bernardi propositum confirmari. In prima libri apertione illud occurrit : *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia, quæ habes, et da pauperibus* [1]. In secunda : *Nihil tuleritis in via* [2]. In tertia vero : *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me* [3]. Hæc est, ait vir sanctus, vita et regula nostra, omniumque qui nostræ voluerint societati conjungi. Vade igitur, si vis perfectus esse, et perfice, quæ audisti. Non multo post, vocatis eodem spiritu quinque viris, filiorum Francisci senarius numerus completus est : inter quos tertium sortitus est locum sanctus pater Ægidius, vir utique Deo plenus, et celebri memoria dignus : hic etenim postmodum virtutum sublimium exercitatione præclarus, sicut famulus Domini de ipso prædixit, quanquam esset idiota et simplex, ad excelsæ contemplationis sublimatus est verticem. Nam per multa curricula temporum sursum actionibus incessanter adeo crebris in Deum rapiebatur excessibus, quemadmodum et ego ipse oculata fide conspexi, ut magis censeretur inter homines vitam angelicam agere, quam humanam. Illo quoque tempore cuidam sacerdoti civitatis Assisii, nomine Silvestro, honestæ conversationis viro, quædam a Domino fuit ostensa visio non tacenda. Cum enim modum et viam Francisci, fratrumque suorum humano spiritu abhorreret, ne periclitaretur pro temeritate judicii, respectu fuit supernæ gratiæ visitatus. Videbat namque in somnis totam Assisii civitatem a dracone magno circumdari, præ cujus magnitudine nimia, tota regio videbatur exterminio subjacere. Contuebatur posthæc crucem quamdam auream ex ore procedentem Francisci, cujus summitas cœlos tangebat, cujusque brachia protensa in latum usque ad mundi fines videbantur extendi, ad cujus etiam aspectum præfulgidum draco ille teter et horridus penitus fugabatur. Hoc dum sibi tertio monstraretur, divinum existimans esse oraculum, viro Dei et fratribus suis per ordinem enarravit; ac non multo post tempore mundum relinquens, vestigiis Christi sic perfecte adhæsit, quod vita ipsius in Ordine authenticam reddit eam, quam in sæculo habuerat, visionem. Ex hujus visionis auditu vir Dei non in gloria est elatus humana; sed bonitatem Dei in suis beneficiis recognoscens, fortius animatus est ad hostis antiqui fugandam versutiam, et crucis Christi gloriam prædicandam. Quadam autem die, dum in quodam solitario loco annos suos in amaritudine recogitans deploraret, sancti Spiritus in eum superveniente lætitia, certificatus est de remissione plenaria omnium delictorum. Raptus deinde supra se, ac in quoddam mirandum lumen totus absorptus, dilatato mentis sinu, quæ circa se et filios suos futura erant, luculenter aspexit. Post hoc reversus ad fratres : Confortamini, ait, charissimi, et gaudete in Domino, nec, quia pauci estis, efficiamini tristes, neque vos terreat mea vel vestra simplicitas : quoniam, sicut mihi a Domino in veritate ostensum est, et in magnam multitudinem faciet nos Deus crescere, suæque benedictionis gratia multipliciter dilatabit.

Eodem quoque tempore quodam alio bono viro Religionem intrante, ad septenarium numerum viri Dei soboles benedicta pervenit. Tunc pius pater omnes ad se filios convocavit, et plura eis de regno Dei, de con-

[1] *Matth.*, XIX, 21. — [2] *Luc.*, IX, 3. — [3] *Matth.*, XVI, 24.

temptu mundi, de abnegatione propriæ voluntatis, corporisque castigatione pronuntians, propositum suum de mittendo illos in quatuor partes orbis aperuit. Jam enim sterilis et paupercula simplicitas sancti patris pepererat septem filios, et desiderabat universitatem fidelium, ad pœnitentiæ lamenta vocatam, Christo Domino parturire. Ite, inquit dulcis pater ad filios : annuntiantes hominibus pacem, prædicate pœnitentiam in remissionem peccatorum. Estote in tribulationibus patientes, in orationibus vigiles, in laboribus strenui, in sermonibus modesti, in moribus graves, et in beneficiis grati : quia pro his omnibus regnum vobis præparatur æternum. At illi coram servo Dei humiliter se prosternentes in terram, cum gaudio spiritus suscipiebant obedientiæ sanctæ mandatum. Ipse vero dicebat unicuique sigillatim : *Jacta cogitatum tuum in Domino* (*a*), *et ipse te enutriet* [1]. Hoc verbum dicere solitus erat, quotiescumque fratrem aliquem ad obedientiam dirigebat. Tunc et ipse sciens se datum aliis in exemplum, ut prius faceret quam doceret, cum uno sociorum versus unam orbis partem perrexit, reliquis sex, ad modum crucis, tribus aliis mundi partibus deputatis. Modico autem elapso post tempore, benignus pater charæ prolis exoptans præsentiam, cum in unum eos per se convocare non posset, per eum orabat hoc fieri, qui dispersiones congregat Israelis. Sicque factum est, ut absque humana vocatione, omnes ex insperato post modicum temporis juxta ejus desiderium, divina operante clementia, non sine ipsorum admiratione pariter convenirent. Illis quoque diebus, quatuor sibi adhærentibus viris honestis, ad duodenarium numerum excreverunt.

Cernens autem famulus Christi paulatim accrescere numerum fratrum, scripsit sibi et fratribus suis simplicibus verbis formulam vitæ, in qua, sancti Evangelii observantia pro fundamento indissolubili collocata, pauca quædam alia inseruit, quæ ad uniformem vivendi modum necessaria videbantur. Desiderans autem per summum Pontificem approbari quæ scripserat, disposuit cum illo simplicium cœtu Apostolicæ Sedis adire præsentiam, de sola confisus directione divina. Cujus desiderium Deus ex alto respiciens, sociorum animos, simplicitatis suæ consideratione perterritos, ostensa viro Dei visione hujusmodi, confortavit. Videbatur siquidem ei, quod per quamdam viam incederet, juxta quam stabat arbor celsitudinis magnæ. Ad quam cum appropinquasset, et sub ea stans ipsius altitudinem miraretur, subito tantum divina virtute levabatur in altum, ut cacumen contingeret arboris, ejusque summa facillime curvaret ad ima. Hujus visionis præsagium vir Deo plenus intelligens referri ad condescensionem Apostolicæ Dignitatis, exhilaratus est spiritu, fratribusque suis in Domino confortatis, iter cum eis aggressus est. Cum autem ad Romanam curiam pervenisset, et adduceretur ante conspectum Summi Pontificis [2], (essetque Christi Vicarius in palatio Lateranensi, in loco, qui dicitur Speculum, deambulans, altis occupatus meditationibus, Christi famulum, tanquam ignotum, repulit indignanter. Quo humiliter foras egresso, sequenti nocte hujusmodi revelatio facta est a Deo ipsi Summo Pontifici. Videbat namque inter pedes suos palmam paulatim succrescere, et in arborem pulcherrimam elevari. Et eo mirante, quid hæc visio vellet ostendere, divina lux impressit menti ipsius Christi Vicarii, quod hæc palma illum pauperem, quem in præcedenti die repulerat, designabat. Et mane sequenti mandavit per suos famulos per urbem dictum pauperem quæri. Quem inventum juxta Lateranum in hospitali S. Antonii, ante conspectum suum celeriter jussit adduci.) Cumque introductus esset ante conspectum Summi Pontificis, exposuit suum propositum, petens humiliter

[1] *Psal.* LIV, 23. — [2] Vid. Præfat. huj. tomi, § XIII, n. 8, *Animadverto* 2.

(*a*) Vulg. *super Dominum curam tuam.*

et instanter supradictam sibi vivendi regulam approbari. Videns autem Christi Vicarius Dominus Innocentius III, vir utique sapientia clarus, admirandam in viro Dei simplicis animi puritatem, propositi constantiam, ignitumque voluntatis sanctæ fervorem, Christi pauperem mentis amore complectens, inclinatus est animo, ut pium supplicanti præberet assensum. Distulit tamen perficere quod Christi postulabat pauperculus, pro eo quod aliquibus de Cardinalibus novum aliquid et supra vires humanas arduum videretur. Aderat autem inter Cardinales vir venerandus D. Joannes de Sancto Paulo episcopus Sabinensis, omnis sanctitatis amator, et adjutor pauperum Christi. Qui divino Spiritu inflammatus, Summo Pontifici dixit, et fratribus suis : Si petitionem pauperis hujus, tanquam nimis arduam, novamque refellimus, cum petat confirmari sibi formam evangelicæ vitæ, cavendum est nobis ne in Christi Evangelium offendamus. Nam si quis intra evangelicæ perfectionis observantiam, et votum ipsius, dicat contineri aliquid novum aut irrationabile, vel impossibile ad observandum, contra Christum, Evangelii auctorem, blasphemare convincitur. Quibus propositis, successor Apostoli Petri conversus ad pauperem Christi, dixit: Ora, fili, ad Christum, ut suam nobis per te voluntatem ostendat, qua certius cognita, tuis piis desideriis securius annuamus. Omnipotentis autem Dei famulus, totum se conferens ad orandum, precibus devotis obtinuit, et quod exterius ipse proferret, et quod interius Papa sentiret. Nam cum parabolam de divite rege cum muliere formosa et paupere contrahente gratanter, et de prole suscepta præferente generantis regis imaginem, ac per hoc educanda de mensa ipsius, sicut a Deo acceperat, retulisset, ex illius interpretatione subjunxit : Non est formidandum, quod fame pereant æterni Regis filii et hæredes, qui ad imaginem Regis Christi per Spiritus sancti virtutem de paupere matre nati, et ipsi per spiritum paupertatis sunt in religione paupercula generandi. Si enim Rex cœlorum imitatoribus suis regnum promittit æternum, quanto magis illa subministrabit, quæ communiter largitur bonis et malis! Hanc ergo parabolam et intellectum ipsius Christi Vicarius cum diligenter audisset, miratus est valde, et indubitanter Christum locutum in homine recognovit. Sed et visionem, quam tunc temporis cœlo perceperat, in hoc viro fore complendam, Spiritu divino suggerente, firmavit. Videbat namque in somnis, ut retulit, Lateranensem basilicam fore proximam jam ruinæ, quam quidam homo pauperculus, modicus et despectus, proprio dorso summisso, ne caderet, sustentabat. Vere, inquit, hic est ille, qui opere et doctrina, Christi sustentabit Ecclesiam. Inde præcipua devotione repletus, petitioni ejus se per omnia inclinavit, ac Christi famulum speciali semper amore dilexit. Proinde postulata concessit, et adhuc concedere plura promisit. Approbavit regulam, dedit de pœnitentia prædicanda mandatum, et laicis fratribus omnibus, qui servum Dei fuerant comitati, fecit coronas parvulas fieri, ut verbum Dei libere prædicarent.

CAPUT IV.

De profectu Ordinis sub manu ipsius, et confirmatione Regulæ prius approbatæ.

Fretus exinde Franciscus superna gratia et auctoritate papali, cum fiducia multa versus vallem Spoletanam iter arripuit, ut Evangelium Christi faceret et doceret. Dum autem in via conferret cum sociis, qualiter regulam, quam susceperant, sincere servarent, qualiter in omni sanctitate et justitia coram Deo incederent, qualiter in seipsis proficerent, et essent aliis in exemplum, diutius collatione protracta, hora pertransiit. Et cum jam lassati essent ex diuturnitate laboris, esurientes in quodam loco solitudinis substiterunt. Sane cum omnis via deesset qua possent sibi de victu necessario provi-

dere, statim affuit providentia Dei. Nam subito apparuit homo afferens panem in manu, quem pauperculis Christi dedit; subitoque disparuit, incognitus unde venerit, aut quo iret. Cognoscentes autem per hoc pauperes fratres supernum sibi in comitatu viri Dei adesse præsidium, magis dono liberalitatis divinæ, quam cibo carnis propriæ sunt refecti: insuper divina consolatione repleti, statuerunt firmiter, et irrevocabiliter confirmaverunt, nullius inediæ aut tribulationis impulsu a sancto paupertatis resilire promisso. Exinde in vallem Spoletanam cum sancto proposito redeuntes, tractare cœperunt, utrum inter homines conversari deberent, an ad loca solitaria se conferre. Sed Christi servus Franciscus non de sua vel suorum confidens industria, per orationis instantiam divinæ super hoc voluntatis beneplacitum requisivit. Supernæ igitur revelationis illustratus oraculo, intellexit se ad hoc missum a Domino, ut Christo lucraretur animas, quas diabolus conabatur auferre. Ideoque magis omnibus, quam sibi soli vivere præelegit, illius provocatus exemplo, qui unus pro omnibus mori dignatus est. Recollegit itaque se vir Dei cum cæteris sociis in quodam tugurio derelicto juxta civitatem Assisii, in quo secundum sanctæ paupertatis formam in labore multo et inopia victitabant, magis lacrymarum, quam deliciarum panibus refici satagentes. Vacabant enim ibidem divinis precibus incessanter, mentaliter potius quam vocaliter studio intendentes orationis devotæ, pro eo quod nondum ecclesiasticos libros habebant, in quibus possent horas canonicas decantare. Loco tamen illorum librum crucis Christi, continuatis aspectibus, diebus ac noctibus revolvebant, exemplo patris et eloquio eruditi, qui jugiter faciebat eis de cruce Christi sermonem. Rogantibus autem fratribus, ut eos doceret orare, dixit: *Cum orabitis, dicite: Pater noster*[1], et: *Adoramus te, Christe, ad omnes ecclesias tuas, quæ sunt in toto mundo, et benedicimus tibi, quia per crucem tuam sanctam redemisti mundum*[2]. Docuit insuper eos Dominum laudare in omnibus, et ex omnibus creaturis honorare præcipua reverentia sacerdotes; fidei quoque veritatem, secundum quod sancta Romana tenet et docet Ecclesia, et firmiter credere, et simpliciter confiteri. Servabant illi patris sancti documenta per omnia, et ad omnes ecclesias et cruces, quas e longinquo videre poterant, juxta datam sibi formam orantes, se humiliter prosternebant. Contrahentibus autem fratribus moram in loco præfato, vir sanctus die quadam sabbati civitatem Assisii intravit, prædicaturus mane diei dominicæ, ut moris erat, in ecclesia cathedrali. Cumque in quodam tugurio, sito in horto Canonicorum, vir Deo devotus in oratione Dei more solito pernoctaret, corporaliter absentatus a filiis, ecce fere media noctis hora, quibusdam ex fratribus quiescentibus, quibusdam perseverantibus in orando, currus igneus mirandi splendoris per ostium domus intrans, huc atque illuc per domicilium tertio se convertit: super quem globus lucidus residebat, qui Solis habens aspectum, noctem clarere fecit. Obstupefacti sunt vigilantes, excitati simul et exterriti dormientes; et non minus senserunt cordis claritatem, quam corporis, dum ex virtute mirandi luminis alterius alteri conscientia nuda fuit. Intellexerunt namque concorditer omnes, videntibus invicem universis in cordibus singulorum, sanctum patrem absentem corpore, præsentem spiritu, tali transfiguratum effigie, supernis irradiatum fulgoribus, et ardoribus inflammatum, supernali virtute in curru splendente simul et igneo sibi demonstrari a Domino, ut tanquam veri Israelitæ post illum incederent, qui virorum spiritualium, ut alter Helias, factus fuerat a Deo currus et auriga[3]. Credendum sane quod ille horum simplicium aperuit oculos ad preces Francisci, ut viderent magnalia Dei, qui oculos quondam aperuerat pueri ad videndum montem plenum

[1] *Luc.*, XI, 2. — [2] Ex Officio Invent. S. Crucis. — [3] IV *Reg.*, II, 12.

equorum et igneorum curruum in circuitu Helisei [1]. Regressus autem vir sanctus ad fratres cœpit conscientiarum ipsorum secreta rimari, confortare ipsos de visione illa mirabili, et de profectu Ordinis multa futura prædicere. Cumque patefaceret plurima quæ sensum transcendebant humanum, vere cognoverunt fratres, super servum suum Franciscum Spiritum Domini in tanta plenitudine quievisse, quod post ipsius doctrinam et vitam erat eis proficisci tutissimum. Post hæc pusilli gregis pastor Franciscus ad Sanctam Mariam de Portiuncula duodenarium illum fratrum numerum, superna gratia præeunte, deduxit, ut ubi, meritis Matris Domini, Minorum sumpserat Ordo initium, ipsius illic susciperet auxiliis incrementum. Ibi quoque factus evangelicus præco, civitates circuibat et castra, non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in virtute Spiritus annuntians regnum Dei. Videbatur intuentibus homo alterius sæculi, quippe qui mente ac facie in cœlum semper intentus, omnes sursum trahere conaretur. Cœpit ex hoc Christi vinea germinare germen odoris Domini, et productis ex se floribus, *suavitatis*, *honoris et honestatis uberes fructus* [2] afferre. Nam prædicationis ipsius fervore succensi quamplurimi utriusque sexus, in conjugali pudicitia Domino famulantes, secundum formam a Dei viro acceptam, novis se pœnitentiæ legibus vinciebant, quorum vivendi modum idem Christi famulus Ordinem Fratrum de Pœnitentia nominari decrevit. Nimirum, sicut, in cœlum tendentibus, pœnitentiæ viam omnibus constat esse communem, sic et hic status clericos et laicos, virgines et conjugatos in utroque sexu admittens, quanti sit apud Deum meriti, ex pluribus per aliquos ipsorum patratis miraculis innotescit. Convertebantur etiam virgines ad perpetuum cœlibatum : inter quas virgo Deo charissima Clara, ipsarum plantula prima, tanquam flos vernans et candidus odorem dedit, et tanquam stella præfulgida radiavit. Hæc nunc glorificata in cœlis, ab Ecclesia digne veneratur in terris, quæ filia fuit in Christo sancti patris Francisci pauperculi, et mater Pauperum Dominarum. Multi etiam non solum devotione compuncti, sed et perfectionis Christi desiderio inflammati, omni mundanorum vanitate contempta, Francisci vestigia sequebantur, qui quotidianis succrescentes profectibus usque ad fines orbis terræ celeriter pervenerunt. Faciebat namque sancta paupertas, quam solam deferebant pro sumptibus, ipsos ad omnem obedientiam promptos, robustos ad labores, et ad itinera expeditos. Et quia nihil terrenum habebant, nihil amabant, nihilque timebant amittere, securi erant ubique, nullo pavore suspensi, nulla cura distracti, tanquam qui absque mentis turbatione vivebant, et sine sollicitudine diem crastinum et serotinum hospitium expectabant. Multa quidem eis in diversis partibus orbis inferebantur convitia, tanquam personis despicabilibus et ignotis; verum amor Evangelii Christi adeo ipsos patientes effecerat, ut quærerent potius ibi esse, ubi persecutionem paterentur in corpore, quam ubi cognita sanctitate ipsorum, mundano possent gloriari favore. Ipsa quoque rerum penuria superabundans eis videbatur ubertas, dum, juxta consilium Sapientis [3], pro magno ipsis minimum complacebat. Sane cum ad infidelium partes aliqui ex fratribus pervenissent, contigit, ut quidam Saracenus, pietate commotus, pecuniam eis offerret pro necessario victu. Illis autem recusantibus accipere, admiratus est homo, cernens quod inopes essent. Intellecto tandem quod pauperes effecti amore Dei, pecuniam possidere nolebant, tanta est eis affectione conjunctus, ut offerret se ad ministrandum omnia necessaria, quamdiu facultatum sibi aliquid superesset. O inæstimabilis pretiositas paupertatis, cujus miranda virtute mens feritatis barbaricæ in tantam miserationis est immutata dulcedinem! Horrendum est proinde ac nefarium scelus, ut hanc margaritam nobi-

[1] IV *Reg.*, VI, 17. — [2] *Eccli.*, XXIV, 23. — [3] Ibid., XXIX, 30.

lem vir Christianus conculcet, quam tanta veneratione extulit Saracenus.

Eo tempore Religiosus quidam de ordine Cruciferorum, Moricus nomine, in hospitali quodam prope Assisium languore tam gravi, tamque prolixo laborans, ut jam morti foret adjudicatus a medicis, viro Dei supplex factus per nuntium postulabat instanter, ut pro se ad Dominum intercedere dignaretur. Cui beatus pater benigne assentiens, oratione præmissa, panis micas accepit, et cum oleo accepto de lampade, quæ coram Virginis ardebat altari, commiscens, quasi quoddam electuarium, per manus fratrum infirmanti transmisit, dicens : Medicinam hanc fratri nostro deferte Morico, qua ipsum Christi virtus non solum plenæ sanitati restituet, verumetiam robustum bellatorem effectum, aciei nostræ perseveranter adjunget. Statim autem ut antidotum illud, sancti Spiritus adinventione confectum, æger homo gustavit, sanus exurgens, tantum mentis et corporis a Deo vigorem obtinuit, ut paulo post viri sancti Religionem ingressus, et unica tantum operiretur tunicula, sub qua longo tempore loricam portabat ad carnem, et crudis duntaxat cibariis, herbis videlicet, leguminibus fructibusque contentus, per plura temporum lustra, nec panem gustaret, nec vinum ; fortis tamen et incolumis perseverans. Crescentibus quoque virtutum meritis in parvulis Christi, odor opinionis bonæ, circumquaque diffusus, ad præsentiam sancti patris videndam plurimos e diversis mundi partibus attrahebat. Inter quos quidam sæcularium cantionum curiosus inventor, qui ab Imperatore propter hoc fuerat coronatus, et exinde rex versuum dictus, virum Dei, contemptorem mundalium, adire proposuit. Cumque apud castrum Sancti Severini eum prædicantem reperisset in monasterio quodam, facta manu Domini super se, vidit eumdem crucis Christi prædicatorem Franciscum duobus transversis ensibus valde fulgentibus in modum crucis signatum, quorum unus a capite ad pedes, alius a manu in manum per pectus transversaliter tendebatur. Non noverat facie servum Christi, sed tanto monstratum miraculo mox agnovit. Subito stupefactus ad visum, incipit meliora proponere. Tandemque verborum ipsius compunctus virtute, tanquam si esset gladio spiritus ex ejus ore procedente transfixus, sæcularibus pompis omnino contemptis, beato patri professione cohæsit. Propter quod videns ipsum vir sanctus ab inquietudine sæculi ad Christi pacem perfecte conversum, Fratrem Pacificum appellavit. Hic postmodum in omni sanctitate proficiens, antequam fieret minister in Francia, siquidem primus ibidem ministerii gessit officium, meruit iterato magnum Thau in fonte Francisci videre, quod colorum varietate distinctum, faciem ipsius miro venustabat ornatu. Hoc quippe signum vir sanctus magno venerabatur affectu, frequenti commendabat eloquio, et in eis, quas dirigebat, litterulis manu propria inscribebat, tanquam si omne ipsius studium foret signare Thau juxta dictum propheticum [1] super frontes virorum gementium et dolentium, ad Christum Jesum veraciter conversorum. Processu quoque temporis multiplicatis jam fratribus, cœpit eos pastor sollicitus in loco Sanctæ Mariæ de Portiuncula ad generale capitulum convocare, ut in funiculo distributionis divinæ in terra paupertatis eorum unicuique tribueret obedientiæ portionem. Ubi licet omnium necessariorum esset penuria, fratrumque multitudo ultra quinque millia conveniret aliquando, divina tamen opitulante clementia, et victus sufficientia suberat, et salus comitabatur corporea, et spiritualis jucunditas affluebat. Capitulis vero provincialibus, quia corporalem præsentiam exhibere non poterat, per sollicitam curam regiminis, instantiam precis, et efficaciam benedictionis spiritu præsens erat : quamvis aliquando, mira Dei faciente virtute, visibiliter appareret. Dum enim egregius prædicator, qui et nunc Christi

[1] *Ezech.*, IX, 4.

præclarus confessor Antonius de titulo Crucis, Jesus Nazarenus Rex Judæorum, in Arelatensi Capitulo fratribus prædicaret, quidam frater probatæ virtutis, Monaldus nomine, ad ostium Capituli divina commonitione respiciens, vidit corporeis oculis beatum Franciscum in aere sublevatum, extensis velut in cruce manibus, benedicentem fratres. Tanta vero et tam insolita fratres omnes consolatione spiritus repletos se fuisse senserunt, ut de vera sancti patris præsentia certum eis intra se Spiritus testimonium perhiberet : licet postmodum id non solum per evidentia signa, verumetiam per ejusdem sancti Patris verba exteriori fuerit attestatione compertum. Credendum sane quod omnipotentis Dei virtus, quæ Ambrosium pium sacrum antistitem tumulationi gloriosi concessit interesse Martini, ut pium Pontificem pio veneraretur officio, etiam servum suum Franciscum prædicationi præsentavit veracis sui præconis Antonii, ut approbaret veritatis eloquia, præcipue crucis Christi, cujus erat bajulus et minister. Cum autem dilatato jam Ordine, vivendi formam per dominum Innocentium approbatam disponeret per successorem ipsius Honorium in perpetuum facere roborari, hujusmodi fuit a Deo revelatione commonitus. Videbatur quidem sibi de terra micas panum subtilissimas collegisse, multisque famelicis fratribus ipsum circumstantibus debere tribuere. Cumque micas tam tenues distribuere formidaret, ne forte inter manus exciderent, vox ei desuper ait : Francisce, unam de micis omnibus hostiam facito, et manducare volentibus tribue. Quo id agente, quicumque illud non devote recipiebant, aut receptum contemnebant donum, mox lepra infecti, notabiles apparebant. Recitat mane vir sanctus hæc omnia sociis, dolens se non percipere mysterium visionis. Sequenti vero die, cum vigil in oratione persisteret, hujusmodi vocem de cœlo delapsam audivit : Francisce , micæ præteritæ noctis verba evangelica sunt; hostia, regula; lepra, iniquitas. Volens igitur confirmandam Regulam ex verborum Evangelii aggregatione profusius traditam ad compendiosiorem formam, juxta quod dictabat visio monstrata, redigere, in montem quemdam cum duobus sociis, Spiritu sancto ducente, conscendit, ubi pane tantum contentus et aqua, jejunans, conscribi eam fecit, secundum quod oranti sibi divinus Spiritus suggerebat. Quam cum, de monte descendens, servandam suo vicario commisisset, et ille paucis elapsis diebus assereret per incuriam perditam, iterato sanctus vir ad locum solitudinis rediit, eamque instar prioris, ac si ex ore Dei verba susciperet, illico reparavit, et per supradictum dominum Papam Honorium, octavo pontificatus illius anno, sicut optaverat, obtinuit confirmari. Ad cujus observantiam fratres ferventer inducens, dicebat se nihil ibi posuisse secundum industriam propriam, sed omnia sic scribi fecisse, sicut sibi fuerant divinitus revelata. Quod ut certius constaret testimonio Dei, paucis admodum evolutis diebus, impressa sunt ei stigmata Domini Jesu digito Dei vivi, tanquam bulla summi Pontificis Christi, ad confirmationem omnimodam Regulæ, et commendationem Auctoris, sicut, post suarum enarrationem virtutum, suo loco inferius describetur.

CAPUT V.

De austeritate vitæ, et quomodo creaturæ præbebant ei solatium.

Cum igitur cerneret vir Dei Franciscus suo exemplo ad crucem Christi bajulandam ferventi spiritu plurimos animari, animabatur et ipse, tanquam bonus dux exercitus Christi, ad palmam victoriæ per culmen invictæ pervenire virtutis. Attendens enim illud Apostoli verbum [1] : *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis;* ut crucis armaturam suo ferret in corpore, tanta disciplinæ rigiditate

[1] *Gal.*, v, 24.

sensuales appetitus arcebat, ut vix necessaria sumeret sustentationi naturæ. Difficile namque fore dicebat necessitati corporis satisfacere, et pronitati sensuum non parere. Propter quod cocta cibaria sanitatis tempore vix admittebat et raro, admissa vero aut conficiebat cinere, aut condimenti saporem admixtione aquæ ut plurimum reddebat insipidum. De potu quid dicam, cum et de aqua frigida, dum sitis æstuaret ardore, vix ad sufficientiam biberet? Modos adinveniebat abstinentiæ potioris, et quotidie exercitatione crescebat; licetque jam perfectionis culmen attingeret, tanquam incipiens, semper aliquid innovabat, afflictionibus carnis puniendo libidinem. Egrediens tamen exterius, propter verbum Evangelii [1], conformabat se suscipientibus ipsum in qualitate ciborum, cum tamen ad interiora regressus districte servaret rigidam abstinentiæ parcitatem. Sicque seipsum austerum sibi, humanum proximo, subjectum Evangelio Christi per omnia reddens, non solum abstinendo, verumetiam manducando præbebat ædificationis exemplum. Nuda humus ut frequentius lectus erat lassato corpusculo, et sæpius sedens, ligno vel lapide ad caput posito, dormiebat, unica paupere contectus tunicula, in nuditate Domino serviebat, et frigore. Interrogatus aliquando quomodo vestitu tam tenui se posset ab hiemalis algoris asperitate tueri, in spiritus fervore respondit: Si supernæ patriæ flamma per desiderium contegeremur interius, frigus istud exterius facile portaremus. Vestis horrebat mollitiem, asperitatem amabat, afferens propter hoc Joannem Baptistam ore divino fuisse laudatum. Si quando vero in data sibi tunica lenitatem sentiret, chordulis eam contexebat interius: quia non in casulis pauperum, sed in palatiis principum, juxta veritatis verbum [2], vestimentorum dicebat requirendam esse mollitiem. Experientia enim certa didicerat, dæmones asperitate terreri, deliciosis autem et mollibus ad tentandum fortius animari. Unde cum nocte quadam, propter infirmitatem capitis et oculorum, præter solitum morem cervical de pluma positum haberet ad caput, dæmon in illud ingressus ipsum usque ad horam matutinalem inquietatum multimode a sanctæ orationis studio perturbavit, donec, vocato socio, pulvinari cum dæmonio fecit extra cellulam longius exportari. Egressus autem cum pulvinari frater de cella, membrorum omnium vires amisit et usum, quousque, ad vocem sancti patris hoc cognoscentis in spiritu, vigor pristinus cordis et corporis sibi fuit plenarie restitutus. Rigidus in disciplina super custodiam suam stabat, curam permaximam gerens de utriusque hominis puritate servanda: quapropter, circa conversionis suæ primordia, tempore hiemali, in foveam plenam glacie seipsum plerumque mergebat, ut et domesticum sibi hostem perfecte subjiceret, et candidum vestimentum pudoris a voluptatis incendio præservaret. Tolerabilius viro spirituali fore incomparabiliter asserebat magnum sustinere frigus in carne, quam ardorem carnalis libidinis vel modicum sentire in mente. Cum autem apud eremum de Sarthiano nocte quadam orationi vacaret in cellula, vocavit eum hostis antiquus, tertio dicens: Francisce, Francisce, Francisce. Cui cum, quid quæreret, respondisset, fallaciter ille subjunxit: Nullus est in mundo peccator, cui, si conversus fuerit, non indulgeat Deus; sed quicumque semetipsum pœnitentia dura necaverit, misericordiam non inveniet in æternum. Statim vir Dei per revelationem cognovit hostis fallaciam, quomodo nixus fuerit eum ad tepida revocare: nam hoc sequens indicavit eventus. Continuo enim post hoc, ad insufflationem illius, cujus *halitus prunas ardere facit* [3], gravis ipsum carnis tentatio apprehendit. Quam ut præsensit castitatis amator, deposita veste, chorda cœpit se verberare fortissime: Eia, inquiens, frater asine, sic te decet manere, sic subire flagellum. Tunica religioni deservit, sanctitatis signacu-

[1] *Luc.*, x, 8. — [2] *Matth.*, xi, 8. — [3] *Job*, xli, 12.

lum præfert : furari eam libidinoso non licet : si quo vis pergere, perge. Insuper et mirando fervore spiritus animatus, aperta cella, foras exivit in hortum, et in magnam demergens nivem corpusculum jam nudatum, septem ex ea plenis manibus cœpit compingere massas, quas sibi proponens, suo sic exteriori homini loquebatur : Ecce, inquit, hæc major uxor tua est, quatuor istæ, duo filii, et duæ filiæ, reliquæ duæ servus et ancilla, quos ad serviendum habere oportet. Festina igitur omnes induere, quoniam frigore moriuntur. Si vero eorum multiplex sollicitudo molestat, uni Domino sollicite servi. Illico tentator victus abscessit, et vir sanctus cum victoria in cellam rediit : quia dum bene pœnaliter alxit foris, ardorem interius sic extinxit libidinis, ut deinceps tale aliquid minime sentiret. Quidam autem frater, qui tunc orationi vacabat, hæc omnia luna clarius incedente prospexit. Comperto vir Dei quod hoc ille nocte vidisset, reserans ei tentationis processum, præcepit, ut quamdiu ipse viveret, nulli viventi rem, quam viderat, propalaret. Non solum autem mortificari debere docebat vitia carnis, et ejus incentiva frænari ; verumetiam exteriores sensus, per quos mors intrat ad animam, summa vigilantia custodiri. Mulierum familiaritates, colloquia et aspectus, quæ multis sunt occasio ruinæ, sollicitius evitari jubebat, asserens per hujusmodi debilem frangi, et fortem sæpe spiritum infirmari. Harum contagionem evadere conversantem cum eis, nisi probatissimum virum, tam facile dixit, quam juxta Scripturam [1] in igne ambulare, et non comburere plantas. Siquidem ipse adeo averterat oculos suos, ne hujusmodi vanitatem viderent, quod, sicut aliquando socio dixit, quasi nullam recognoscebat in facie. Non enim securum esse putabat, earum formarum introrsus haurire imagines, quæ possunt aut edomitæ carnis resuscitare igniculum, aut pudicæ mentis maculare nitorem. Asserebat etiam frivolum esse mulieris colloquium, excepta sola confessione vel instructione brevissima, juxta quod et saluti expedit, et congruit honestati. Quæ sunt, inquit, Religioso cum muliere tractanda negotia, nisi cum sanctam pœnitentiam, vel melioris vitæ consilium, religiosa petitione deposcit ? Ex nimia securitate minus cavetur hostis, et diabolus, si de suo capillum potest habere in homine, cito excrescere facit in trabem. Otium autem, omnium malarum cogitationum sentinam, docebat summopere fugiendum, exemplo demonstrans rebellem carnem, et pigram, disciplinis continuis et fructuosis laboribus esse domandam. Unde corpus suum fratrem asinum appellabat, tanquam laboriosis supponendum oneribus, crebris cædendum flagellis, et vili pabulo sustentandum. Si quem vero cernebat otiosum et vagum aliorum velle manducare labores, fratrem muscam nominandum censebat : eo quod talis nihil boni faciens, sed benefacta inficiens, vilem et abominabilem se omnibus reddat. Propter quod dixit aliquando : Volo fratres meos laborare et exercitari, ne, otio dediti, per illicita corde aut lingua vagentur. Evangelicum siquidem volebat a fratribus observari silentium [2], ut videlicet ab omni otioso verbo omni tempore abstinerent sollicite, tanquam reddituri in die judicii de hujusmodi rationem. Sed et si quem invenisset fratrem verbis assuetum inanibus, acriter arguebat, taciturnitatem modestam, et puri cordis affirmans custodiam, et non modicam esse virtutem, pro eo quod mors et vita fore dicuntur [3] in manibus linguæ, non tam ratione gustus, quam ratione loquelæ. Licet autem pro viribus ad vitam austeram fratres induceret, non tamen ei placebat districtionis severitas, quæ pietatis non induit viscera, nec est discretionis sale condita. Cum enim quadam nocte unus ex fratribus, præ nimietate abstinentiæ admodum fame cruciatus, nullam posset habere quietem, intelligeretque pius pastor ovi suæ imminere periculum, vocavit fratrem, apposuit

[1] *Prov.*, VI, 27-28. — [2] *Matth.*, XII, 36. — [3] *Prov.*, XVIII, 21.

panem, et ut ruborem illi tolleret, cœpit ipse prior comedere, eumque ad manducandum dulciter invitare. Deposuit frater verecundiam, sumpsit cibum, gavisus quamplurimum, quod per circumspectam condescensionem pastoris, et corporis evasisset dispendium, et non modicum accepisset ædificationis exemplum. Mane facto, fratribus convocatis in unum, vir Dei, referens quod acciderat nocte, provida commonitione subjunxit : Sit vobis, fratres, non cibus, sed charitas in exemplum. Docuit insuper eos discretionem sequi, ut aurigam virtutum : non eam, quam caro suadet, sed quam edocuit Christus, cujus sacratissimam vitam expressum constat esse perfectionis exemplar. Et quoniam agnum sine macula crucifixum non est possibile homini carnis infirmitate circumdato sic perfecte sectari, quin aliquando aliquas contrahat sordes ; ideo documento certo firmabat eos, qui perfectioni vitæ vigilanter intendunt, quotidianis debere se lacrymarum emundare fluentis. Licet enim jam (*a*) esset adeptus cordis et corporis puritatem mirabilem, non cessabat tamen lacrymarum imbribus jugiter oculos expiare mentales, corporeorum luminum non ponderando jacturam. Cum enim ex continuo fletu infirmitatem oculorum incurrisset gravissimam, suadente sibi medico quod abstineret a lacrymis, si corporei visus cæcitatem vellet effugere, vir sanctus respondit : Non est, frater medice, ob amorem luminis, quod habemus commune cum muscis, visitatio lucis æternæ repellenda vel modicum : quia non spiritus propter carnem, sed caro propter spiritum beneficium lucis accepit. Malebat siquidem corporalis visus lumen amittere, quam lacrymas, quibus oculus mundatur interior, ut Deum videre valeat[1], repressa devotione spiritus, impedire. Cum autem semel daretur consilium a medicis, et instanter suaderetur a fratribus, ut pateretur sibi per remedium subveniri cocturæ, humiliter vir Dei assensit, quia salutiferum hoc simul et asperum esse cernebat. Vocatus itaque venit chirurgus, instrumentum ferreum igni submittens ad faciendum cocturam. At Christi servus corpus jam horrore concussum confortans sicut amicum, cœpit ignem alloqui, dicens : Mi frater ignis, præ cæteris rebus æmulandi decoris, virtuosum, pulchrum et utilem te creavit Altissimus. Esto mihi hac hora propitius, esto curialis. Precor magnum Dominum, qui te creavit, ut tuum mihi calorem temperet, quo suaviter urentem valeam sustinere. Oratione finita, contra igne candescens ferreum instrumentum signum crucis edidit ; deinceps intrepidus persistebat. Profundatum est crepitans ferrum in tenera carne, et ab aure usque ad supercilium coctura protracta. Quantum irrogaverit ignis ille dolorem, vir ipse sanctus expressit. Laudate, inquit ad fratres, Altissimum : quia, vere dico vobis, nec ignis ardorem sensi, nec carnis ullum dolorem. Et conversus ad medicum : Si non est, inquit, caro bene decocta, imprime iterum. Expertus medicus in invalida carne virtutem spiritus tam potentem, miratus est, et divinum hoc miraculum extulit, dicens : Dico vobis, fratres, vidi mirabilia hodie. Quia enim ad tantam devenerat puritatem, ut caro spiritui, et spiritus Deo harmonia mirabili concordarent, divina ordinatione fiebat, ut creatura, Creatori suo deserviens[2], voluntati et imperio ejus mirabiliter subjaceret. Alio enim tempore, apud eremum Sancti Urbani servo Dei ægritudine gravissima laborante, cum ipse, naturæ defectum sentiens, vini poculum postulasset, nihilque de vino, quod sibi dari posset, responderetur adesse, jussit aquam afferri, et allatam signo crucis edito benedixit. Mox vinum efficitur optimum, quod fuerat aqua pura, et quod deserti loci paupertas non potuit, viri sancti puritas impetravit. Ad cujus gustum tanta protinus facilitate convaluit, ut saporis novitas, et innovatio sanitatis, gustabile ac gustantem supernaturaliter in-

[1] *Matth.*, v, 8. — [2] *Sap.*, xvi, 24.

(*a*) *Cæt. edit.* tam.

novantes, perfectam in ipso expoliationem veteris hominis, et induitionem novi, duplici attestatione firmarent. Non solum creatura servo Dei serviebat ad nutum, sed et Creatoris ubique providentia condescendebat ad placitum. Cum enim tempore quodam, ex multarum infirmitatum concursu aggravato corpore, ad jucunditatem spiritus excitandam alicujus audiendi soni harmonici desiderium habuisset, nec id honestatis decentia per ministerium fieri pateretur humanum, affuit angelorum obsequium ad viri sancti placitum adimplendum. Nocte etenim quadam, vigilante ipso, et meditante de Domino, repente insonuit cithara quædam harmoniæ mirabilis, et suavissimæ melodiæ. Non videbatur aliquis; sed transitum et reditum citharœdi ipsa hinc inde auditus volubilitas innuebat. Spiritu in Deum directo, tanta fuit in illo dulcisono carmine suavitate perfruitus, ut aliud se putaret sæculum commutasse. Hoc et fratres sibi familiares non latuit, qui per certa frequenter conspiciebant indicia, eum tam excessivis et crebris consolationibus a Domino visitari, ut nec ipsas omnino occultare valeret. Alio quoque tempore, viro Dei prædicationis causa inter Lombardiam, et Marchiam Tervisanam, iter agente cum fratre socio juxta Padum, tenebrosa noctis supervenit obscuritas. Cumque via esset exposita periculis magnis et multis propter tenebras, fluvium et paludes, dixit socius ad virum sanctum : Ora, pater, ut de instantibus periculis liberemur. Cui vir Dei cum fiducia multa respondit : Potens est Deus, si placet suæ dulcedini, tenebrarum effugata caligine, beneficium nobis impendere lucis. Vix sermonem compleverat, et ecce tanta lux illico cœpit circa eos superna radiare virtute, ut nocte aliis existente obscura, ipsi luce clara viderent non solum viam, verumetiam plurima circumquaque. Cujus lucis ducatu corporaliter directi, et spiritualiter confortati, usque ad locum hospitii per non modicum viæ spatium, cum divinis hymnis et laudibus incolumes pervenerunt. Perpende quantæ fuerit vir iste munditiæ quantæque virtutis, ad cujus nutum suum ignis ardorem contemperat, aqua saporem commutat, angelica præbet melodia solatium, et lux divina ducatum, ut sic sanctificatis viri sancti sensibus, omnis probetur mundi machina deservire.

CAPUT VI.

De humilitate et obedientia, et de condescensionibus divinis sibi factis ad nutum.

Omnium virtutum custos et decor humilitas, copiosa virum Dei ubertate repleverat. In propria quidem reputatione nihil erat, nisi peccator, cum in veritate speculum esset et splendor omnimodæ sanctitatis. Super hanc studuit ædificare seipsum, ut sapiens architectus, fundamentum præjaciens, quod a Christo didicerat. Dicebat propter hoc Filium Dei de altitudine sinus paterni ad nostra despicabilia descendisse, ut tam exemplo, quam verbo, Dominus et Magister humilitatem doceret. Propter quod studebat tanquam Christi discipulus in oculis suis et aliorum vilescere, a summo dictum esse Magistro commemorans [1] : *Quod altum est apud homines, abominatio est apud Deum.* Sed et verbum hoc dicere solitus erat : Quantum homo est in oculis Dei, tantum est, et non plus. Stultum proinde judicans mundanis extolli favoribus, gaudebat de opprobriis, et de laudibus tristabatur. Malebat quidem de se vituperium audire, quam laudem, sciens quod hoc ad emendandum induceret, illa impelleret ad cadendum. Et ideo sæpe cum populi merita in eo sanctitatis extollerent, præcipiebat alicui fratri, ut in contrarium verba ipsum vilificantia suis auribus inculcando proferret. Cumque frater ille, licet invitus, eum rusticum, et mercenarium, et inutilem diceret, exhilaratus tam mente, quam facie, respondebat : Benedicat tibi Dominus, fili charissime, quia tu verissima lo-

[1] *Luc.*, XVI, 15.

queris, et talia filium Petri Bernardonis decet audire. Ut autem se cæteris despicabilem redderet, non parcebat rubori, quin in prædicatione coram omni populo proprios manifestaret defectus. Accidit semel, ut infirmitate gravatus, rigorem abstinentiæ pro recuperanda sanitate modicum relaxaret. Viribus autem corporis utcumque resumptis, verus sui contemptor, ad propriæ carnis animatus opprobrium : Non est, inquit, conveniens, ut populus abstinentem me credat, et ego e contrario carnaliter reficiar in occulto. Surrexit propterea, sanctæ humilitatis spiritu inflammatus, et in platea civitatis Assisii populo convocato, solemniter cum fratribus multis, quos secum adduxerat, majorem introivit ecclesiam, funeque ad collum ligato, nudum cum femoralibus solis in oculis omnium se trahi præcipit usque ad lapidem, in quo malefactores puniendi consueverant collocari. Super quem conscendens, licet quartanarius esset, et debilis, acerbi frigoris tempore cum multo vigore animi prædicavit, audientibusque cunctis asseruit se non tanquam spiritualem honorandum fore, quinimo tanquam carnalem, et glutonem, ab omnibus contemnendum. Igitur qui convenerant, tam ingenti viso spectaculo, admirati sunt, et quia ipsius austeritatem jam noverant, devotione compuncti, humilitatem hujusmodi magis admirabilem, quam imitatabilem proclamabant. Licet autem id magis videatur portentum fuisse instar prophetalis vaticinii, quam exemplum, tamen vere (*a*) documentum extitit humilitatis perfectæ, quo Christi sectator instruitur transitoriæ laudis præconium debere contemnere, tumentis quoque jactantiæ comprimere fastum, et fraudulentæ simulationis mendacium confutare. Multa quidem in hunc modum sæpius faciebat, ut exterius tanquam vas perditum fieret, et sanctificationis spiritum interius possideret. Studebat bona Domini sui arcano pectoris condere, nolens patere gloriæ, quod posset occasio esse ruinæ. Nam sæpe cum beatificaretur a pluribus, verbum hujusmodi proferebat : Filios et filias adhuc habere possem : nolite laudare (*b*) securum. Nemo laudandus, cujus incertus est exitus. Ista quidem laudantibus; ad se autem sic : Latroni si tanta contulisset Altissimus, gratior te foret, Francisce. Dicebat fratribus sæpe : De omni eo, quod peccator potest, nemo sibi debet iniquo applausu blandiri. Peccator, ait, jejunare potest, orare, plangere, carnemque propriam macerare; hoc solum non potest, Domino scilicet suo esse fidelis. In hoc itaque gloriandum, si suam Domino gloriam reddimus, si, fideliter servientes, ipsi, quidquid donat, ascribimus. Ut autem pluribus modis negotiator hic evangelicus lucraretur, ac totum præsens tempus conflaret in meritum, non tam præesse voluit, quam subesse, nec tam præcipere, quam parere. Idcirco Generalis cedens officio, Guardianum petiit, cujus voluntati per omnia subjaceret. Tam enim uberem asserebat sanctæ obedientiæ fructum, ut eis, qui jugo ipsius colla summitterent, nil temporis sine lucro transiret : unde et fratri, cum quo erat solitus ire, semper obedientiam promittere consueverat, et servare. Dixit aliquando sociis : Inter alia, quæ dignanter pietas mihi divina concessit, hanc gratiam contulit, quod ita diligenter novitio unius horæ obedirem, si mihi Guardianus daretur, sicut antiquissimo et discretissimo fratri. Subditus (inquit) Prælatum suum non hominem considerare debet, sed illum, pro cujus est amore subjectus. Quanto enim contemptibilior præsidet, tanto magis humilitas obedientis placet. Cum vero vice quadam quæreretur ab eo, quis esset verus obediens judicandus, corporis mortui similitudinem pro exemplo proposuit : Tolle, inquit, corpus exanime, et ubi placuerit, pone. Videbis non repugnare motum, non murmurare situm, non reclamare dimissum. Quod si statuatur in cathedra, non alta, sed ima respiciet. Si collocetur in purpura, duplo pallescet. Hic, ait, verus obediens est, qui cur moveatur, non dijudicat;

(*a*) *Cæt. edit.* veræ. — (*b*) Suppl. *velut.*

ubi locetur, non curat; ut transmutetur, non instat; evectus ad officium, solitam tenet humilitatem; plus honoratus, plus reputat se indignum. Dixit aliquando socio suo : Non mihi videor frater Minor, nisi fuero in statu, quem tibi descripsero. Ecce prælatus existens fratrum, vado ad Capitulum, prædico, et commoneo fratres, et in fine dicitur contra me : Non convenis nobis, quia illitteratus es, elinguis, idiota et simplex. Tandem ejicior cum opprobrio, vilipensus ab omnibus. Dico tibi, nisi eodem vultu, eadem mentis lætitia, et eodem sanctitatis proposito hæc verba audiero, frater Minor nequaquam sum. Et addebat : In prælatione casus, in laude præcipitium, in humilitate subditi animi lucrum est. Cur ergo periculis plusquam lucris attendimus, cum acceperimus tempus ad lucrum? Hac igitur de causa humilitatis forma Franciscus fratres suos voluit vocari Minores, et Prælatos sui ordinis dici Ministros, ut et verbis uteretur Evangelii, quod observare promiserat, et ex ipso nomine discerent discipuli ejus, quod ad discendam humilitatem ad scholas humilis Christi venissent. Magister siquidem humilitatis Jesus Christus, ut informaret discipulos ad humilitatem perfectam, dixit [1] : *Quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister : et quicumque voluerit inter vos primus esse, erit vester servus.* Cum autem requireret ab eo Dominus Ostiensis, ordinis Minorum Protector, et promotor præcipuus, qui postmodum, juxta quod idem vir sanctus prædixerat, ad summum pontificatus sublimatus honorem, Gregorius nonus est dictus, utrum sibi placeret quod fratres sui promoverentur ad ecclesiasticas dignitates, respondit : Domine, *minores* ideo vocati sunt fratres mei, ut majores fieri non præsumant. Si vultis ut faciant fructum in Ecclesia Dei, tenete illos, et conservate in statu vocationis eorum, et ad prælationes ecclesiasticas nullatenus ascendere permittatis. Et quoniam humilitatem tam in se, quam in subditis, cunctis præferebat honoribus, amator humilium Deus altioribus ipsum dignum judicabat fastigiis, secundum quod uni fratri, viro virtutis et devotionis præcipuæ, visio cœlitus ostensa monstravit. Cum enim esset in comitatu viri Dei, et una cum ipso in quadam ecclesia deserta ferventi oraret affectu, in ecstasi factus, vidit inter multas in cœlo sedes, unam præ cæteris digniorem, pretiosis ornatam lapidibus et omni gloria refulgentem. Miratus intra se præcelsi refulgentiam throni, anxiâ cœpit cogitatione perquirere, quis ad illum deberet assumi. Audivit inter hæc vocem dicentem sibi : Sedes ista unius de ruentibus fuit, et nunc humili servatur Francisco. Reversus demum frater ad se ab orationis excessu, virum beatum exterius prodeuntem solito fuit more secutus. Cumque, incedentes per viam, de Deo invicem loquerentur, frater ille, visionis suæ non immemor, solerter ab eo quæsivit, quid de seipso sentiret. Ad quem humiliter Christi servus : Videor, ait, mihi maximus peccatorum. Cui cum frater diceret ex adverso, quod hoc non posset sana conscientia dicere, nec sentire, subjunxit : Si quantumcumque sceleratum hominem tanta fuisset Christus misericordia prosecutus, arbitror sane quod multo quam ego Deo gratior esset. Confirmatus fuit frater ex tam admirabilis humilitatis auditu de veritate visionis ostensæ, Evangelio sacro testante [2] cognoscens, quod ad excellentiam gloriæ, de qua superbus ejicitur, vere humilis exaltetur.

Alio quoque tempore, cum in deserta quadam oraret ecclesia in provincia Massæ apud montem Casalem, intellexit per Spiritum sacras ibidem remansisse reliquias. Quas cum longo jam tempore defraudatas honorificentia debita, non sine mœrore, conspiceret, præcipit fratribus, ut eas cum reverentia deferrent ad locum. Sed cum, poscente causa, discessisset ab eis, mandati patris immemores filii, obedientiæ meritum neglexerunt. Die vero quadam cum sacra celebrare vellent mysteria, superiori altaris operimento sum-

[1] *Marc.*, x, 43-44. — [2] *Luc.*, xiv, 11.

moto, ossa pulcherrima, et redolentia nimis, non sine admiratione reperiunt intuentes reliquias, quas non hominis manus, sed Dei virtus attulerat. Reversus paulo post vir devotus diligenter cœpit exquirere, si, quod de reliquiis mandaverat, esset impletum. Verum neglectæ obedientiæ culpam fratres confitentes humiliter, cum pœna veniam meruerunt. Et ait vir sanctus : Benedictus Dominus Deus meus, qui per seipsum implevit, quod vos facere debuistis. Considera diligenter divinæ providentiæ curam circa pulverem nostrum, et humilis Francisci excellentem in oculis Dei perpende virtutem. Nam cujus jussis non paruit homo, votis obedivit Deus.

Quodam tempore deveniens Imolam, civitatis episcopum adiit, humiliterque poposcit, ut cum ipsius beneplacito posset populum ad prædicationem vocare : Sufficit, inquit, frater, quod ego prædicem populo meo. Inclinavit caput verus humilis, et foras egressus, post modicam horam regreditur intro. A quo, cum Episcopus quasi turbatus requireret, quid iterato petere vellet, humili tam corde, quam voce, respondit : Domine, si pater filium uno repulerit ostio, alio sibi reintrandum est. Humilitate victus Episcopus, alacri vultu eum amplexus est, dicens : Tu, et omnes fratres tui, de cætero in episcopatu meo generali mea licentia prædicetis, quia illud humilitas sancta promeruit. Contigit ipsum aliquando Aretium devenire, cum tota civitas intestino bello quassata propinquum sui minabatur excidium. Hospitatus vero in suburbio, vidit supra civitatem exultantes dæmones, ac perturbatos cives ad cædem mutuam succedentes. Ut autem seditiosas illas effugaret aereas potestates, fratrem Silvestrum, columbinæ simplicitatis virum, quasi præconem præmisit, dicens : Vade ante portam civitatis, et ex parte Dei omnipotentis dæmonibus in virtute obedientiæ præcipe, ut exeant festinanter. Accelerat verus obediens patris jussa perficere, et præoccupans in laudibus faciem Domini, ante portam civitatis cœpit clamare valenter : Ex parte omnipotentis Dei, et jussu servi ejus Francisci, procul hinc discedite, dæmones universi. Redit ad pacem continuo civitas, et civitatis in se jura cives omnes cum magna tranquillitate reformant. Expulsa quippe dæmonum furibunda superbia, quæ civitatem illam velut obsidione vallaverat, superveniens sapientia pauperis, videlicet Francisci humilitas, pacem reddidit, urbemque salvavit. Humilis enim obedientiæ ardua promerente virtute, super spiritus illos rebelles atque protervos tam potestativum fuerat assecutus imperium, ut et ipsorum feroces protervias premeret, et importunas violentias propulsaret. Fugiunt quidem superbi dæmones excelsas virtutes humilium, nisi cum interdum ad humilitatis custodiam divina eos clementia colaphizari permittit, sicut et Paulus Apostolus de seipso scribit, et Franciscus experimento probavit. Rogatus enim a Domino Leone Cardinali S. Crucis, ut secum aliquantum moraretur in urbe, acquievit humiliter ob ipsius reverentiam et amorem. Prima igitur nocte, cum post orationem vellet quiescere, supervenerunt dæmones in Christi militem atrociter insurgentes : quem cum diu verberassent, ac dure, ad ultimum quasi seminecem reliquerunt. Discedentibus illis, socius vocatus advenit, cui cum vir Dei rei narrasset eventum, subjungens, ait : Credo, frater, quod dæmones, qui nihil possunt, nisi quantum providentia superna disponit, ideo in me nunc tam ferociter irruerunt, quia non bonam spem præfert mansio mea in curia magnatorum. Fratres mei, qui in locis pauperculis commorantur, audientes me cum Cardinalibus esse, suspicabuntur forsitan implicari mundanis, efferri honoribus, et deliciis abundare. Ideo melius judico eum, qui ponitur in exemplum, fugere curias et humiliter inter humiles in locis conversari humilibus, ut sustinentes penuriam fortes efficiat, similia sustinendo. Veniunt ergo mane, et humili excusatione proposita, vale faciunt Cardinali. Abhorrebat nempe

vir sanctus superbiam, omnium malorum originem, et inobedientiam, ipsius pessimam prolem; sed non minus humilitatem pœnitentiæ acceptabat. Accidit semel ut eidem præsentaretur quidam frater, qui contra legem obedientiæ aliquid fecerat, disciplina justitiæ corrigendus. Videns autem vir Dei fratrem illum per signa evidentia veraciter esse compunctum, ad indulgendum ei amore fuit humilitatis inductus. Ne tamen facilitas veniæ incentivum esset aliis delinquendi, jussit ablatum fratri caputium in medio flammarum projici, ut omnes adverterent quanta, qualique vindicta, offensa sit inobedientiæ percellenda. Cumque per moram caputium fuisset in medio ignis, præcepit ipsum flammis detrahi, reddique fratri humiliter pœnitenti. Mirabile dictu! extrahitur caputium de medio flammarum, nullum habens adustionis vestigium. Sicque factum est, ut hoc uno Deus miraculo, et sancti viri virtutem, et humilitatem pœnitentiæ commendaret. Digne itaque sectanda est Francisci humilitas, quæ tam miram in terris etiam dignitatem obtinuit, ut Deum inclinaret ad votum, et hominis immutaret affectum, dæmonum protervitatem suo jussu propelleret, et flammarum voracitatem solo nutu refrænaret. Revera hæc est, quæ possessores suos exaltans, dum omnibus reverentiam exhibet, ab omnibus promeretur honorem.

CAPUT VII.

De amore paupertatis, et mira suppletione defectuum.

Inter cætera charismatum dona, quæ a largo Datore Franciscus obtinuit, prærogativa quadam speciali promeruit in divitias simplicitatis excrescere per altissimæ paupertatis amorem. Hanc Filio Dei vir sanctus familiarem attendens, et jam quasi toto orbe repulsam, charitate sic studuit desponsare perpetua, quod non solum pro ea patrem matremque reliquit, verumetiam, quæ habere potuit, universa dispersit. Nemo tam auri, quam ipse cupidus paupertatis, nec thesauri custodiendi sollicitior nullus, quam iste hujus evangelicæ margaritæ. In hoc præcipue suus offendebatur aspectus, si quidquam videret in fratribus, quod paupertati non per omnia consonaret. Revera ipse a principio religionis usque ad mortem tunica, chordula et femoralibus dives, iis contentus fuit. Christi Jesu paupertatem, et Matris, frequenter cum lacrymis revocabat ad mentem : inde hanc virtutum asserens essa reginam, quia in Rege regum, et in regina Matre ipsius tam præstanter effulsit. Nam, et fratribus in conclavi quærentibus, quæ virtus magis amicum redderet Christo, quasi secretum sui cordis aperiens, respondebat : Paupertatem noveritis, fratres, specialem viam esse salutis, tanquam humilitatis fomentum, perfectionisque radicem, cujus est fructus multiplex, sed occultus. Hæc enim est evangelici agri thesaurus absconditus, pro quo emendo vendenda sunt omnia, et quæ vendi non possunt, illius comparatione spernenda. Ad hujus, inquit, culmen qui cupit attingere, non solum mundanæ prudentiæ, verumetiam litterarum peritiæ renuntiare quodammodo debet : ut tali expropriatus possessione, introeat in potentias Domini, et nudum se offerat brachiis Crucifixi. Nequaquam enim sæculo perfecte renuntiat, qui proprii sensus loculos intra cordis arcana reservat. Sæpe vero de paupertate sermonem faciens, ingerebat fratribus evangelicum illud [1] : *Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos; Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet.* Propter quod docebat fratres, ut pauperum more pauperculas casulas erigerent, quas non habitarent ut proprias, sed sicut peregrini et advenæ alienas. Leges namque peregrinorum esse dicebat sub alieno colligi tecto, sitire ad patriam pacifice pertransire. Mandabat dirui aliquando domos erectas, aut fratres exinde amoveri, si aliquid in eis perciperet, quod ra-

[1] *Matth.*, VIII, 20; *Luc.*, IX, 58.

tione appropriationis vel sumptuositatis contrarium esset evangelicæ paupertati. Hanc sui dicebat ordinis fundamentum, cui, substrato primarie, sic omnis structura religionis innititur, ut ipsius firmitate firmetur, et eversione funditus evertatur. Docebat proinde, sicut revelatione didicerat, sacræ religionis ingressum ab illo fore inchoandum evangelico verbo [1] : *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia, quæ habes, et da pauperibus*. Ideoque nonnisi expropriatos, et nihil penitus retinentes admittebat ad ordinem, tum propter verbum sancti Evangelii, tum etiam ne forent in scandalum loculi reservati. Unde in Marchia Anchonitana cuidam petenti ad ordinem recipi, verus pauperum patriarcha respondit : Si vis Christi pauperibus jungi, pauperibus tua distribue. Quo audito, perrexit homo, et ductus amore carnali, sua suis reliquit, nilque pauperibus. Verum cum hoc, illo referente, vir sanctus audisset, dura eum increpatione feriens, dixit : Vade viam tuam, frater musca, quoniam nondum existi de domo et cognatione tua. Consanguineis tuis tua dedisti, et defraudasti pauperes : dignus non es pauperibus sanctis. Incœpisti a carne, ruinosum fundamentum spirituali fabricæ collocasti. Rediit animalis homo ad suos, et repetiit sua, quæ pauperibus relinquere nolens, virtutis propositum citius dereliquit. Alio quoque tempore cum in loco Sanctæ Mariæ de Portiuncula tanta esset inopia, quod non posset hospitibus fratribus supervenientibus secundum necessitatis exigentiam provideri, adiit virum Dei vicarius suus, allegans penuriam fratrum, et petens ut intrantium novitiorum res aliquas reservare liceret, ad quas expendendas recurrere possent fratres tempore opportuno. Ad quem vir sanctus, superni consilii non ignarus : Absit, inquit, a nobis, frater charissime, ut pro quovis homine impie agamus in Regulam. Malo te altare Virginis gloriosæ nudare, cum necessitas id requirit, quam contra paupertatis votum, et observantiam Evangelii, aliquid vel modicum attentare. Gratius enim habebit beata Virgo, sancti Evangelii perfecte servato consilio, suum altare detegi, quam altari suo ornato, Filii sui promissum consilium prætermitti. Transiens autem quodam tempore vir Dei cum suo socio per Apuliam juxta Barum, invenit in via bursam magnam, quasi plena esset denariis, tumescentem, quam usitato vocabulo Fundam appellant. Monetur a socio pauper Christi, et instanter inducitur ut bursa tollatur e terra, et pecunia pauperibus erogetur. Renuit homo Dei, commentum affirmans fore diaboli in bursa inventa, et fratrem non suadere rem meriti, sed peccati : aliena scilicet surripere, ac donare. Recedunt de loco, festinant iter perficere cœptum. Sed nondum quiescit frater vacua pietate delusus, virum Dei molestans, quasi qui de relevanda pauperum penuria non curaret. Acquievit tandem vir mitis redire ad locum, non ut fratris voluntatem perficeret, sed ut detegeret diabolicam fraudem. Reversus est ergo ad fundam cum fratre, et juvene quodam, qui erat in via. Oratione præmissa, jubet socio illam levare. Tremefactus frater obstupuit, diabolicum jam præsentiens monstrum ; propter obedientiæ tamen sanctæ mandatum, dubietatem abigens cordis, manum extendit ad bursam. Et ecce serpens non modicus de bursa exiliens, simulque cum ipsa subito evanescens, diabolicam deceptionem fratri monstravit. Hostilis itaque versutiæ deprehensa fallacia, dixit vir sanctus ad socium : Pecunia servis Dei, o frater, nihil aliud est, quam diabolus, et coluber venenosus.

Accidit post hæc quoddam mirabile viro sancto, dum se ad civitatem Senensem, causa exigente, transferret. Tres quidem mulieres pauperculæ, statura, ætate ac facie per omnia similes, in quadam ei magna planitie, inter Campilium et Sanctum Quiricum, occurrerunt, novum salutationis munusculum ei offerentes : Bene veniat, inquiunt, domina paupertas. Quo audito, verus paupertatis amator indicibili repletus est

[1] *Matth.*, XIX, 21.

gaudio, ut pote, qui nihil in se salutandum hominibus tam libenter haberet, quam quod illæ decreverant. Subito disparentibus illis, considerantes fratres socii tam admirabilem in eis similitudinem, salutationis, occursus, et disparentiæ novitatem, mysticum aliquid designari circa virum sanctum non irrationabiliter perpenderunt. Sane per illas tres, ut videbatur, mulieres pauperculas sic uniformi facie occurrentes, sic salutantes insolite, sic subito disparentes, evangelicæ perfectionis formositas, quantum ad castitatem scilicet, obedientiam et paupertatem, satis convenienter ostenditur in viro Dei pari forma perfecte fulsisse, licet gloriari præelegerit in privilegio paupertatis, quam modo matrem, modo sponsam, modo dominam nominare solebat. In hac cæteros cupiebat excedere, qui ex ipsa didicerat inferiorem se omnibus reputare. Si quando pauperiorem se quempiam secundum exteriorem habitum cerneret, semetipsum protinus arguens excitabat ad simile, tanquam si æmula paupertate concertans, vinci se timeret in illo. Accidit enim ut pauperculum quemdam obvium haberet in via, cujus cum nuditatem aspiceret, compunctus corde, lamentabili voce dixit ad socium : Magnam verecundiam intulit nobis hujus inopia, quia nos pro magnis divitiis paupertatem eligemus, et ecce magis relucet in isto. Propter sanctæ paupertatis amorem omnipotentis Dei famulus, eleemosynis ostiatim quæsitis utebatur multo libentius, quam oblatis. Si quando enim invitatus a magnis personis, mensis esset profusioribus honorandus, prius per propinquas vicinorum domos panum fragmenta petebat, ac deinde sic ditatus inopia discumbebat. Et cum aliquando id fecisset, invitatus a domino Hostiense, qui pauperem Christi præcipuo complexabatur affectu, conquerenti Episcopo, quod suo derogasset honori, utpote qui, in ejus comesturus domo, pro eleemosynis isset, servus Dei respondit : Magnum, mi Domine, vobis honorem exhibui, dum majorem Dominum honoravi. Siquidem beneplacitum est Domino in paupertate, et ea maxime, quæ voluntaria pro Christo mendicitas est. Hanc dignitatem regalem, quam pro nobis Dominus Jesus egenus factus assumpsit, ut sua nos ditaret inopia, ac vere pauperes spiritu regni cœlorum reges institueret et hæredes, nolo relinquere pro feudo divitiarum falsarum vobis ad horam concesso. Nonnunquam fratres ad petendum eleemosynam hortans, verbis utebatur hujusmodi : Ite, inquit, quoniam hac novissima hora fratres minores commodati sunt mundo, ut electi in eis impleant, unde a judice commendentur, illud audientes suavissimum verbum [1] : *Quandiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Jucundum proinde dicebat sub Fratrum Minorum titulo mendicare, quem in retributione justorum evangelicæ veritatis Magister ore suo tam signanter expressit. In festis quoque præcipuis, ubi opportunitas aderat, mendicare solitus erat, dicens in sanctis pauperibus propheticum illud impleri [2] : *Panem angelorum manducavit homo.* Illum sane panem angelicum esse dicebat, quem pro Dei petitum amore, et beatis suggerentibus angelis pro ipsius charitate largitum, sancta paupertas colligit ostiatim. Unde cum semel die sancto Paschæ moram faceret in eremitorio quodam adeo ab hominum habitatione remoto, quod commode mendicare non posset, memor illius, qui discipulis euntibus in Emmaus ipso die in specie peregrini apparuit [3], ab ipsis fratribus eleemosynam petiit ut peregrinus et pauper. Quam cum accepisset humiliter, sacris eos informavit eloquiis, quod transeuntes per mundi desertum tanquam peregrini et advenæ, verique Hebræi, Pascha Domini, hoc est transitum ex hoc mundo ad Patrem, in paupertate spiritus continue celebrarent. Et quoniam in petendis eleemosynis non quæstus agebatur cupidine, sed spiritus libertate, Pater pauperum Deus specialem de ipso curam gerere videbatur.

[1] *Matth.*, XXV, 40. — [2] *Psal.* LXXVII, 25. — [3] *Luc.*, XXIV, 13.

Accidit enim semel ut infirmitate gravatus Domini servus, in loco Noceriæ, reduceretur Assisium per solemnes nuntios, ad hoc Assisinatis populi devotione transmissos. Qui Christi famulum deducentes, ad villam quamdam devenerunt pauperculam, nomine Sarthianum : ubi cum fames et hora cibum expeterent, euntes, et nihil invenientes venale, vacui redierunt. Ad quos vir sanctus : Ideo nihil invenistis, quia plus in muscis vestris, quam in Domino confiditis. Muscas nempe denarios vocavit. Sed revertimini, ait, per domos, quas circuistis, et amorem Dei offerentes (*a*) pro pretio, humiliter eleemosynam postulate. Nec falsa id æstimatione verecundum putetis aut vile, quoniam universa in eleemosyna post peccatum, dignis et indignis, Eleemosynarius ille magnus largiflua pietate concessit. Deponunt erubescentiam milites, et eleemosynam sponte petentes, plura pro Dei amore, quam denariis emunt. Siquidem divino nutu corde compuncti pauperes incolæ, non solum sua, sed et seipsos liberaliter obtulerunt. Sicque factum est, ut inopiam, quam pecunia relevare non poterat, Francisci pauperies opulenta suppleret. Tempore, quo infirmus jacebat in eremitorio prope Reate, medicus quidam opportuno eum frequentabat officio. Cum autem Christi pauper impotens esset ad rependendam mercedem labori condignam, liberalissimus Deus, ne ipsum sine præsenti remuneratione dimitteret, pium ejus obsequium hoc novo beneficio vice pauperis compensavit. Hujus enim medici domus, quam tunc temporis ex omni lucro suo de novo construxerat, parietum patula scissione a summo usque deorsum adeo de proximo minabatur ruinam, quod non videbatur per humanæ artis industriam possibile ipsius casui obviare. Ipse vero de sancti viri meritis plene confidens, cum magnæ fidei devotione petivit a sociis ejus aliquid sibi concedi, quod idem vir Dei manibus contrectasset. Cum igitur modicum de capillis ipsius multa precum obtentum instantia posuisset de sero intra muri scissuram, mane resurgens, tanta invenit aperturam illam soliditate conclusam, ut nec reliquias ibi positas posset extrahere, nec scissuræ prioris vestigium aliquod invenire. Factumque est, ut qui ruinoso corpusculo servi Dei sedule ministrarat, ruituræ domus propriæ periculo præcaveret.

Alio quoque tempore vir Dei ad quamdam eremum transferre se volens, ut ibi liberius contemplationi vacaret, quia debilis erat, cujusdam viri pauperis vectabatur asello. Cumque diebus æstivis famulum Christi sequendo vir ille montana conscenderet, asperiori et longiori itinere fatigatus, nimioque sitis ardore deficiens, instanter cœpit clamare post sanctum : En morior (inquit) siti, nisi poculi alicujus beneficio continuo refociller. Absque mora vir Dei prosilivit de asino, et fixis in terra genibus, palmas tetendit in cœlum, orare non cessans, donec se intellexit auditum. Oratione tandem finita : Festina, inquit viro, ad petram, et illic aquam vivam invenies, quam tibi hac hora misericorditer Christus de lapide bibendam produxit. Stupenda Dei dignatio, quæ servis suis tam facile se inclinat! Bibit sitiens homo aquam de petra orantis virtute, et poculum hausit de saxo durissimo. Aquæ decursus ibidem ante non fuit, nec, ut est diligenter quæsitum, deinceps potuit inveniri. Qualiter autem, per merita sui pauperis, Christus multiplicaverit cibos in mari, cum suo sit loco inferius annotandum; hoc tantum commemorasse sufficiat, quod eleemosyna modica sibi collata, nautas a famis et mortis periculo per dies plurimos liberavit, ut ex hoc liquido possit adverti, quod omnipotentis Dei famulus, sicut in eductione aquæ de petra conformis extitit Moysi, sic in multiplicatione victualium Elisæo. Procul igitur a pauperibus Christi diffidentia omnis abscedat. Si enim paupertas Fancisci adeo copiosæ sufficientiæ fuit, ut subvenientium sibi defectus

(*a*) *Cæt. edit.* offerentis.

jam mira virtute suppleret, quod nec cibus, nec potus, nec domus deesset, cum pecuniæ, et artis, et naturæ facultas defecerat; multo magis illa merebitur, quæ usitato divinæ providentiæ ordine communiter conceduntur. Si, inquam, petræ siccitas ad pauperis vocem abundans poculum sitienti propinavit pauperculo, nil jam inter omnia suum denegabit obsequium his, qui pro Auctore omnium omnia reliquerunt.

CAPUT VIII.

De pietatis affectu, et quomodo ratione carentia videbantur ad ipsum affici.

Pietas vera, quæ secundum Apostolum [1] ad omnia valet, adeo cor Francisci repleverat, ac penetraverat, ut totum videretur servum Dei in suum dominium vendicasse. Hæc est, quæ ipsum per devotionem sursum agebat in Deum, per compassionem transformabat in Christum, per condescensionem inclinabat ad proximum, et per universalem conciliationem ad singula, refigurabat ad innocentiæ statum. Cumque per hanc pie moveretur ad omnia, specialiter tamen animas Christi Jesu sanguine pretioso redemptas cum cerneret inquinari aliqua sorde peccati, tanta miserationis teneritudine deplorabat, ut eas tanquam mater in Christo quotidie parturiret. Et hæc penes ipsum causa præcipua venerandi verbi Dei ministros, quod semen fratri suo defuncto, Christo videlicet pro peccatoribus cruxifixo, per ipsorum conversionem, et pia sollicitudine suscitent [2], et sollicita pietate gubernent. Istiusmodi miserationis officium Patri misericordiarum omni sacrificio firmabat (*a*) acceptius, maxime si studio fuerit perfectæ charitatis impensum, ut ad id laboretur magis exemplo, quam verbo; magis lacrymosa prece, quam loquaci sermone. Plangendum proinde dicebat prædicatorem, tanquam vera pietate privatum, sive qui in prædicatione non animarum quærit salutem, sed propriam laudem, sive qui pravitate destruit vitæ, quod ædificat veritate doctrinæ. Præferendum huic dicebat fratrem simplicem, et elinguem, qui bono exemplo alios provocat ad bonum. Illud quoque verbum [3]: *Donec sterilis peperit plurimos*, taliter exponebat: Sterilis, inquit, est frater pauperculus, qui generandi in Ecclesia filios non habet officium. Hic pariet in judicio plurimos, quia quos nunc privatis orationibus convertit ad Christum, suæ gloriæ tunc judex ascribet. *Quæ multos habet filios, infirmabitur*, quia prædicator vanus et loquax, qui multis nunc quasi sua virtute genitis gaudet, cognoscet tunc se nil proprii habere in eis. Cum igitur animarum salutem viscerosa pietate appeteret, et fervida æmulatione zelaret, suavissimis se dicebat repleri odoribus, et quasi unguento pretioso liniri, cum sanctorum fratrum per orbem distantium odorifera fama, multos audiret ad viam veritatis induci. Et talium auditu exultabat in spiritu, benedictionibus omni acceptione dignissimis fratres illos accumulans, qui verbo, vel opere, ad Christi amorem inducerent peccatores. Sic etiam qui Religionem sacram iniquis violarent operibus, maledictionis ejus gravissimam incurrebant sententiam. Ad te, Domine (inquit), sanctisssime, a tota cœlesti curia, et a me parvulo tuo, sint maledicti, qui suo malo exemplo confundunt, et destruunt, quod per sanctos fratres ordinis hujus ædificasti, et ædificare non cessas. Tanta frequenter afficiebatur mœstitia super scandala pusillorum, ut deficere se putaret, nisi divinæ fuisset clementiæ consolatione suffultus. Cum autem semei malis turbatus esset exemplis, et anxio spiritu misericordem Patrem precaretur pro filiis, responsum hujusmodi reportavit a Domino: Cur tu, pauper homuncio, conturbaris? An ego te super religionem meam sic pastorem institui, ut me principalem nescias esse patronum? Hominem simplicem ad hoc

[1] I *Tim.*, IV, 8. — [2] *Deut.*, XXV, 5. — [3] I *Reg.*, II, 5.

(*a*) *Leg.* affirmabat.

te constitui, ut quæ in te fecero, non humanæ industriæ, sed supernæ gratiæ ascribantur. Ego vocavi, servabo, et pascam, et aliis excidentibus alios subrogabo, ita ut si nati non fuerint, faciam illos nasci, et quantiscumque fuerit impulsibus paupercula hæc concussa religio, salva semper meo munere permanebit. Detractionis quoque vitium inimicum fonti pietatis et gratiæ, tanquam serpentinum abhorrebat morsum, et atrocissimam pestem, et piissimo Deo abominabile fore firmabat (*a*), pro eo quod detractor animarum sanguine pascitur, quas gladio linguæ necat. Audiens semel fratrem quemdam denigrare famam alterius, conversus ad vicarium suum dixit : Surge, surge, discute diligenter, et si accusatum fratrem innocentem repereris, accusantem dura correctione cunctis redde notabilem. Nonnunquam vero eum, qui fratrem suum famæ gloria spoliaret, judicabat habitu spoliandum, nec ad Dominum oculos posse levare, nisi prius, quod abstulerat, reddere pro posse curaret. Tanto major est, aiebat, detractorum impietas, quam latronum, quanto lex Christi, quæ in observantia pietatis impletur, magis animarum, quam corporum, nos astringit optare salutem. Afflictis quoque qualicumque corporali molestia, mira compassionis teneritudine condescendens, si quid penuriæ, si quid defectus in aliquo cerneret, pii cordis dulcedine regerebat in Christum. Sane clementiam habebat ingenitam, quam superinfusa Christi pietas duplicabat. Itaque liquescebat animus ejus ad pauperes et infirmos, et quibus non poterat manum, exhibebat affectum. Contigit semel ut pauperi cuidam eleemosynam importune petenti, unus e fratribus durius responderet. Quod audiens pauperum pius amator, fratri præcepit, ut ad illius pauperis pedes se nudatum prosterneret, proclamaret culpabilem, orationis suffragium postularet, et veniam. Quod cum ille fecisset humiliter, dulciter pater adjecit : Dum pauperem vides, o frater, speculum tibi proponitur Domini, et pauperis Matris ejus. In infirmis similiter infirmitates, quas assumpsit, considera. Cumque in pauperibus cunctis, et ipse christianissimus pauper, effigiem Christi prospiceret, si qua etiam necessaria vitæ sibi collata fuissent, eis occurrentibus non solum liberaliter conferebat; verumetiam, ac si illorum propria essent, judicabat esse reddenda. Accidit semel, ut eidem redeunti de Senis, pauper quidam occurreret, cum occasione infirmitatis super habitum palliolo quodam esset amictus. Cujus miseria oculo clementi conspecta : Oportet, inquit ad socium, ut reddamus mantellum pauperculo isti, nam ipsius est. Mutuo enim ipsum accepimus, donec pauperiorem invenire contigeret. Socius autem pii patris necessitatem considerans, pertinaciter obsistebat, ne provideret alii, se neglecto. At ille : Pro furto, ait, mihi reputo a magno Eleemosynario imputandum, si hoc, quod fero, non dedero magis egenti. Propterea de omnibus, quæ sibi dabantur ad necessitatem corporis relevandam, solitus erat a dantibus licentiam petere, ut licite posset, si magis egenus occurreret, erogare. Nulli prorsus rei parcebat, nec mantellis, nec tunicis, nec libris, nec etiam paramentis altaris, quin omnia hæc, dum posset, ut pietatis impleret officium, indigentibus largiretur. Pluries cum oneratis obviaret in via pauperibus, imbecilles humeros illorum oneribus supponebat.

Consideratione quoque primæ originis omnium, abundantiori pietate repletus, creaturas, quantumlibet parvas, fratris vel sororis appellabat nominibus, pro eo quod sciebat eas unum secum habere principium. Illas tamen viscerosius amplexabatur, et dulcius, quæ Christi mansuetudinem piam similitudine naturali prætendunt, et Scripturæ significatione figurant. Redemit frequenter agnos, qui ducebantur ad mortem, illius memor agni mitissimi, qui ad occisionem duci voluit pro peccatoribus redimendis.

(*a*) *Leg.* affirmabat.

Hospitato quadam vice servo Dei apud monasterium Sancti Verecundi de episcopatu Eugubii, ovicula quædam agniculum peperit illa nocte. Aderat sus ferocissima, quæ vitæ innocentis non parcens, rapaci eum morsu necavit. Hoc audito, pius pater, mira compassione commotus, et Agni sine macula recordatus, lamentabatur pro morte agniculi coram omnibus, dicens : Heu me, frater agnicule, animal innocens, Christum hominibus repræsentans; maledicta sit impia, quæ te interfecit, nullusque de ea comedat homo vel bestia. Mirabile dictu! statim infirmari cœpit porca malefica, et tribus diebus corpoream pœnam exsolvens, ultricem tandem pertulit necem. Projecta autem in vallum monasterii, ibique longo tempore jacens, in modum tabulæ desiccata, nulla fuit esca famelico. Advertat igitur humana impietas quali pœna sit ferienda finaliter, si tam horrenda morte percussa est ferocitas bestialis; perpendat et fidelis devotio, quam in servo Dei pietas fuerit admirandæ virtutis, et copiosæ dulcedinis, ut ei applauderet suo modo etiam natura brutorum. Iter enim faciens juxta civitatem Senensem, invenit in pascuis magnum ovium gregem. Quas cum benigne, ut erat solitus, salutasset, relicto pastu, cucurrerunt omnes ad eum, levantesque capita sua, erectis in eum luminibus intendebant. Tantum quidem ei fecerunt applausum, ut pastores mirarentur, et fratres, cernentes circa ipsum tam ovium agnos, quam ipsos arietes sic mirabiliter exultantes. Alio quoque tempore apud Sanctam Mariam de Portiuncula quædam viro Dei fuit ovis oblata, quam propter innocentiæ ac simplicitatis amorem, quas ovis natura prætendit, gratanter suscepit. Monebat pius vir oviculam, ut et laudibus divinis intenderet, et ab omni fratrum offensa caveret; ovis autem, quasi viri Dei pietatem adverteret, informationem ipsius sollicite observabat. Nam audiens fratres in choro cantare, et ipsa ecclesiam ingrediens, sine alicujus informatione flectebat genua, vocem balatus emittens ante altare Virginis Matris Agni, ac si eam salutare gestiret. Insuper, et cum elevaretur sacratissimum Christi corpus inter Missarum solemnia, flexis curvabatur poplitibus, tanquam si reverens pecus de irreverentia indevotos argueret, Christoque devotos ad Sacramenti reverentiam invitaret. Tempore quodam agniculum in urbe secum habuerat, ob reverentiam illius mitissimi Agni; quem nobili matronæ dominæ, scilicet Jacobæ de Septem Soliis, in suo recessu conservandum commisit. Agnus vero quasi in spiritualibus eruditus a sancto, dominæ ad ecclesiam eunti, stanti, et revertenti societate (*a*) inseparabili cohærebat. Si matutinali hora domina tardaret exurgere, agnus consurgens impellebat eam cornulis, et balatibus excitabat, gestibus adhortans, et nutibus, ut ad ecclesiam properaret. Propter quod agnus Francisci discipulus, devotionis jam magister effectus, ut mirabilis et amabilis, a domina servabatur. Alio quoque tempore apud Grecium vivus viro Dei oblatus fuit lepusculus, qui liber in terra positus, cum posset quo vellet effugere, vocante se patre benigno, in sinum illius propero cursu saltavit. Quem ipse pio cordis affectu circumfovens, videbatur eidem compati quasi mater, dulcique allocutione commonitum, ne se iterum capi permitteret, liberum abire permisit. Cumque pluries in terra positus ut abscederet, semper in sinum patris rediret, tanquam si sensu quodam occulto cordis ipsius perciperet pietatem, tandem jussu patris a fratribus delatus est ad loca solitudinis tutiora. Modo quoque consimili, in insula lacus Perusini cuniculus quidam captus, et viro Dei oblatus, cum cæteros fugeret, manibus ejus et sinu (*b*) se domestica securitate commisit. Per lacum Reatinum eidem ad eremum de Grecio properanti, piscator unam ex devotione fluvialem obtulit avem, quam cum libenter susceptam apertis invitaret manibus ad recessum, nec illa vellet abire, erectis in cœlum oculis, diu in oratione permansit,

(*a*) *Cæt. edit.* societati. — (*b*) *Leg.* sinui.

et quasi aliunde post longam horam ad se reversus, dulciter iterato mandavit aviculæ, ut Dominum laudatura recederet. Suscepta itaque cum benedictione licentia, gestu corporis quoddam prætendens gaudium, advolavit. In eodem lacu similiter oblatus fuit ei piscis magnus, et vivus, quem more solito fraterno nomine vocans, in aquam reposuit juxta navem. Piscis vero coram viro Dei ludebat in aqua, et quasi amore illius allectus, nullatenus recessit a navi, nisi prius ab eodem cum benedictione licentia sibi data. Alio quoque tempore ambulans cum quodam fratre per paludes Venetiarum, invenit maximam avium multitudinem residentium, et cantantium in virgultis. Quibus visis, dixit ad socium : Sorores aves laudant Creatorem suum ; nos itaque, in medium ipsarum euntes, laudes et horas canonicas Domino decantemus. Cumque in medium ipsarum intrassent, non sunt aves motæ de loco. Et quia propter garritum ipsarum in dicendis horis se mutuo audire non poterant, conversus vir sanctus dixit ad aves : Sorores aves, a cantu cessate, donec laudes Deo debitas persolvamus. At illæ continuo tacuerunt, tamdiu in silentio persistentes, quamdiu dictis horis spatiose, et laudibus persolutis, a sancto Dei cantandi licentiam receperunt. Dante autem eis viro Dei licentiam, statim more solito cantum suum resumpserunt. Apud S. Mariam de Portiuncula, juxta cellam viri Dei super ficum cicada desidens, et decantans, cum servum Domini, qui etiam in parvis rebus magnificentiam Creatoris admirari didicerat, ad divinas laudes cantu suo frequentius excitaret, ab eodem quadam die vocata, velut edocta cœlitus, super manum volavit ipsius. Cui cum dixisset : Canta, soror mea cicada, et Dominum Creatorem tuo jubilo lauda. Sine mora obediens canere cœpit, nec destitit, donec jussu patris ad locum proprium revolavit. Mansit autem per octo dies ibidem, quolibet die veniendo, cantando et recedendo, ejus jussa perficiens. Tandem vir Dei ait ad socios : Demus jam sorori nostræ cicadæ licentiam : satis etiam nos suo cantu lætificans ad laudes Dei octo dierum spatio excitavit. Et statim ab eo licentiata recessit, nec ultra ibidem apparuit, ac si mandatum ipsius non auderet aliquatenus præterire. Eidem Senis infirmo phasianus quidam, de novo captus, a nobili quodam transmissus est vivus. Qui continuo ut virum sanctum audivit, et vidit, tanta ei amicabilitate cohæsit, ut nullo modo pateretur ab ipso sejungi. Nam pluribus vicibus extra locellum fratrum in vinea positus, ut abiret si vellet, rapido semper cursu redibat ad patrem, tanquam si ab eodem omni fuisset tempore educatus. Deinde cuidam collatus viro, qui ex devotione servum Dei visitare solebat, velut sibi molestum foret a pii patris absentari conspectu, escam recusavit omnino. Reportatus tandem ad famulum Dei, statim ut conspexit eundem, quibusdam hilaritatis prætensis gestibus, avide manducavit. Cum ad eremum pervenisset Alvernæ, propter Quadragesimam celebrandam in honorem Archangeli Michaelis diversi generis aves circa ipsius cellulam volitantes, concentu sonoro, et lætitiæ gestibus, quasi de ejus adventu gaudentes patrem pium invitare ac allicere videbantur ad moram. Quo viso, dixit ad socium : Cerno, frater, voluntatis esse divinæ, quod hic aliquandiu commoremur, tantum sorores aviculæ de nostra videntur præsentia consolari. Cum igitur contraheret ibi moram, falco ibidem nidificans magno se illi amicitiæ fœdere copulavit. Nam semper horam nocturno tempore, in qua vir sanctus ad divina officia surgere solitus erat, cantu suo præveniebat, et sono. Quod famulo Dei gratissimum erat, eo quod tanta sollicitudo, quam circa eum gerebat, omnem ab ipso torporem desidiæ excuteret. Cum vero servus Christi infirmitate plus solito gravaretur, parcebat falco, nec tam tempestivas indicebat vigilias. Siquidem velut instructus a Deo, circa diluculum suæ vocis campanam levi tactu pulsabat. Divinum certe videtur fuisse præsagium, tam in exul-

tatione multimodi generis avium, quam in cantu falconis, cum Dei laudator, et cultor, pennis contemplationis subvectus, tunc foret illic apparitione seraphica sublimandus. Moram eo faciente tempore quodam in eremitorio Grecii, loci illius indigenæ malis multiplicibus vexabantur. Nam et luporum rapacium multitudo, non solum bruta, sed et homines consumebat, et grando annua tempestate blada et vineas devastabat. Dum igitur sic afflictis præco sacri Evangelii prædicaret, dixit ad eos : Ad honorem, et laudem Dei omnipotentis, fidejubeo vobis, quod pestilentia hæc omnis abscedet; et respiciens vos Dominus multiplicabit in temporalibus bonis, si, mihi credentes, misereamini vestri, ut vera confessione præmissa dignos faciatis pœnitentiæ fructus. Iterum hoc annuntio vobis, quod si beneficiis ingrati ad vomitum conversi fueritis, innovabitur plaga, duplicabitur pœna, et majori in vos ira desæviet. Ab illa utique hora pœnitentiam ad exhortationem ipsius agentibus illis, cessaverunt clades, periere pericula, nec molestiæ quidquam lupi intulere vel grandines. Imo, quod majus est, si quando vicinorum arva grando pervaderet, istorum terminis appropinquans, terminabatur ibidem, aut in partem aliam divertebat. Cessavit grando, servaverunt et lupi pactionem servi Dei, nec contra pietatis legem in homines ad pietatem conversos attentaverunt amplius desævire, quamdiu juxta condictum contra piissimas Dei leges impie non egerunt. Pie igitur sentiendum est de pietate viri beati, quæ tam miræ dulcedinis et virtutis fuit, ut domaret ferocia, domesticaret silvestria, mansueta doceret, et brutorum naturam homini jam lapso rebellem ad sui obedientiam inclinaret. Vere hæc est, quæ cunctas sibi creaturas confœderans valet ad omnia, *promissionem habens vitæ, quæ nunc est, et futuræ* [1].

[1] 1 *Tim.*, IV, 8. — [2] *Cant.*, I, 12.

CAPUT IX.

De fervore charitatis, et desiderio martyrii.

Charitatem ferventem, qua Sponsi amicus Franciscus ardebat, quis enarrare sufficiat? Totus namque, quasi quidam carbo ignitus, divini amoris flamma videbatur absorptus. Subito enim ad auditum amoris Domini excitabatur, afficiebatur, inflammabatur, quasi plectro vocis extrinsecæ chorda cordis interior tangeretur. Talem pro eleemosynis censum offerre, nobilem prodigalitatem dicebat, et eos, qui minus ipsum quam denarios reputarent, esse stultissimos, pro eo quod solius divini amoris impretiabile pretium ad regnum cœlorum sufficiat comparandum, et ejus, qui nos multum amavit, multum sit amor amandus. Ut autem ex omnibus excitaretur ad amorem divinum, exultabat in cunctis operibus manuum Domini, et per jucunditatis specula in vivificam consurgebat rationem et causam. Contuebatur in pulchris pulcherrimum, et per impressa rebus vestigia, prosequebatur ubique dilectum, de omnibus sibi scalam faciens, per quam conscenderet ad apprehendendum eum, qui est desiderabilis totus. Inauditæ namque devotionis affectu, fontalem illam bonitatem in creaturis singulis, tanquam in rivulis, degustabat, et quasi cœlestem concentum perciperet in consonantia virtutum et actuum eis datorum a Deo, ipsas ad laudem Domini, more prophetæ David, dulciter hortabatur. Christus Jesus crucifixus intra suæ mentis ubera, ut myrrhæ fasciculus [2], jugiter morabatur, in quem optabat per excessivi amoris incendium totaliter transformari. Prærogativa quoque peculiaris devotionis ad ipsum, ab Epiphaniæ festo usque ad continuos quadraginta dies, eo scilicet tempore, quo Christus latuit in deserto, ad solitudinis loca declinans, cellaque reclusus, quanta poterat arctitudine cibi et potus, jejuniis et orationibus, et laudibus Dei, sine intermissione vacabat. Tam fervido quidem in Chri-

stum ferebatur affectu; sed et dilectus illi tam familiarem rependebat amorem, ut videretur ipsi famulo Dei quasi jugem præ oculis ipsius Salvatoris sentire præsentiam, sicut aliquando sociis familiariter revelavit. Flagrabat erga sacramentum dominici corporis fervore omnium medullarum, stupore admirans permaximo illam charissimam dignationem, et dignantissimam charitatem. Sæpe communicabat, et tam devote, ut alios devotos efficeret, dum ad immaculati Agni degustationem suavem, quasi spiritu ebrius, in mentis ut plurimum rapiebatur excessu. Matrem Domini nostri Jesu Christi indicibili complectebatur amore, eo quod Dominum majestatis fratrem nobis effecerit, et per eam simus misericordiam consecuti. In ipsa post Christum præcipue fidens, eam sui ac suorum advocatam constituit, et ad honorem ipsius, a festo Apostolorum Petri et Pauli usque ad festum Assumptionis devotissime jejunabat. Angelicis spiritibus ardentibus igne mirifico ad excedendum in Deum, et electorum animas inflammandas, inseparabilis erat amoris vinculo copulatus, et ob devotionem ipsorum, ab Assumptione Virginis gloriosæ quadraginta diebus jejunans orationi jugiter insistebat. Beato autem Michaeli Archangelo, eo quod animarum repræsentandarum haberet officium, speciali erat amore devotior, propter fervidum, quem habebat, zelum ad salutem omnium salvandorum. Ex recordatione Sanctorum omnium, tanquam lapidum ignitorum, in deificum recalescebat incendium; Apostolos omnes, et præcipue Petrum et Paulum, propter fervidam charitatem, quam habuerunt ad Christum, summa devotione complexans : ob quorum reverentiam et amorem, quadragesimæ specialis jejunium Domino dedicabat. Non habebat aliud Christi pauper nisi duo minuta, corpus scilicet, et animam, quod posset liberali charitate largiri. Sed hæc per amorem Christi sic offerebat continue, ut quasi omni tempore per rigorem jejunii corpus, et per ardorem desiderii spiritum immolaret, exterius in atrio sacrificans holocaustum, et in templo interius concremans thymiama. Sic autem eum charitatis excessiva devotio sursum in divina ferebat, ut ejusdem affectuosa benignitas ad naturæ consortes et gratiæ dilataret. Quem enim creaturis cæteris germanum pietas cordis effecerat, mirum non est, si Creatoris insignitis (*a*) imagine, et sanguine redemptis auctoris, germaniorem Christi charitas faciebat. Non se Christi reputabat amicum, nisi animas foveret, quas ille redemit. Saluti animarum nihil præferendum esse dicebat, eo maxime probans, quod unigenitus Dei pro animabus dignatus fuerit in cruce pendere. Hinc sibi in oratione luctamen, in prædicatione discursus, et in exemplis dandis excessus. Unde quotiens austeritas nimia reprehenderetur in ipso, respondebat se datum aliis in exemplum. Licet enim innocens ejus caro, quæ jam se sponte subdebat spiritui, nullo egeret flagello propter offensas, tamen exempli causa renovabat illi pœnas et onera, custodiens propter alios vias duras. Dicebat enim[1]: *Si linguis hominum loquar, et angelorum, charitatem autem* in meipso *non habeam,* et proximis virtutum exemplar non monstrem, parum prosum aliis, mihi nihil. Ferventi quoque charitatis incendio gloriosum sanctorum martyrum æmulabatur triumphum, in quibus nec amoris flamma extingui, nec fortitudo potuit infirmari. Desiderabat propterea et ipse, illa perfecta charitate succensus, quæ *foras mittit timorem*[2], per martyrii flammam hostiam Domino se offerre viventem, ut et vicem Christo pro nobis morienti rependeret, et ad divinum amorem cæteros provocaret. Sexto namque conversionis suæ anno, desiderio martyrii flagrans, ad prædicandam fidem christianam et pœnitentiam Saracenis, et aliis infidelibus, ad partes Syriæ transfretare disposuit. Cumque navem quamdam, ut illuc tenderet, conscendisset, ventis contrariis flantibus compulsus

[1] 1 *Cor.*, XIII, 1. — [2] 1 *Joan.*, IV, 18.

(*a*) *Cæt. edit.* insignitus.

est in Sclavoniæ partibus applicare. Cum igitur moram aliquamdiu contraxisset ibidem, nec invenire posset navem tunc temporis transfretantem, fraudatum a suo desiderio se sentiens, nautas quosdam Anchonam tendentes, ut amore Dei eum secum ducerent, exoravit. Verum illis propter expensarum defectum pertinaciter recusantibus, vir Dei plurimum de Domini bonitate confisus, navem cum socio latenter conscendit. Affuit quidam a Deo, ut creditur, pro paupere suo missus, qui secum ferens necessaria victus, quemdam timentem Deum de navi ad se vocatum sic allocutus est : Hæc pro pauperibus fratribus in navi latitantibus conserva fideliter, ac necessitatis tempore amicabiliter subministra. Sicque factum est, ut nautis propter vim ventorum per dies plurimos nusquam applicare valentibus, omnia consumerentur ipsorum cibaria, et sola pauperi Francisco collata desuper eleemosyna supereset. Quæ cum esset modica, tantum divina virtute suscepit augmentum, ut diebus pluribus in mari propter tempestatem continuam contrahentibus moram, usque ad portum Anchonæ omnium necessitatibus plenarie subveniret. Videntes itaque nautæ per servum Dei multa se mortis evasisse discrimina, tanquam qui maris horrenda pericula senserant, et miranda opera Domini viderant in profundo, gratias egerunt omnipotenti Deo, qui semper in suis amicis et servis mirabilem et amabilem se ostendit. Cum autem, relicto mari, terram perambulare cœpisset, jactato in eam salutis semine, reportabat manipulos fructuosos. Verum, quia martyrii fructus adeo cor ejus allexerat, ut pretiosam pro Christo mortem super omnia virtutum merita peroptaret, versus Marrochium iter arripuit, ut Miramolino, et genti ejus, Christi Evangelium prædicaret, si quo modo ad concupitam palmam valeret attingere : tanto namque desiderio ferebatur, ut quamvis esset imbecillis corpore, peregrinationis suæ præcurreret comitem, et ad exequendum propositum festinus, et tanquam spiritu ebrius advolaret. Sed cum jam usque in Hispaniam perrexisset, divina dispositione, quæ ipsum reservabat ad alia, gravissima ei supervenit infirmitas, qua præpeditus, quod cupiebat, adimplere nequivit. Sentiens igitur vir Dei, quod necessaria erat adhuc proli, quam genuerat, ipsius vita in carne, quamvis mortem sibi lucrum putaret esse, rediit ad pascendum oves suæ sollicitudini commendatas. Verum charitatis ardore spiritum ipsius ad martyrium perurgente, tertia adhuc vice pro fide Trinitatis effusione sui sanguinis dilatanda, versus Infideles proficisci tentavit. Tertio decimo namque conversionis suæ anno ad partes Syriæ pergens, multis se periculis constanter exposuit, ut Soldani Babyloniæ posset adire præsentiam. Inter Christianos enim ac Saracenos tunc bellum tam implacabile erat, exercituum castris hinc inde in campo cominus ex adverso locatis, ut via mutui transitus sine mortis discrimine non pateret. Exierat siquidem a Soldano edictum crudele, ut quicumque caput alicujus Christiani afferret, bizantium aureum pro mercede reciperet. At intrepidus Christi miles Franciscus, sperans in proximo suum adipisci posse propositum, diffinivit iter arripere, mortis pavore non territus, sed desiderio provocatus. Oratione namque præmissa, confortatus a Domino, confidenter illud propheticum decantabat [1] : *Nam etsi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Assumpto igitur socio fratre, Illuminato nomine, viro utique luminis, et virtutis, cum iter cœpisset, obvias habuit oviculas duas, quibus visis exhilaratus vir sanctus, dixit ad socium : Confide, frater, in Domino, nam in nobis evangelicum illud impletur [2] : *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum.* Cum autem processissent ulterius, occurrerunt ei satellites Saraceni, qui tanquam lupi celerius accurrentes ad oves, servos Dei feraliter comprehensos crudeliter et contemptibiliter

[1] *Psal.* XXII, 4. — [2] *Matth.*, X, 16.

pertractarunt, afficientes convitiis, affligentes verberibus, et vinculis alligantes. Tandem afflictos multipliciter, et attritos, ad Soldanum, divina disponente providentia, juxta viri desiderium, perduxerunt. Cum igitur princeps ille perquireret, a quibus, et ad quid, et qualiter missi essent, et quomodo advenissent, intrepido corde respondit Christi servus Franciscus : Non ab homine, sed a Deo altissimo se fuisse transmissum, ut ei et populo suo viam salutis ostenderet, et annuntiaret Evangelium veritatis. Tanta vero mentis constantia, tanta virtute animi tantoque fervore spiritus prædicto Soldano prædicavit Deum trinum, et unum, et Salvatorem omnium Jesum Christum, ut evangelicum illud in ipso claresceret veraciter esse completum [1] : *Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri.* Nam et Soldanus admirandum in viro Dei fervorem spiritus conspiciens et virtutem, libenter ipsum audiebat, et ad moram contrahendam cum eo instantius invitabat. Christi vero servus superno illustratus oraculo : Si vis, inquit, converti tu cum populo tuo ad Christum, ob illius amorem vobiscum libenter commorabor. Quod si hæsitas propter fidem Christi legem Mahumeti dimittere, jube ignem accendi permaximum, et ego cum sacerdotibus tuis ignem ingrediar, ut vel sic cognoscas, quæ fides certior et sanctior non immerito tenenda sit. Ad quem Soldanus : Non credo, quod aliquis de sacerdotibus meis se vellet igni propter fidem suam defensandam exponere, vel genus aliquod subire tormenti. Viderat enim statim quemdam de presbyteris suis, virum authenticum et longævum, hoc audito verbo, de suis conspectibus aufugisse. Ad quem vir sanctus : Si mihi velis promittere pro te et populo tuo, quod ad Christi cultum, si ignem illæsus exiero, veniatis, ignem solus introibo. Et si combustus fuero, imputetur peccatis meis; si autem divina me protexerit virtus, Christum Dei virtutem et sapientiam, verum Deum et Dominum, Salvatorem omnium agnoscatis. Soldanus autem optionem hanc accipere se non audere respondit, quia seditionem populi formidabat. Obtulit tamen ei multa munera pretiosa, quæ vir Dei, non mundanarum rerum, sed salutis animarum avidus, sprevit omnia quasi lutum. Soldanus autem videns virum sanctum tam perfectum rerum mundialium contemptorem, admiratione permotus, majorem erga ipsum devotionem concepit. Et quamvis ad fidem christianam transire nollet, vel forsan non auderet, rogavit tamen devote famulum Christi, ut prædicta susciperet pro salute ipsius christianis pauperibus vel ecclesiis eroganda. Ipse vero, quia pondus fugiebat pecuniæ, et in animo Soldani veræ pietatis non videbat radicem, nullatenus acquievit. Videns etiam se non proficere in conversione gentis illius, nec suum assequi posse propositum, ad partes fidelium divina revelatione præmonitus remeavit. Sic itaque Dei ordinante clementia, et sancti viri promerente virtute, misericorditer et mirabiliter factum est, quod Christi amicus mortem pro ipso viribus totis exquireret, et tamen nullatenus inveniret, ut et merito non careret optati martyrii, et insigniendus servaretur in posterum privilegio singulari. Sic utique factum est, ut ignis ille divinus adhuc perfectius ipsius æstuaret in corde, ut post potentius evaporaret in carne. O vere beatum virum, cujus caro, etsi tyrannico ferro non cæditur, occisi tamen Agni similitudine non privatur ! O, inquam, vere ac plene beatum, *cujus animam etsi gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen martyrii non amisit* [2] !

[1] *Luc.*, XXI, 15. — [2] Ex Offic. S. Martin., antiph. ad *Magnificat*.

CAPUT X.

De studio et virtute orationis.

Sentiens Christi servus Franciscus corpore se peregrinum a Domino, cum jam ad terrena foris desideria per Christi charitatem

totus esset insensibilis factus, ne foret absque consolatione dilecti, sine intermissione orans spiritum Deo contendebat exhibere præsentem. Erat quidem oratio contemplanti solatium, dum supernarum circuitu mansionum angelorum concivis jam factus, ferventi desiderio quærebat dilectum, a quo solus eum carnis paries disjungebat. Erat et operanti præsidium, dum in omnibus, quæ agebat, de sua diffidens industria, et de superna pietate confidens, per ipsius instantiam totum in Domino cogitatum jactabat. Orationis gratiam viro religioso desiderandam super omnia firmiter asserebat, nullumque credens sine ipsa in Dei prosperari servitio, modis quibus poterat fratres suos ad ejus studium excitabat. Nam ambulans et sedens, intus et foris, laborans et vacans, orationi adeo erat intentus, ut illi videretur non solum quidquid erat in eo cordis, et corporis, verum etiam operis et temporis dedicasse. Solitus erat nullam visitationem Spiritus cum negligentia præterire. Siquidem, cum offerebatur, sequebatur eam; et quamdiu Dominus concedebat, dulcedine perfruebatur oblata. Cum autem intentus itineri, divini Spiritus aliquos sentiret afflatus, sociis præcedentibus gradum figebat, novamque inspirationem ad fruitionem convertens, gratiam non recipiebat in vacuum. Suspendebatur multoties tanto contemplationis excessu, ut supra semetipsum raptus, et ultra humanum sensum aliquid sentiens, quid ageretur circa se exterius ignoraret. Transiens namque semel per Burgum Sancti Sepulcri, castrum utique populosum, pro debilitate corporis subvectus asello, obvias habuit turbas in eum præ devotione ruentes. Tractus autem, et detentus ab eis, compressus quoque ac multipliciter attrectatus, insensibilis videbatur ad omnia, et velut exanime corpus, de his, quæ fiebant circa ipsum, nihil penitus advertebat. Unde cum jamdiu transito castro, turbisque relictis, pervenisset ad quoddam domicilium leprosorum, quasi aliunde rediens, cœlestium contemplator sollicite requisivit, quando propinquarent ad Burgum. Mens quidem ipsius, in cœlestibus fixa splendoribus, varietates non senserat locorum, nec temporum, nec occurrentium personarum. Quod ipsi accidisse frequentius, sociorum ejus experientia multiplex comprobavit. Et quia in oratione perceperat sancti Spiritus desideratam præsentiam tanto familiarius se offerre precantibus, quanto plus invenit elongatos a strepitu mundanorum, ideo loca solitaria quærens, ad solitudines et ecclesias derelictas oraturus nocte pergebat : ubi dæmonum pugnas horribiles frequenter sustinuit, qui secum sensibiliter confligentes, nitebantur ipsum ab orationis studio perturbare. Ipse vero armis munitus cœlestibus, quanto vehementius impetebatur ab hostibus, tanto fortior in virtute, et ferventior reddebatur in prece, fidenter dicens ad Christum [1] : *Sub umbra alarum tuarum protege me, a facie impiorum qui me afflixerunt.* Ad dæmones autem : Facite quidquid in me valetis, maligni spiritus et fallaces. Non enim potestis, nisi quantum vos manus superna relaxat; et ego ad perferendum omnia, quæ illa infligenda decreverit, cum omni jucunditate paratus assisto. Quam mentis constantiam superbi dæmones non ferentes, abscedebant confusi. Vir autem Dei, solitarius remanens et pacatus, nemora replebat gemitibus, loca spargebat lacrymis, pectora manu tundebat, et quasi occultius secretarium nactus, confabulabatur cum Domino suo. Ibi respondebat judici, ibi supplicabat patri, ibi colloquebatur amico, ibi quoque a fratribus ipsum pie observantibus aliquotiens auditus est clamorosis gemitibus apud divinam pro peccatoribus interpellare clementiam, deplorare etiam alta voce, quasi coram se positam, dominicam passionem. Ibi visus est nocte orans manibus ad modum crucis protensis, toto corpore sublevatus a terra, et nubecula quadam fulgente circumdatus, ut illustrationis mirabilis intra mentem mira circa cor-

[1] *Psal.* XVI, 8.

pus perlustratio testis esset. Ibi etiam, sicut certis est comprobatum indiciis, incerta sibi et occulta divinæ sapientiæ pandebantur, quamvis illa non vulgaret exterius, nisi quantum Christi urgebat charitas, et proximorum utilitas exigebat. Dicebat enim : Levi mercede rem impretiabilem contingit amitti, et illum, qui dedit, ad non dandum iterum facile provocari. Quando a privatis redibat orationibus, quibus pene in virum alterum mutabatur, summopere studebat conformare se cæteris, ne forte quod foris ostenderet, aura favoris intus a mercede evacuaret. Cum in publico subito afficeretur visitatus a Domino, semper aliquid objiciebat astantibus, ne Sponsi familiares attactus forinsecus vulgarentur. Excreationes, gemitus, duros anhelitus, extrinsecos nutus orans inter fratres devitabat omnino, sive quia diligebat secretum, sive quia ad interiora reintrans totus ferebatur in Deum. Sæpe talia familiaribus dixit : Quando servus Dei orans visitatur divinitus, dicere debet : Istam consolationem mihi peccatori et indigno de cœlo misisti, Domine; et ego illam tuæ committo custodiæ, quia thesauri tui me sentio esse latronem. Cum autem ab oratione revertitur, sic debet se pauperculum et peccatorem ostendere, ac si nullam sit novam gratiam consecutus. Orante autem viro Dei in loco de Portiuncula, contigit Assisinatem Episcopum venire ad eum, ut erat solitus, visitandum. Qui mox, ut locum fuit ingressus, ad cellam, in qua Christi servus orabat, plus debito fidenter accessit. Pulsoque ostiolo intraturum se ingerens, dum caput immisit, sanctumque orantem conspexit, repentino timore concussus, obrigescentibus membris etiam loquelam amisit. Subitoque voluntate divina per vim foras propulsus, retrogrado pede procul abductus est. Stupefactus Episcopus ad fratres festinavit, ut potuit, Deoque sibi restituente linguam, primo verbo confessus est culpam. Contigit tempore quodam Abbatem monasterii S. Justini de episcopatu Perusii obviare famulo Christi. Quo viso, Abbas devotus celeriter de equo descendit, ut et viro Dei reverentiam faceret, et de salute animæ aliqua cum ipso conferret. Tandem, habita collatione suavi, Abbas abscedens, orari pro se humiliter petiit. Cui vir Deo charus respondit : Orabo libenter. Parum itaque discedente Abbate, dixit fidelis Franciscus ad socium : Expecta, frater, modicum, quia debitum volo solvere, quod promisi. Orante autem illo, subito Abbas insolitum calorem, et dulcedinem hactenus inexpertam sensit in spiritu, ita quod in excessu mentis effectus, totus a seipso in Deum defecit. Parva morula substitit; et in se reversus, virtutem orationis S. Francisci cognovit. Majori proinde circa Ordinem semper amore flagravit, multisque factum pro miraculo retulit. Solitus erat vir sanctus horas canonicas non minus timorate Deo persolvere, quam devote. Nam licet oculorum, stomachi, splenis et hepatis ægritudine laboraret, nolebat tamen muro vel parieti inhærere, dum psalleret; sed horas semper erectus, et sine caputio, non gyrovagis oculis, nec cum aliqua syncopa persolvebat. Si quando esset in itinere constitutus, figebat tunc temporis gressum, hujusmodi consuetudinem reverentem et sacram propter pluviarum inundantiam non omittens. Dicebat enim : Si quiete comedit corpus cibum suum, futurum cum ipso vermium esca, cum quanta pace et tranquillitate accipere debet anima cibum vitæ? Graviter etiam se putabat offendere, si quando orationi deditus, vanis phantasmatibus interius vagaretur. Cum aliquid tale accideret, non parcebat confessioni, quin illud protinus expiaret. Hoc studium sic in usum converterat, ut rarissime muscas hujusmodi pateretur. Fecerat in quadragesima quadam vasculum unum, ut minutias temporis, ne omnino exciderent, occuparet. Quod cum dicenti Tertiam in memoriam veniens paululum ipsius animum distraxisset, motus fervore spiritus, vasculum igne consumpsit, dicens : Sacrificabo illud Domino, cujus sacrificium impedivit.

Psalmos cum tanta mentis ac spiritus attentione dicebat, quasi Deum præsentem haberet : et cum nomen Domini in eis occurreret, præ suavitatis dulcedine labia sua lingere videbatur. Ipsum quoque Domini nomen non solum cogitatum, verum etiam prolatum, et scriptum, reverentia volens honorare præcipua, fratribus persuasit aliquando ut omnes schedulas scriptas ubicumque repertas colligerent, mundoque loco reponerent, ne forte sacrum illud nomen contingeret conculcari. Nomen autem Jesu cum exprimeret vel audiret, jubilo quodam repletus interius, totus videbatur exterius alterari, ac si mellifluus sapor gustum, vel harmonicus (*a*) sonus ipsius immutaset auditum. Contigit autem anno tertio ante obitum suum, ut memoriam nativitatis pueri Jesu, ad devotionem excitandam, apud Castrum Grecii disponeret agere, cum quanta majori solemnitate valeret. Ne vero hoc levitati posset adscribi, a Summo Pontifice petita et obtenta licentia, fecit præparari præsepium, apportari fœnum, bovem et asinum ad locum adduci. Advocantur fratres, adveniunt populi, personat sylva voces, et venerabilis illa nox luminibus copiosis et claris, laudibusque sonoris et consonis, splendens efficitur et solemnis. Stabat vir Dei coram præsepio pietate repletus, respersus lacrymis, et gaudio superfusus. Celebrantur Missarum solemnia super præsepe, levita Christi Francisco sacrum Evangelium decantante. Prædicat deinde populo circumstanti de nativitate Regis pauperis, quem cum nominare vellet, puerum de Bethleem præ amoris teneritudine nuncupabat. Miles autem quidam virtuosus et verax, qui, propter Christi amorem sæculari relicta militia, viro Dei magna fuit familiaritate conjunctus, dominus Joannes de Grecio se vidisse asseruit puerulum quemdam valde formosum in illo præsepio dormientem, quem beatus pater Franciscus ambobus complexans brachiis excitare videbatur a somno. Hanc siquidem devoti militis visionem non solum videntis sanctitas credibilem facit, sed et designata veritas comprobat, et miracula subsecuta confirmant. Nam exemplum Francisci consideratum a mundo excitativum est cordium in fide Christi torpentium ; et fœnum præsepii reservatum a populo, mirabiliter sanativum fuit brutorum languentium, et aliarum repulsivum pestium diversarum, glorificante Deo per omnia servum suum, sanctæque orationis efficaciam evidentibus miraculorum prodigiis demonstrante.

CAPUT XI.

De intelligentia Scripturarum, et spiritu prophetiæ.

Ad tantam autem mentis serenitatem indefessum orationis studium cum continua exercitatione virtutum, virum Dei perduxerat, ut quamvis non habuerit sacrarum litterarum peritiam per doctrinam, æternæ tamen lucis irradiatus fulgoribus, Scripturarum profunda miro intellectus scrutaretur acumine. Penetrabat enim ab omni labe purum ingenium mysteriorum abscondita, et ubi magistralis scientia foris stat, affectus introibat amantis. Legebat quandoque in libris sacris, et quod animo semel injecerat, tenaciter imprimebat memoriæ : quia non frustra mentalis attentionis percipiebat auditu, quod continuæ devotionis ruminabat affectu. Quærentibus aliquando fratribus, utrum sibi placeret quod litterati, jam recepti ad ordinem, intenderent studio sacræ Scripturæ, respondit : Mihi quidem placet, dum tamen, exemplo Christi, qui magis orasse legitur quam legisse, orationis studium non omittant, nec tamen (*b*) studeant, ut sciant qualiter debeant loqui, sed ut audita faciant, et cum fecerint, aliis facienda proponant. Volo, inquit, fratres meos discipulos evangelicos esse, sicque in notitia veritatis proficere, quod in simplicitatis puritate concrescant, ut simplicitatem columbinam a prudentia serpentina non separent, quas ma-

(*a*) *Cæt. edit.* harmoniacus. — (*b*) *Leg.* tantum.

gister eximius ore suo benedicto conjunxit. Interrogatus Senis a quodam religioso viro Theologiæ sacræ Doctore de quibusdam quæstionibus difficilibus intellectu, tanta claritate doctrinæ, divinæ sapientiæ patefaciebat arcana, ut vehementer stuperet vir ille peritus, et cum admiratione referret : Vere Theologia, sancti Patris istius puritate ac contemplatione, tanquam alis in altum subvecta, est aquila volans ; nostra vero scientia ventre graditur super terram. Licet enim esset imperitus sermone, scientia tamen plenus enodabat dubia quæstionum, et abscondita producebat in lucem. Nec absonum, si vir sanctus Scripturarum a Deo intellectum acceperat, cum per imitationem Christi perfectam veritatem ipsarum descriptam gestaret in opere, et per sancti Spiritus unctionem plenariam, doctorem earum apud se haberet in corde. Adeo etiam in ipso claruit spiritus prophetiæ, ut provideret futura, et cordium contueretur occulta, absentia quoque velut præsentia cerneret, et se præsentem absentibus mirabiliter exhiberet. Tempore namque quo Damiatam Christianorum obsidebat exercitus, aderat vir Dei non armis, sed fide munitus. Cum igitur, die belli, Christiani pararentur ad pugnam, hoc audito, Christi servus vehementer ingemuit, dixitque socio suo : Si belli fuerit attentatus ingressus, ostendit mihi Dominus non prospere cedere Christianis : verum si hoc dixero, fatuus reputabor; si tacuero, conscientiam non evadam. Quid igitur tibi videtur? Respondit socius ejus dicens : Frater, pro minimo tibi sit ut ab hominibus judiceris, quia non modo incipis fatuus reputari. Exonera conscientiam tuam, et Deum magis time, quam homines. Quo audito, exiliens Christi præco salutaribus monitis Christianos aggreditur, prohibet bellum, denuntiat casum. Fit veritas in fabulam : induraverunt cor suum, et noluerunt reverti. Itur, committitur, et bellatur, totaque in fugam vertitur militia christiana, finem belli opprobrium regerens, non triumphum. Tanta vero strage Christianorum imminutus est numerus, ut circa sex millia fuerint inter mortuos et captivos. In quo evidenter innotuit quod spernenda non erat sapientia pauperis : cum *anima viri justi annuntiet aliquando magis vera, quam septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum* [1].

Alio quoque tempore cum post reversionem ipsius de ultra mare, Celanum prædicaturus accederet, miles quidam supplici eum devotione cum instantia magna invitavit ad prandium. Venit itaque ad militis domum, omnisque familia pauperum hospitum exultavit in ingressu. Ante vero quam cibum sumerent juxta solitum morem, vir mente devotus, offerens Deo preces et laudes, oculis stabat elevatis in cœlum. Oratione completa, benignum hospitem, familiariter advocatum in partem, sic allocutus est : Ecce, frater hospes, tuis victus precibus, ut manducarem, domum tuam intravi. Meis nunc cito monitis acquiesce, quoniam non hic, sed alibi manducabis. Confitere nunc peccata tua, veræ pœnitentiæ dolore contritus, nec in te remaneat quidquam quod veridica confessione non pandas. Reddet tibi Dominus hodie vicem, quoniam tanta devotione suos pauperes suscepisti. Acquievit continuo vir ille sermonibus sancti; socioque ipsius universa peccata in confessione detegens, disposuit domum suam, et ad mortem suscipiendam se, quantum valuit, præparavit. Intraverunt tandem mensam, et incipientibus aliis menducare, hospes subito spiritum exhalavit, juxta verbum hominis Dei repentina morte sublatus. Sicque factum est, hospitalitatis gratia promerente, ut, juxta verbum veritatis [2], prophetam recipiens mercedem prophetæ acciperet, dum per sancti viri pronuntiationem propheticam miles ille devotus sibi contra mortis subitationem providit, quatenus, armis pœnitentiæ præmunitus, perpetuam damnationem evaderet, et in æterna tabernacula introiret.

[1] *Eccli.*, XXXVII, 18. — [2] *Matth.*, X, 41.

Tempore quo vir sanctus Reate jacebat infirmus, præbendarius quidam nomine Gedeon, lubricus et mundanus, infirmitate gravi correptus, lectulo decubans, cum ad eum fuisset delatus, lacrymose rogabat cum simul astantibus, ut ab ipso crucis signaculo signaretur. Ad quem ille : Cum vixeris olim secundum desideria carnis, non veritus judicia Dei, quomodo te cruce signabo? Verum propter devotas intercedentium preces, signo te crucis signabo, in nomine Domini. Tu tamen scito te graviora passurum, si ad vomitum redieris liberatus. Propter enim peccatum ingratitudinis, semper pejora prioribus inferuntur. Signo itaque crucis super eum facto, statim, qui contractus jacuerat, surrexit sanus; et in laudem Dei prorumpens : Ego, inquit, sum liberatus. Insonuerunt autem ossa renum ejus, audientibus cunctis, veluti cum manu ligna sicca franguntur. Paucis autem interlapsis temporibus, Dei oblitus, corpus impudicitiæ reddidit. Cumque sero quodam cœnasset in domo cujusdam Canonici, nocteque illa dormiret ibidem, subito super omnes corruit tectum domus. Cæteris autem evadentibus mortem, solus ille miser interceptus atque interemptus est. Justo igitur Dei judicio facta sunt novissima hominis illius pejora prioribus propter ingratitudinis vitium, Deique contemptum : cum de accepta venia gratum esse oporteat, ut duplo displiceat flagitium iteratum.

Alio quoque tempore, mulier quædam nobilis, Deo devota, venit ad sanctum, ut suum ei explicaret dolorem, ac remedium postularet. Habebat quidem virum valde crudelem, quem adversarium patiebatur in servitio Christi; et ideo petebat a sancto, quatenus oraret pro illo, ut sua Deus cor ipsius dignaretur emollire clementia. Ipse vero, hoc audiens, ait illi : Vade cum pace, indubitanter expectans de viro tuo consolationem tibi de proximo affuturam. Et adjecit : Dices ei ex parte Dei et mea, quod nunc est tempus clementiæ, postmodum æquitatis. Benedictione accepta, revertitur mulier, invenit virum, denuntiat verbum. Cecidit super eum Spiritus sanctus, et novum factum de veteri, sic facit cum mansuetudine respondere : Domina, serviamus Domino, et salvemus animas nostras. Suadente igitur sancta uxore, pluribus annis cœlibem vitam agentes, eodem die ambo ad Dominum migraverunt. Miranda certe in viro Dei spiritus prophetici virtus, qua et membris jam arentibus restituebat vigorem, et duris imprimebat cordibus pietatem : quanquam non minus ejusdem spiritus sit stupenda limpiditas, qua sic futurorum præcognoscebat eventum, ut etiam conscientiarum scrutaretur arcanum, quasi alter Elisæus duplicem Eliæ spiritum assecutus.

Nam cum Senis viro cuidam sibi familiari quædam superventura finaliter prædixisset, et vir ille peritus, de quo supra mentio facta est, quod de Scripturis cum eo conferebat aliquando, his auditis, ab eodem sancto patre dubitando perquireret, an hæc ipse dixisset, quæ illius viri relatione cognoverat; non solum se illa dixisse asseruit, verum etiam quærenti alienum eventum, proprium exitum prophetando prædixit. Quod ut certius cordi ejus imprimeret, quemdam secretum conscientiæ illius scrupulum, quem nulli viventi vir præfatus expresserat, mirabiliter revelando explicuit, et salubriter consulendo reseravit. Ad quorum omnium firmitatem accedit, quod vir ille religiosus, sicut Christi famulus ei prædixit, sic finaliter consummavit.

Eo quoque tempore, quo revertebatur de ultra mare, socium habens fratrem Leonardum de Assisio, contigit eum fatigatum, et lassum parumper asellum conscendere. Subsequens autem socius, et ipse non modicum fessus, cœpit dicere intra se, humanum aliquid passus : Non de pari ludebant parentes ejus, et mei. En ipse equitat, et ego pedester asinum ejus duco. Hoc illo cogitante, protinus descendit de asino vir sanctus, et ait : Non, frater, convenit ut ego equitem,

tu venias pedes, quia nobilior et potentior in sæculo tu me fuisti. Obstupuit illico frater, et rubore suffusus, deprehensum se recognoscens, procidit ad pedes ipsius, et lacrymis irrigatus, nudum exposuit cogitatum, veniamque poposcit.

Frater quidam Deo devotus, et famulo Christi, frequenti cogitatione versabat in pectore, superna fore gratia dignum, quem vir sanctus familiari complecteretur affectu; quem vero tanquam extraneum reputaret, extra numerum electorum reputandum a Deo. Cum igitur cogitationis hujusmodi crebrius vexatus impulsu, viri Dei familiaritatem vehementer optaret, nec tamen cordis sui secretum revelaret alicui; advocans eum ad se, dulciter Pater pius sic allocutus est : Nulla te turbet cogitatio, fili : quoniam te charissimum habens inter præcipue mihi charos, libenter tibi munus meæ familiaritatis et dilectionis impendo. Miratus exinde frater, factusque devotior ex devoto, non solum in amorem crevit hominis sancti, verum etiam, per Spiritus sancti gratiæ munus, donis est majoribus cumulatus.

Cum autem in monte maneret Alvernæ cella reclusus, unus e sociis magno desiderio cupiebat habere de verbis Domini aliquod scriptum manu ipsius breviter annotatum. Gravem enim, qua vexabatur, tentationem non carnis, sed spiritus, ex hoc credebat evadere, vel certe levius ferre. Tali desiderio languens, anxiabatur interius, quia verecundia victus reverendo Patri rem pandere non audebat. Sed cui homo non dixit, Spiritus revelavit. Portari namque sibi jussit a fratre prædicto atramentum et chartam, laudesque Domini juxta fratris desiderium propria manu scripsit, et ultimo benedictionem ipsius, dicens : Accipe tibi chartulam istam, et usque ad diem mortis tuæ custodias diligenter. Accepit frater donum illud optatum, et statim omnis illa tentatio effugatur. Servatur littera, et cum in posterum miranda effecerit, virtutum Francisci testimonium fuit.

Frater quidam erat, quantum a foris videbatur, sanctitate præclarus, conversatione insignis, tamen admodum singularis. Omni tempore orationi vacans, tanta districtione silentium observabat, quod consueverat non verbis, sed nutibus confiteri. Accidit autem sanctum Patrem venire ad locum videre fratrem, et de ipso cum aliis fratribus habere sermonem. Commendantibus autem omnibus, et magnificantibus illum, respondit vir Dei : Sinite, fratres, ne mihi in eo diabolica figmenta laudetis. In veritate sciatis, quod diabolica tentatio est, et deceptio fraudulenta. Dure acceperunt hoc fratres, tanquam impossibile judicantes, quod tot perfectionis indiciis fraudis se commenta fuscarent. Verum non post multos dies eo Religionem egresso, evidenter apparuit quanta luculentia interioris contuitus vir Dei cordis ejus secreta perspexit. Multorum quoque per hunc modum, qui stare videbantur, ruinam, sed et plurium perversorum conversionem ad Christum immobili veritate prænuntians, appropinquasse videbatur ad æternæ lucis speculum contemplandum, cujus fulgore mirabili absentia corporaliter, tanquam si essent præsentia, mentis ejus cernebat obtutus.

Quodam namque tempore vicarius suus tenebat Capitulum; ipse vero in cella orans, sequester erat et medius inter fratres et Deum. Cum igitur unus ex ipsis defensionis quodam contectus palliolo non se subderet disciplinæ, videns hoc vir sanctus in spiritu, vocavit quemdam de fratribus, et dixit ad eum : Vidi, frater, diabolum super illius fratris inobedientis dorsum, collum ejus tenentem astrictum : qui tali sessore subactus, obedientiæ fræno spreto, instinctus ejus sequebatur habenas. Et cum rogarem Deum pro fratre, subito dæmon confusus abscessit. Vade igitur, et dic fratri, ut obedientiæ sanctæ jugo collum sine mora submittat. Monitus per internuntium frater, statimque conversus ad Deum, ad pedes vicarii humiliter se projecit.

Alio quoque tempore contigit duos fratres ad Eremitorium Grecii de remotis venire, ut virum Dei cernerent, et benedictionem multo desideratam jam tempore reportarent. Venientes autem, et non invenientes, quia de publico jam ad cellam redierat, desolati abibant. Et ecce recedentibus illis, cum de ipsorum adventu, vel recessu, nihil secundum humanum sensum percipere potuisset, præter solitum morem egressus e cella, clamavit post eos, et juxta quod optaverant, signo crucis facto, in Christi nomine benedixit.

Duo fratres venerunt aliquando de Terra Laboris, quorum antiquior nonnulla intulit scandala juniori. Cum autem pervenissent ad Patrem, quæsivit ille a juniori qualiter erga ipsum se fratrer socius habuisset in via. Quo respondente : Utique satis bene; subjunxit : Cave, frater, ne sub humilitatis specie mentiaris, scio enim, scio; sed expecta modicum, et videbis. Miratus est perplurimum frater, quomodo tam absentia per spiritum cognovisset. Igitur non post multos dies, contempta Religione, foras egreditur qui scandalum fecerat fratri, et a Patre non petierat veniam, nec correctionis debitam receperat disciplinam; simulque duo in una illius claruere ruina : æquitas scilicet divinæ justitiæ, et perspicacitas spiritus prophetiæ. Qualiter autem absentibus se præsentem exhibuit divina faciente virtute, evidenter ex superioribus innotescit, si revocetur ad mentem, qualiter absens in curru igneo fratribus transfiguratus apparuit, et quomodo se Arelatensi Capitulo in crucis effigie præsentavit. Quod factum esse divina dispositione credendum est, ut ex præsentiæ corporalis apparitione mirabili patenter claresceret, quam præsens et pervius spiritus ejus luci sapientiæ foret æternæ, quæ [1] *omnibus mobilibus mobilior est, et ubique attingens propter sui munditiam, per nationes in animas sanctas se transfert, et Dei amicos, et prophetas constituit.* Simplicibus et parvulis sua solet pandere mysteria Doctor excelsus, sicut prius apparuit in David prophetarum eximio, et post in apostolorum principe Petro, et tandem in pauperculo Christi Francisco. Hi enim cum essent litterarum imperitia simplices, facti sunt sancti Spiritus eruditione illustres : is quidem pastor, ut gregem pasceret Synagogæ de Ægypto eductum; ille piscator, ut sagenam repleret Ecclesiæ multiformitate credentium; hic autem negotiator, ut margaritam emeret evangelicæ vitæ, venditis et dispersis omnibus propter Christum.

[1] *Sap.*, VII, 24, 27.

CAPUT XII.

De efficacia prædicandi, et gratia sanitatum.

Fidelis revera famulus et minister Christi Franciscus, ut cuncta fideliter et perfecte perageret, illis potissime virtutum exercitiis intendebat, quæ, sacro dictante Spiritu, Deo suo magis placere cognoverat. Qua de re contigit illum in magnam dubitationis cujusdam agoniam incidere, quam multis diebus, ab oratione rediens, terminandam fratribus sibi familiaribus proponebat. Quid, inquit, fratres, consulitis, quid laudatis? an quod orationi vacem, an quod prædicando discurram? Si quidem ego parvulus, simplex et imperitus sermone, majorem orandi accepi gratiam, quam loquendi. Videtur etiam in oratione lucrum, et cumulatio gratiarum; in prædicatione, distributio quædam donorum cœlitus acceptorum. In oratione etiam purificatio interiorum affectuum, et unitio ad unum verum et summum bonum, cum vigoratione virtutis; in prædicatione, spiritualium pulverizatio pedum, distractio circa multa, et relaxatio disciplinæ. Tandem in oratione Deum alloquimur et audimus, et quasi angelicam vitam agentes, inter angelos conversamur; in prædicatione multa oportet condescensione uti ad homines, et humane inter eos vivendo, humana cogitare, videre, dicere et audire. Sed unum est in contrarium, quod videtur præponderare

his omnibus ante Deum, quod videlicet unigenitus Dei Filius, qui est sapientia summa, propter animarum salutem de sinu Patris descendit, ut suo mundum informans exemplo, verbum salutis hominibus loqueretur, quos sacri sanguinis, et pretio redimeret, et emundaret lavacro, et poculo sustentaret, nihil sibi omnino reservans, quod non in salutem nostram liberaliter erogaret. Et quia debemus omnia facere secundum exemplar eorum, quæ videmus in ipso tanquam in monte sublimi, videtur magis Deo placitum, quod, intermissa quiete, foras egrediar ad laborem. Cumque per multos dies verba hujusmodi ruminaret cum fratribus, certitudinaliter nequibat percipere, quid horum sibi foret, ut Christo vere acceptius, eligendum. Cum enim miranda nosset per spiritum prophetiæ, hanc per seipsum quæstionem dissolvere non valebat ad liquidum, Deo melius providente, ut prædicationis meritum per supernum manifestaretur oraculum, et servi Christi humilitas servaretur. Non erubescebat a minoribus parva quærere verus Minor, qui magna didicerat a Magistro supremo. Studio namque præcipuo solitus erat exquirere, quali via, qualique modo Deo posset secundum ipsius beneplacitum perfectius deservire. Hæc summa ejus philosophia, hoc summum ejus desiderium extitit, quoad vixit, ut quæreret a sapientibus et simplicibus, perfectis et imperfectis, parvulis et grandævis, qualiter ad perfectionis culmen virtuosius pervenire valeret. Assumens itaque duos ex fratribus, misit ad fratrem Silvestrum, qui crucem egredientem viderat de ore ipsius : et tunc in montem supra Assisium jugiter orationi vacabat, ut divinum super dubitatione hujusmodi responsum perquireret, quod sibi ex parte Domini demandaret. Hoc ipsum demandavit sacræ virgini Claræ, ut per aliquam puriorem et simpliciorem de virginibus sub ipsius disciplina degentibus, et ipsa cum sororibus aliis orans, super hoc exquireret Domini voluntatem. Concordaverunt autem mirabiliter in idipsum, superno eis revelante Spiritu, venerabilis sacerdos, et virgo Deo dicata, beneplaciti scilicet esse divini, quod Christi præco ad prædicandum exiret. Revertentibus itaque fratribus, et Dei, juxta quod acceperant, indicantibus voluntatem, exurgens continuo succinxit se, et nulla prorsus contracta mora, iter aggressus est. Ibat autem cum tanto fervore, ut divinum exequeretur imperium, tamque celeriter percurrebat, ac si, facta manu Dei super eum, novam induisset e cœlo virtutem. Cum igitur appropinquaret Bevanium, ad quemdam locum devenit, in quo diversi generis avium maxima multitudo convenerat. Quas cum sanctus Dei vidisset, alacriter cucurrit ad locum, et eas velut rationis participes salutavit. Omnibus vero expectantibus, et convertentibus se ad eum, ita ut quæ in arbustis erant, inclinatis capitibus, cum appropinquaret ad eas, insolito modo in ipsum intenderent, usque ad eas accessit, et omnes, ut verbum Domini audirent, sollicite admonuit, dicens : Fratres mei volucres, multum debetis laudare Creatorem vestrum, qui plumis vos induit, et pennas tribuit ad volandum, puritatem concessit aeris, et sine vestra sollicitudine vos gubernat. Cum autem eis hæc, et his similia loqueretur, aviculæ modo mirabili gestientes cœperunt extendere colla, protendere alas, aperire rostra, et in illum attente respicere. Ipse vero cum spiritus fervore mirando per medium ipsarum transiens, tunica contingebat easdem, nec tamen de loco aliqua mota est, donec signo crucis facto, et licentia data cum benedictione viri Dei, omnes simul advolarunt. Hæc omnia contuebantur socii expectantes in via. Ad quos reversus vir simplex et purus, pro eo quod non hactenus avibus prædicaverat, cœpit se de negligentia inculpare. Exinde prædicando per loca vicina procedens, venit ad castrum quoddam nomine Alvianum; ubi congregato populo, et indicto silentio, propter hirundines nidificantes in eodem loco, magnisque garriti-

bus perstrepentes, audiri vix poterat. Quas vir Dei omnibus audientibus allocutus est, dicens : Sorores meæ hirundines, jam tempus est ut loquar et ego, quia vos usque modo satis dixistis. Audite verbum Dei, tenentes silentium, donec sermo Dei compleatur. At illæ, tanquam intellectus capaces, subito tacuerunt, nec fuerunt motæ de loco, donec fuit omnis prædicatio consummata. Omnes igitur qui viderunt, stupore repleti, glorificaverunt Deum. Istius miraculi fama circumquaque diffusa, multos ad sancti reverentiam et fidei devotionem accendit.

In civitate namque Parisiensi, scholaris quidam indolis bonæ cum sociis aliis studio diligenter intentus, dum importuna garrulitate cujusdam infestaretur hirundinis, dicere cœpit ad socios : Hæc hirundo una de illis est, quæ virum Dei Franciscum prædicantem aliquando, donec silentium eis imponeret, molestabant. Et conversus ad hirundinem, fiducialiter ait : In nomine servi Dei Francisci præcipio tibi, ut ad me veniens continuo conticescas. At illa, Francisci audito nomine, quasi viri Dei disciplinis edocta, et statim conticuit, et ipsius manibus tanquam tutæ custodiæ se commisit. Stupefactus scholaris, statim eam libertati restituit, et ejus garritum amplius non audivit.

Alio quoque tempore, cum famulus Dei Caietæ semel prædicaret in littore maris, turbis præ devotione ruentibus, ut eum contingerent ; horrens Christi servus tantum populorum applausum, in unam hærentem littori naviculam prosilivit solus. Illa vero, tanquam si rationis particeps motore moveretur intrinseco sine aliquo remige, cernentibus et mirantibus cunctis, se longius a terra protraxit. Cum autem aliquanto spatio in maris altitudinem secessisset, stetit inter fluctus immobilis, quamdiu vir sanctus turbis expectantibus in littore prædicavit. Cumque audito sermone, et viso miraculo, ac benedictione accepta, multitudo recederet, ne ipsum amplius molestaret, navicula proprio ductu ad terram reversa est. Quis igitur obstinatæ mentis esset, et impiæ, qui prædicationem Francisci contemneret, cujus miranda fiebat virtute ut non solum carentia ratione disciplinam susciperent, verumetiam inanimata corpora tanquam animata prædicanti servirent?

Aderat equidem servo suo Francisco, ad quæcumque pergeret, is qui eum unxerat et miserat, Spiritus Domini, et ipse Dei virtus et sapientia Christus, ut sanæ doctrinæ verbis affluereet, et magnæ potentiæ miraculis coruscaret. Erat enim verbum ejus velut ignis ardens, penetrans intima cordis, omniumque mentes admiratione replebat, cum non humanæ inventionis ornatum prætenderet, sed divinæ revelationis afflatum redoleret. Nam cum semel prædicaturus coram Papa et Cardinalibus, ad suggestionem Domini Ostiensis, sermonem quemdam studiose compositum commendasset memoriæ, stetissetque in medio ut ædificationis verba proponeret, sic oblivioni tradidit omnia, ut effari aliquid omnino nesciret. Verum cum hæc veridica humilitate narrasset, conferens se ad Spiritus sancti gratiam invocandam, tam efficacibus subito cœpit verbis affluere, tamque potenti virtute illorum mentes virorum sublimium ad compunctionem inflectere, ut aperte clareret quod non ipse, sed Spiritus Domini loquebatur. Et quoniam primo sibi suaserat opere, quod aliis suadebat sermone, reprehensorem non timens, veritatem fidentissime prædicabat. Nesciebat aliquorum culpas palpare, sed pungere ; nec vitam fovere peccantium, sed aspera increpatione ferire. Eadem mentis constantia magnis loquebatur, et parvis ; eademque spiritus jucunditate paucis loquebatur, et multis. Omnis ætas, omnisque sexus, properabat virum novum, mundo cœlitus datum, et cernere, et audire. Ipse vero per diversas regiones progrediens, evangelizabat ardenter, *Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis* [1]. In virtute namque nominis ejus veritatis præco Franciscus ejiciebat

[1] *Marc.*, XVI, 20.

dæmonia, sanabat infirmos, et quod majus est, sui sermonis efficacia obstinatorum mentes ad pœnitentiam molliebat, simulque sanitatem corporibus reddebat et cordibus, sicut aliqua comprobant operum ejus, exempli gratia, inferius annotanda.

In civitate Tuscanella a milite quodam hospitio devote susceptus, filium ejus unicum a nativitate contractum, ad multam ipsius instantiam, manu allevans, sic subito incolumem reddidit, ut videntibus cunctis, protinus consolidarentur omnia corporis membra, et puer, sanus effectus et fortis, confestim exurgeret ambulans, et exiliens, et laudans Deum.

In civitate Narniensi, cum paralyticum quemdam, membrorum omnium destitutum officio, signo crucis a capite usque ad pedes ad instantiam signasset Episcopi, perfecte restituit sanitati.

In episcopatu Reatino puer quidam sic turgidus a quatuor annis, ut nullo modo propria crura cernere posset, a matre cum lacrymis præsentatus eidem, statim ut vir sanctus tetigit eum manibus sacris, incolumis est effectus.

Apud civitatem Ortensem puer unus ita conglomeratus, ut caput pedibus portaret applicitum, et haberet ossa nonnulla confracta, signo crucis ad parentum lacrymabiles preces ab eodem suscepto, subito extensus extitit, et illico liberatus.

Mulier quædam civitatis Eugubii ambas contractas et aridas habens manus, adeo ut nihil per illas operari valeret, signo crucis ab eodem in nomine Domini sibi facto, tam perfectam obtinuit sospitatem, quod statim rediens domum, cibos in ministerium ejus et pauperum, quasi altera socrus Simonis, propriis manibus præpararet.

Puellæ cuidam in castro Bevanii, oculorum privatæ luminibus, cum in Trinitatis nomine sputo suo ter ipsius oculos linivisset, lumen concupitum restituit.

Mulier quædam civitatis Narnii, oculorum cæcitate percussa, signum crucis ab eodem suscipiens, lucem recuperavit optatam.

Bononiæ puer quidam unum oculorum macula adeo habens obtectum, ut nihil prorsus videre posset, nec aliquo juvari remedio, post signum crucis a capite usque ad pedes per servum Domini sibi factum, visum recuperavit tam limpidum, ut postmodum Fratrum Minorum ordinem ingressus, se longe clarius videre assereret de oculo prius infirmo, quam de oculo semper sano.

In castro Sancti Geminí servus Dei a quodam devoto viro susceptus hospitio, cujus uxor a dæmonio vexabatur, post orationem factam, in virtute obedientiæ imperavit dæmoni ut exiret, eumque potestate divina tam subito effugavit, ut vere claresceret quod obedientiæ sanctæ virtuti pervicacia dæmonum non obsistat.

In civitate de Castello, quidam furibundus et nequam spiritus quamdam obsidens mulierem, a viro sancto obedientiæ accepto mandato, indignabundus discessit, mente simul et corpore liberam, obsessam prius, fœminam derelinquens.

Frater quidam infirmitate tam horribili gravabatur, ut magis esse vexatio dœmonis, quam naturalis infirmitas, a pluribus firmaretur. Nam totus sæpe allidebatur, et volutabatur spumans, membris corporis nunc contractis, nunc extensis, nunc plicatis, nunc tortis, nunc rigidis effectis et duris. Quandoque totus extensus et rigidus, pedibus æquatis capiti levabatur in altum, horribiliter illico relapsurus. Hunc sic miserabiliter et irremediabiliter ægrotantem plenus misericordia Christi servus commiserans, buccellam sibi panis, de quo edebat, transmisit. Tantam vero gustatus panis contulit ægro virtutem, ut deinceps hujus infirmitatis molestiam non sentiret.

In comitatu Aretii, cum diebus pluribus mulier quædam laborasset in partu, essetque jam proxima morti, nullum omnino desperanti de vita supererat remedium, nisi Dei. Cum autem equo vectus, propter corporis

infirmitatem Christi famulus per partes illas transitum habuisset, contigit reduci animal per villam, in qua mulier torquebatur. Homines vero loci, viso equo, cui vir sanctus insederat, extraxerunt frænum, ut superponerent mulieri : ad cujus contactum mirificum omni remoto periculo, mulier illico peperit cum salute.

Vir quidam de Castro Plebis, religiosus ac timens Deum, chordam apud se, qua cinctus fuerat sanctus pater, habebat. Cumque multitudo virorum ac mulierum in castro illo variis infirmitatibus laboraret, ibat per infirmantium domos, et intincta chorda in aqua dabat bibere patientibus, sicque per hunc modum plurimi sanabantur. Sed et de panibus a viro Dei contactis gustantes ægroti, divina operante virtute, consequebantur celeriter remedia sanitatum. Cum his et aliis multis miraculorum prodigiis præco Christi prædicans coruscaret, attendebatur his, quæ dicebantur ab eo, ac si angelus Domini loqueretur. Excellens namque in ipso prærogativa virtutum, prophetiæ spiritus, efficacia miraculorum, oraculum de prædicando cœlitus datum, obedientia creaturarum ratione carentium, vehemens immutatio cordium ad verborum ipsius auditum, eruditio ejus a Spiritu sancto præter humanam doctrinam, prædicandi auctoritas a Summo Pontifice non sine revelatione concessa, insuper et Regula, in qua forma prædicandi exprimitur, ab eodem Christi Vicario confirmata, summi quoque Regis signacula per modum sigilli corpori ejus impressa, tanquam testimonia decem, toti sæculo indubitanter affirmant, Christi præconem Franciscum et venerandum officio, et doctrina authenticum, et admirabilem sanctitate, ac per hoc tanquam vere Dei nuntium Christi Evangelium prædicasse.

CAPUT XIII.

De stigmatibus sacris.

Mos erat angelico viro Francisco nunquam otiari a bono; quin potius instar supernorum spirituum in scala Jacob, aut ascendebat in Deum, aut descendebat ad proximum. Nam tempus sibi concessum ad meritum dividere sic prudenter didicerat, ut aliud proximorum lucris laboriosis impenderet, aliud contemplationis tranquillis excessibus dedicaret. Unde cum secundum exigentiam locorum et temporum alienæ condescendisset procurandæ saluti, inquietationibus derelictis turbarum, solitudinis secreta petebat, locumque quietis, quo liberius Deo vacans, extergeret, si quid pulveris sibi ex conversatione hominum adhæsisset. Biennio itaque antequam spiritum redderet cœlo, divina providentia duce, post labores multimodos perductus est in locum excelsum seorsum, qui dicitur mons Alvernæ. Cum igitur, juxta solitum morem, quadragesimam ibidem ad honorem sancti archangeli Michaelis jejunare cœpisset, supernæ contemplationis dulcedine abundantius solito superfusus, ac cœlestium desideriorum ardentiori flamma succensus, supernarum cœpit immissionum cumulatius dona sentire. Ferebatur quidem in altum, non ut curiosus majestatis perscrutator opprimendus a gloria [1], sed tanquam servus fidelis et prudens investigans beneplacitum Dei, cui se conformare omnimode summo peroptabat ardore. Immissum est igitur menti ejus per divinum oraculum, quod in apertione libri evangelici revelaretur ei a Christo, quid Deo in ipso et de ipso maxime foret acceptum. Oratione itaque cum multa devotione præmissa, sacrum Evangeliorum librum de altari sumptum in sanctæ Trinitatis nomine aperiri fecit per socium, virum utique Deo devotum et sanctum. Sane cum in trina libri apertione semper Domini passio occurreret, intellexit vir Deo plenus, quod sicut Christum fuerat imitatus in actibus vitæ, sic conformis ei esse deberet in afflictionibus et doloribus passionis, antequam ex hoc mundo transiret. Et licet propter multam austeritatem vitæ præ-

[1] *Prov.*, XXV, 27.

teritæ, crucisque Dominicæ bajulationem continuam, imbecillis jam esset corpore, nequaquam est territus, sed ad martyrii sustinentiam vigorosius animatus. Excreverat quidem in eo insuperabile amoris incendium boni Jesu in lampades ignis atque flammarum, ut aquæ multæ charitatem ejus tam validam extinguere [1] non valerent. Cum igitur seraphicis desideriorum ardoribus sursum ageretur in Deum, et compassiva dulcedine in eum transformaretur, qui ex charitate nimia voluit crucifigi, quodam mane circa festum Exaltationis sanctæ Crucis, dum oraret in latere montis, vidit seraph unum sex alas habentem tam ignitas, quam splendidas, de cœlorum sublimitate descendere. Cumque volatu celerrimo pervenisset ad aeris locum viro Dei propinquum, apparuit inter alas effigies hominis crucifixi in modum crucis manus et pedes extensos habentis, et cruci affixos. Duæ alæ super caput ipsius elevabantur, duæ ad volandum extendebantur, duæ vero totum velabant corpus. Hoc videns vehementer obstupuit, mixtumque mœrore gaudium cor ejus incurrit. Lætabatur quidem in gratioso aspectu, quo a Christo sub specie seraph cernebat se conspici; sed crucis affixio compassivi doloris gladio ipsius animam pertransibat. Admirabatur quamplurimum in tam inscrutabilis visionis aspectu, sciens quod passionis infirmitas cum immortalitate spiritus seraphici nullatenus conveniret. Intellexit tandem ex hoc, Domino revelante, quod ideo hujusmodi visio sic divina providentia suis fuerat præsentata conspectibus, ut amicus Christi prænosceret se non per martyrium carnis, sed per incendium mentis totum in Christi crucifixi similitudinem transformandum. Disparens igitur visio mirabilem in corde ipsius reliquit ardorem, sed et in carne non minus mirabilem signorum impressit effigiem. Statim namque in manibus ejus et pedibus apparere cœperunt signa clavorum, quemadmodum paulo ante in effigie illa viri crucifixi conspexerat. Manus enim et pedes in ipso medio clavis confixæ videbantur, clavorum capitibus in interiori parte manuum et superiori pedum apparentibus, et eorum acuminibus existentibus ex adverso. Erantque clavorum capita in manibus et pedibus rotunda et nigra, ipsa vero acumina oblonga, retorta, et quasi repercussa, quæ de ipsa carne surgentia carnem reliquam excedebant. Dextrum quoque latus, quasi lancea transfixum, rubra cicatrice obductum erat, quod sæpe sanguinem sacrum effundens, tunicam et femoralia respergebat. Cernens autem Christi servus, quod stigmata carni tam luculenter impressa socios familiares latere non possent, timens nihilominus publicare Domini sacramentum, in magno positus fuit dubitationis agone, utrum videlicet, quod viderat, diceret, vel taceret. Vocavit proinde aliquos ex fratribus, et generalibus verbis loquens, dubium coram eis proposuit, et consilium requisivit. Quidam vero ex fratribus, gratia illuminatus, et nomine intelligens quod aliqua miranda vidisset, pro eo quod videbatur admodum stupefactus, dixit ad virum sanctum : Frater, non solum propter te, sed etiam propter alios, scias tibi ostendi aliquando sacramenta divina. Timendum propterea jure videtur, ne si, quod pluribus profuturum accepisti, celaveris, pro talento abscondito reprehensibilis judiceris. Ad cujus verbum motus vir sanctus, licet alias dicere solitus esset : *Secretum meum mihi* [2]; tunc tamen cum multo timore seriem retulit visionis præfatæ, addens quod is, qui sibi apparuerat, aliqua dixerit, quæ nunquam, dum viveret, alicui hominum aperiret. Credendum sane tam arcana illa fuisse sacri illius seraph in cruce mirabiliter apparentis eloquia, quod forte non liceret hominibus ea loqui. Postquam igitur verus Christi amor in eamdem imaginem transformavit amantem, quadraginta dierum numero, juxta quod decreverat, in solitudine consummato, superveniente quoque solemnitate archangeli Mi-

[1] *Cant.*, VIII, 7. — [2] *Isa.*, XXIV, 16.

chaelis, descendit angelicus vir Franciscus de monte, secum ferens Crucifixi effigiem, non in tabulis lapideis vel ligneis manu figuratam artificis, sed in carneis membris descriptam digito Dei vivi. Et quoniam *sacramentum Regis abscondere bonum est* [1], ideo secreti regalis vir conscius signacula illa sacra pro viribus occultabat. Verum, quia Dei est ad gloriam suam magna revelare quæ facit Dominus, ipse, quia signacula illa secrete impresserat, miracula quædam aperte per ipsa monstravit, ut illorum occulta et mira vis stigmatum, manifesta pateret claritate signorum.

In provincia namque Reatina pestis invaluerat valde gravis, quæ oves et boves omnes sic consumebat crudeliter, quod nullum poterat remedium adhiberi. Vir autem quidam timens Deum nocte fuit per visionem commonitus, ut ad eremitorium fratrum festinanter accederet, et loturam manuum ac pedum famuli Dei Francisci, qui tunc temporis morabatur ibidem, acceptam, super animalia cuncta respergeret. Mane itaque surgens venit ad locum, loturaque hujusmodi per socios sancti viri latenter obtenta, oves et boves languentes ex ea respersit. Mirabile dictu! statim ut aspersio animalia languida, et in terra jacentia, quantumcumque paululum attingebat, pristino recuperato vigore, surgebant continuo, et tanquam nihil mali sensissent, ad pascua festinabant. Sicque factum est, ut per virtutem mirandam aquæ illius, quæ sacras plagas contigerat, omnis prorsus plaga cessaret, pestilensque morbus a gregibus fugaretur. Circa præfatum montem Alvernæ, antequam vir sanctus ibi contraheret moram, nube ex ipso monte surgente, grandinis violenta tempestas fructus terræ consuetudinarie devastabat. Sed post illam apparitionem felicem, non sine incolarum admiratione, grando cessavit, ut cœlestis illius visionis excellentiam, et stigmatum ibidem impressorum virtutem, serenati præter morem ipsa cœli facies declararet. Contigit quoque eum tempore hiemali, propter debilitatem corporis et asperitatem viarum, hominis unius pauperis subvectum asello, sub rupis cujusdam prominentis pernoctare (*a*) crepidine, ut nivis et noctis supervenientium quoquo modo declinaret incommoda, quibus præpeditus, ad hospitii locum non valuerat pervenire. Cum autem vir sanctus hominem illum querulosis submurmurantem gemitibus hinc inde seipsum jactare sensisset, tanquam qui tenui operimento contectus quiescere præ frigoris acerbitate nequibat, divini amoris fervore succensus, manu illum protensa palpavit. Mirabile certe! repente (*b*) illius sacræ manus contactum, quæ seraphici calculi gerebat incendium, omni fugato frigore, tantus in virum intus et extra calor advenit, ac si quædam in eum vis flammea ex fornacis spiraculo processisset. Nam illico et mente et corpore confortatus, suavius inter saxa et nives usque mane dormivit, quam unquam in proprio lecto pausaverat, sicut ipse postmodum asserebat. Certis itaque constat indiciis, sacra illa signacula illius impressa fuisse virtute, qui operatione seraphica purgat, illuminat et inflammat, cum ipsa forinsecus expurgando a peste salutem, serenitatem et calorem corporibus efficacia mira conferrent, sicut et post mortem evidentioribus est demonstratum prodigiis suo loco posterius annotandis. Ipse vero, licet thesaurum inventum in agro multa diligentia studeret abscondere, latere tamen non potuit, quin aliqui stigmata manuum viderent et pedum, quanquam manus quasi semper portaret contectas, et pedibus ex tunc incederet calceatis. Viderunt enim, dum viveret, fratres plurimi, qui licet essent, propter sanctitatem præcipuam, viri per omnia fide digni, tamen ad omne dubium amovendum, sic esse, ac se vidisse, tactis sacrosanctis, juramento firmarunt. Viderunt etiam ex familiaritate, quam cum viro sancto habebant, aliqui Cardinales, laudes sacrorum

[1] *Tob.*, XII, 7.

(*a*) *Cæt. edit.* pernoctaret. — (*b*) *Suppl.* ad.

stigmatum prosis, et hymnis, et antiphonis, quas ad ipsius ediderunt honorem, veraciter inserentes, qui tam verbo, quam scripto perhibuerunt testimonium veritati. Summus etiam Pontifex dominus Alexander, cum populo prædicaret coram multis fratribus et meipso, affirmavit se, dum sanctus viveret, stigmata illa sacra suis oculis conspexisse. Viderunt in morte plusquam quinquaginta fratres, virgoque Deo devotissima Clara cum cæteris sororibus suis, et sæculares innumeri, ex quibus, quemadmodum suo loco dicetur, quamplurimi et osculati sunt ex devotionis affectu, et contrectaverunt manibus ad testimonii firmitatem. Vulnus autem lateris tam sollicite occultavit, ut illud nemo posset nisi furtim contueri, dum viveret. Unus etenim frater, qui ei sedule ministrare solitus erat, cum pia eum cautela, ut ad excutiendum extraheret tunicam, induxisset, attente respiciens vidit plagam, cui etiam tres veloci contactu digitos applicans, tam visu, quam tactu, vulneris quantitatem agnovit. Consimili cautela vidit etiam frater ille, qui tunc temporis erat vicarius ejus. Frater vero socius mirandæ simplicitatis, dum infirmitatis causa languentes scapulas contrectaret, manu per caputium missa, et casualiter vulneri sacro illapsa, magnum ei dolorem inflixit. Proinde portabat ex tunc femoralia ita facta, ut usque ad ascellas pertingerent ad vulnus lateris contegendum. Fratres quoque qui illa lavabant, vel tunicam excutiebant pro tempore, quia inveniebant ea sanguine rubricata, indubitanter per evidens signum in cognitionem sacri vulneris pervenerunt, quod postmodum in morte, revelata facie, et ipsi cum aliis plurimis contemplati simul et venerati sunt. Eia nunc, strenuissime miles Christi, ipsius fer arma invictissimi Ducis, quibus munitus et insignitus, omnes adversarios superabis. Fer vexillum Regis altissimi, ad cujus intuitum omnes pugnatores divini exercitus animentur. Fer nihilominus sigillum summi Pontificis Christi, quo verba et facta tua, tanquam irreprehensibilia et authentica, merito ab omnibus acceptentur. Jam enim propter stigmata Domini Jesu, quæ in corpore tuo portas, nemo debet tibi esse molestus; quin potius quilibet Christi servus omni esse tenetur affectione devotus. Jam per hæc signa certissima, non duobus aut tribus testibus ad sufficientiam, sed quamplurimis ad superabundantiam comprobata testimonia Dei in te, et per te credibilia facta nimis, omne tollunt infidelibus velamen excusationis, dum credentes in fide stabiliunt, spei fiduciam sursum agunt, et igne charitatis accendunt. Jam vere impleta est prima visio quam vidisti, videlicet quod dux in militia Christi futurus armis deberes cœlestibus, signoque crucis insignibus decorari. Jam in principio tuæ conversionis Crucifixi visio, compassivi doloris gladio mentaliter te transfigens, sed et auditus vocis de cruce, tanquam de throno Christi sublimi et secreto propitiatorio procedentis, juxta quod tuo sacro firmasti eloquio, vera indubitanter fuisse creduntur. Jam in tuæ conversionis progressu, et crucem quam vidit frater Silvester ex ore tuo mirabiliter procedentem, et gladios in crucis modum tua viscera transfigentes, quos frater (*a*) vidit Pacificus, teque secundum crucis figuram in aere sublevatum, cum de crucis titulo sanctus prædicabat Antonius, juxta quod prospexit angelicus vir Monaldus, non phantastica visione, sed revelatione fuisse cœlica conspecta vere creditur et firmatur. Jam denique circa finem quod simul tibi ostenditur, et sublimis similitudo Seraph et humilis effigies Crucifixi interius te incendens, et exterius te consignans, tanquam alterum angelum ascendentem ab ortu solis, qui signum in te habeas Dei vivi [1], et prædictis dat firmitatem fidei, et ab eis accipit testimonium veritatis. Ecce jam septem apparitionibus crucis Christi in te, et circa te, secundum ordinem temporum mirabiliter exhibitis et mon-

[1] *Apoc.*, VII, 2.

(*a*) *Cæt. edit.* sacer.

stratis, quasi sex gradibus ad istam septimam, in qua finaliter requiescis, pervenisti. Christi namque crux in tuæ conversionis primordio tam proposita, quam assumpta (*a*), et dehinc in conversationis progressu per vitam probatissimam bajulata in teipso continue, et in exemplum aliis demonstrata, tanta certitudinis claritate ostendit evangelicæ perfectionis apicem te finaliter conclusisse (*b*), ut demonstrationem hanc christianæ sapientiæ in tuæ carnis pulvere exaratam, nullus vere devotus abjiciat, nullus vere fidelis impugnet, nullus vere humilis parvipendat, cum sit vere divinitus expressa, et omni acceptione condigna.

CAPUT XIV.

De patientia ipsius, et transitu mortis.

Christo jam igitur cruci confixus Franciscus tam carne, quam spiritu, non solum seraphico amore ardebat in Deum, verum etiam sitiebat cum Christo crucifixo multitudinem salvandorum. Faciebat proinde, quoniam propter excrescentes in pedibus clavos ambulare non poterat, corpus emortuum per civitates et castra circumvehi, ut ad crucem Christi ferendam cæteros animaret. Fratribus quoque dicebat : Incipiamus, fratres, servire Domino Deo nostro, quia usque nunc parum profecimus. Flagrabat etiam desiderio magno ad humilitatis redire primordia, ut leprosis sicut a principio ministraret, corpusque jam præ labore collapsum revocaret ad pristinam servitutem. Proponebat Christo duce se facturum ingentia, et fatiscentibus membris, spiritu fortis et fervidus, novo sperabat certamine de hoste triumphum. Neque enim languor vel desidia locum habet, ubi amoris stimulus semper ad majora perurget. Tanta autem in eo carnis ad spiritum erat concordia, tanta obedientiæ promptitudo, quod cum ille ad omnem niteretur sanctitatem pertingere, ipsa non solum non repugnaret, sed præcurrere niteretur. Ut autem viro Dei cumulus meritorum accresceret, quæ omnia vere in patientia consummantur, cœpit infirmitatibus multimodis laborare tam graviter, ut vix in eo membrum aliquod remaneret absque ingenti passionis dolore. Ad hoc tandem per varias, et diuturnas, ac continuas ægritudines deductus est, ut, consumptis jam carnibus, quasi sola cutis ossibus cohæreret. Cumque duris corporis angeretur doloribus, illas suas angustias non pœnarum censebat nomine, sed sororum. Cum autem semel gravius solito dolorum urgeretur aculeis, quidam frater simplex dixit ad eum : Frater, ora Dominum, ut mitius tecum agat; manum enim suam plus debito super te gravare videtur. Quo audito, vir sanctus cum ejulatu exclamans, ait : Nisi noscerem in te simplicem puritatem, tuum ex tunc abhorrerem consortium, qui ausus fueris circa me divina judicia reprehensibilia judicare. Et licet totus esset attritus gravis prolixitate languoris, projiciens se in terram, ossa debilia duro casu collisit. Et deosculans humum : Gratias, inquit, tibi ago, Domine Deus, de omnibus his doloribus meis, teque, mi Domine, rogo, ut centuplum, si tibi placuerit, addas : quia hoc erit mihi acceptissimum, ut affligens me dolore non parcas, cum tuæ sanctæ voluntatis adimpletio sit mihi consolatio superplena. Videbatur propterea fratribus, quod quasi alterum Job viderent, cui cum languor cresceret carnis, crescebat simul et vigor mentis. Ipse autem obitum suum longe ante præscivit, dieque transitus imminente, dixit fratribus sui corporis tabernaculum deponendum in proximo, quemadmodum sibi fuerat revelatum a Christo. Cum itaque per biennium ab impressione sacrorum stigmatum, anno videlicet a sua conversione vigesimo, multis fuisset angustiantium infirmitatum probativis tunsionibus conquadratus, tanquam lapis in supernæ Hierusalem ædificio collocandus, et tanquam ductile opus sub multiplicis tribulationis malleo ad perfectionem adductus; ad sanctam Mariam de

(*a*) *Cæt. edit.* absumpta. — (*b*) *Leg.* contigisse.

Portiuncula se portare poposcit, quatenus, ubi acceperat spiritum gratiæ, ibi redderet spiritum vitæ. Quo cum fuisset perductus, ut veritatis exemplo monstraret, quod nihil erat illi commune cum mundo, in illa infirmitate tam gravi, quæ omni languori conclusit, super nudam humum se totum nudatum in spiritus fervore prostravit, quatenus hora illa extrema, in qua poterat adhuc hostis irasci, nudus luctaretur cum nudo. Decubans sic in terra, saccina veste deposita, faciem solito more levavit in cœlum, et intendens illi gloriæ totus, manu sinistra dextri lateris vulnus, ne videretur, obtexit, et ait ad fratres : Ego, quod meum est, feci; quod vestrum est, Christus edoceat. Illacrymantibus autem sociis sancti, qui miro fuerant compassionis telo percussi, unus ex eis, quem vir Dei guardianum suum esse dicebat, votum ipsius divina inspiratione cognoscens, festinus surrexit, et acceptam cum chorda et femoralibus tunicam pauperculo Christi obtulit, dicens : Hæc tibi tanquam pauperi commodo, et tu illa suscipias obedientiæ sanctæ mandato. Gaudet ex hoc vir sanctus, et jubilat præ lætitia cordis, quoniam fidem tenuisse dominæ paupertati usque in finem se vidit; palmasque levans ad cœlum, Christum suum magnificat, pro eo quod exoneratus ab omnibus, liber vadit ad ipsum. Fecerat enim hæc omnia paupertatis zelo, ut nec habitum quidem vellet habere, nisi ab alio commodatum. Voluit certe per omnia Christo crucifixo esse conformis, qui pauper, et dolens, et nudus in cruce pependit. Propter quod et in principio conversionis suæ nudus remansit coram antistite, et in consummatione vitæ nudus voluit de mundo exire : fratribusque sibi assistentibus in obedientia charitatis injunxit, ut cum viderent eum jam esse defunctum, per tam longum spatium nudum super humum jacere permitterent, quod unius milliarii tractum suaviter quis perficere posset. O vere christianissimum virum, qui et vivens Christum viventi, et moriens morienti, et mortuus mortuo perfecta esse studuit imitatione conformis, et expressa promeruit similitudine decorari. Hora denique sui transitus propinquante, fecit fratres omnes existentes in loco ad se vocari, et eos consolatoriis verbis pro sua morte demulcens, paterno affectu ad divinum est hortatus amorem. De patientia, et paupertate, et sanctæ Romanæ Ecclesiæ fide servandis sermonem protraxit, cæteris institutis sanctum Evangelium anteponens. Circumsedentibus vero omnibus fratribus, extendit super eos manus in modum crucis brachiis cancellatis, pro eo quod hoc signum semper amabat; et omnibus fratribus, tam præsentibus quam absentibus, in Crucifixi virtute ac nomine benedixit. Insuper et adjecit : Valete, filii omnes, in timore Domini, et permanete in eo semper. Et quoniam futura tentatio et tribulatio appropinquat, felices qui perseverabunt in his, quæ cœperunt. Ego vero ad Deum propero, cujus gratiæ vos omnes commendo. Suavi hujusmodi admonitione completa, jussit Deo vir charissimus Evangeliorum sibi codicem apportari, et evangelium secundum Joannem, quod incipit eo loco : *Ante diem festum Paschæ* [1], sibi legi poposcit. Ipse vero, prout potuit, in hujus psalmi vocem erupit [2] : *Voce mea ad Dominum clamavi : voce mea ad Dominum deprecatus sum*; et ad finem usque complevit. *Me*, inquit, *expectant justi, donec retribuas mihi* [3]. Tandem cunctis in eum completis mysteriis, anima illa sanctissima carne soluta, et in abyssum divinæ claritatis absorpta, beatus vir obdormivit in Domino. Unus autem ex fratribus et discipulis ejus vidit animam illam beatam sub specie stellæ præfulgidæ a candida subvectam nubecula, super aquas multas in cœlum recto tramite sursum ferri, tanquam sublimis sanctitatis candore prænitidam, et cœlestis sapientiæ simul et gratiæ ubertate repletam, quibus vir sanctus promeruit locum introire lucis et pacis, ubi cum Christo

[1] *Joan.*, XIII, 1. — [2] *Psal.* LXXVI, 2. — [3] *Psal.* CXLI, 8.

sine fine quiescit. Minister quoque fratrum in terra Laboris tunc erat frater Augustinus, vir utique sanctus et justus, qui in hora ultima positus, cum jam diu perdidisset loquelam, audientibus qui astabant, subito clamavit, et dixit : Expecta me, pater, expecta; ecce jam venio tecum. Quærentibus fratribus, et admirantibus multum, cui sic loqueretur, audacter respondit : Nonne videtis patrem nostrum Franciscum, qui vadit ad cœlum? Et statim sancta ipsius anima, migrans a carne, patrem est secuta sanctissimum. Episcopus Assisinas ad oratorium Sancti Michaelis in monte Gargano tunc temporis peregrinationis causa perrexerat; cui beatus Franciscus apparens nocte transitus sui dixit : Ecce relinquo mundum, et vado ad cœlum. Mane igitur surgens episcopus sociis narravit quæ vidit; et Assisium rediens, cum sollicite perquisisset, certitudinaliter comperit, quod ea hora, qua sibi per visionem innotuit, beatus Pater ex hoc mundo migravit. Alaudæ aves lucis amicæ, et crepusculorum tenebras horrescentes, hora transitus sancti viri, cum jam esset noctis secuturæ crepusculum, venerunt in multitudine magna super tectum domus, et diu cum insolita quadam jubilatione rotantes, gloriæ sancti, qui eas ad divinas laudes invitare solitus erat, tam jucundum quam evidens testimonium perhibebant.

CAPUT XV.

De canonizatione, et translatione ipsius.

Franciscus igitur, servus et amicus Altissimi, Ordinis Minorum Fratrum institutor et dux, paupertatis professor, pœnitentiæ forma, veritatis præco, sanctitatis speculum, et totius evangelicæ perfectionis exemplar, superna præventus gratia, ordinato progressu ab infimis pervenit ad summa. Hunc virum mirabilem, utpote paupertate prædivitem, humilitate sublimem, mortificatione vividum, simplicitate prudentem, omnique morum honestate conspicuum, quem in vita Dominus mirabiliter effecerat clarum, in morte fecit incomparabiliter clariorem. Beato namque viro migrante a sæculo, spiritus ille sacer domum æternitatis ingrediens, fontisque vitæ haustu plenario gloriosus effectus, expressa quædam in corpore futuræ gloriæ signa reliquit, ut caro illa sanctissima, quæ crucifixa cum vitiis in novam jam creaturam transierat, et passionis Christi effigiem privilegii singularitate præferret, et novitate miraculi resurrectionis speciem præmonstraret. Cernebantur quidem in membris illis felicibus clavi ex ejus carne virtute divina mirifice fabrefacti, sicque carni eidem innati, quod dum a parte qualibet premerentur, protinus quasi nervi continui et duri ad partem oppositam resultabant. Inventa quoque fuit patentius in ipsius corpore non inflicta humanitus, neque facta, plaga vulneris lateralis, instar vulnerati lateris Salvatoris, quod redemptionis et regenerationis humanæ in ipso Redemptore nostro protulit sacramentum. Erat autem similitudo clavorum nigra quasi ferrum; vulnus autem lateris rubeum, et ad orbicularitatem quamdam carnis contractione reductum, rosa quædam pulcherrima videbatur. Caro vero ipsius reliqua, quæ prius tam ex infirmitate, quam ex natura ad nigredinem declinabat, candore nimio renitescens illius secundæ stolæ pulchritudinem prætendebat. Membra ipsius adeo mollia et tractabilia se præbebant palpantibus, ut conversa viderentur in teneritudinem puerilis ætatis, et quibusdam cernerentur evidentibus signis innocentiæ decorata. Cum igitur in candidissima carne nigrescerent, plaga vero lateralis ut vernans roseus flos ruberet; mirandum non est, si tam formosa et miraculosa varietas jucunditatem et admirationem contuentibus ingerebat. Lacrymabantur filii pro substractione tam amabilis patris; sed et non modica perfundebantur lætitia, dum deosculabantur in eo signacula summi Regis. Miraculi novitas planctum vertebat in jubilum, et intellectus rapiebat indaginem in stuporem. Erat quippe

tam insolitum tamque insigne spectaculum contuentibus omnibus, et firmamentum fidei, et incitamentum amoris; audientibus vero, admirationis materia, et excitatio desiderii ad videndum. Audito siquidem transitu patris, et fama diffusa miraculi, accelerans populus confluebat ad locum, ut id cerneret oculis, quod a ratione dubium omne repelleret, et affectioni gaudium cumularet. Admissi sunt igitur Assisinates cives quamplurimi ad stigmata illa sacra contemplanda oculis, et labiis osculanda. Unus autem ex eis miles quidem litteratus et prudens, Hieronymus nomine, vir utique famosus et celeber, cum de hujusmodi sacris signis dubitasset, essetque incredulus quasi Thomas, ferventius et audacius coram fratribus et aliis civibus, movebat clavos, sanctique manus, et pedes, et latus manibus propriis contrectabat, ut dum vulnerum Christi veracia illa signa palpando contingeret, de sui et omnium cordibus omne dubietatis vulnus amputaret. Propter quod et ipse inter alios hujus veritatis tam certitudinaliter agnitæ testis constans postmodum effectus est, et tactis sacrosanctis juramento firmavit. Fratres autem et filii, qui vocati fuerant ad transitum patris, cum omni multitudine populorum noctem illam, in qua almus Christi confessor decessit, sic divinis laudibus dedicarunt, ut non defunctorum exequiæ, sed angelorum excubiæ viderentur. Mane autem facto, turbæ quæ convenerant, acceptis arborum ramis, et cereorum multiplicatis luminibus, cum hymnis et canticis sacrum corpus ad civitatem Assisii detulerunt. Transeuntes vero per ecclesiam Sancti Damiani, in qua virgo illa nobilis Clara, nunc gloriosa in cœlis, tunc inclusa cum virginibus morabatur, ibique aliquantulum subsistentes, sacrum corpus, margaritis cœlestibus insignitum, videndum et osculandum sacris illis virginibus obtulerunt. Pervenientes denique ad civitatem cum jubilo, pretiosum thesaurum, quem portabant, in ecclesia Sancti Georgii cum omni reverentia condiderunt. In eo siquidem loco puerulus litteras didicit, ibique postmodum primitus prædicavit, postremo ibidem locum primum quietis accepit. Transiit autem venerabilis pater ex hujus mundi naufragio anno Dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo vigesimosexto, quarto nonas octobris, die sabbati in sero; sepultus in die dominico. Cœpit autem vir beatus continuo, divinæ faciei superirradiante respectu, magnis et multis coruscare miraculis, ut sublimitas sanctitatis ejus, quæ ipso vivente in carne ád morum directionem per exempla perfectæ justitiæ innotuerat mundo, illo jam regnante cum Christo, ad omnem fidei firmitatem per miracula divinæ potentiæ comprobaretur e cœlo. Cumque in diversis orbis partibus gloriosa ejus miracula, largaque per ipsum impetrata beneficia, plurimos ad Christi devotionem accenderent, et ad ipsius sancti reverentiam incitarent, acclamantibus tam linguis sermonum, quam operum, ad aures summi Pontificis domini Gregorii noni, quæ per servum suum Franciscum Deus operabatur, magnalia pervenerunt. Sane cum idem Pastor Ecclesiæ non solum ex miraculis auditis post mortem, verum etiam experimentis in vita ipsius oculis visis, et manibus contrectatis, sanctitatem ejus mirabilem plena fide certificatus agnosceret, ac per hoc in cœlis glorificatum a Domino nullatenus dubitaret; ut Christo, cujus erat Vicarius, concorditer ageret, hunc in terris reddere celebrem, tanquam omni veneratione dignissimum pia consideratione disposuit. Ad omnem quoque certitudinem faciendam orbi terrarum de glorificatione viri sanctissimi, inventa miracula, et conscripta, et testibus idoneis approbata, examinari fecit per illos, qui minus inter Cardinales favorabiles negotio videbantur. Quibus diligenter discussis, et ab omnibus approbatis, de fratrum suorum, et omnium prælatorum, qui tunc erant in curia, concordi consilio et assensu, canonizandum decrevit: veniensque personaliter ad civitatem Assisii anno Dominicæ

Incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo octavo, 17 kalendas augusti, die dominico, cum maximis, quæ longum foret enarrare, solemniis, beatum patrem catalogo sanctorum adscripsit. Anno vero Domini millesimo ducentesimo trigesimo, convenientibus fratribus ad Capitulum generale Assisii celebratum ad basilicam in honore ipsius constructam, corpus illud Domino dedicatum, 8 kalendas junii translatum est. Dum autem ille sacer transportaretur thesaurus, bulla Regis altissimi consignatus, miracula plurima ille, cujus effigiem præferebat, operari dignatus est, ut per ardorem ipsius salvificum affectus traheretur fidelium ad currendum post Christum. Erat revera condignum, ut quem Deus in vita sibi placentem et dilectum effectum, in paradisum per contemplationis gratiam transtulerat, ut Enoch, et ad cœlum curru igneo per charitatis zelum rapuerat, ut Heliam, ejus jam vernantis inter flores illos cælicos plantationis æternæ ossa illa felicia, de loco suo pullulatione mirifica redolerent. Porro sicut vir iste beatus mirandis virtutum signis in vita claruerat, sic a die transitus sui usque in præsens, per diversas mundi partes præclaris miraculorum prodigiis, divina se potentia glorificante, coruscat. Nam cæcis et surdis, mutis et claudis, hydropicis et paralyticis, dæmoniacis et leprosis, naufragis et captivis, ipsius meritis remedia conferuntur, omnibusque morbis, necessitatibus et periculis subvenitur. Sed et multis mortuis per ipsum mirifice suscitatis, innotescit fidelibus mirificans sanctum suum magnificentia virtutis Altissimi, cui est honor et gloria per infinita sæcula sæculorum. Amen.

INCIPIUNT

QUÆDAM DE MIRACULIS

IPSIUS POST MORTEM OSTENSIS.

Et primo : De virtute sacrorum Stigmatum.

Ad omnipotentis Dei honorem, et gloriam beati patris Francisci. Post glorificationem ipsius in cœlis, aliqua ex approbatis scripturus miracula, ab illo præcipue censui sumendum fore initium, in quo crucis Jesu virtus ostenditur, et gloria innovatur. Novus igitur homo Franciscus novo et stupendo miraculo claruit, cum singulari privilegio, retroactis sæculis non concesso, insignitus apparuit, sacris videlicet stigmatibus decoratus, et configuratus, in corpore mortis hujus, corpori Crucifixi. De quo quidquid humana lingua dicatur, minus erit laude condigna. Totum quidem viri Dei studium, tam publicum quam privatum, circa crucem Domini versabatur. Et ut crucis signaculo cordi ejus a principio suæ conversionis impresso corpus consignaret exterius, in ipsa se cruce recludens, habitum pœnitentiæ sumpsit crucis imaginem præferentem, quatenus sicut mens ejus intus Dominum crucifixum induerat, sic et corpus ejus indueret arma crucis; et in quo signo Deus potestates aereas debellarat, in eodem suus exercitus Domino militaret. Sed et a principio temporis, quo Crucifixo militare cœperat, diversa circa eum crucis perfulsere mysteria, sicut vitæ ipsius consideranti decursum clarius innotescit, qualiter apparitione crucis Dominicæ septiformi, tam cogitatu, quam affectu et actu, totus fuit in Crucifixi effigiem per ipsius ecstaticum transformatus amorem. Digne igitur summi Regis clementia suis amatoribus ultra omnem æstimationem hominum condescendens, suæ crucis vexillum ipsius corpori deferendum impressit, ut qui mirando fuerat crucis amore præventus, mirando etiam fieret crucis honore mirificus. Ad hujus stupendi miraculi irrefragabilem firmitatem, non solum videntium et palpantium testimonia per omnem modum credibilia, verumetiam apparitiones mirabiles, et virtutes post ipsius obitum coruscantes, ad omne mentis effugandum nubilum suffragantur. Felicis namque recordationis dominus Gregorius Papa IX, de quo vir sanctus prophetando prædixerat, quod ad dignitatem foret apostolicam sublimandus, an-

tequam crucis signiferum catalogo sanctorum adscriberet, scrupulum quemdam dubitationis in corde gerebat de vulnere laterali. Nocte vero quadam, sicut ipse felix Antistes referebat cum lacrymis, beatus ei Franciscus quadam faciei prætensa duritia in somnis apparuit, et hæsitationem cordis ipsius redarguens, elevavit brachium dextrum, detexit vulnus, phialamque poposcit ab ipso, ut scaturientem reciperet sanguinem, qui ex latere defluebat. Obtulit in visione Summus Pontifex phialam postulatam, quæ usque ad summum sanguine profluente de latere videbatur impleri. Ex tunc ad illud sacrum miraculum tanta cœpit devotione affici, et æmulatione fervere, ut nullo modo pati posset, quod aliquis præfulgentia illa sacra signa superba præsumeret impugnatione fuscare, quin eum severa increpatione feriret.

Frater quidam ordine Minor, officio prædicator virtutis, et famæ prærogativa præpollens, cui firmiter erat de sancti stigmatibus persuasum, dum humano sensu miraculi hujus apud se rationem perquireret, dubitationis cœpit cujusdam scrupulo titillari. Cum igitur per dies plurimos sensualitate sumente vigorem, luctamen hujusmodi pateretur, nocte dormienti S. Franciscus pedibus lutulentis apparuit, humiliter durus, et patienter iratus. Et quæ sunt, ait, ista in te conflictationum certamina? quæ dubitationum sordes? Vide manus meas, et pedes meos. Cumque ille videret manus confixas lutulentorum pedum, stigmata non videbat. Remove, inquit, lutum a pedibus meis, et cognosce loca clavorum. Quos cum ille apprehendisset devote, lutum sibi videbatur abstergere, locaque clavorum manibus contrectare. Continuo, ut vigilat, lacrymis irrigatur, et priores affectus quodammodo lutulentos tam lacrymarum profluvio, quam publica confessione detersit.

In urbe Roma matrona quædam morum claritate ac parentum gloria nobilis, S. Franciscum in suum elegerat advocatum, ipsius habens depictam imaginem in secreto cubiculo, ubi Patrem in abscondito exorabat. Die vero quadam, dum orationi vacaret, considerans imaginem sancti sacra illa signa stigmatum non habentem, dolere cœpit non modicum, et mirari. Sed non mirum, si in pictura non erat quod pictor omiserat. Cumque per plures dies, quid causæ foret defectus hujusmodi, mente sollicita pertractaret, ecce subito die quadam apparuerunt signa illa mirifica in pictura, sicut in aliis ipsius sancti imaginibus pingi solent. Tremefacta illa filiam suam Deo devotam advocavit protinus, requirens si absque stigmatibus usque tunc imago fuisset. Affirmat illa, et jurat olim sine illis sacris stigmatibus extitisse, et nunc vere cum stigmatibus apparere. Verum quia mens humana semetipsam frequenter impellit, ut cadat, et in dubium revocat veritatem, subintrat iterum cor mulieris dubitatio noxia, ne forte sic fuisset imago a principio consignata. At Dei virtus, ne primum contemneret miraculum, addit et secundum. Continuo namque disparentibus signis illis, nudata privilegiis imago remansit, ut per sequens signum fieret probatio præcedentis.

In Catalonia quoque apud Illerdam accidit virum quemdam nomine Joannem, beato Francisco devotum, quodam sero per quamdam incedere viam, in qua pro inferenda morte latitabant insidiæ non quidem ipsi, qui inimicitias non habebat, sed alteri cuidam, qui videbatur similis ejus, et tunc erat in comitatu ipsius. Exurgens autem quidam de insidiis, cum hostem suum hunc esse putaret, tam lethaliter eum plagis plurimis gladiavit, ut nulla prorsus superesset spes recuperandæ salutis. Siquidem prima inflicta percussio humerum cum brachio pene totum absciderat, et ictus alius sub mamilla tantam reliquerat aperturam, ut flatus inde procedens circa sex candelas simul junctas extingueret. Cum igitur consilio medicorum ipsius impossibilis esset curatio, pro eo quod putrescentibus plagis, ex eis fœtor tam

intolerabilis exhalaret, ut etiam ipsa ejus uxor vehementer horreret, nullisque jam humanis juvari posset remediis, convertit se ad beati patris Francisci patrocinium, quanta poterat devotione poscendum, quem inter ipsos ictus una cum Beata Virgine fidentissime invocaret (*a*). Et ecce misero in lectulo calamitatis solitario decubanti, cum Francisci nomen vigilans et ejulans frequentius replicaret, astitit quidam in habitu fratris minoris, per fenestram, ut ei videbatur, ingressus. Qui vocans eum ex nomine, dixit : Quia fiduciam habuisti in me, ecce Dominus liberabit te. A quo cum æger, quis esset, requireret, Franciscum ille se esse respondit. Et statim appropians vulnerum illius ligaturas resolvit, et eum unguento per omnes plagas, ut videbatur, perunxit. Statim autem, ut sensit illarum sacrarum manuum, stigmatum Salvatoris virtute sanare valentium, suavem contactum, expulsa putredine, restituta carne, et vulneribus solidatis, restitutus est integre pristinæ sospitati. Quo facto, beatus pater abscessit. Et ipse sentiens se sanatum, et in vocem divinæ laudis, et B. Francisci lætanter erumpens, vocavit uxorem. At illa celerius currens, et stare jam videns, quem sepeliendum credebat in crastino, cum esset stupore vehementi perterrita, viciniam totam clamore complevit. Accurrentes autem sui, cum illum niterentur tanquam freneticum in lecto reponere, et ille e contra renitens assereret et ostenderet se sanatum, tanto sunt stupore attoniti, ut quasi sine mente omnes effecti, phantasticum esse crederent quod videbant, quia quem paulo ante conspexerant plagis atrocissimis laniatum, et totum jam marcidum, plena cernebant incolumitate jocundum. Ad quos ille, qui factus fuerat sanus : Nolite timere, inquit, nolite credere inane, quod cernitis, quia S. Franciscus modo a loco recessit, et illarum sacrarum manuum tactu me integre ab omni plaga curavit. Crebrescente tandem hujus fama miraculi, accelerat populus omnis, et videntes in tam aperto prodigio stigmatum B. Francisci virtutem, admiratione simul et gaudio replebantur, Christique signiferum magnis laudum præconiis extollebant. Digne quidem beatus pater, carne jam mortuus, et vivens cum Christo, præsentiæ suæ ostensione mirabili, et manuum sacrarum palpatione suavi, vulnerato lethaliter viro sanitatem concessit, cum illius etiam in se stigmata tulerit, qui misericorditer moriens, et mirabiliter surgens, vulneratum genus humanum, et semivivum relictum, plagarum suarum virtute sanavit.

Apud Potentiam Apuliæ civitatem, erat quidam clericus Rogerius nomine, vir honorabilis, et ecclesiæ majoris Canonicus. Hic cum infirmitate quassatus, die quadam ecclesiam oraturus intrasset, in qua erat imago B. Francisci depicta, gloriosa stigmata repræsentans, cœpit de illius sublimimate miraculi tanquam de re omnino insolita et impossibili dubitare. Subito igitur, dum mente plagatus interius cogitaret inania, in palma sinistræ manus sub chirotheca graviter se sensit esse percussum, sonitum audiens percussuræ, velut cum spiculum prosilit de balista : moxque tam vulnere sauciatus, quam sonitu stupefactus, chirothecam de manu traxit, ut visu dignosceret, quod tactu perceperat et auditu. Cumque nulla fuisset prius in palma percussio, conspexit in medio manus plagam, quasi sagittæ percussione inflictam, ex qua tanta vis procedebat ardoris, ut videretur ex illo deficere. Mirabile dictu ! nullum in chirotheca vestigium apparebat, ut latenti plagæ cordis, latenter inflicta pœna vulneris responderet. Clamat exinde per duos dies, et rugit, dolore gravissimo stimulatus, et increduli cordis velamen explicat universis. Credere se veraciter sacra stigmata in sancto fuisse Francisco fatetur et jurat, contestans omnis dubitationis abscessisse phantasmata. Orat suppliciter sanctum Dei per sacra sibi stigmata

(*a*) *Forte leg.* invocarat.

subvenire, et multas cordis preces multo impinguat profluvio lacrymarum. Mirum certe! incredulitate projecta, sanationem mentis sanatio sequitur corporalis. Omnis quiescit dolor, frigescit ardor, nullum remanet vestigium percussuræ : sicque factum est, ut latens mentis infirmitas per patens carnis cauterium, superna providente clementia, curaretur, menteque sanata, et ipsa caro pariter sanaretur. Fit homo humilis Deo devotus, sancto et fratrum ordini perpetua familiaritate subjectus. Hujus rei tam solemne miraculum juramentis firmatum fuit, et litteris sigilli Episcopi munimine roboratis, ipsius ad nos notitia delata pervenit. De sacris ergo stigmatibus nullus sit ambiguitati locus; nullius in hoc, quia Deus bonus est, nequam sit oculus, quasi hujusmodi doni largitio sempiternæ bonitati non congruat. Si enim illo amore seraphico multa membra capiti cohærerent Christo, ut et in bello simili armatura invenirentur condigna, et in regno ad similem forent gloriam subvehenda, nullus hoc sanæ mentis, nisi ad Christi gloriam, diceret pertinere.

De mortuis suscitatis.

In Castro montis Marani prope Beneventum, mulier quædam S. Francisco peculiari devotione cohærens, viam universæ carnis intravit. Convenientibus antem clericis nocte ad exequias et vigilias cum psalteriis decantandas, subito cunctis cernentibus erexit se mulier super lectum, et unum de astantibus sacerdotem, patrinum videlicet suum advocavit, dicens : Volo confiteri, pater. Ego enim mortua duro eram carceri mancipanda, quoniam peccatum, quod tibi pandam, necdum confessa fueram. Sed orante, inquit, pro me S. Francisco, cui, dum viverem, devota mente servivi, redire nunc ad corpus indultum est mihi, ut illo revelato peccato, sempiternam promerear vitam. Et ecce, vobis videntibus, postquam illud detexero, ad promissam requiem properabo. Trementer ergo sacerdoti trementi confessa, post absolutionem receptam, quiete se in lecto collegit, et in Domino feliciter obdormivit.

In Castro Pamarco, in montanis Apuliæ posito, patri et matri unica erat filia in tenera ætate tenere prædilecta. Qua infirmitate gravi ad mortem perducta, parentes ejus, successionem aliam non sperantes, se in illa quasi mortuos reputabant. Convenientibus ergo consanguineis et amicis ad flebile nimis funus, jacebat mater infelix ineffabilibus completa doloribus, et absorpta suprema tristitia, de his, quæ fiebant, nihil penitus advertebat. Interim S. Franciscus, uno tantum socio comitatus apparens, desolatam visitare dignatus est fœminam, quam sibi senserat esse devotam, et piis eam affatus alloquiis : Noli flere, inquit, nam lucernæ tuæ lumen, quod deploras extinctum, mea tibi est intercessione reddendum. Surrexit continuo mulier, et quæ sibi dixerat sanctus omnibus manifestans, non permisit extinctum corpus efferri, sed cum magna fide S. Francisci nomen invocans, et mortuam filiam apprehendens, vivam et incolumem cunctis videntibus et mirantibus allevavit.

Cum fratres de Noceria peterent quoddam plaustrum a quodam viro Petro nomine, quo aliquantulum indigebant, stulte respondit eis, pro petito subsidio irrogando convitium, et pro eleemosyna ad honorem sancti postulata Francisci, in nomen ipsius blasphemiam jaculando. Pœnituit hominem statim insipientiæ suæ, divino super eum irruente pavore, ne forte ultio Domini seqùeretur, sicut et fuit protinus subsecuta. Nam infirmatus continuo primogenitus ejus, parvo elapso spatio, spiritum exhalavit. Volutabatur per humum pater infelix, et sanctum Dei Franciscum vocare non cessans, cum lacrymis exclamabat : Ego sum qui peccavi, ego qui inique locutus sum; me in persona propria flagellare debuisti. Redde, sancte jam pœnitenti, quod abstulisti impie blasphemanti. Tibi me reddo : tuis me obsequiis semper expono : nam et devotum sacrifi-

cium laudis pro tui honore nominis semper offeram Christo. Mira res! ad hæc verba surrexit puer, et planctum prohibens, se morientem eductum de corpore, per B. Franciscum deductum asseruit et reductum.

Cujusdam urbis Romæ notarii puerulus vix septennis matrem ad ecclesiam Sancti Marci euntem puerili more sequi desiderans, dum remanere domi compelleretur a matre, per fenestram palatii se projecit, et ultima quassatione collisus, continuo expiravit (*a*). Mater vero, quæ nondum longe discesserat, ad sonitum corruentis, præcipitium pignoris suspicata, celeriter rediit, filiumque reperiens tam miserabili casu repente subtractum, protinus sibi ipsi manus injecit ultrices, ac dolorosis clamoribus totam excitavit viciniam ad lamentum. Frater vero quidam, nomine Raho, de ordine Minorum, illuc se ad prædicandum conferens, propinquavit ad puerum, et fide plenus ait ad patrem : Credisne sanctum Dei Franciscum posse filium tuum a mortuis suscitare propter amorem, quem semper ad Christum habuit pro reddenda vita hominibus crucifixum? Quo respondente se firmiter credere, et fideliter confiteri servum sancti in perpetuum se esse futurum, si tantum a Deo munus per ipsius merita recipere mereretur, prostravit se frater ille cum fratre socio in oratione, cæteros, qui aderant, excitans ad orandum. Quo facto, cœpit puer aliquantulum oscitare, et apertis oculis, brachiisque elevatis, seipsum erexit, et statim coram omnibus ambulavit incolumis, per mirandam sancti virtutem vitæ simul redditus et saluti.

In civitate Capuæ, dum puer quidam super ripam Vulturni fluminis cum pluribus jocaretur, incautus cecidit in profundum, quem fluminis impetus celeriter vorans, sub sabulo mortuum sepelivit. Proclamantibus autem pueris, qui cum eo luserant circa flumen, populosa illuc multitudo convenit. Cumque universus populus suppliciter et devote beati Francisci merita invocaret, ut devotorum sibi parentum fidem aspiciens, prolem a mortis periculo dignaretur eripere, natator quidam procul astans, clamoribus auditis, accessit. Et post diutinam inquisitionem, invocato tandem beati Francisci subsidio, locum invenit, in quo limus in modum sepulchri pueri cadaver obtexerat. Quem effodiens, et extra deportans, dolens defunctum inspexit. Licet autem populus, qui astabat, videret juvenem mortuum, nihilominus tamen, flens et ejulans, proclamabat: Sancte Francisce, redde puerum patri suo. Sed et Judæi, qui venerant, naturali pietate commoti, dicebant : Sancte Francisce, redde puerum patri suo. Subito puer, lætantibus et mirantibus cunctis, exurgens incolumis, duci se ad ecclesiam beati Francisci suppliciter postulavit, ut gratias illi devotus exsolveret, cujus se noverat virtute mirabiliter suscitatum.

In civitate Suessa, in vico, qui ad Columnas dicitur, repente quædam corruens domus unum absorbuit juvenem, et subito interemit. Viri autem et mulieres, ruinæ sonitu excitati, undique accurrentes, elevaverunt hinc inde ligna et lapides, et miseræ matri mortuum filium reddiderunt. Illa vero amarissimis repleta singultibus, sicut poterat, dolorosis vocibus exclamabat : Sancte Francisce, sancte Francisce, redde mihi filium meum. Non solum autem illa, sed et omnes, qui aderant, beati patris præsidium flagitabant. Sed cum non esset neque vox, neque sensus, cadaver posuerunt in lectulo, ad sepeliendum ipsum diem crastinum expectantes. Mater vero, fiduciam habens in Domino per merita sancti ejus, votum emisit, nova se sindone beati Francisci operturam altare, si filium suum revocaret ad vitam. Et ecce circa horam noctis mediam cœpit juvenis oscitare, et calescentibus membris, vivus exurgens, et sanus, in laudis verba prorumpit. Sed et clerum, qui convenerat, et populum universum excitavit ad laudes et gratias Deo et beato Francisco, cum mentis lætitia, persolvendas.

(*a*) *Cæt. edit.* spiravit.

Juvenis quidam, Gerlandinus nomine, de Ragusia oriundus, vindemiarum tempore ad vineas exiens, cum in vase vinario, ut utres impleret, sub torculari se mitteret, repente prægrandes lapides, motis in se lignorum struibus, caput ipsius lethali percussione quassarunt. Festinavit continuo pater ad filium, et desperans obrutum non adjuvit, sed eum sub onere, sicut corruit, sic reliquit. Accurrerunt expeditius vinitores, magni clamoris vocem lugubrem audientes, multoque cum patre pueri dolore completi, extraxerunt juvenem jam mortuum a ruina. Pater vero ipsius, Jesu pedibus provolutus, humiliter precabatur, ut filium suum unicum per sancti Francisci merita, cujus tunc imminebat solemnitas, sibi reddere dignaretur. Ingeminabat preces, vovebat officia pietatis, et sancti viri corpus se visitaturum cum filio, si suscitaretur a mortuis, repromisit. Mirum certe! continuo puer, qui toto fuerat corpore conquassatus, restitutus vitæ et integræ sospitati, gaudens coram omnibus exsurrexit, plangentes objurgans, et sancti Francisci suffragiis vitæ se redditum asseverans.

Quemdam alium mortuum in Alemania suscitavit, de quo dominus Papa Gregorius tempore translationis ipsius sancti fratres omnes, qui ad translationem et capitulum convenerant, per Apostolicas litteras certos reddidit, et gaudentes. Miraculi hujus seriem, quia ignoravi, non scripsi, credens papale testimonium omnis assertionis excellere instrumentum.

De his quos a mortis periculo liberavit.

In confinibus urbis, vir quidam nobilis, Rodulphus nomine, cum Deo devota uxore, fratres Minores suo recepit hospitio, tam hospitalitatis gratia, quam beati Francisci reverentia et amore. Nocte vero illa in summitate turris dormiens custos castri, cum jam jaceret super struem lignorum in ipsa muri positorum crepidine, ipsorum soluta compage, in tectum palatii corruit, et exinde super terram. Excitata ad sonitum casus tota familia, et custodis intellecta ruina, dominus castri, et domina, cum fratribus accurrerunt. Is vero qui ab alto corruerat, absorptus fuerat tam profundo sopore, ut nec ad casum evigilaret iteratæ ruinæ, nec ad strepitum accurrentis familiæ cum clamore. Trahentium tandem et impellentium manibus excitatus, conqueri cœpit, quod dulci fuisset quiete privatus, inter beati Francisci brachia suaviter asserens se dormisse. Cum vero de casu proprio doceretur ab aliis, et in imo se videret, qui in alto jacuerat, stupens esse factum quod fieri non perceperat, pœnitentiam se facturum ob reverentiam Dei et beati Francisci coram omnibus repromisit.

In Castro Pophis, quod in Campania positum est, sacerdos quidam, Thomas nomine, accessit ad reparandum ecclesiæ molendinum. Deambulans autem incaute secus extrema canalis, quo gurges profundus copioso defluebat influxu, subito casu cavilloso ligno intrusus est, cujus impulsu volvitur molendinum. Cum igitur consertus jaceret in ligno, et super os ipsius, quia supinus erat, aquarum impetus inundaret, corde tamen, quia lingua non poterat, sanctum Franciscum flebiliter invocabat. Per magnum vero spatium sic illo jacente, ac de vita ipsius jam penitus sociis desperatis, in contrariam partem molam cum violentia revolverunt, et sic ejectus sacerdos palpitans volutabatur in aquæ meatu. Et ecce quidam frater Minor, indutus tunica candida, et fune succinctus, cum magna suavitate arreptum per brachium extra flumen eduxit, dicens: Ego sum Franciscus, quem invocasti. Ille vero sic liberatus nimis obstupuit, volensque pedum ipsius osculari vestigia, huc atque illuc anxius discurrebat, quærens a sociis: Ubi est ille? quo abiit sanctus? qua via discessit? Viri autem illi tremefacti, proni ceciderunt in terram, sublimis Dei gloriosa extollentes magnalia, et virtuosa merita humilis servi ejus.

Juvenis quidam de Burgo Celani, pro metendis herbis exierat ad campestria quædam, in quibus vetus latebat puteus, herbis in summo ore virentibus obumbratus, qui quasi per passus quatuor aquarum altitudinem continebat. Segregatim igitur per campum discurrentibus pueris, unus ex improviso decurrit in puteum. Absorbente autem profunda fovea corpus, spiritus mentis sursum recurrebat ad beati Francisci suffragium, clamans in ipso lapsu fideliter et fidenter : Sancte Francisce, adjuva me. Cæteri, huc atque illuc se vertentes, dum puer alius non compareret, clamore, circuitu et lacrymis requirebant eumdem. Comperto tandem quod in puteum cecidisset, festinantes cum gemitibus redierunt ad Burgum, indicantes eventum, exposcentes auxilium. Redeuntibus autem illis cum multa hominum turba, demissus unus per funem in puteum, puerum respexit in aquarum superficie residentem, nihil passum penitus læsionis. Extractus vero de puteo puer dixit omnibus qui astabant : Quando subito cecidi, beati Francisci patrocinium invocavi, qui corruenti mihi statim præsentialiter affuit, et manum porrigens leviter apprehendit, nec unquam deseruit, donec una vobiscum de puteo me eduxit.

In ecclesia beati Francisci apud Assisium, dum præsente Romana Curia prædicaret dominus Episcopus Ostiensis, qui postmodum summus Pontifex extitit Alexander, quidam lapis ponderosus et magnus, incaute super pulpitum excelsum et lapideum derelictus, præ nimietate pressuræ impulsus, super caput cujusdam cecidit mulieris. Existimantes igitur circumstantes perfecte ipsam jam mortuam, et caput ejus totaliter conquassatum, cooperuerunt eam pallio, quo erat amicta, ut sermone finito efferetur extra ecclesiam lugubre funus. Ipsa vero se beato Francisco, ante cujus jacebat altare, fideliter commendavit. Et ecce prædicatione finita, mulier coram omnibus adeo surrexit incolumis, ut nullius in ea læsionis vestigium appareret. Sed et quod est amplius admirandum, cum per longa tempora usque ad horam illam dolorem capitis quasi continuum habuisset, plene fuit ex tunc ab omnis morbi molestia liberata, sicut ipsa postmodum testabatur.

Apud Cornetum, cum in loco fratrum ad fusionem campanæ viri quidam convenissent devoti, puerulus quidam octennis, Bartholomæus nomine, xenium quoddam fratribus laborantibus apportavit. Et ecce subito ventus vehemens, concussa domo, ostium portæ, grave quidem et magnum, super ipsum puerulum ita valido projecit impulsu, ut quem tam ingens pondus oppresserat, lethali crederetur collisione quassatus. Sic enim totaliter jacebat tumulatus sub pondere, ut nihil exterius appareret. Accurrerunt omnes qui aderant, beati Francisci virtuosam dexteram invocantes. Sed et pater ipsius, qui rigescentibus membris se movere non poterat præ dolore, votis et voce sancto Francisco filium offerebat. Levatum est denique funestum pondus desuper puerum, et ecce quem credebant mortuum, quasi suscitatus a somno lætus apparuit, nullam in se prorsus præferens læsionem. Igitur cum quatuordecim esset annorum, factus est frater minor, vir postea litteratus et famosus in Ordine prædicator.

Homines de Lentino lapidem prægrandem absciderunt de monte, qui supponendus erat altari cujusdam ecclesiæ beati Francisci in proximo consecrandæ. Cum autem fere quadraginta homines lapidem illum superponere vehiculo niterentur repetitis sæpius viribus, super quemdam hominem lapis ille cecidit, et in modum sepulchri obtexit. Sed cum, mente confusi, quid facerent, ignorarent, major pars hominum desperata discessit. Porro viri decem, qui remanserant, lugubri voce sanctum invocantes Franciscum, ne in suo servitio sic horrende mori hominem pateretur, resumpto tandem corde, tanta facilitate lapidem amoverunt, ut nullus dubitaret virtutem affuisse Francisci.

Surrexit homo incolumis in omnibus membris; insuper et lumen recuperavit limpidum oculorum, quod habuerat obscuratum, ut omnibus daretur intelligi, quam, in rebus desperatis, beati Francisci merita validæ sint virtutis.

Simile quoddam accidit apud Sanctum Severinum in Marchia de Anchona. Dum enim lapis prægrandis de Constantinopoli apportatus ad basilicam beati Francisci multorum viribus traheretur, rapido lapsu est super quemdam trahentium devolutus. Cumque ille non solum crederetur defunctus, sed etiam totaliter comminutus, assistente sibi beato Francisco, et lapidem sublevante, absque omni læsione sanus et incolumis, lapidis projecto pondere, prosilivit.

Bartholomæus Cajetanus civis, cum ad constructionem cujusdam ecclesiæ beati Francisci non modicum desudaret, ruente trabe quadam infirmiter posita, ejusque opprimente cervicem, fuit graviter conquassatus. Ipse vero mortem sibi sentiens imminentem, uti erat vir fidelis et pius, a quodam fratre viaticum postulavit. Quod frater ille tam celeriter afferre non valens, quia mori subito credebatur, beati Augustini verba protulit, dicens ei [1] : « Crede, et manducasti. » Sequenti vero nocte beatus Franciscus cum undecim fratribus illi apparuit, et inter ubera portans agniculum, ad lectum ejus accessit, vocavitque illum ex nomine, dicens : Bartholomæe, noli timere, quia non prævalebit adversum te inimicus, qui te in meo servitio voluit impedire. Hic est agnus, quem tibi dari petebas, quem et propter bonum desiderium suscepisti, cujus etiam virtute consequeris utriusque hominis sospitatem. Et sic per vulnera manum ducens, ad opus, quod cœperat, eum redire præcepit. Qui valde mane consurgens, et iis, qui eum seminecem reliquerant, incolumis et lætus apparens, admirationem intulit et stuporem. Sed et ipsorum mentes ad beati Patris reverentiam et amorem, tam exemplo sui, quam sancti miraculo excitavit.

Quidam de Castro Ceperani, nomine Nicolaus, in manus inimicorum crudelium incidit die quadam. Qui crudelitate ferali vulneribus eum super vulnera concidentes, usque adeo super miserum sævierunt, donec vel extinctum crederent, vel protinus extinguendum. Clamaverat autem Nicolaus prædictus, cum primos ictus exciperet, alta voce : Sancte Francisce, succurre mihi ! Sancte Francisce, adjuva me! Hanç vocem a remotis audierunt quamplurimi, licet auxilium ferre non possent. Deportatus tandem domum, totus suo sanguine volutatus, fiducialiter asserebat se mortem ex illis vulneribus non visurum, nec etiam se tunc sentire dolores, quoniam sanctus Franciscus sibi succurrerat, et ut pœnitentiam ageret, a Domino impetravit. Quod et sequens confirmavit eventus. Nam lotus a sanguine, continuo contra humanam spem extitit liberatus.

Filius cujusdam nobilis in Castro Sancti Geminiani valido languore detentus, omnique ulterius desperatus salute, ad extremum usque perductus est. Rivus etenim sanguinis ab oculis ejus emanabat, sicut ex vena brachii assolet ebullire, cæterisque propinquæ mortis veris indiciis in reliquo corpore apparentibus, judicabatur pro mortuo; sed et pro debilitate spiritus et virtutis, sensus et motus usu privatus, visus est penitus emigrasse. Congregatis autem ex more ad planctum parentibus et amicis, ac de sola agentibus sepultura, pater ipsius, fiduciam habens in Domino, concito gressu ad ecclesiam cucurrit beati Francisci, quæ in eodem erat Castro constructa, et cingulo suspenso ad guttur, cum omni humilitate se prostravit in terram. Sicque vota vovens, et multiplicans preces, suspiriis et gemitibus meruit, apud Christum, sanctum Franciscum habere patronum. Reversus itaque statim pater ad filium, et sanitati restitutum inveniens, luctum in gaudium commutavit.

[1] Aug., *in Joan.*, tract. XXV, n. 12.

Simile quiddam meritis sancti operatus est Dominus circa puellam quamdam in Catalonia de villa nomine Tamarit, et circa aliam de Anchona, quæ cum essent præ nimietate ægritudinis in ultimo spiritu constitutæ, beatus Franciscus fideliter a parentibus invocatus, perfectæ continuo restituit sanitati.

Clericus quidam de Vico Albo, nomine Matthæus, veneno mortifero bibito in tantum fuit gravatus, quod loqui aliquo modo non valens, solum finalem exitum expectabat. Sacerdos quidam, ut sibi confiteretur, admonuit, et verbum unum ab eo extorquere non valuit. Ipse vero in corde suo humiliter Christum orabat, ut per beati Francisci merita a mortis eum faucibus eripere dignaretur. Moxque ut confortatus a Domino beati Francisci nomen fideli devotione deprompsit testibus qui aderant, veneno evomito liberatori suo gratias egit.

De liberatis a naufragio.

In magno maris periculo positi quidam nautæ, cum per milliaria decem a portu Barulitano distarent, ingravescente nimium tempestate, jam de vita dubii anchoras submiserunt. Verum spiritu procellarum mari ferventius tumescente, fractis funibus, et relictis anchoris, incerto et inæquali cursu per æquora vagabantur. Tandem nutu divino mari placato, ad resumendas anchoras, quarum funes superius enatabant, toto se conamine paraverunt. Cumque id perficere propriis viribus non valerent, plurimorum sanctorum invocato subsidio, multisque jam sudoribus liquescentes, nec unam per totam diem resumere potuerunt. Aderat autem nauta quidam, Perfectus nomine, sed moribus imperfectus, qui cum irrisione quadam dixit ad socios : Ecce sanctorum omnium invocastis auxilium, et ut videtis, nullus est, qui succurrat. Invocemus istum Franciscum, qui novellus est sanctus, si quo modo in mare se emergat, et anchoras perditas reddat. Consenserunt cæteri, non irrisione, sed veraciter, suasioni Perfecti, et ipsius objurgantes irrisorium verbum, firmaverunt cum sancto spontaneum votum, statimque in momento sine aliquo adminiculo nataverunt anchoræ super aquas, quasi ferri natura versa foret in ligneam levitatem.

Peregrinus quidam invalidus corpore propter febris peracutæ symptomata, quam fuerat ante perpessus, navi quadam subvectus, de ultramarinis partibus veniebat. Ferebatur autem et ipse ad beatum Franciscum præcipuo devotionis affectu, et eum sibi apud cœlestem Regem elegerat advocatum. Cum igitur necdum perfecte liber a morbo, sitis angustiaretur ardoribus, deficiente jam aqua, cœpit alta voce clamare : Ite fidenter, haurite poculum mihi, quia beatus Franciscus vasculum meum aqua replevit. Mirum certe ! invenerunt vas aqua repletum, quod fuerat ante vacuum derelictum. Alio vero die cum tempestate suborta operiretur navis fluctibus, et procellis quateretur pervalidis ita ut jam naufragium timerent, cœpit idem infirmus subito clamore vociferari per navem : Surgite omnes, inquit, et beato Francisco venienti occurrite. Ecce ad salvandum nos adest. Sicque cum voce magna et lacrymis, in faciem procidens, adoravit. Statim ad sancti visionem omnem sospitatem resumpsit infirmus, et maris fuit tranquillitas subsecuta.

Frater Jacobus Reatinus cum in navicula parva fluvium quemdam cum aliis fratribus pertransiret, sociis primo super ripa positis, postremo se ad exitum præparabat. Sed modico illo ligno per infortunium revoluto, rectore natante, frater mersus est in profundum. Invocabant fratres extra positi affectuosis precibus beatum Franciscum, et ut filio succurreret, lacrymosis gemitibus supplicabant. Submersus autem frater, de ventre gurgitis nimis immensi, cum ore non posset, corde clamabat, ut poterat, implorans pii patris subsidium. Et ecce auxiliante sibi beati patris præsentia, per profundum

sicut per aridam ambulabat, et demersam naviculam capiens, cum ea pervenit ad littus. Mirabile dictu! vestimenta ejus madidata non sunt, nec aquæ gutta proximavit ad tunicam.

Frater Bonaventura nomine cum duobus viris per lacum quemdam navigans, confracta ex parte navicula propter aquæ influentis impetum, demersus est cum navi et sociis in profundum. Cum autem de lacu miseriæ misericordem patrem Franciscum invocarent cum multa fiducia, supernatavit subito, aqua plena navicula, et cum eis, sancto præbente ducatum, salubriter pervenit ad portum. Sic et quidam frater de Esculo submersus in flumine, sancti Francisci meritis extitit liberatus. Sed et in lacu Reatino cum quidam viri et mulieres in consimili essent periculo constituti, ad invocationem nominis sancti Francisci de aquarum multarum periculoso naufragio salubriter evaserunt.

Quidam nautæ Anchonitani periculosa tempestate jactati, submersionis periculum jam videbant. Cumque sic desperati de vita sanctum Franciscum suppliciter invocarent, lumen in mari magnum apparuit, et cum ipso lumine tranquillitas concessa divinitus, ac si beatus vir sua miranda virtute et ventis imperare posset et mari. Quantis autem miraculorum prodigiis beatus hic pater in mari claruerit, et clarescat, quotiens ibidem opem tulerit desperatis, nullatenus credo possibile per singula enarrare. Nec mirum, si jam regnanti in cœlis collatum est imperium super aquas, cui et in hac mortalitate degenti omnis corporea creatura ad suam refigurata originem mirabiliter serviebat.

De liberatis a vinculis et carceribus.

In Romania Græcum quemdam cujusdam domini servientem, contigit de furto fallaciter accusari, quem dominus terræ in arcto carcere mandavit includi, et graviter vinculari. Domina vero domus, miserta servi, quem indubitanter credebat a culpa sibi imposita innocentem, pro liberatione ipsius apud virum precibus insistebat devotis. Verum non acquiescente viri sui duritia obstinata, recurrit domina supplex ad sanctum Franciscum, et ejus pietati voto commendavit insontem. Protinus affuit miserorum adjutor, et virum in carcere positum misericorditer visitavit. Solvit vincula, carcerem fregit, innocentem manibus apprehensum foras eduxit, et ait : Ego sum ille, cui domina tua te devote commisit. Cumque ille timore magno corriperetur, et pro descensu altissimæ rupis voraginem circuiret, subito liberatoris sui virtute inveniens se in plano, rediit ad dominam suam, relataque per ordinem miraculi veritate devotam dominam ad Christi amorem, et reverentiam servi ejus Francisci ferventius inflammavit.

In Massa sancti Petri cuidam militi debebat pecuniæ quantitatem pauperculus quidam. Cumque præ inopia facultas non suppeteret persolvendi, captus debitor a milite repetente, misereri sibi orabat suppliciter, dilationem quærens amore beati Francisci. Sprevit superbus miles preces oblatas, et sancti amorem veluti inane quid inaniter vilipendit. Nam cervicose respondens : Tali te, ait, loco recludam, et tali retrudam carcere, quod nec Franciscus, nec aliquis te poterit adjuvare. Tentavit quod dixit. Carcerem adinvenit obscurum, in quo hominem vinculatum conjecit. Paulo post adfuit beatus Franciscus, et confracto carcere, ruptisque compedibus, illæsum hominem reduxit ad propria. Sic fortitudo Francisci militem prædata superbum, captivum, qui se sibi subjecerat, liberavit a malo, militemque protervum admirando miraculo in mansuetudinem commutavit.

Albertus de Aretio cum in vinculis atrocissimis teneretur pro debitis injuste ab eo petitis, suam innocentiam sancto Francisco humiliter commendavit. Ordinem quidem Fratrum Minorum plurimum diligebat, et

sanctum Franciscum inter sanctos speciali venerabatur affectu. Dixit autem creditor suus voce blasphema, quod nec Franciscus, nec Deus posset eum de suis manibus liberare. Factum est itaque in vigilia sancti Francisci, cum vinctus ille nihil comedisset, sed ob sancti amorem victum suum cuidam tribuisset egeno, nocte veniente apparuit ei vigilanti sanctus Franciscus, ad cujus ingressum vincula de pedibus, et catenæ de manibus ceciderunt. Sponte aperta sunt ostia, prosilierunt tabulæ de solario, et liber abscessit homo, ad propria rediens. Implevit ex tunc votum, jejunans vigiliam beati Francisci, et cereo, quem annuatim consuevit offerre, in accrescentis devotionis indicium, annuatim unicam unciam superaddens.

Residente in Sede B. Petri domino Gregorio Nono, quidam Petrus nomine de civitate Alisia, de hæresi accusatus, Romæ captus est, et de mandato ejusdem Pontificis ad custodiendum traditus Episcopo Tiburtino. Quem sub pœna episcopatus accipiens, compedibus alligavit, obscuroque ipsum carcere, ne posset effugere, fecit includi, panem ei præbens in pondere, et poculum in mensura. Cœpit autem homo ille beatum Franciscum ad sui miserendum multis precibus et fletibus invocare, eo quod audierat solemnitatis ejus jam adesse vigiliam. Et quoniam fidei puritate omnem abdicaverat hæreticæ pravitatis errorem, totaque cordis devotione adhæserat fidelissimo Christi servo Francisco, intercedentibus ipsius meritis a Domino merŭit exaudiri. Instante enim jam nocte suæ festivitatis, circa crepusculum beatus Franciscus in carcerem miseratus descendit, et illum suo nomine vocans, ut cito surgeret, imperavit. Qui timore perterritus, quisnam esset interrogans, beatum Franciscum adesse audivit. Cumque, virtute præsentiæ viri sancti, vincula pedum suorum confracta conspiceret cecidisse, et tabulas carceris clavis ultro prosilientibus aperiri, et apertum iter sibi ad exeundum præberi; solutus tamen, et obstupefactus, fugere nesciebat, sed ad januam clamans, custodes omnes perterruit. Qui cum eum liberatum a vinculis Episcopo nuntiassent, post intellectum ordinem rei, ad carcerem pontifex devotus accessit, et manifeste Dei virtutem cognoscens, Dominum adoravit ibidem. Vincula quoque coram domino Papa et Cardinalibus delata fuerunt, qui videntes quod factum fuerat, admirati plurimum benedixerunt Deum.

Guidolottus de Sancto Geminiano falso accusatus fuit, quod veneno interemerat quemdam virum, et quod eodem genere mortis, filium ejusdem viri, et universam ejus familiam proposuerat enecare. Captus proinde, a potestate terræ gravissimis vinculis aggravatus, in turri quadam reclusus est. Ipse vero fiduciam habens in Domino, pro sua innocentia, quam sciebat, causam commisit beati Francisci patrocinio defendendam. Excogitante igitur potestate qualiter criminis objecti confessionem eliceret per tormenta, qualibuscumque (*a*) pœnis confessum faceret interire; nocte illa, cum mane ad cruciatus deberet adduci, sancti Francisci præsentia extitit visitatus, et immenso luminis fulgore usque mane circumdatus, repletusque gaudio et fiducia multa, securitatem evasionis accepit. Advenerunt mane tortores, et eductum de carcere equuleo suspenderunt, aggravantes super eum multa pondera ferri. Depositus est pluries, et iterum elevatus, ut pœna pœnæ succedente citius ad confessionem criminis arceretur (*b*). Sed spiritu innocentiæ lætabatur, in vultu nullam mœstitiam prætendens in pœnis. Deinde accensus est ignis sub ipso non modicus; nec propterea capillus est læsus, cum tamen capite dependeret ad terram. Tandem bulliente oleo superfusus, virtute patroni, cui se commiserat defensandum, hæc omnia superavit, et sic dimissus liber salvus abscessit.

(*a*) *Leg.* qualibusque. — (*b*) *Leg.* adduceretur.

De liberatis a periculo partus.

Quædam Comitissa in Sclavonia, sicut nobilitate illustris, sic et æmula probitatis, erga sanctum Franciscum devotione flagrabat, erga fratres vero sedula pietate. Tempore vero partus duros perpessa dolores, tanta fuit angustia molestata, ut prolis futurus ortus præsens videretur matris occasus. Non videbatur infantem eniti posse ad vitam, nisi expiraret e vita, nec tali nixu parere, sed perire. Subvenit cordi ejus sancti Francisci fama, virtus et gloria; excitatur fides, inflammatur devotio. Convertit se ad auxilium efficax, ad fidum amicum, ad devotorum solatium, refugium afflictorum: Sancte Francisce, inquit, pietati tuæ supplicant omnia ossa mea, et mente voveo quod explicare non possum. Mira celeritas pietatis! Finis dicendi, finis fuit dolendi, parturiendi meta, pariendi principium. Statim enim omni cessante pressura, partum edidit cum salute. Non fuit immemor voti, non propositi refuga : ecclesiam quamdam pulchram construi fecit, et constructam ad sancti honorem fratribus assignavit.

In partibus Romanis mulier quædam, Beatrix nomine, vicina partui, cum per dies quatuor fœtum in ventre portaret extinctum, multis infelix agitabatur angustiis, et exitialibus doloribus urgebatur. Mortuus fœtus matrem cogebat ad mortem : et nondum in lucem productum abortivum, publicum matri periculum pariebat. Tentabat medicorum auxilium; sed omne humanum remedium laborabat in vanum. Sic de primis maledictionibus Evæ copiosius aliquid declinarat in miseram, ut sepulcrum facta conceptus, sepulcrum pro certo proximum expectaret. Fratribus tandem Minoribus per internuntios tota se devotione committens, suppliciter aliquid de sancti Francisci reliquiis, fide plena poposcit. Contigit nutu divino aliquantulum inveniri de chorda, qua fuerat sanctus quandoque præcinctus. Mox, ut super dolentem posita chorda fuit, omnis facillime solutus est dolor, mortis causa mortuus fœtus emissus, pristina sanitas restituta.

Cujusdam de Narnio nobilis viri uxor, Juliana nomine, pro filiorum morte annos trahebat lugubres, et continue infelices deplorabat eventus, pro eo quod omnes quos cum pressura portaverat filios, modico interjecto tempore, cum vehementiori dolore sepulturæ tradiderat. Cum igitur quatuor mensium conceptum haberet in utero, magisque propter eventus præteritos de conceptæ prolis sollicitaretur obitu, quam de ortu, beatum Patrem Franciscum pro vita nondum nati fœtus fideliter precabatur. Ecce autem nocte quadam dormienti sibi mulier quædam apparebat in somnis, formosum puerulum gestans in manibus, illumque lætissime offerebat eidem. Cum vero illa recipere recusaret, quem statim formidabat amittere, mulier illa subjunxit : Secure suscipias, quia quem tuo mœrori compatiens sacer mittit Franciscus, vita vivet, et sospitate gaudebit. Statim evigilans mulier, intellexit per ostensam sibi cœlitus visionem beati Francisci sibi adesse suffragium : ex tunc abundantiori completa lætitia, pro suscipienda prole juxta promissum multiplicavit preces, et vota promisit. Impletum est denique tempus pariendi, et peperit fœmina masculum, qui juvenilis robore florens ætatis, tanquam per beati Francisci merita fomentum susciperet vitæ, incitamentum parientibus præbuit ad Christum, et sanctum ejus, devotioris affectus.

Simile quiddam huic in Tiburis civitate sanctus Pater effecit. Cum enim mulier quædam filias plurimas peperisset, desiderio prolis fatigata virilis, apud sanctum Franciscum preces ingeminavit, et vota. Concepit igitur ejus meritis mulier illa, et geminos ei parere dedit, qui pro uno fuerat exoratus.

Apud Viterbium partui propinqua mulier, morti propinquior censebatur, visceralibus tormentata doloribus, et tota calamitosa in infortuniis mulierum. Cumque naturæ succumbente virtute, omnis deficeret artis in-

dustria, invocato beati Francisci nomine, liberata confestim mulier, partum salubriter terminavit. Sed assecuta quod voluit, et oblita beneficii quod accepit, honorem sancto non deferens, die natalis ipsius ad opera servilia manus extendit. Et ecce subito dextrum brachium, ad laborem extensum, inflexibile remansit, et aridum. Quod cum studeret ad se revocare cum altero, ultione consimili et illud exaruit. Timore igitur divino correpta mulier, reintegravit votum : usumque membrorum, quem propter ingratitudinem amiserat, et contemptum, per misericordis et humilis sancti merita, cui se iterato devovit, recuperare promeruit.

Mulier quædam de partibus Aretinis, cum per septem dies partus discrimina sustineret, et jam in nigredinem versa desperata esset ab omnibus, votum fecit beato Francisco, et ejus cœpit moriens auxilium invocare. Emisso autem voto, celeriter obdormivit, viditque in somnis beatum Fransciscum se dulciter alloquentem, ac requirentem utrum faciem ipsius agnosceret, et an antiphonam illam Virginis gloriosæ, *Salve, Regina misericordiæ,* sciret ad honorem hujus Virginis recitare. Qua respondente se habere notitiam de utrisque : Incipe, ait Sanctus, antiphonam sacram, et antequam compleas, paries cum salute. Ad hanc vocem evigilavit mulier, et cum timore cœpit dicere : *Salve, Regina misericordiæ.* Cumque *illos misericordes oculos* precaretur, *fructumque* commemoraret uteri virginalis, continuo cunctis liberata pressuris, infantem peperit speciosum, gratias agens Reginæ misericordiæ, quæ per beati Francisci merita ipsius fuerat dignata misereri.

De cæcis illuminatis.

In conventu fratrum Minorum Neapoli, cum quidam frater, Robertus nomine, cæcus annis plurimis extitisset, crevit in oculis ejus caro superflua, motum et usum impediens palpebrarum. Cum igitur fratres (*a*) forenses, ad diversas mundi partes tendentes, ibidem plurimi convenissent, beatus pater Franciscus, speculum obedientiæ sanctæ, ut eos miraculi novitate hortaretur ad iter, prædictum fratrem, ipsis præsentibus, tali modo curavit. Jacebat nocte quadam frater Robertus prædictus æger ad mortem, jamque sibi fuerat anima commendata, et ecce astitit ei beatus Pater cum tribus fratribus omni sanctitate perfectis, videlicet sancto Antonio, fratre Augustino, et fratre Jacobo de Assisio, qui sicut eum perfecte fuerant secuti, dum viverent, ita et ipsum alacriter comitabantur post mortem. Accipiens cultellum sanctus Franciscus, carnem superfluam resecavit, lumen restituit pristinum, et a mortis eum fauce reduxit, dixitque illi : Fili Roberte, gratia, quam tecum feci, signum est fratribus ad remotas nationes euntibus, quod ego præcedam eos, et ipsorum dirigam gressus. Vadant, inquit, gaudenter, et injunctam obedientiam alacri animo exequantur.

Apud Thebas in Romania, mulier cæca vigiliam sancti Francisci in pane tantum et aqua jejunans, ad ecclesiam fratrum Minorum summo mane festivitatis a viro suo perducta est. Quæ dum Missa celebraretur, in elevatione corporis Christi oculos aperuit, clare vidit, devotissime adoravit. In ipsa vero adoratione voce magna proclamans : Gratias, inquit, Deo, et sancto ejus, quia video corpus Christi, omnibus qui aderant in voce (*b*) exultationis conversis. Post sacrorum expletionem, reversa est mulier in domum suam cum gaudio spiritus, et lumine oculorum. Exultabat quidem mulier non solum quia lucis corporeæ recuperarat aspectum; verum etiam quia sacramentum illud mirificum, quod est lumen animarum verum et vivum, respectu primario per beati Francisci merita, fidei suffragante virtute, meruerat intueri.

In Campania puer quidam quatuordecim annorum de Castro Pophis, subita vexatus angustia, sinistrum oculum amisit ex toto.

(*a*) *Cæt. edit.* frater. — (*b*) *Leg.* voces.

Passionis acerbitas sic de loco suo propulit oculum, quod per octo dies extra, nervo relaxato, longitudine digiti unius ad maxillas dependens, pene aridus est effectus. Sed cum sola superesset abscissio, et a medentibus foret penitus desperatus, pater ejus ad auxilium beati Francisci tota se mente convertit. Non defuit ille indefessus miserorum adjutor precibus supplicantis. Nam oculum aridum mirabili virtute in locum suum, pristinumque vigorem restituit, et lucis optatæ radiis illustravit.

In eadem provincia apud Castrum, magni ponderis lignum ex alto proruit, et cujusdam sacerdotis caput gravissime quassans, sinistrum oculum excæcavit. Qui humi dejectus cœpit alta voce sanctum Franciscum luctuose clamare, dicens : Succurre, Pater sanctissime, ut ad festum tuum ire valeam, sicut fratribus tuis ire promisi (erat enim vigilia sancti). Qui statim exurgens, peroptime liberatus, in vocem prorupit laudis et gaudii, et circumstantes omnes, qui ejus miseriæ condolebant, in stuporem convertit, et jubilum. Ivit ad festum, narrans omnibus, quam in se expertus fuerat, clementiam et virtutem.

Vir quidam de monte Gargano, dum in vinea sua laborans lignum quoddam ferro succideret, proprium percussit oculum, et sic divisit per medium, ut quasi media pars ipsius exterius dependeret. Cumque in tam desperato periculo desperaret sibi posse per hominem subveniri, jejunaturum se in festo sancti Francisci, si ei succurreret, repromisit. Statim in loco debito viri oculum sanctus Dei restituit, sicque divisum rejunxit, et lumine pristino decoravit, ut nullius læsionis vestigia remanerent.

Filius cujusdam nobilis viri a nativitate cæcus, meritis sancti Francisci lumen accepit optatum. Qui nomen ab eventu sortitus, Illuminatus vocatus est. Assumpsit postea, cum in ætate esset, Ordinem beati Francisci, accepti beneficii non ingratus, tantumque profecit in lumine gratiæ et virtutis, ut veræ lucis filius videretur. Tandem, beati Patris promerentibus meritis, sanctum initium fine sanctiori conclusit.

In Zachanto, quod est castrum juxta Ananiam, miles quidam, Girardus nomine, oculorum lumen ex toto perdiderat. Accidit autem, ut duo fratres Minores, ab exteris partibus venientes, ad domum ipsius hospitaturi diverterent. Suscepti itaque devote propter reverentiam sancti Francisci a familia tota, et cum omni benignitate tractati, gratias agentes Deo, et hospiti, ad locum Fratrum devenere vicinum. Nocte igitur quadam beatus Franciscus uni fratrum illorum in somnis apparuit, dicens : Surge, festina cum socio ad domum hospitis nostri, qui Christum et me suscepit in vobis. Volo enim beneficia rependere pietatis. Cæcus quidem effectus est, suis promerentibus culpis, quas pœnitentiali non studuit confessione purgare. Disparente quoque patre, frater festinus surrexit, ut mandatum cum socio celeriter adimpleret. Venientesque ad hospitis domum, cuncta, quæ viderat alter, per ordinem narraverunt eidem. Stupuit vir ille non modicum, et universa, quæ dicebantur, vera esse confirmans, compunctus ad lacrymas, confessus est libens. Tandem correctione promissa, interiorique homine taliter (*a*) renovato, exteriorem continuo recuperavit aspectum. Hujus miraculi fama circumquaque diffusa, non solum ad reverentiam sancti, verum etiam ad confessionem humilem peccatorum et hospitalitatis gratiam plurimos incitavit.

De liberatis a diversis infirmitatibus.

Apud Castrum Plebis, juvenis quidam mendicus surdus erat et mutus a nativitate sua, qui linguam adeo curtam habebat ac tenuem, quod multotiens exquisita a pluribus, præcisa penitus videretur. Vir quidam, Marcus nomine, ipsum propter Deum suscepit hospitio : qui eum sibi benefacere sentiens, cœpit cum ipso assiduus demorari.

(*a*) *Leg.* totaliter.

Sero quodam, cum prædictus vir cœnaret cum conjuge, astante puero coram eis, dixit uxori : Hoc ego maximum miraculum reputarem, si beatus Franciscus huic auditum redderet, et loquelam. Et adjecit : Voveo Deo, quod si hoc sanctus Franciscus dignabitur operari, propter amorem suum huic puero expensas conferam, donec vivet. Mirum certe ! subito lingua crevit, et locutus est, dicens : Gloria Deo, et sancto Francisco, qui mihi loquelam præbuit, et auditum.

Frater Jacobus de Iseo, cum puerulus esset in domo paterna, rupturam incurrit corporis valde gravem. Superno vero afflatus Spiritu, licet esset juvenis et infirmus, ordinem sancti Francisci devotus intravit : nulli tamen qua urgebatur infirmitate detexit. Factum est autem, cum corpus sancti Francisci transferretur ad locum, ubi pretiosus sacrorum ossium ejus nunc thesaurus est conditus, affuit et tunc dictus frater translationis gaudiis, ut glorificati jam Patris corpori honorem debitum exhiberet. Et appropinquans tumbæ, in qua ossa sacra fuerant collocata, præ devotione spiritus sacrum tumulum complexatus, subito, miro modo, ad loca debita partibus revocatis, sanum se sensit, succinctorium deposuit, et ex tunc ab omni dolore præterito liber fuit. Ab infirmitate quoque consimili frater Bartholus de Eugubio, frater Angelus de Tuderto, Nicolaus sacerdos de Stichano, Joannes de Fora, vir quidam de Pisis, et alius de Castro Cisternæ, Petrus quoque de Sicilia, et homo quidam de Castro Spelli juxta Assisium, et quamplures alii, per Dei misericordiam, et beati Francisci merita, extiterunt mirabiliter liberati.

In Maritima mulier quædam mentis alienationem per quinquennium passa, visu et auditu privata est, indumenta dilaniabat dentibus, ignis et aquæ periculum timebat, et caduci morbi ad summum incurrerat horribilem passionem. Nocte vero quadam, cum disponeret sibi divina misericordia misereri, salutaris fulgore lucis superillustrata divinitus, vidit beatum Franciscum super solium sedere sublime, ante quem prostrata, sanitatem suppliciter exposcebat. Illo vero nondum favente precibus, firmavit mulier votum, promittens pro Dei amore, ac sancti, petentibus, donec haberet, eleemosynam non negare. Illico Sanctus pactum recognovit, quod olim cum Domino fecerat simile, et signans eam crucis signaculo, integram sibi restituit sanitatem. A consimili passione puellam quamdam de Nursia, et filium cujusdam nobilis viri, et alios quosdam, relatione veridica compertum est sanctum Dei Franciscum misericorditer liberasse.

Petrus de Fulgineo ad visitandum limina beati Michaelis quodam tempore pergens, dum minus reverenter peregrinationem peregit, fontis cujusdam aquam degustans, a dæmonibus est invasus. Et exinde per tres annos obsessus, discerpebatur in corpore, pessima loquens, et horrenda prætendens, habens aliquando lucida intervalla, beati virtutem, quam efficacem audierat ad effugandas aereas potestates, humiliter requisivit; et ad sepulchrum pii Patris accedens, mox ut illud contigit manu, a dæmonibus crudeliter eum discerpentibus mirifice liberatus fuit. Simili etiam modo, mulieri cuidam de Narnio habenti dæmonium, misericordia Francisci subvenit, et aliis pluribus, quarum vexationum angustias, et curationum modos, longum esset per singula enarrare.

Vir quidam nomine Bonus, homo de civitate Fani, paralyticus et leprosus, ad ecclesiam beati Francisci a parentibus deportatus, utriusque morbi plenam consecutus est sanitatem. Sed et alius juvenis quidam Acto nomine, de Sancto Severino, totus leprosus, voto emisso, et ad sepulchrum Sancti delatus, meritis ipsius a lepra mundatus est. Habuit quidem Sanctus supra hujusmodi morbo curando præcellentem virtutem, pro eo quod humanitatis et pietatis amore leprosorum obsequiis semetipsum humiliter deputarat.

Nobilis quædam mulier, Rogata nomine, in episcopatu Sorano per viginti tres annos fluxu sanguinis fatigata, sed a quampluribus medicis quamplurima mala perpessa : præ nimietate quidem languoris sæpius videbatur mulier expirare ; sed si quando fluxus hujusmodi stringebatur, tumescebat corpore toto. Audiens autem quemdam puerum romano sermone canentem miracula, quæ Deus per beatum Franciscum fuerat operatus, nimio dolore commota, tota prorupit in lacrymas, sicque intra se fide accensa dicere cœpit : O beate Pater Francisce, qui tantis coruscas miraculis, si me digneris ab hac ægritudine liberare, magna tibi accrescet gloria, quoniam adhuc tantum miraculum non fecisti. Quid plura ? his dictis, sensit se beati Francisci meritis liberatam. Filium quoque ipsius, Marcum nomine, qui brachium habebat contractum, sanctus Franciscus, voto ad ipsum emisso, sanavit. Fœminam etiam quamdam de Sicilia per septennium fluxu sanguinis fatigatam, beatus Christi signifer salvam fecit.

In urbe Romana, Praxedis quædam nomine, religiositate famosa, quæ a tenella ætate propter æterni Sponsi amorem arcto se carcere per quadraginta jam fere annos abdiderat, apud beatum Franciscum gratiam promeruit spiritualem. Nam cum die quadam pro rebus opportunis solarium suæ cellulæ conscendisset, et impulsione phantastica corruens, cum fractum haberet pedem cum crure, et humerum a positione debita sequestratum, apparuit ei benignissimus pater vestimentis gloriæ candidatus, et dulcibus affatibus alloqui cœpit eamdem : Surge, inquit, filia benedicta, surge, ne timeas. Et apprehensa manu ipsius, allevans eam, disparuit. Ipsa vero per cellulam suam huc atque illuc se convertens, putabat se visum videre, usquequo ad clamorem ipsius apportato jam lumine, perfecte se sentiens per servum Dei Franciscum esse sanatam, cuncta, quæ acciderant, per ordinem narravit.

De non observantibus festum, et non honorantibus Sanctum.

In Pictaviæ partibus in villa, quæ Simo dicitur, sacerdos quidam Reginaldus nomine, beato Francisco devotus, festum ipsius parochianis suis indixerat solemniter celebrandum. Unus autem de populo, ignorans sancti virtutem, sui parvipendit sacerdotis mandatum. Egressus autem foras in agrum, ut ligna succideret, cum se præparasset ad opus, vocem audivit hujusmodi ter dicentem : Festum est : operari non licet. Verum cum nec imperio sacerdotis, nec supernæ vocis oraculo servilis temeritas frænaretur, addidit divina virtus ad gloriam sancti sui sine mora miraculum et flagellum. Mox enim ut furcam una manu jam tenens, alteram cum ferreo instrumento levavit ad opus, sic divina virtute utraque manus utrique instrumento cohæsit, ut ad neutrius dimissionem digitos aliquatenus relaxare valeret. Ex quo stupefactus nimis, et quid ageret nesciens, ad ecclesiam, multis undique ad videndum prodigium occurrentibus, properavit. Ubi mente compunctus ante altare, quodam ex assistentibus sacerdote monente (plures quippe ad festum vocati convenerant sacerdotes), beato Francisco humiliter se devovit, tria, sicut ter vocem audierat, vota vovens, quod scilicet festum ipsius coleret, quod ad illam, in qua tunc erat, ecclesiam in festo veniret, et quod sancti corpus personaliter visitaret. Mirum certe relatu ! uno emisso voto, unus digitus factus est liber ; ad secundi emissionem solutus est alius ; sed tertio facto voto, laxatus est tertius, et postmodum tota manus, necnon et altera subsequenter, populo, qui jam multus advenerat, sancti clementiam devotissime implorante. Sic homo, pristinæ redditus libertati, per seipsum instrumenta deposuit, cunctis laudantibus Deum, virtutemque Sancti mirificam, qui tam mirabiliter percutere poterat, et sanare. Ipsa vero instrumenta usque hodie coram altari ad ho-

norem beati Francisci fabricato ibidem in memoriam Sancti dependent. Plura quoque illic et in locis vicinis patrata miracula, et Sanctum in cœlis ostendunt eximium, et festum ipsius in terris venerabiliter excolendum.

In civitate quoque Cenomanensi, dum in solemnitate sancti Francisci mulier quædam manus ad colum extenderet, et digitis apprehenderet fusum, obrigescentibus manibus, cœperunt digiti magnis ardoribus cruciari. Igitur, pœna docente, Sancti recognoscens virtutem, corde compuncta cucurrit ad fratres. Cumque, pro salute ipsius, devoti filii sancti Patris clementiam precarentur, incolumis effecta est statim, nec aliquid læsionis remansit in manibus, nisi ad facti memoriam solum vestigium combusturæ. Simili etiam modo in Campania majori mulier quædam, et in villa Oletti mulier altera, et in Castro Pilei tertia, dum beati Patris festum celebrare contemnerent, prævaricantes primum mirabiliter sunt punitæ; sed postmodum pœnitentes, per sancti Francisci merita mirabilius liberatæ.

Miles quidam de Burgo, in provincia Massæ, beati Francisci operibus et miraculorum signis impudentissime detrahebat. Inferebat multa opprobria peregrinis ad ipsius memoriam venientibus, et contra fratres publica garriebat insania. Cum autem semel sancti Dei gloriam impugnaret, addidit super peccata sua blasphemiam detestandam. Si verum est, inquit, quod Franciscus iste sit sanctus, gladio cadat hodie corpus meum; si vero sanctus non est, evadam incolumis. Non distulit ira Dei condignum inferre supplicium, cum jam facta fuisset oratio in peccatum. Mora enim modica interjecta, dum blasphemus nepoti suo inferret injuriam, accepit ille gladium, et patrui visceribus cruentavit. Eodem die mortuus est sceleratus, inferni mancipium, et filius tenebrarum, ut cæteri discerent miranda Francisci opera non blasphematoriis verbis impetere, sed devotis laudibus honorare.

Judex quidam, nomine Alexander, dum a B. Francisci devotione, quos poterat, venenata lingua retraheret, divino judicio lingua privatus, per sex annos obmutuit. Qui cum in eo quod peccaverat, torqueretur, alta pœnitudine revocatus, dolebat se contra sancti miracula oblatrasse. Itaque non perstitit misericordis indignatio Sancti, sed pœnitentem ac se humiliter invocantem, restituta loquela, recepit ad gratiam. Ex tunc linguam blasphemam consecravit laudibus sancti, devotionem simul et disciplinam recipiens per flagellum.

De quibusdam aliis miraculis diversorum generum.

In Castro Galiani, Valvensis diœcesis, mulier quædam erat nomine Maria, quæ Christo Jesu et B. Francisco famulatu devoto subjecta, una dierum æstivo tempore exiit, ut manibus conquireret propriis ncessarium victum. Cum igitur fervente nimium æstu, sitis deficere cœpisset ardoribus, omni privata beneficio poculi, pro eo quod in monte arido sola esset, quasi exanimis humi prostrata, patronum suum S. Franciscum invocabat pio mentis affectu. Dum autem perseveraret mulier in affectuosa et humili prece, labore, siti et æstu fatigata quamplurimum, paululum obdormivit. Et ecce S. Franciscus adveniens, et eam vocans ex nomine : Surge, inquit, et bibe aquam, quæ divino munere tibi ac pluribus exhibetur. Ad hujus vocis auditum surrexit mulier a somno, non modicum confortata, et accipiens silicem, quæ juxta se erat, radicitus evulsit a terra, effodiensque ligno parvulo circumquaque, viventem reperit aquam, quæ cum primo videretur parvula stilla, subito divina virtute crevit in fontem. Bibit itaque mulier, et satiata oculos lavit, quos cum longa prius haberet ægritudine obumbratos, nova ex tunc sensit luce perfusos. Festinavit ad domum mulier, tam stupendum miraculum ad gloriam S. Francisci denuntians universis. Concurrerunt undique multi ad mira-

culi famam, experientia magistra discentes mirabilem illius aquæ virtutem, dum ad ipsius contactum, confessione præmissa, a variis morborum cladibus plurimi liberabantur. Perseverat usque hodie fons ibi perspicuus, et in honorem B. Francisci ibidem oratorium est constructum.

In Hispania apud Sanctum Facundum, viri cujusdam cerasum arefactam ad virorem frondium, florum et fructuum, contra spem mirabiliter revocavit. Incolas quoque terræ apud Vilesios, a vermium peste, corrodentium vineas circumquaque, miraculoso suffragio liberavit. Sacerdotis cujusdam juxta Palentiam horreum quoddam, quod vermibus frumentariis repleri quolibet anno solitum fuerat, sibi fideliter commendatum penitus expurgavit. Terram quoque domini cujusdam de Petramala in regno Apuliæ, sibi suppliciter commendatam, ab odiosa peste bruchorum penitus servavit indemnem, cum tamen in circuitu omnia essent prædicta pestilentia devorata.

Vir quidam Martinus nomine, cum longe a castro suo boves minasset ad pascua, crus unius bovis casu quodam sic fuit desperate confractum, ut nihil esset sibi de remedio aliquo cogitandum. Dum autem pro decoriatione foret sollicitus, et instrumentum, cum quo id faceret, non haberet, domum reversus, B. Francisco bovis curam reliquit, ipsumque fideli sanctæ (*a*) custodiæ fiducialiter commendavit, ne ante suum reditum devoraretur a lupis. Summo itaque mane ad bovem in sylva relictum cum excoriatore reversus, pascentem ipsum ita reinvenit incolumem, quod nequaquam crus fractum ab altero discernebat. Gratias egit bono pastori, qui diligentem de bove suo curam habuit, et medelam donavit. Succurrere novit humilis sanctus omnibus invocantibus ipsum, nec quantumcumque parvas necessitates hominum dedignatur. Nam viro cuidam de Amiterno jumentum restituit furto sublatum. Mulieri cuidam de Interduco catinum novum in multas partes casu divisum integre reparavit. Viro etiam cuidam de Monte Ulmi in Marchia consolidavit vomerem in frusta confractum.

In Sabinensi diœcesi vetula quædam octogenaria erat, cujus filia moriens lactentem infantulum dereliquit. Cum igitur anus paupercula plena esset inopia, et vacua lacte, nullaque esset mulier, quæ sitienti parvulo lactis stillicidium, juxta quod exigebat necessitas, erogaret, quo se verteret vetula ignorabat. Debilitato vero infantulo, nocte quadam omni humano destituta subsidio, ad beati Patris Francisci auxilium implorandum, lacrymarum imbre perfusa, tota se mente convertit. Affuit statim innocentis amator ætatis: Ego, inquiens, sum Franciscus, o mulier, quem cum tantis lacrymis invocasti. Pone, ait, mammas tuas in ore pueruli, quoniam abundanter tibi lac Dominus dabit. Implevit anus Sancti mandatum, et statim octogenariæ mammæ lactis copiam effuderunt. Innotuit omnibus mirabile sancti donum, multis tam viris, quam mulieribus, accelerantibus ad videndum. Et quia, quod testabantur oculi, lingua impugnare non poterat, excitabantur omnes ad laudandum Deum in sancti sui virtute mirabili, et amabili pietate.

Apud Spoletum vir et uxor, unicum habentes filium, quotidie illum velut hæreditarium opprobrium deplorabat. Brachiis siquidem collo connexis, junctisque genibus pectori, et pedibus naribus alligatis, non hominis proles, sed monstrum quoddam potius videbatur. Vehementiori mulier ex hoc afflicta dolore, crebris gemitibus clamabat ad Christum, S. Francisci auxilium invocando, ut infelici sibi, et in tali opprobrio constitutæ, succurrere dignaretur. Nocte igitur quadam, cum propter hujusmodi tristitiam tristis eam somnus arriperet, apparuit ei S. Franciscus piis eam affatibus mulcens, insuper et suadens quod ad locum propinquum, suo nomini dedicatum, deferret puerum, ut ex aqua putei loci illius in no-

(*a*) *Leg.* sancti.

mine Domini superfusus, plenam reciperet sospitatem. Negligente autem illa Sancti adimplere mandatum, secundo replicavit id ipsum. Tertio quoque apparens, mulierem cum puero usque ad januam dicti loci præambulo ducatu perduxit. Supervenientes autem nobiles quædam matronæ devotionis causa ad prædictum locum, eis a muliere præfata diligenter exposita visione, una cum ipsa puerum fratribus præsentarunt, et haurientes aquam de puteo, earum nobilior propriis manibus lavit infantem. Statim puer, omnibus membris ad sua loca perductis, sanus apparuit, et magnitudo miraculi omnibus admirationem induxit.

In Castro Chore Ostiensis diœcesis, vir quidam sic crus ex toto perdiderat, ut nullo modo progredi vel movere se posset. Positus itaque in angustia vehementi, et auxilio desperatus humano, cœpit nocte quadam, ac si præsentem cerneret B. Franciscum, talem coram eo assumere materiam querelandi : Adjuva me, S. Francisce, recolens meum servitium, et devotionem tibi impensam. Nam in asino meo te portavi, sanctos pedes tuos, et sanctas manus tuas osculatus fui, semper tibi devotus, semper tibi benevolus extiti, et ecce morior doloris hujus durissimo cruciatu. His pulsatus querelis, statim affuit beneficiorum memor, et devotionis gratus, et vigilanti viro cum uno fratre apparuit. Ad vocationem ejus se venisse dixit, et tulisse remedia sanitatis. Tetigit locum doloris cum baculo parvulo, qui figuram thau in se habebat, et fracto mox apostemate, perfectam tribuit sanitatem. Et, quod mirabilius est, sacrum signum thau impressum super locum sanati ulceris ad miraculi memoriam dereliquit. Hoc signo S. Franciscus suas consignabat litteras, quotiens charitatis causa scriptum aliquod dirigebat.

Sed ecce dum per diversa miracula gloriosi Patris Francisci mens narrationis varietate distracta decurrit, promerente ipso crucis glorioso signifero, in signum salutis thau non sine divina directione pervenit, ut ex hoc possimus advertere, quod sicut crux militanti post Christum fuit sublimitas meriti ad salutem, sic et triumphanti cum Christo facta est firmitas testimonii ad honorem. Hoc quippe crucis mysterium magnum et mirum, in quo charismata gratiarum, et merita virtutum, et thesauri sapientiæ et scientiæ tam alta profunditate velantur, ut a mundi sapientibus et prudentibus sint (*a*) occulta, tam plene fuit Christi parvulo revelatum, ut omnis vita ipsius non nisi crucis vestigia sequeretur, non nisi crucis dulcedinem saperet, non nisi crucis gloriam prædicaret. Vere namque in suæ conversionis principio dicere cum Apostolo potuit [1] : *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi.* Non minus etiam vere in conversationis progressu addere valuit [2] : *Quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, et misericordia.* Verissime autem in consummatione potuit subinferre [3] : *Stigmata Domini Jesu in corpore meo porto.* Sed et illud nos quotidie desideramus ab ipso audire [4] : *Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro, fratres. Amen.*

Gloriare igitur jam secure in crucis gloria Christi, signifer gloriose, quoniam, a cruce incipiens, secundum crucis regulam processisti, et tandem in cruce perficiens, per crucis testimonium, quantæ gloriæ sis in cœlo, cunctis fidelibus innotescis. Secure jam te sequantur, qui exeunt ex Ægypto, quia, per baculum crucis Christi mari diviso, deserta transibunt, in repromissam viventium terram, Jordane mortalitatis transmisso, per ipsius crucis mirandam potentiam ingressuri. Quo nos introducat verus populi Ductor et Salvator Christus Jesus crucifixus, per merita servi sui Francisci, ad laudem, et gloriam unius Dei, et trini, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

[1] *Gal.*, VI, 14. — [2] Ibid., 16. — [3] Ibid., 17. — [4] Ibid., 18. — (*a*) *Edit. Vatic.* sit.

DE PAUPERTATE CHRISTI

CONTRA MAGISTRUM GUILELMUM [1]

ARGUMENTUM

(Ex edit. Vatic.)

Tractatus iste de paupertate Christi duas quæstiones continet : alteram de paupertate, in duos articulos divisam ; alteram de pauperibus validis præcipue regularibus, an ad opera manualia sint astricti. Quas quidem quæstiones ita determinat, ut Magistrum Guilelmum adversarium convincat, et veritatem aperte demonstret. Nam paupertatem, tam quoad abrenuntiationem, quam quoad mendicitatem, ad perfectionem pertinere docte et erudite ostendit. Est autem hoc Opusculum inter cætera S. Bonaventuræ a Trithemio connumeratum, eodem, quo hic inscribitur, titulo.

QUÆSTIO PRIMA.

Quæstio est de paupertate.

Et quæruntur duo.

Primo, quæritur de paupertate, quantum ad abrenuntiationem.

Secundo, quantum ad mendicationem.

ARTICULUS PRIMUS.

De paupertate quantum ad abrenuntiationem.

Circa primum sic proceditur, et quæritur, utrum christianæ perfectionis sit abrenuntiare omnibus, tam in communi, quam in privato. Et quod sic videtur in *Matthæo,* ubi dicitur [2] : *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes; et da pauperibus, et veni, sequere me.* Glossa : « Ecce contemplativa, quæ ad Evangelium pertinet. » Constat quod Dominus istum ad divitias non vocabat, et tamen renuntiare omnibus consulebat; nec ad opera manualia, imo ad contemplativam, sicut dicit Glossa. Ergo, etc.

Item ibidem dicitur [3] : *Ecce nos reliquimus omnia :* ubi dicit Glossa : « Tanta a sequentibus missa (*a*) sunt, quanta a non sequentibus concupisci potuerunt. » Ergo perfecta imitatio totaliter extinguit appetitum divitiarum : sed hæc extinctio potissime est in eo, qui abrenuntiat omnibus : ergo, etc.

Item Salvator ait [4] : *Vade, et vende omnia quæ habes.* Glossa : « Non partem, sicut Ananias, sed qui totum dat, nihil sibi reservans, ipse potissime facit quod Dominus consulit, nihil sibi reservans, nec in communi, nec in speciali. » Et qui hoc facit, perfectissime facit : ergo, etc.

Item dixit Dominus de vidua [5] : *Amen dico vobis, quod hæc vidua pauper plus, quam omnes misit. Nam omnes ex eo, quod*

[1] *Cf.* Edit. Argentin., an. 1495, 15, part. I; edit. Rom., an. 1596, tom. VII, part. IV, pag. 387; edit. Ven., an. 1611, 17, tom. I; edit. Ven., an. 1754, tom. V, pag. 549. — [2] *Matth.*, XIX, 21. — [3] Ibid., 27. — [4] Ibid., 21. — [5] *Marc.*, XII, 43-44.

(*a*) *Leg.* dimissa.

abundabat eis, miserunt; hæc autem de penuria sua, omnia quæ habuit, misit totum victum suum. Sed in hoc laudatur vidua paupercula : ergo qui hoc faciunt, quanto perfectius agunt, tanto magis laudabiles sunt : ergo, etc.

Item ait Dominus [1] : *Respicite* (*a*) *corvos.* Glossa : « Sancti merito avibus comparantur, qui nihil in mundo agentes, nec laborantes, sola æterna appetunt, jam similes angelis. » Sed quanto magis hæc dimittit quis, tanto magis angelis assimilatur : ergo, etc.

Item in *Luca* dicitur [2] : *Nisi quis renunciaverit omnibus quæ possidet.* Glossa [3] : « Hoc distat inter renuntiare omnibus, et relinquere omnia, quia renuntiare convenit omnibus, qui ita licite utuntur mundanis, quæ possident, ut tamen mente tendant ad æterna; relinquere autem est tantummodo perfectorum, qui omnia temporalia postponunt, et solis æternis inhiant. » Sed qui prorsus omnibus renuntiat in communi, et in privato, ille maxime omnia postponit : ergo, etc.

Item hoc ipsum ostenditur exemplo Christi, de quo dicitur [4] : *Vulpes foveas habent,* etc. Chrysostomus [5] : « Quid pecunias expectas, sequens me, congregare? Non vides, quia diversorium mihi neque tantum, quantum avibus? » Ergo Christus prorsus nihil habuit : ergo, etc.

Item, super illud Matthæi [6] : *Vade ad mare,* Glossa : « Dominus tantæ paupertatis fuit, ut, unde tributa solveret, non haberet. » Habebat quidem Judas communia in loculis; sed res pauperum in usus suos assumere nefas duxit, idipsum dans exemplum nobis. Si ergo Christus tantæ paupertatis fuit, quod non potuit solvere denarium, manifestum est, quod fuit in summa paupertate.

Item, ubi præmissum est [7] : *Vulpes foveas habent,* ait Glossa [8] : « Ego tantæ paupertatis sum, ut nec hospitium quidem habeam, nec meo utar tecto. » Ergo, etc.

Item scriptum est [9] : *Venit princeps mundi hujus,* etc. Glossa : « Noluit Dominus habere quid perderet : pauper venit, ne haberet diabolus quod auferret. » Ergo si omnia temporalia possunt perdi, nihil habuit temporale.

Item Apostolus ait [10] : *Scitis gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia,* etc. Ergo qui sic abrenuntiat, ut egeat, magis se Christo conformat.

Item, super illud quod sequitur [11] : *In hoc consilium do,* Augustinus in originali : « Factus est egenus in tantum, ut non haberet quod habent vulpes. » Et *in hoc consilium do,* subauditur, ut ejus paupertatem imitemini. Sed qui abrenuntiat omnibus, ejus paupertatem imitatur : ergo, etc.

Item (*b*) illud Jacobi [12] : *Nonne Deus elegit pauperes,* Glossa [13] : « Pauperes elegit parentes, quorum educaretur officio. » Sed parentum Christi magna fuit indigentia, secundum illud Lucæ [14] : *Pannis eum involvit,* etc. Ergo Christus non tantum in seipso paupertatem dilexit, verum etiam in aliis.

Item Christus maxime fuit imitabilis secundum statum quem habuit in cruce, secundum illud [15] : *Christus passus est pro nobis, relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Sed in cruce fuit omnino nudus. Unde Hieronymus, *ad Hedibiam* [16] : « Vis esse perfecta, et in primo stare fastigio dignitatis? fac quod fecerunt Apostoli, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et sequere Salvatorem, et nudam solamque cru-

[1] *Luc.*, XII, 24. — [2] *Luc.*, XIV, 33. — [3] Gloss., ex Bed. in hunc loc., lib. IV, c. LXVI. — [4] *Matth.*, VIII, 20. — [5] Chrysost., vel quilibet alius; nihil enim simile reperitur in homiliis Chrysostomi super Matthæum, saltem in hom. XXVII, al. XXVIII, citata in edit. Vatic. — [6] *Matth.*, XVII, 26. — [7] *Luc.*, IX, 58. — [8] Gloss., ex Bed. in hunc loc., lib. III, c. XLI. — [9] *Joan.*, XIV, 30. — [10] II *Cor.*, VIII, 9. — [11] Ibid., 10. — [12] *Jac.*, II, 5. — [13] Gloss., ex Bed. in hunc loc. — [14] *Luc.*, II, 7. — [15] I *Petr.*, II, 21. — [16] Hieronym., *ad Hedib.*, epist. CL, q. I, tom. III, col. m. 224.

(*a*) Vulg. *Considerate.* — (*b*) *Suppl.* in.

cem virtute (*a*) nuda sequaris, et sola. » Ergo, etc.

Item hoc ipsum videtur Sanctorum testimoniis. Ambrosius *super Lucam* [1] : « Qualis debeat esse qui evangelizat regnum Dei, præceptis evangelicis designatur, ut sine virga, sine pera, sine calceamento, sine pane, sine pecunia, hoc est, subsidii sæcularis adminicula non requirens, fideque tutus, putet sibi quo minus ea requirat, magis (*b*) posse suppetere. » Si igitur hoc attestatur perfectioni prædicatoris evangelicæ perfectionis, ut nullum prorsus quærant (*c*) adminiculum sæculare, et hoc est esse in altissima paupertate, patet ergo, etc.

Item Hieronymus ait [2] : « Nolo pristinarum necessitatum recorderis, nudos amat eremus; nolo te antiquæ peregrinationis terreat difficultas. Qui in Christum credis, et ejus crede sermonibus [3] : *Quærite primum regnum Dei, et hæc omnia adjicientur vobis.* Non pera tibi sumenda est, non virga : dives est, qui cum Christo pauper est. » Omnia igitur relinqui possent, spe posita in solo Christo.

Item Ambrosius, in libro *de Officiis* [4] : « Nullum adminiculum præstant divitiæ ad vitam beatam. Quod evidenter Dominus demonstravit in Evangelio, dicens : *Beati pauperes spiritu*, » etc. Itaque paupertatem, famem, dolorem, quæ mala putantur, non solum impedimento non esse ad vitam beatam, sed etiam adjumento, evidentissime pronuntiatum est. Sic ergo non solum adminiculo non sunt ad vitam beatam corporis externa bona, sed etiam dispendio sunt. Sed quæ non sunt adminiculo, sed dispendio, perfectum est relinquere : ergo, etc.

Item Hieronymus, super illud Matthæi [5] : *Nonne anima plus est quam esca?* [6] « In promissis veritatis nemo dubitet : sit homo quod esse debet, et mox adduntur ei omnia, propter quem facta sunt omnia. » Ergo qui omnia relinquit propter Christum, confidens in promisso Christi, agit secundum perfectam fidem ipsius. Hoc autem potissime facit, qui omnino nihil sibi reservat, nec in communi, nec in speciali : ergo, etc. Unde Augustinus, tractans illud Matthæi [7] : *Respicite volatilia cœli* : « Sancti merito avibus comparantur, quia cœlum petunt, qui jam ita remoti sunt a mundo, ut jam in terris nihil agant, nihil laborent, sed sola contemplatione jam in cœlo degant. » Si ergo hæc vita altissima est, ergo, spretis omnibus, totam spem vitæ suæ in Deo constituere est virtutis perfectæ.

Item Augustinus, *de Bono Conjugali* [8] : « Bene faciebant, qui (*d*) de sua substantia Christo, ac discipulis ejus necessaria ministrabant; sed melius, qui omnem substantiam suam dimiserunt, ut expeditiores eumdem Dominum sequerentur. » Sed quanto quis magis dimittit, tanto expeditior : ergo tanto laudabilior.

Item, in libro *de Ecclesiasticis Dogmatibus* [9] : « Bonum est facultates cum dispensatione pauperibus erogare : melius pro intentione sequendi Dominum insimul (*e*) donare, et absolutum a sollicitudine cum Christo egere. » Ergo qui magis eget, et a sollicitudinibus mundi absolvitur, perfectius Christum sequitur : ergo, etc.

Item Gregorius ait [10] : « Cum quis suum aliquid Deo vovet, et aliquid non vovet, sacrificium est; cum vero omne quod habet, omne quod vivit, omne quod sapit, omnipotenti Deo voverit, holocaustum est. Qui enim sibimetipsis nihil reservant, sed sensum, vitam, linguam, atque substantiam, quam perceperunt, omnipotenti Deo immolant, quid isti nisi holocaustum offerunt? » Unde

[1] Ambros., *in Luc.*, lib. VI, n. 65. — [2] Hieron, *ad Heliod.*, epist. I, tom. I, col. m. 2. — [3] *Matth.*, VI, 33. — [4] Ambros., *de Offic. Minist.*, lib. II, c. IV, n. 15. — [5] *Matth.*, VI, 25. — [6] Hieron. — [7] *Matth.*, VI, 26. — [8] August., *de Bon. conj.*, n. 8. — [9] Genn., *de Eccles. Dogm.*, XXXVIII, 71, inter Oper. August., Append., tom. VIII. — [10] Greg, *in Ezech.*, lib. II, hom. VIII, al. XX, n. 16.

(*a*) *Apud Hieron. non legitur* virtute. — (*b*) *Leg.* fideique deditus sit, et quanto minus appetat temporalia, tanto magis speret ea sibi. — (*c*) *Leg.* quærat. — (*d*) *Apud Aug.* quæ, *scilicet sanctæ mulieres.* — (*e*) *Apud Aug.* semel.

paulo ante dixit[1], quod « ille holocaustum offert, qui ea quæ possidet, apud semetipsum decrevit indigentibus cuncta tribuere, nihil sibi reservare, vitam soli supernæ gubernationi committere. » Sed hoc potissime facit qui sic distribuit, quod nihil sibi reservat, nec in communi, nec in speciali. Ergo, etc.

Item Joannes Chrysostomus, in libro *Quod nemo lædítur, nisi a seipso*[2]: « Quid Apostolos penuria rerum corporalium læsit? Nonne in fame et siti, et nuditate degebant, et pro his clari magis et magnifici habebantur, atque ingentem per hoc fiduciam quæsierunt apud Deum? » Ergo paupertas illa laudabilior, in qua major est penuria rerum.

Item Bernardus ait[3] : « Felix (*a*) qui nihil sibi retentat ex omnibus; non habet foveam, ut vulpes; non, tanquam volucres, nidum; non loculos, quomodo Judas; non domos (*b*), sicut nec Maria, locum in diversorio : imitatus profecto illum, qui non habebat ubi reclinaret caput. » Sed qui omnia prorsus dimittit, nihil sibi omnino, nec in communi, nec in speciali, retinendo, hoc potissime facit : ergo, etc.

Item Prosper[4] laudat Paulinum et Hilarium de hoc, quod facultates suas omnes pauperibus erogaverunt, licet ratione episcopalis officii, ecclesiastica bona postmodum dispensaverunt, sicut habetur 12, quæst. 1, *Expedit*[5], ubi ait sic : « Denique sanctus Paulinus ingentia prædia, quæ fuerunt sua, pauperibus erogavit. » Et infra : « Quid sanctus Hilarius? Nonne et ipse omnia sua, aut pauperibus reliquit, aut vendita omnia pauperibus erogavit? Laudantur hi, et laudabiles sunt, quia omnia sua propter Deum contempserunt : sed hoc potissime faciunt, qui nec in communi, nec in speciali sibi aliquid retinent : ergo tales maxime accedunt ad culmen perfectionis evangelicæ.

Item hoc ipsum ostenditur ratione. Duplex est civitas, scilicet Dei, et diaboli; Hierusalem, et Babylon : quæ oppositionem habent, et in seipsis, et in suis fundamentis. Sed fundamentum civitatis Babylonis, ut dicit Augustinus[6], est cupiditas : ergo quanto magis quis recedit a cupiditate, tanto magis recedit de diaboli civitate. Sed paupertas in qua quis in communi et in speciali prorsus omnibus abrenuntiat, tam effectu, quam affectu, ipsa est quæ maxime elongat ab avaritia : ergo, etc.

Item, divitiæ sunt incendium cupiditatis, quia difficile est habere, et non amare. Sed quanto quis magis se elongat ab incentivo peccati, tanto perfectius agit; hoc autem facit, qui in communi et in speciali omnibus abrenuntiat : ergo, etc.

Item triplex est consilium, paupertatis, obedientiæ, et castitatis : sed quanto quis generalius obedit, et universalius, tanto perfectius agit; similiter et de consilio castitatis : ergo pari ratione verum erit et de consilio paupertatis.

Item, si dicas quod non est simile, quia divitiæ sunt de necessitate vitæ, hoc nihil est, cum multi, qui nihil prorsus habent proprietatis, vivere possunt.

Item perfectior est paupertas, quam perfectior concomitatur obedientia. Sed qui habent proprium in communi, ab illo per obedientiam non possunt excludi, nisi ratione peccati : qui autem nihil prorsus habent, obedire tenentur ubique terrarum. Si ergo perfectio evangelica maxime consistit in perfectione obedientiæ, universaliter omnibus abrenuntiare nihil prorsus reservando, ad culmen facit perfectionis evangelicæ.

Item : Contemptus præsentis sæculi est laudabilis : hæc est per se vera. Ergo major contemptus, magis laudabilis; et maximus contemptus, maxime laudabilis. Sed maxime contemnit præsens sæculum, qui abre-

[1] Greg., *in Ezech.*, lib. II, hom. VIII, al. XX, n. 15. — [2] Chrysost., *quod nemo lædítur nisi a seipso*, n. 11. — [3] Bern., *ad Henric. Senon. Arch.*, epist. XLII, al. *De Officio Episcop.*, c. III, n. 11. — [4] Prosp. Aquit., *de Vit. Contempl.*, lib. II, c. IX. — [5] *Corp. jur. can.*, caus. XII, q. I, c. XIII. — [6] August., Enarr. *in Psal.* LXIV, n. 2.

(*a*) *Apud. Bern.* Fidelis. — (*b*) *Item* denique.

nuntiat omnibus in communi, et in speciali : ergo talis perfectissime agit.

Item paupertas alta est laudabilis : hæc est per se vera. Ergo altior, laudabilior ; et altissima, laudabilissima. Sed hujusmodi est, quæ nec in communi, nec in proprio aliquam proprietatem sibi reservat : ergo, etc.

Item tanto via rectior, quanto ejus medium conformius est extremis : sed summa paupertas est, tam in principio vitæ, quam in termino : ergo si in medio omnia abdicentur, via rectissima proceditur. Sed quanto via rectior, tanto perfectior est : ergo via et vita pauperrima, perfectissima est.

Arg. I in contrarium. Sed contra in *Ecclesiastico* dicitur [1] : *Propter inopiam multi deliquerunt.* Sed nihil quod est ducens ad culpam, spectat ad perfectionem evangelicam : ergo, etc.

Item in *Ecclesiasta* (*a*) dicitur [2] : *Utilior est sapientia cum divitiis :* Glossa : « quam sola. » Sed divitiæ non faciunt hominem perfectum : ergo (*b*) minus paupertas et indigentia.

Item in *Proverbiis* [3] : *Divitias et mendicitatem ne dederis mihi.* Et post : *Ne egestate compulsus furer, et perjurem nomen Dei mei.* Sed nihil facit ad perfectionem evangelicam, quod sapiens sapienter recusat : ergo, etc.

II. Item Christus dicit [4] : *Perfectus omnis erit, si sit sicut magister ejus.* Sed Christus loculos habuit, sicut patet in *Joanne* [5], ubi dicitur, quod Judas loculos ferebat : ergo propter proprietatem nolle in communi habere, non videtur esse perfectio, sed potius superstitio, in qua discipulus videtur se velle præferre magistro. Si dicat, quod loculos non habuit ; contra Augustinus dicit [6] : « Habebat Dominus loculos, a fidelibus oblata conservans, et suorum necessitatibus, et aliis indigentibus tribuebat. »

III. Item super illud [7] : *Habentes alimenta,* etc., Glossa : « Et si nihil intulerimus in hunc mundum, non tamen prorsus abjicienda sunt hæc temporalia. » Ergo qui totum abjicit, male facit.

Item, II *ad Corinthios* [8] : *Si voluntas prompta est, secundum id, quod habet,* etc. Glossa : « Necessaria retineant, non ultra vires dando. » Ergo male facit, qui sic dispensat, quod nihil sibi prorsus reservat. IV.

Item, qui tentat Deum, peccat mortaliter : sed qui habet humanum refugium, et, illo prætermisso, quærit divinum, tentat Deum : hoc autem facit, qui habet unde sustentetur, et, illo dimisso, expectat diutius sustentari : ergo talis facit contra Evangelium. V.

Item virtus circa medium consistit : sed omnino omnia dimittere, est ad extremum declinare : ergo hoc magis est vitii, quam virtutis, seu perfectionis evangelicæ. VI.

Item, sicut omnia tenere semper, est avaritia, sic omnia dare semper, est prodigalitas : sed omnia tenere, semper est vitium : ergo similiter et omnia dare. VII.

Item, qui subtrahit alii necessaria, peccat mortaliter : sed tantum tenetur quis sibi providere, sicut alii : ergo qui omnia dimittit, et nihil sibi reservat, peccat mortaliter, quia facit contra perfectionem evangelicam. VIII.

Item, qui exponit se periculo interfectionis, peccat mortaliter : ergo similiter qui exponit se periculo famis : sed talis est, qui omnia dimittit, et nihil sibi reservat : ergo, etc. IX.

Item nullus debet rejicere omnino, quod quotidie petit a Deo : sed omni die petimus in oratione Dominica *panem nostrum quotidianum :* ergo male facit, qui deserit totum. X.

Responsio : Dicendum, quod abrenuntiare omnibus, tam in privato, quam in communi, est christianæ perfectionis, non solum sufficientis, sed etiam abundantis, tanquam perfectionis evangelicæ consilium principale, et principium fundamentale, funda-

[1] *Eccli.*, XXVII, 1. — [2] *Eccle.*, VII, 12. — [3] *Prov.*, XXX, 8, 9. — [4] *Luc.*, VI, 40. — [5] *Joan.*, XII, 6. — [6] Aug., *in Joan.*, tract. LXII, n. 5, citat. *in Corp. jur. can.*, caus. XII, q. I, c. XVII. — [7] I *Tim.*, VI, 8. — [8] II *Cor.*, VIII, 12.

(*a*) Cæt. edit. *Ecclesiastico.* — (*b*) *Suppl.* multo.

mentum sublime. Primum suadet natura, secundum Scriptura, tertium gratia. Primum, inquam, est consilium principale, quia viam præbet ad alia. Nam abundans paupertas disponit ad carnis mortificationem, et ad voluntatis propriæ perfectam abnegationem, cum nihil sibi detineat, nec domum, nec tectum, nec aliquam rem. Ad ipsam autem specialiter viam facit ipsa natura, sive instituta, sive lapsa. Nam homo nudus formatus est, et, si in statu illo stetisset, nihil sibi prorsus appropriasset; homo vero lapsus nudus nascitur, nudus moritur. Et ideo hæc rectissima via est, ut ab extremis non declinans, quantum potest natura pati, pauper et nudus incedat. Et hoc est quod dicitur [1]: *Nihil intulimus in hunc mundum; haud dubium, quia nec auferre quid possumus.* Et ex hoc concludit: *Habentes alimenta, et quibus tegamur*, etc. Hoc autem nihil arctius vel pauperius, quam simplici victu et operimento esse contentum, quod ex naturæ documento persuadet Apostolus, tanquam bonum et perfectum. Est etiam principium fundamentale. Lex enim vetus differt a nova in hoc, quod illa timorem, hæc amorem; illa temporalia promittit, hæc temporalia contemnere docet. Si igitur fundamentum perfectionis civitatis Dei principaliter consistit in charitate, et illa potissime est perfecta, quando omnis excluditur cupiditas, quia venenum charitatis est cupiditas; hanc autem cupiditatem omnino foras mittit, quia omnia omnino, et re, et voluntate relinquit: sicut *radix omnium malorum est cupiditas* [2], sic radix et principium perfectionis est altissima paupertas. Unde Augustinus, in libro *octoginta trium quæstionum* [3]: «Charitatis venenum est spes adipiscendorum ac retinendorum temporalium; nutrimentum ejus imminutio cupiditatis; perfectio ejus nulla cupiditas; signum profectus ejus imminutio timoris; signum perfectionis ejus nullus timor: quia [2] *radix omnium malorum est cupiditas*, et [4] *perfecta charitas foras mittit timorem.*» Illa igitur paupertas est perfectissima, quæ omnino cupiditatem exterminat. Est nihilominus fundamentum sublime, quia cum duplex sit vita ad quam disponit gratia, scilicet activa et contemplativa; activa deorsum ordinat, sed contemplativa sursum in cœlum erigit. Nullus autem spiritus magis idoneus ad hoc, quam ille, qui penitus est exoneratus ab onere temporalium, et qui thesaurum suum totum habet in cœlo, et cujus regnum non est de hoc mundo, qui non habet hic manentem civitatem, sed futuram inquirit. Talis autem est, qui omnibus terrenis perfecte abrenuntiat: et ideo talis jam fundamentum sui ædificii collocatum habet in excelsis. Unde Augustinus, in libro *de Agone Christiano* [5]: « Cum cognitio et actio beatum hominem faciant; sicut in cognitione cavendus est error, sic in actione cavenda est nequitia.» Errat autem, si quis putat se veritatem posse cognoscere, cum adhuc nequiter vivat: nequitia autem est mundum istum diligere, et ea, quæ nascuntur et transeunt, pro magno habere, et concupiscere, et pro his laborare ut acquirantur, et lætari cum abundaverint, et timere ne pereant, et contristari cum pereunt. Ille igitur potissime est idoneus ad contuitionem sublimium, et ibi sublimiter fundatus, qui est perfectissimus contemptor omnium istorum. Talis est, qui totum cogitatum suum jactat in Domino, et omnem sollicitudinem, qui nullam prorsus habet possessionem. Est igitur perfectionis christianæ pro Christo nihil in mundo possidere, nec in communi, nec in proprio. Idem Dominus expressissime consulit: idem exemplum in semetipso ostendit: idem Spiritus sanctus in sanctis hoc multipliciter persuasit. Nam hujusmodi arduissimam paupertatem, sicut ostensum est, persuadet natura, Scriptura, et gratia. Persuadet Dominus Jesus Christus instruendo, conversando, inspirando. Quis enim spiritus, nisi Dei, facit ho-

[1] I *Tim.*, VI, 7. — [2] Ibid., 10. — [3] Aug., lib. *LXXXIII Quæst.*, q. XXXVI, n. 1. — [4] I *Joan.*, IV, 18. — [5] Aug., *De Agon. Christ.*, XIII, 14.

minem contemnere præsentia, et amare cœlestia? Nam hoc non facit spiritus diaboli, nec mundanus, nec proprius, cum semper inclinent ad bonum privatum : facit igitur Spiritus sanctus. Et hinc est, quod, Spiritu sancto dictante, istum modum vivendi summus Pontifex approbavit, sicut dicit Decretalis *de excessibus prælatorum*[1], *Nimis prava*, quod « ordinem et regulam fratrum Prædicatorum, et Minorum, sedes Apostolica noscitur approbasse : » unde huic contrarium, nulli prorsus licet sentire. Quare tales videntur stulte agere, periculis se exponere, et Deum tentare. Nam contra tales dicitur in regula B. Francisci, in qua paupertas hujusmodi confirmatur : « Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam, » etc. Contra tales etiam dicit Augustinus in tractatu *de Eleemosyna :* « Elias in solitudine corvis ministrantibus pascitur, et Danieli in lacu ad leonum prædam, jussu regis, incluso, prandium divinitus apportatur ; et tu metuis ne operanti, etiam apud Dominum promerenti, desit alimentum, cum ipse in Evangelio ad exprobrationem eorum, quorum mens dubia, et fides parva est, contestetur, et dicat[2] : *Aspicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, et Pater vester cœlestis pascit illa*? *Nonne vos pluris estis illis* ? Volucres Deus pascit, et volucribus alimenta diurna præstantur, et quibus nullus divinæ rei sensus est, eis nec cibus, nec potus deest ; et tu Christiano, tu Dei servo, tu bonis operibus dedito, tu Domino suo charo, aliquid existimas defuturum ? An eis terrena deerunt, quibus cœlestia et divina tribuuntur ? Unde hæc incredula cogitatio ? unde impia et sacrilega ista meditatio? Quid faciet in domo Dei perfidum pectus ? Quid qui Christo omnino non credit, appellatur et dicitur Christianus ? Pharisæi tibi magis congruit nomen. » Nam cum in Evangelio de eleemosynis disputaret, et ut nobis amicos de terrenis lucris provida operatione faceremus, qui nos postmodum in æterna tabernacula susciperent, fideliter et salubriter prænoneret, addit post hoc Scriptura, dicens[3] : *Audiebant hæc omnia Pharisæi, qui erant avari, et deridebant illum.* Quales nunc sunt in Ecclesia, quorum quosdam videmus, quorum præclusæ aures, et corda cæcata, nullum de spiritualibus ac salutaribus monitis lumen admittunt. De quibus mirari non debemus, quod contemnant in talibus servos, quando a talibus ipsum Dominum videamus esse contemptum.

Ex hoc apparet evidenter, quod omnino omnibus abrenuntiare universaliter pro Christo, culpandum non est, sed potius laudandum, tanquam culmen evangelicæ perfectionis. Unde rationes, exempla et auctoritates concedendæ sunt ad istam partem, ad quam sufficientissime astruendam una sola auctoritas expressa ex ore Christi consulentis dimittere omnia, esset sufficientissima, etiam si multa glossarum expositarum et Sanctorum dicta viderentur esse contraria. Ait enim Augustinus *ad Paulinam* (*a*)[4], *de videndo Deo*, sic : « Attende quæ credis, et in eis ipsis quibus non visis accommodas fidem, ipsa testium pondera discernenda sunt. Nec enim mihi sic credis, quemadmodum Ambrosio, aut si ambobus nobis æqua lance putas esse credendum, numquid ullo modo Evangelio comparabis ? An scripturam nostram scriptis canonicis coæquabis? Profecto si recte in judicando sapis, longe nos infra vides ab illa auctoritate distare, et me quidem longius. Sed utrique nostrum quantumlibet credas, utrumque illi excellentiæ nequaquam comparas. » Igitur, quoniam divina auctoritas sic expresse dicit omnia dimittenda ei, qui ad perfectionem conscendere cupit evangelicam, manifestum est, quod verum certitudinaliter debet teneri, quod ei non possit sine periculo fidei obviari.

Ad illud vero, quod primo objicitur in contrarium, quod pertrahit ad peccatum, Ad argument. in con

[1] *Decretal.*, lib. V, tit. XXXI, c. XVII. — [2] *Matth.*, VI, 26. — [3] *Luc.*, XVI, 14. — [4] August., *ad Paulinam*, epist. CXLVII, al. CXII, n. 39.

(*a*) Cæt. edit. *Paulinum.*

trarium. Ad I. et de egestate quæ facit perjurare, dicendum, quod duplex est inopia, quædam voluntaria, et quædam involuntaria. Inopia involuntaria inducit defectum mentis, et pronitatem et occasionem inducit ad peccandum. Inopia autem, seu paupertas voluntaria, hæc habet adjunctam sufficientiam, juxta illud [1]: *Tanquam nihil habentes*, etc. Et hæc disponit ad justitiam perfectam, quia mentem facit ad omne bonum idoneam; sicut e contra radix omnium malorum est avaritia. Et est quod dicit Chrysostomus [2]: « Si volueris videre amantis aurum animam, quemadmodum vestimentum a decem millibus corrosum vermibus, et nihil habens sanum, ita invenies perforatam eam undique a sollicitudinibus, et a peccatis putrefactam, ærugine plenam. Sed non anima inopis voluntarii talis est; sed fulget quidem velut aurum, splendet autem velut margarita, florescit autem velut rosa. Non est illic tinea, non est illic fur, non est illic sollicitudo vitæ hujus negotiorum; sed sicut angelus, ita conservatur. Non subjacet dæmonibus; non assistit regi, sed assistit Deo; non militat cum hominibus, sed cum angelis; non habet thesaurum terram, sed cœlum; non indiget servis, magis autem habet servos, possessiones et (*a*) cogitationes, quæ regibus (*b*) dominantur. Quid igitur paupere hoc melius est unquam? Pavimentum denique habet cœlum. Si autem pavimentum tale est, excogita tectum. Sed non habet equos et currum. Quid autem ei opus est, qui super nubes (*c*) vehi debet, et esse cum Christo? » Ex his apparet, quod in voluntaria paupertate magna est sufficientia, magna est nobilitas, quæ facit transcendere cuncta terrena.

Vel potest dici aliter, quod illa dicta sunt tempore legis scriptæ, quæ temporalia promittebat, non æterna; in qua paupertas contemnebatur. Unde Chrysostomus, tractans prædictum verbum [3], *Divitias, et mendicitatem*, etc., dicit [4]: « Hæc dicebantur in Veteri Testamento, ubi multa ratio divitiarum habebatur, ubi paupertatis plurimus erat contemptus, ubi hoc quidem maledictum, scilicet paupertas; illud autem benedictum, scilicet divitiæ. Sed nunc nequaquam ita. Sed si vis audire paupertatis prædicatum, ipsam professus est Christus, et dixit [5]: *Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet*. Et iterum discipulis dicebat [6]: *Nolite possidere aurum.* » Ex quo apparet, quod auctoritas non est contraria assumentibus voluntariam paupertatem, cum illud dictum sit tempore legis scriptæ, istud autem tempore legis gratiæ. Nec illud dictum est in persona viri perfecti, sed potius infirmi, ut ex verbo Chrysostomi patet. Et per hoc patet responsio ad tres auctoritates primas.

Ad II. Ad illud quod objicitur, quod Christus habuit loculos; dicendum, quod Christus habuit loculos tribus de causis. Habuit enim loculos pro pauperibus aliis, secundum quod dicit Hieronymus in auctoritate supra posita: « Christus tantæ paupertatis fuit, » etc. Et hoc non tollit paupertatem summam. Habuit etiam loculos compatiendo infirmis, sicut dicitur in Glossa super illud Psalmi [7]: *Producens fœnum jumentis*: « Dominus loculos habebat, vel habuit, in usus eorum, qui cum eo erant, et suos; et religiosas mulieres in comitatu, quæ ministrabant ei de substantia sua, in his infirmorum magis personam suscipiens. Prævidit enim multos infirmos futuros, et ista quæsituros; et ibi eorumdem personam suscepit, ubi dixit [8]: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* » Et de his duobus, super illud Joannis [9]: *Ea quæ mittebantur*, etc.. Glossa: « Cui angeli ministrabant, loculos habet in sumptus pauperum, condescendens infirmis. » Habuit etiam loculos in articulo necessitatis, ut pote quan-

[1] II *Cor.*, VI, 10. — [2] Chrysost., *in Matth.*, hom. XLVII, al. XLVIII, n. 4. — [3] *Prov.*, XXX, 8. — [4] Chrysost., *in Epist. ad Hebr.*, hom. XVIII, n. 2. — [5] *Matth.*, VIII, 20. — [6] Ibid., X, 9. — [7] *Psal.* CIII, 14. — [8] *Matth.*, XXVI, 38. — [9] *Joan.*, XII, 6.

(*a*) *Leg.* habet servos, animi morbos; habet servos, nempe. — (*b*) *Cæt. edit.* rebus. — (*c*) *Leg.* nube.

do transibat per Samaritanos. In quo etiam articulo, discipulis loculos habere permisit, secundum illud [1] : *Quando misi vos sine sacculo et pera,* etc. Glossa : « Non eadem regula vivendi persecutionis, qua pacis tempore discipulos informat. Missis quidem discipulis ad prædicandum, ne quid tollerent in via, præcepit, ordinans scilicet ut qui Evangelium nuntiat, de Evangelio vivat. Instante vero mortis articulo, et tota illa gente Pastorem simul et gregem persequente, congruam tempori illi regulam decrevit, permittens ut tollerent necessaria victui, donec sopita persecutorum insania, tempus evangelizandi redeat. » Ex his enim Glossis manifeste apparet, quod modus habendi loculos in Domino, in nullo minuit paupertatem. Sic enim Dominus condescendit infirmitati et necessitati, ut tamen salva esset forma paupertatis, et exemplum quod præcipue monstrare venerat hominibus. Juxta quod dicit Apostolus [2] : *Factus est pro nobis egenus, ut illius inopia divites essemus,* paupertatem scilicet altissimam voluntarie imitando.

Ad III. Ad illud quod objicitur de Glossa [3] : *Habentes alimenta,* ubi dicitur, quod non sunt abjicienda omnino temporalia ; dicendum quod intelligit de abjectione temporalium quantum ad usum, non quantum ad dominium. Nam usus temporalium necessarius est vitæ humanæ, qui tamen haberi potest absque dominio et proprietate. Sic patet in pauperibus, qui nihil proprietatis habent. Et quod iste sit intellectus, patet per illud quod sequitur in Glossa immediate, ubi subditur : « Sed habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus : qui ultra tendit, malum invenit. » Esse igitur contentum usu tegumenti et alimenti, est modus perfectæ virtutis. Et sic Glossa debet intelligi, nec hoc repugnat altissimæ paupertati. Qui autem sic vellet temporalia abjicere, ut nec vellet alimenta suscipere, nec operimentum habere, non operaretur perfecte, sed stulte. Et hoc vult Glossa illa insinuare.

Ad illud quod objicitur de Glossa : *Si voluntas prompta est* [4], Glossa : « Ut necessaria remaneant ; » dicendum quod Glossa illa truncata est, quia statim sequitur : « Non hoc dicitur, quin melius esset, scilicet totum dare ; sed infirmis timet, quos sic dare monet, ut egestatem non patiantur. » Ex quo apparet, quod Glossa illa potius facit ad contrarium, quam ad propositum, si sano oculo, et recto inspiciatur. Ad IV.

Ad illud quod objicitur, quod qui sic universaliter omnibus abrenuntiat, tentat Deum ; dicendum quod falsum est, tum propter divina promissa, tum propter plurima remedia, quæ haberi possunt, tum propter exempla quibus manifeste videmus quod tales pauperes sustentantur. Ex quo manifeste colligitur, si obdurati non sumus, quod talis modus abrenuntiandi divinitus inspiratur, nec facit tentare Deum, si sic abrenuntians divinis promissionibus innititur ; quin potius ille Deum tentat, qui de divinis promissionibus dubitat. Propter quod Hieronymus, super illud [5] : *Nonne anima plus est quam esca?* « In promissis veritatis nemo dubitet ; sit homo quod esse debet, et mox adduntur ei omnia. » Qui igitur de hoc dubitat, sicut filii Israel, Deum tentat, qui dicebant [6] : *Numquid poterit Deus parare mensam in deserto?* His autem non debent viri perfecti conformari, sed potius Apostolis, de quibus dicitur [7] : « *Aporiamur, sed non destituimur,* » id est, pauperes sumus ad eo, ut necessaria desint ; sed non destituimur a Deo omnino, quia Deus pascit nos. Et quod illud extendatur non solum ad Apostolos, verum etiam ad eorum imitatores, apparet per illud quod dicitur [8] : *Sint mores sine avaritia, contenti præsentibus. Ipse enim dixit* [9] *: Non te deseram, neque derelinquam.* Ibi Glossa : « Ipse Dominus omnipotens ad Jesum Nave : *Non te deseram* (*a*), quin dem necessaria ; *neque derelinquam* ; derelinqueretur ille, Ad V.

[1] *Luc.*, XXII, 35. — [2] II *Cor.*, VIII, 9. — [3] I *Tim.*, VI, 10. — [4] II *Cor.*, VIII, 12. — [5] *Matth.*, VI, 25. — [6] *Psal.* LXXVII, 19. — [7] II *Cor.*, IV, 8. — [8] *Hebr.*, XIII, 5. — [9] *Jos.*, I, 5.

(*a*) Vulg. *dimittam.*

qui fame periret; sed quia hoc non est, non sit homo cupidus. » Hoc post mortem Moysi dixit Josue; hoc etiam dicit omni speranti in se, sicut Josue : hæc enim nobis promittit, ut in illo spem nostram ponamus. Non tenacibus, non cupidis, sed sperantibus in eum fit ista promissio. Etiam, quia poterat illis videri, quod hæc promissio ad Josue tantum pertineret; ad hoc Apostolus respondet, dicens quod nos juvabit, sicut juvit illum, quasi dicat : Non est dubitandum de promissione, quia Jesus Christus qui [1] *heri*, id est, in præterito adjuvit Josue, et ipse *hodie*, id est, in præsenti adjuvat nos, et alios fideles, et adjuvabit in futuro, *in sæcula*, id est, sine fine.

Ad VI. Ad illud quod objicitur, quod virtus consistit circa medium, dicendum quod illud est verum quantum ad ea, quæ sunt necessitatis, sicut est largitas; sed fallit in his quæ sunt supererogationis, sicut est consilium paupertatis et castitatis. Talium enim perfectio potius attenditur secundum perfectam considerationem ad Christum, et divinæ dilectionis modum, qui est, ut Deus super omnia diligatur, quam secundum superfluum et diminutum circa exterius objectum. Et quod illud sit verum, patet per Ambrosium in libro *de Officiis*, ubi dicit [2] : « Officium omne, aut est medium, aut perfectum est, quod Scripturarum auctoritate probare possumus. Habemus enim in Evangelio [3] : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Non homicidium facies*, etc. Hæc sunt media officia, quibus aliquid deest. [4] *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus :* ubi diligendos inimicos, et orandum dicit pro calumniantibus, et persequentibus nos, si volumus perfecti esse. Hoc est igitur perfectum officium, quod catorthoma [5] dixerunt Græci, quo corrigantur (*a*) omnia, quæ ad (*b*) aliquos potuerunt lapsus habere. » Largitas igitur, quæ attenditur secundum officium medium, in largiendo servat modum. Paupertas vero spiritus, quæ attenditur secundum officium perfectum, tribuit totum. Unde, eodem libro, in tractatu de liberalitate dicit [6] : « Liquet debere esse modum liberalitatis, ne fiat inutilis largitas, cujus sobrietas est tenenda. » De quo modo subjungit [7] : « Modus liberalitatis tenendus est, ut quod bene facis, id continue facere possis, ne subtrahas necessitati, quod indulseris effusioni. [8] Potuit enim donare Joseph totas Ægypti opes, effundere thesauros regios, noluit tamen de alieno effusus videri. Maluit frumenta vendere, quam donare esurientibus, quia si paucis donasset, pluribus defuisset. » Sed hoc spectat ad officium medium, secundum quod ipse alibi dicit, tractans in eodem libro illud Apostoli [9], *Non ut aliis refectio* (*c*), *vobis autem angustia* (*d*) [10] : « Advertimus quemadmodum benevolentia, et liberalitas, et modum comprehendit, et fructum atque personas. Ideo modum, quia imperfectis dabat consilium. Non enim patimur, nisi perfecti (*e*). » Verum quia perfectioni non repugnat modum tenere, si quis dispenset bona Ecclesiæ, ideo subjungit [11] : « Sed si quis nolens Ecclesiam gravare, in sacerdotio constitutus aliquo, aut ministerio, non quod totum habet, conferat, sed operetur cum honestate quæ (*f*) officio sat est, non mihi imperfectus videtur. » Ex dictis igitur colligitur, quod licet virtutis secundum statum communem, et officium medium, sit tenere medium, perfectionis tamen evangelicæ est relinquere totum. Si tamen in communi aliquid habeatur, ut dispensetur, hoc non facit imperfectum. Nec totum universaliter relinquere dicit excessum, quia hoc spectat ad perfectum officium, ut patet ex his quæ dicta sunt, et ex hoc quod Ambrosius præmittit in præcedenti capitulo,

[1] *Hebr.*, XIII, 8. — [2] Ambros., *de Offic. Ministr.*, lib. I, c. XI, n. 36, 37. — [3] *Matth.*, XIX, 17-18. — [4] Ibid., 21. — [5] Κατορθωμα. — [6] Ambros., *de Offic.*, lib. II, c. XVI, n. 76. — [7] Ibid., n. 78. — [8] Ibid., n. 79. — [9] II *Cor.*, VIII, 13. — [10] Ambros., *de Offic.*, lib. I, c. XXX, n. 152. — [11] Ibid.

(*a*) *Apud Ambros.* corriguntur. — (*b*) *Del.* ad. — (*c*) Vulg. *remissio.* — (*d*) Vulg. *tribulatio.* — (*e*) *Leg.* Non enim patiuntur angustias, nisi imperfecti. — (*f*) *Leg.* quantum.

ubi sic ait [1] : « Cæterum Dominus non simul vult effundi opes, sed dispensari, nisi forte ut Elisæus boves suos occidit, et pavit pauperes ex eo quod habuit, ut nulla cura teneretur domestica, sed relictis omnibus in disciplinam se propheticam daret. » Si ergo pro disciplina prophetica sunt omnia relinquenda, multo fortius pro perfectione evangelica.

Ad VII. Ad illud quod objicitur, quod omnia dispergere est prodigalitas, dicendum quod tunc est prodigalitas, quando omnia disperguntur pro vanitate, non autem quando dantur pro utilitate. Et sic est de evangelica paupertate, quia Dominus [2] *centuplum* restituet *in præsenti cum tribulatione, et in futuro vitam æternam.* Secus autem est de universali retentione omnium : illa enim non fit pro spirituali utilitate, sed magis pro terrena cupiditate. Ideo non est simile hinc et inde.

Ad VIII. Ad illud quod objicitur : « Et qui alii subtrahit necessaria, » etc.; dicendum quod non est simile, quia qui subtrahit alii necessaria, violentiam facit, et inducit eum in paupertatem involuntariam. Qui autem subtrahit sibi, voluntarie facit, et in paupertatem voluntariam se inducit. Ac per hoc, sicut argumentum illud non valet : « Paupertas involuntaria non est laudanda : ergo nec voluntaria; » sic non cogit ratio prædicta. Alius etiam est defectus in argumento prædicto, quia procedit per falsi suppositionem, pro eo quod omnibus universaliter abrenuntians, necessaria sibi omnia non subtrahit, quia divinæ providentiæ regimini se committit, et multos vivendi modos, et quærendi necessaria, sibi relinquit.

Ad IX. Ad illud quod objicitur, quod se exponit periculo famis; dicendum quod falsum est, sicut omnino apparet ex prædictis, et manifeste colligitur ex omnibus temporibus retroactis. Nusquam et nunquam legitur, quod aliquis volens in paupertate Deo servire, pro defectu cibi fame perierit. Et hoc est quod dicit Augustinus in tractatu quodam *de Oratione Dominica :* « Neque enim deesse quotidianus cibus potest justo, cum scriptum sit [3] : *Non occidet Dominus fame animam justi.* Et iterum [4] : *Junior fui, etenim senui, et non vidi justum derelictum.* » Et iterum : « Quærentibus regnum Dei, et justitiam ejus, omnia promittit apponi [5], et jam cum sint Dei omnia, habenti Deum nihil deerit, si Deo ipse non desit. Sic Daniel, in leonum lacu jussu regis incluso, prandium divinitus procuratur, et inter feras esurientes homo Dei pascitur. Sic alitur Elias in fuga, corvis ministrantibus et volucribus cibum apportantibus, in persecutione nutritur. O humanæ malitiæ detestanda crudelitas! feræ parent, et aves pascunt; et homines insidiantur, et sæviunt. » Ex his manifeste colligitur, quod non est periculum, sed refugium, spretis omnibus, totaliter se dedicare ad Deum colendum.

Ad illud quod objicitur, quod in oratione Dominica petimus panem nostrum quotidianum, dicendum quod hoc potius facit ad oppositum, quam ad propositum. Ex quo enim quotidie petimus victum diurnum, nec petimus quod habemus, manifestum est, quod evangelicæ perfectionis est quotidiano victu esse contentum. Quod quia non potest videri perfectio in cordibus avarorum, Dominus non solum ad hoc induxit consiliis sapientiæ, verumetiam exemplis naturæ, et oraculis gratiæ, ut sic saltem per illud triplex testimonium, paupertatis consilium firmiter comprobetur, sicut totius perfectionis evangelicæ altissimum et stabile fundamentum. Ad X.

ARTICULUS II.

De paupertate quantum ad mendicitatem.

Quæritur de mendicatione, utrum mendicare pro Christo sit christianæ perfectionis. Et voco *mendicare*, eleemosynam quæ-

[1] Ambros., *de Offic.*, lib. I, c. XXX, n. 149. — [2] *Matth.*, XIX, 29. — [3] *Prov.*, X, 3. — [4] *Psal.* XXXVI, 25. — [5] *Luc.*, XII, 31.

rere, seu de quotidianis eleemosynis vivere.

Arg. partis negativæ. Et quod non videtur, primo auctoritate Psalmi [1] : *Timete Dominum, omnes sancti ejus, quoniam non est inopia timentibus eum.* Ergo non stant simul esse inopem, et timere Deum.

II. Item Psalmus [2] : *Non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.* Ergo qui panem quærit, non est justus, nec semen justi.

III. Item Psalmus [3] : *Nutantes transferantur filii ejus, et mendicent.* Sed nihil quod Psalmista in Dei spiritu loquens imprecatur, spectat ad perfectionem evangelicam, seu ad perfectam justitiam : mendicare est hujusmodi : ergo, etc.

IV. Item Ecclesiasticus [4] : *Fili mi, in vita tua ne indigeas; melius est enim mori, quam indigere.* Ergo melius est mortuum esse, quam mendicum.

V. Item in Apostolorum Actis dicitur [5] : *Beatius est magis dare, quam accipere.* Sed dare eleemosynam non facit hominem pervenire ad perfectionem evangelicam : ergo multo magis nec accipere.

VI. Item Salvator ait [6] : *Vendite quæ possidetis;* ubi Glossa : « Ut omnibus simul pro Deo spretis, postea labore manuum operemini, unde vivatis, vel eleemosynam faciatis unicuique. » Igitur de proprio labore vivere, et eleemosynam facere, spectat ad evangelicam perfectionem : ergo oppositum ejus, scilicet mendicare, et de alieno labore vivere, est contrarium perfectioni evangelicæ.

VII. Item Apostolus dicit [7] : *Nullius aliquid desideretis ;* ubi Glossa : « Nedum rogetis, vel tollatis. » Si ergo plus est rogare vel petere, quam appetere, et primum tanquam illicitum ab Apostolo prohibetur, scilicet desiderare, vel appetere quod est alterius, ergo multo fortius petere.

VIII. Item dicit [8] : *Rogamus vos, ut noveritis eos, qui laborant inter vos, et præsunt vobis in Domino.* Ubi Glossa : « Sicut divitiæ negligentiam pariunt saluti, sic egestas, dum saturari cupit, a justitia declinat. » Sed quod facit declinare a justitia non pertinet ad perfectionem evangelicam : ergo, etc.

IX. Item dicit Apostolus [9] : *Si quis non vult operari, non* (*a*) *manducet.* Ergo vult Apostolus servos Dei corporaliter operari, ut habeant unde vivant, et non compellantur egestate necessaria petere : sed hoc est mendicantium : ergo servorum Dei non est mendicare, secundum Apostolum.

X. Item eodem capitulo, super illud [10] : *Ut formam daremus vobis,* ubi Glossa : « Qui frequenter ad alienam mensam convenit, otio deditus, necesse est ut aduletur pascenti se. » Sed adulari, est contrarium veritati et perfectioni : ergo, etc.

XI. Item dicit Urbanus Papa [11], quod Episcopi omnibus communi vita vivere volentibus, ministrare cuncta necessaria debent, prout melius poterunt, ut nemo in eis egens inveniatur. » Et post : « Si quis extiterit modernis, aut futuris temporibus, qui hoc avellere nitatur, jam dicta damnatione feriatur. » Ergo contra canonicas sanctiones est, quod aliqui vivant vita communi in Ecclesia, egendo et mendicando in ea.

XII. Item, *de Consecratione*, distinctione 1, [12] inhibetur, ne ecclesia consecretur, nisi prius dotetur. Ergo si ecclesia non debet consecrari, nisi habeat (*b*) unde sustententur, qui in ea ministrant; multo fortius nec aliqua religio institui debet sine possessione sustentativa.

XIII. Item in Jure Civili inhibetur, quod validi non mendicent, lege *de mendicantibus validis :* sed magis debet esse ordinata Ecclesia, quam respublica : si ergo quod validi mendicent, est contra rectam gubernationem

[1] *Psal.* XXXIII, 10. — [2] *Psal.* XXXVI, 25. — [3] *Psal.* CVIII, 10. — [4] *Eccli.*, XL, 29. — [5] *Act.*, XX, 35. — [6] *Luc.*, XII, 33. — [7] I *Thess.*, IV, 11. — [8] Ibid., V, 12. — [9] II *Thess.*, III, 10. — [10] Ibid., 9. — [11] *Corp. jur. can.*, caus. XII, q. I, c. *Videntes*, scilicet XVI. — [12] Ibid., *De Consec.*, dist. I, CIX, et *de consec eccl.*, c. VIII.

(*a*) Leg. *nec.* — (*b*) *Cæt. edit.* habeant.

reipublicæ, multo magis contra perfectionis sublimitatem evangelicæ.

XIV. Item hoc ipsum ostenditur ratione : Mendicare est opus indifferens : sed indifferens non fit opus perfectionis per additionem finis, sicut apparet manifeste in aliis operibus, ut ire ad ecclesiam, et facere eleemosynam : ergo, etc.

XV. Item perfectionis est, gratis et liberaliter servire, et oblationes (*a*) peccatorum refugere : sed qui eleemosynam recipit, obligat se ad interveniendum pro peccatis alienis. Si ergo obligatio hujusmodi perfectioni non consonat, ergo, etc.

XVI. Item hujusmodi qui mendicant ex professione, aut hoc faciunt quia pauperes, aut quia prædicatores : si quia pauperes, ergo omnes pauperes, qui mendicant, perfecti sunt, quod est contra Augustinum in libro *De opere Monachorum*, qui reprehendit[1] monachos mendicantes, et nihil operari volentes; si quia prædicatores, ergo nullus mendicare debet inter eos, qui non prædicat, cujus contrarium videmus tota die.

XVI. Item prædicare est quid spirituale : sed qui spirituale dat, et temporale accipit, similis est Giezi, qui pecuniam accepit a Naaman, obtentu beneficii spiritualis prius sibi exhibiti : hoc autem est damnabile : ergo damnabile est prædicatori mendicare : non ergo perfectionis evangelicæ.

XVIII. Item perfectorum est abstinere a mala specie; sed hoc est mala species, quod prædicantes temporalia petant, quia in hoc sunt similes pseudoprædicatoribus : ergo, etc.

XIX. Item hujusmodi aut habent auctoritatem in prædicando, aut non habent. Si non habent, ergo male faciunt in prædicando, ergo nil merentur; si habent, sed qui habent, possunt petere potestative : ergo tales prædicando injuriantur auctoritati prædicationis Evangelii : ergo in hoc non sunt perfecti, sed impii.

[1] Aug., *de Oper. Monach.*, n. 2 et seq. — [2] *Matth.*, X, 9-10. — [3] *Marc.*, VI, 8. — [4] *Matth.*, XIX, 12. — [5] *Luc.*, IX, 3.

XX. Item tutius et perfectius est sequi viros perfectiores, et probatiores, et sapientiores : sed viri probatissimi et sapientissimi in Religionibus fuerunt Basilius, Benedictus, Augustinus, Hieronymus, Gregorius, Hilarius et Paulinus : et tales sic sua reliquerunt, quod communia possederunt, nec mendicasse leguntur : ergo modus ita mendicandi, de novo introductus per Dominicum et Franciscum, judicatur superstitiosus et vanus, cum stultum videatur sensum et spiritum duorum pauperum hominum præponere tantæ sapientiæ et sublimitati Sanctorum præcedentium, et Doctorum.

SED CONTRA hoc videtur dictum illud Matthæi[2] : *Nolite possidere aurum, vel argentum, neque pecuniam in zonis vestris, neque peram in via, neque duas tunicas, nec calceamenta.* Ubi Glossa : « Nec ipsa necessaria, nec cellarium secum vehant; nihil præter indumentum, quo quis contentus esse potest. In hoc traditur forma Apostolis, et quod perfectionis est, perfectum est imitari. » Ergo taliter per mundum ire spectat ad perfectionem evangelicam : sed hoc est mendicare, et vivere de eleemosyna : igitur hoc spectat ad evangelicam perfectionem.

Item[3] : *Præcepit eis ne quid tollerent in via, neque panem, neque in zonis æs.* Aut igitur præcepit tanquam prælatis, aut tanquam perfectis. Si tanquam prælatis, ergo ad illud ad quod (*b*) adhuc essent astricti, quod manifeste falsum est. Præcepit igitur eis tanquam viris perfectis. Sed perfectio proponitur communiter omnibus imitanda, quia dicit[4] : *Qui potest capere, capiat.* Ergo sic vivere spectat ad perfectionem evangelicam.

Item Salvator dicit[5] : *Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam.* Ubi Glossa : « Virgam non ferre, est non esse sollicitum de his quæ necessaria sunt humanæ sustentationi, quia hæc debentur prædicatoribus. » Si ergo excludere sollicitudinem de necessaria susten-

(*a*) *Cæt. edit.* obligationes. — (*b*) *Del.* ad quod.

tatione, Dominus persuasit Apostolis, quos etiam ad prædicandum inter infideles misit; multo fortius, cum prædicatur Evangelium fidelibus, perfectionis est de hujusmodi non esse sollicitum, sed victu et vestitu sibi dato esse contentum.

Item ait [1] : *Quicumque susceperit puerum in nomine meo*, ibi Glossa interlinearis : « pauperem. » Et alia Glossa : « Qui imitatorem Christi recipit, Christum recipit. » Ergo cum suscipitur pauper imitans Christum, suscipitur Christus. Si ergo perfectionis evangelicæ est esse pauperem, et Christi imitatorem; perfectionis evangelicæ est in tali paupere pro Christo suscipi. Qui ergo mendicando petit, a perfectione evangelica non recedit.

Item dicit [2] : *Nolite portare sacculum, neque peram :* ubi Glossa : « Tanta debet prædicatori esse fiducia in Deo, ut præsentis vitæ sumptus etsi non prævideat, sibi tamen non defecturos certissime sciat, ne, dum occupatur mens ad temporalia, minus prædicet æterna. » Ad expeditiorem igitur prædicationem veritatis facit, quod quis temporalia non prævideat sibi, sed expectet sibi ab aliis dari, cum necesse habuerit. Ergo talis modus vivendi consonat veritati, et evangelicæ perfectioni.

Item alibi dicit [3] : *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Ubi Glossa : « Non quoslibet pauperes, sed eos, qui possunt in æterna tabernacula recipere. » Sed tales sunt *pauperes spiritu,* quorum *est regnum cœlorum* [4]. Ergo secundum divinum consilium est, quod eleemosynæ talibus pauperibus dentur, et quod ab eis suscipiantur. Sed quod divino consilio consonat, perfectioni evangelicæ non repugnat : ergo, etc.

Item Hieronymus, *adversus Vigilantium*, tractans præmissum verbum, dicit [5] : « Num isti pauperes, inter quorum sordes et illuviem corporis, flagrans libido dominatur, possunt habere æterna tabernacula, qui nec præsentia possident, nec futura? Non enim simpliciter pauperes, sed *pauperes spiritu* beati appellantur. De quibus scriptum est [6] : *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem; in die mala liberabit eum Dominus.* In vulgi pauperibus sustentandis, nequaquam intellectu, sed eleemosyna opus est; in sanctis pauperibus, beatitudo est intelligentiæ, ut ei tribuat qui erubescit accipere, et dum acceperit, dolet, metens carnalia, et seminans spiritualia. » Hæc Hieronymus.

Item Apostolus ait [7] : *Vestra abundantia illorum inopiam suppleat, ut et illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum.* Glossa : « Vestra abundantia terrénorum, suppleat illorum inopiam, ut e converso abundantia illorum spiritualium, qui divinis vacant, vestræ sit inopiæ supplementum. » Si ergo hoc spectat ad perfectionem dominici corporis, quod membra sibi communicent ratione dati, et accepti; ad perfectionem Ecclesiæ et Evangelii facit, quod pauperes justi sustentationem petant et accipiant a divitibus mundanis et imperfectis. Si dicas, quod possunt accipere, sed non petere, hoc nihil est, quia divites mundani possunt petere orationes virorum spiritualium ad relevandum inopiam meritorum suorum : ergo, versa vice, possunt pauperes spirituales petere eleemosynam corporalem ad sustentationem corporum.

Item hoc ipsum ostenditur exemplo Christi, de quo Psalmista [8] : *Ego autem mendicus sum et pauper.* Glossa : « Hoc dicit Christus de se : *Ego mendicus sum*, in forma servi. Mendicus est, qui ab alio petit; pauper est, qui sibi non sufficit. » Sed constat, quod hoc non intelligitur de Christo quantum ad dona, sive bona spiritualia, quia comprehensor et omnis gratiæ plenus erat : ergo intelligitur quantum ad dona temporalia : igitur

[1] *Luc.*, IX, 48. — [2] *Luc.*, X, 4. — [3] Ibid., XVI, 9. — [4] *Matth.*, V, 3. — [5] Hieron., *adv. Vigilant.*, col. III. 165. — [6] *Psal.* XL, 2. — [7] II *Cor.*, VIII, 14. — [8] *Psal.* XXXIX, 18.

quantum ad illa mendicus erat, et ab alio petebat.

Item Psalmista [1] : *Persecutus est hominem inopem et mendicum.* Glossa : « Scilicet Christum. Pauperes persequi, sola sævitia est. Alii vero pro divitiis et honoribus interdum hujusmodi patiuntur. » Aut ergo dicitur Christus mendicus, quia mendicabat a Patre, aut quia mendicabat ab homine. Si quia mendicabat a Patre, ergo omnes homines sunt mendici, tam divites, quam pauperes; ergo Christum persequi non fuisset summa sævitia. Si quia mendicabat ab hominibus, habemus propositum.

Item Dominus [2], *circumspectis omnibus, exiit in Bethaniam.* Ubi Glossa : « Si quis eum hospitio susciperet. » Tantæ enim paupertatis fuit, et ita nulli adulatus, ut in tanta urbe nullum hospitium inveniret. Et constat, si voluisset hospitium conducere, invenisset ad conducendum : ergo circumspiciebat tanquam pauperculus, et mendicus.

Item ait [3] : *Zachæe, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere.* Glossa : « Non invitatus invitat. » Sed invitare alium ad hoc, quod eum recipiat hospitio, nihil aliud est, quam mendicare et petere : ergo, etc.

Item dicit [4] : *Da mihi bibere.* Ubi Augustinus [5] : « In omni re quam Christus gessit ut homo, hominibus in se credituris præbebat exemplum. » Et post [6] : « Petit bibere, et promittit bibere : eget quasi accepturus, et promittit quasi satiaturus. » Sed constat, quod potu spirituali non egebat : ergo corporali potu egebat, et illum postulabat. Sed objicies Glossam, quasi contrariam, quæ dicit : « Licet Jesus post fatigationem sitire posset, tamen hunc potum non exigit. » Sed hoc intelligitur, quod principaliter hunc potum non petebat, ne Glossa facto contradicat.

Item Hieronymus, *ad Rusticum* [7] : « Quid Samaritana vilius? Ipsa tamen non solum credit Messiam, quem cognoscit ad fontem; sed et, discipulis ementibus, esurientem reficit, lassumque sustentat. » Ergo videtur quod Christus ab illa fuerit sustentatus corporaliter.

Item, sicut evangelica narrat historia, Christus invitatus a Pharisæis comedebat cum eis. Aut ergo sicut Dominus, aut sicut pauper. Si tanquam Dominus, ergo non dedit exemplum paupertatis; si tanquam pauper, sed hoc est mendicare. Ergo, etc.

Item ad hoc est exemplum Sanctorum. Nam dicitur in laude (*a*) Sanctorum [8] : *Circumierunt in melotis, in pellibus, egentes,* etc. Sed taliter circumire est mendicare : ergo, etc.

Item est exemplum de Elia, de quo Augustinus in quodam sermone : « Numquid Deus deseruerat servum suum Eliam? Nonne illi, cui deerant homines, ministrabant aves? Ostendit ergo Deus, quia unde voluit, et quando voluit, pascere servos suos potuit : et tamen, ut posset eum religiosa vidua pascere, fecit eum egere. »

Item ad hoc est exemplum discipulorum Joannis Evangelistæ, de quibus in ejus legenda dicitur, quod vendentes omnia, quæ habere potuerunt, dederunt egenis; et post subditur, quod tentati sunt, quod se in uno pallio viderent egentes, servos autem suos divites, atque fulgentes.

Item exemplum discipulorum Pauli; unde Chrysostomus, *de laudibus Pauli* [9] : « Paulus pecunias non possedit, nam et ipse hoc testatur [10] : *Usque ad hanc,* inquit, *horam, et esurimus, et sitimus, nudi sumus, et colaphis cædimur, et instabiles sumus.* Et quid dico pecuniam? cum ille quidem necessarium sæpe non haberet cibum, nec quod circumdaret indumentum. » Et sequitur : « Discipulorum quamplurimi pauperes, imperiti, ac totius eruditionis extranei, in fame et egestate viventes, ignobiles, » etc. Ergo discipuli Pauli fuerunt mendici.

[1] *Psal.* CVIII, 17. — [2] *Marc.*, XI, 11. — [3] *Luc.*, XIX, 5. — [4] *Joan.*, IV, 7. — [5] August., *in Joan.*, tract. XV, n. 2. — [6] Ibid., n. 12. — [7] Hieronym., *ad Rustic.*, epist. IV, col. m. 40. — [8] *Hebr.*, XI, 37. — [9] Chrysost. — [10] I *Cor.*, IV, 11. — (*a*) *Leg.* laudem.

Item ad hoc est exemplum de B. Benedicto, de quo legitur, in secundo *Dialogorum* [1], quod per triennium fuit in specu, nihil omnino operans, sed Romanus quidam Monachus sibi panem ministrabat. Et constat quod Benedictus in hoc non peccabat.

Item, exemplum de S. Alexio, qui fuit vir miræ sanctitatis, in cujus legenda legitur, quod cum esset filius ditissimi Romani, contempto patrimonio, ivit mendicando per mundum.

Item, exemplum de S. Dominico, qui in morte sua imprecatus est omnibus maledictionem, qui in Ordinem suum possessiones conarentur inducere : ergo volebat, quod de eleemosynis viverent, juxta quod ipse vixit.

Item ad hoc est exemplum de B. Francisco, qui non solum mendicavit, et mendicare consuluit; sed etiam mendicationem suam miraculis confirmavit, sicut patuit in nautis, quos ciborum suorum reliquiis satiavit, et satiatos liberavit, et per Regulam, quam a Summo Pontifice approbatam confirmari fecit, in qua dicit, quod « fratres in paupertate, et humilitate Deo famulantes, vadant pro eleemosyna confidenter, » etc.

Item Gregorius in *Moralibus* [2], super illud [3] : *Noctes laboriosas enumeravi mihi :* « Electi Conditori rerum serviunt, et sæpe rerum inopia coangustantur; per amorem Deo inhærent, et tamen subsidiis præsentis vitæ egent. » Egere ergo subsidiis præsentis vitæ, competit Sanctorum perfectioni.

Item Hieronymus in epistola ad quemdam virum hospitalem [4] : « Multus a te per insulas Dalmatiæ sanctorum numerus sustentatur; sed melius faceres, si et ipse sanctus inter sanctos viveres. » Ergo melius est eleemosynis vivere, quam eleemosynas dare.

Item, hoc ipsum ostenditur ratione. Qualis est habitus, talis est actus : sed omnino pauperis, secundum quod pauper, actus est egere, et mendicare : ergo si esse pauperem bonum est, mendicare pro Christo laudabile est et perfectum.

Item, mendicare non prohibetur lege naturæ, nec lege Scripturæ, nec lege gratiæ : sed quod non est prohibitum, per obedientiam impositum, efficitur laudabile et meritorium, maxime si sit difficile, et onerosum : ergo si aliqui ex professione habeant mendicare, cum hoc ex obedientia faciant, erit eis laudabile et perfectum.

Item, Ecclesia imponit in pœnam satisfactionis mendicationem temporalem, vel etiam perpetuam. Sed hoc non imponeret, nisi esset satisfactorium. Sed qui ad opus satisfactorium voluntarie se astringit, perfecte agit : ergo qui pro Christo semper devovit mendicare, hic agit perfecte et laudabiliter.

Item, contemptus sui est perfectionis : sed qui pro Christo mendicat, maxime seipsum contemnit et abjicit : ergo talis perfectissime agit. Item plus placet Deo paupertas voluntaria, quam involuntaria : ergo et mendicatio ex illa paupertate procedens magis est Deo placita : sed prima potest esse laudabilis et meritoria : ergo multo magis secunda.

Item, qui servit alicui domino, meretur sustentari ab illo : sed qui omnibus abrenuntiat et consilia implet, maximo Domino servit : ergo talis maxime meretur a Domino sustentari : ergo et a servis Domini. Si ergo pauper voluntarius est, hoc ipso quod talis, si eleemosynam petit, juste petit.

Item, qui dat majora, potest recipere minora : sed pauper orans impendit misericordiam spiritualem : ergo multo fortius potest recipere eleemosynam corporalem.

Item, prædicans ex auctoritate potest recipere sumptus potestative : ergo prædicans ex subauctoritate, et commissione, seu demandatione, petere potest supplicanter.

Item, qui servit alteri, juste sustentatur ab illo : ergo qui universali Ecclesiæ deserviunt, juste sustentantur ab universali

[1] Gregor., *Dialog.*, lib. II, c. I. — [2] Id., *Moral.*, lib. VIII, c. VIII, al. V, n. 15. — [3] *Job*, VII, 3. — [4] Hieron., *ad Julian.*, epist. XXXIV, col. III. 270.

mundo : ergo, si qui sunt qui verbo et exemplo per mundum discurrendo deserviunt populo christiano, merito sustentationem petere possunt ab ipso.

Item, si licet recipere majus, multo fortius licet recipere minus. Sed pauperibus Religiosis, qui propriis renuntiaverunt, licet recipere amplissimas possessiones : ergo multo fortius licet recipere diurnas sustentationes. Alioquin monstruosum videtur dicere, quod liceat recipere centum marcas auri, et non liceat recipere centum frusta panis. Si dicas, quod licet accipere, sed non licet petere, hoc nihil prorsus est, quia petere ordinatur ad accipere, et propter illud est; et sicut plus est dare, quam promittere, sic plus est recipere quam petere. Sed constans est, quod quidquid licet dare, licet promittere : ergo quidquid licet accipere, licet petere.

Item, si amicus petit ab amico suo donum, contra nullam legem agit, nec iste petendo, nec ille dando, nec iste rursus accipiendo : sed lex charitatis et amoris divini est magis communicativa, quam lex socialis : ergo si quis petat sibi aliquid dari amore Dei, in nullo offendit, nec in aliquo a perfectione recedit.

Item indubitanter licet petere aliquid, in cujus donatione potior fit conditio dantis : sed qui dat aliquid pro Deo, fœneratur Domino, et temporale commutat pro æterno, et ad opus virtutis nobilissimæ se exercet, scilicet pietatis. Ergo si hæc omnia eveniunt ei ratione postulantis, pauper qui eleemosynam petit, potissime facit secundum legem charitatis : ergo a perfectione in nullo recedit.

Triplex modus mendicitatis.

Resp. Ad prædictorum intelligentiam est notandum, quod tripliciter contingit mendicare. Et primus modus est ex necessitate naturæ : et hic modus est, cum quis mendicat non solum quia pauper, verumetiam quia habet infirmitatem, vel debilitatem, vel utrumque. Hic autem modus miserabilis est, et tolerabilis, et per patientiam bonam fit meritorius et laudabilis : sicut legitur de Lazaro [1], quia *erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui jacebat ad januam divitis ulceribus plenus.* Et post subditur, quia *mortuus est mendicus, et perlatus est ab Angelis in sinum Abrahæ.* De divite autem dicitur, quod *sepultus est in inferno.* Ex quo colligitur, quod mendicitas etiam ex necessitate veniens, occasio ductiva est in viam salutis æternæ. Juxta quod dicit Gregorius [2], quod « mala quæ nos hic premunt, ad Deum ire compellunt. »

Secundus modus mendicandi est ex vitiositate culpæ, et hic est cum quis mendicat, vel pro otio fovendo, vel pro lucro cumulando, vel utroque modo. Et hic, inquam, modus vituperabilis est in omnibus taliter mendicantibus. De quibus dicit Ambrosius in libro *de Officiis* [3] : « Petitionis causa veniunt validi, nullam causam nisi vagandi habentes, et volunt subsidia evacuare pauperum, exinanire sumptum, nec exiguo contenti, majora quærunt, ambitu vestium captantes petitionis suffragium, et natalium simulatione licitantes incrementa quæstuum. » Licet autem in omnibus merito debeat reprehendi, reprehendendum est tamen potissime in eis, qui habent speciem pietatis et sanctitatis, de quibus dicit Augustinus in libro *De opere Monachorum* [4] : « Nullo modo decet, ut in ea vita, ubi senatores fiunt laboriosi, ibi fiant opifices otiosi; et quo veniunt relictis divitiis suis, qui fuerant prædiorum domini, ibi fiant rustici delicati. » Et post, ad reprehendendum eorum otium et quæstum, subjungit [5] : « Callidissimus hostis tamen multos hypocritas sub habitu monachorum usquequaque dispersit, circumeuntes provincias, nusquam missos, nusquam fixos, nusquam stantes, nusquam sedentes. Alii membra martyrum, si tamen martyrum, venditant; alii fimbrias et phylacteria sua magnificant; alii parentes suos,

[1] *Luc.*, XVI, 20-22. — [2] Greg. — [3] Ambros., *de Offic.*, lib. II, c. XVI, n. 76. — [4] Aug., *de Opere Monach.*, c. XXV, n. 33. — [5] Ibid., c. XXVIII, n. 36.

vel consanguineos, illa vel illa regione se audisse vivere, et ad eos pergere mentiuntur; et omnes petunt, omnes exigunt, aut sumptus lucrosæ egestatis, aut simulatæ pretium sanctitatis. » Contra tales multum invehitur B. Augustinus in libro *De opere Monachorum*, pro eo quod pigritiam non tantum in se ipsis mendicando fovebant, verumetiam prædicando aliis suadebant, male intelligentes Evangelium, ubi videtur insinuare quod non sit ab hominibus, sicut nec ab avibus, laborandum, et pejus exponentes Apostolum, ubi persuadet fratribus operari, dicentes esse intelligendum illud de labore spirituali, et non corporali. Et quia in hoc seipsos decipiebant, et alios, ideo reprehendit eos Augustinus, et multipliciter ostendit contrarium per totum librum *de opere Monachorum*, qui totus est contra illos, qui approbant hunc secundum mendicandi modum. Unde in talibus dicit[1]: « (Qui) tanquam conservatricem Evangelii prædicantes (erant) pigritiam, tanquam prævaricatricem accusantes misericordiam. Utinam isti qui vacare volunt manibus, omnino vacarent et linguis. Neque enim tam multos ad imitationem invitarent, si eis etiam non tantum pigra, verumetiam muta proponerent.[2] Nunc autem contra Apostolum Christi recitant Evangelium Christi. Ita enim mirabilia sunt opera pigrorum, ut impedire velint Evangelium. »

Mendicitas supererogationis laudabilis est.

Tertius autem modus mendicandi est ex supererogatione justitiæ: et hoc est, cum quis mendicat pro Christo imitando, vel pro evangelizando, vel utroque modo. Pro Christo, inquam, imitando, quantum ad contemptum sui, affectum proximi, et cultum Dei. Nam in his tribus potissime debemus Christum imitari. Quod quidem facit, qui voluntarie mendicat pro nomine Christi, ut seipsum vilificet, et humiliet, ut proximum suum ædificet, et provocet ad pietatem, et ut vacet Deo libera mente, deposita omni sæculi sollicitudine. Et de talibus Augustinus in quodam sermone quadragesimali[3]: « In isto tempore, ut noverimus, quantum commendat Deus opera misericordiæ, ipsos sanctos suos egere fecit: ut cum fuerint facti amici Dei, de mammona iniquitatis recipiant et ipsi amicos suos in æterna tabernacula: id est, ut cum servi Dei pii, dum jugiter Deo vacant, aliquoties indigent, illi qui habent mundi divitias, eleemosynas largiantur. Et quomodo illos participes faciunt in terrena substantia, sic cum illis partem habere merebuntur in vita æterna. » Ex quo apparet, quod talis mendicatio laudabilis est, quæ fit pro Christo imitando. Similiter et ea quæ fit pro Christo evangelizando, quia viam præbet Evangelio, ratione ejus quod prædicatur, quia prædicamus mundi contemptum; quod efficacius suadetur verbo et exemplo, quam solo verbo. A pluribus prædicatur, si prædicantes vivunt de Evangelio, quam si compellerentur vivere de sumptu, aut labore proprio. A pluribus etiam efficacius suscipientibus documenta largiuntur beneficia sustentantia. Hoc est quod dicit Joannes Chrysostomus[4]: « Manifestum est, quoniam discipulos ab eis, quibus prædicabant, cibari oportebat, ut neque ipsi magna sapiant adversus eos, qui docebantur, ut omnia præbentes, et nihil accipientes ab eis, nec illi rursus abscindantur despecti ab eis.[5] Deinde, ut non dicant: Mendicantes igitur jubes nos vivere? et verecundentur, in hoc monstrat hoc debitum existere, et operatores eos vocans, et quod datur, mercedem nominans. Ne enim, quia in sermonibus est operatio, existiment parvum beneficium quod est a nobis. Etenim labores habet hoc multos, et quidquid dederint qui docentur, non largientes præbent, sed retributionem reddentes. » Quando igitur quis mendicat pro Christo imitando, et evangelizando secundum formam præscriptam, non solum non peccat, verumetiam implet perfectam justitiam:

[1] August., *De Opere Monach.*, c. XXII, n. 26. — [2] Ibid., c. XXIII, n. 27. — [3] Aug., serm. XI, al. XVIII ex hom. L, n. 1. — [4] Chrysost., *in Matth.*, hom. XXXII, al. XXXIII, n. 4. — [5] Ibid., n. 5.

primo (*a*), quia multum debetur sustentatio pauperi Christum imitanti; secundo, quia magis, debetur tanquam pauperi evangelico, Christum evangelizanti, tertio, quia maxime debetur pauperi grato, debitum pro gratia humiliter accipienti, et humiliter supplicanti, quippe cum sit liber ex omnibus, facit se omnium servum. Et hoc est quod dicit Augustinus super illud Psalmistæ [1] : *Producens fœnum jumentis*, etc. « *Producens*, inquit, *fœnum*, id est temporalia, *jumentis*, id est prædicatoribus, ut de Evangelio vivant, qui Evangelium annuntiant; *et herbam*, id est temporalia, *servituti hominum*, id est, prædicatoribus servis hominum pro Christo [2]. » Unde Apostolus [3] : *Cum essem liber ex omnibus, omnium me servum feci;* quæ servitus est ex charitate, quæ facit humiles, qui pro Christo servi hominum fiunt, utilitati fratrum attendentes. Hæc sunt jumenta quibus debetur herba et merces, quia serviunt. De quibus dicitur [4] : *Non alligabis os bovis triturantis.* Et [5] : *Dignus est operarius mercede sua.* Debentur enim prædicatoribus temporalia, quia largiuntur spiritualia. Unde Apostolus [6] : *Si seminavimus vobis spiritualia, non magnum est si vestra carnalia metamus.* Pro quibus dicitur [7] : *Beatus* qui præoccupat vocem perituri, id est [8], *qui intelligit super egenum et pauperem.* Non enim ita debes agere bovi trituranti, ut mendico transeunti. Illi enim, id est mendico, das quod legitur [9] : *Omni petenti da;* huic etiam non petenti dare debes. Vide ergo ne, si (*b*) indigeat miles Christi, ut petat, te judicet, id est, damnabilem ostendat. Sicut enim dicitur [9] de illo, qui te quærit : *Da omni petenti;* sic de eo prædicatore, quem tu quærere debes, dicitur : Desudet eleemosyna in manu tua, donec invenias justum cui des. Omni petenti ergo, quicumque sit, da, agnoscens in eo cui des; sed multo magis da servo Dei, militi Christi, etiam non petenti. » Ex his igitur manifeste apparet, quod in Christi prædicatore, et evangelizatore, mendicare non est vitii, nec culpæ, sed magis perfectionis evangelicæ. Unde rationes, et auctoritates, et exempla concedenda sunt, quæ ad hanc partem inducuntur. Nam si quis impugnare, et improbare velit omnem mendicandi modum in servis Christi, impugnare videtur non tantum ordinem pauperum, verumetiam ipsum Summum Pontificem, qui approbavit hunc vivendi modum; nec etiam tantum ipsum, verumetiam hunc magnum cœtum sanctorum, qui mendicaverunt, videlicet Franciscum, Dominicum, Alexium, Benedictum, et ipsum cuneum Apostolorum, et Prophetarum, necnon et ipsum Dominum Jesum Christum, quem Scriptura non veretur dicere [10] *pauperem et mendicum :* cum majora de ipso dicat, et sentiat fides nostra, scilicet quod pro nobis non tantum pauper et mendicus fuit, propter nostrum exemplum, sed etiam nudatus et vilificatus usque ad abjectionis genus extremum, ut exemplum daret perfecte contemnendi mundum. Postremo, super hæc omnia mala, subverti videtur universus Ecclesiæ status. Sic (*c*) enim illicitum est per eleemosynarum acceptionem pauperibus Christi accipere amplitudinem et multitudinem possessionum et magnorum redituum : quis enim ita absurdus est, qui dicat licere alicui accipere talentum auri, et non frustum panis ? Quod si hoc verum est, cum universarum ecclesiarum possessiones, tam in religiosis proprietatem habentibus, quam in clericis sæcularibus, habeantur per acceptionem eleemosynarum voluntarie et gratis datarum, videbitur ex hoc subverti status universarum ecclesiarum, si eleemosynas accipere, vel de eleemosynis vivere, seu in parva quantitate, seu in magna, illicitum judicetur, nisi forte quis dicat, quod licitum est accipere, sed non est licitum

[1] *Psal.* CIII, 14. — [2] August., Enarr., *in Psal.* CIII, n. 9, serm. III, quoad sensum. — [3] 1 *Cor.*, IX, 19. — [4] Ibid., 9. — [5] *Luc.*, X, 7. — [6] 1 *Cor.*, IX, 11. — [7] Aug., ubi sup., n. 10, quoad sensum. — [8] *Psal.* LX, 2. — [9] *Luc.*, VI, 30. — [10] *Psal.* XXXIX, 18.

(*a*) *Cæt. edit.* primum. — (*b*) *Suppl.* sic. — (*c*) *Al.* Si

petere. Sed hoc mirum videtur, quod aliquis possit in illud quod majus est, et non possit in illud quod minus est; quod aliquod monasterium possit recipere centum marcas auri in reditibus ab aliquo principe, et unus pauperculus non possit (*a*) suæ indigentiæ relevationem suppliciter implorare; quod aliquis possit ex amicitia petere ab amico, et Christianus non possit charitatem (*b*) petere a Christiano; et quod aliquis possit petere aliqua expedientia ad alicujus divitis monasterii securitatem et abundantiam, et pauper voluntarius non possit petere vitæ sustentamentum; et quod aliquis scholaris possit licite mendicare pro amore proficiendi in cognitione scientiæ, quæ inflat, ut tandem perveniat ad temporales divitias, et pauper religiosus non possit petere pro amore proficiendi in charitate et humilitate, quæ ædificat, ut tandem perveniat ad vitam æternam; et cætera consimilia quæ valde videntur absurda. Si ergo hæc omnia non parva, sed magna inconvenientia sunt, tenendum est, quod liceat pauperibus sustentari de eleemosynis aliorum, saltem secundum tertium mendicandi modum superius explicatum.

Ad argumenta partis negativæ Ad I. Ad illud quod primo objicitur in contrarium, quod *non est inopia timentibus Deum*, dicendum quod duplex est inopia, scilicet corporalis et spiritualis. Verbum autem illud intelligitur de inopia non quacumque, sed spirituali. Et quod illud sit verum, apparet per illud quod immediate sequitur : *Divites eguerunt, et esurierunt,* constat quod illud non intelligitur de egestate divitiarum materialium : restat igitur, quod de inopia spiritualium, quæ licet sit in divitibus, non tamen est in timentibus Deum, quia timor est initium sapientiæ, de qua dicitur [1] : *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.*

Ad II. Ad illud quod objicitur de psalmo : *Non vidi justum derelictum,* dicendum, quod duplex est panis, scilicet corporalis et spiritualis. Verbum autem illud non intelligitur de pane corporali, sed de pane spirituali. Et quod illud sit verum, apparet per Glossam ibidem : « Nec semen ejus quærens panem spiritualem, id est indigere pane verbi Dei, quia verbum Dei semper cum eo est. » Potest etiam littera sic construi, ut intelligatur: Non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem vidi derelictum; quia, secundum quod dicitur super illud Pauli Apostoli : *Non te deseram, neque derelinquam*; Glossa : « Derelinqueretur ille, qui fame periret. » Vult ergo dicere Propheta, quod nec justum, nec semen ejus, vidit fame mortuum : et hoc a paupertate non revocat, sed potius invitat.

Ad III. Ad illud quod objicitur, quod mendicatio est malum, quod imprecatur Psalmista in spiritu Dei loquens; dicendum, quod est mendicatio voluntaria, et mendicatio coacta, quæ est cum murmure et impatientia. Prima est meritoria; secunda est demeritoria, et afflictiva. Et Psalmus intelligitur de secunda, non de prima. Et quod illud sit verum, apparet per textum, quia dicitur : *Nutantes transferantur, et ejiciantur :* et hæc omnia in coactionem et violentiam sonare videntur.

Ad IV. Ad illud quod objicitur de Ecclesiastico, *Fili, in vita tua ne indigeas*; dicendum est, quod, juxta distinctionem præhabitam, verbum illud intelligendum est de indigentia spirituali respectu gratiæ, non de temporali respectu sustentationis naturæ. Et quod sit verum, apparet per Glossam : « Ne indigeas, inquit Glossa, virtutibus vel bonis moribus. »

Ad V. Ad illud quod objicitur, quod *beatius est magis dare, quam accipere*, dicendum quod illud est verum, quando acceptio eleemosynæ venit ex necessitate naturæ, non autem quando venit ex supererogatione justitiæ, juxta distinctionem factam in principali solutione. Et quod illud sit verum, apparet per illud quod dicitur in libro *de Ecclesiasticis dogmatibus* [2] : « Bonum est faculta-

[1] *Sap.*, VII, 11. — [2] Genn., *de Eccl. Dogm.*, XXXVIII, 71, inter Oper. Aug., App. tom. VIII.

(*a*) *Cæt. edit.* unum pauperculum non posse. — (*b*) *Item* charitate.

tes cum dispensatione pauperibus erogare; melius est, pro intentione sequendi Dominum insimul (*a*) donare, et absolutum a sollicitudine cum Christo egere.» Hoc ipsum dicit Augustinus in libro *De bono conjugali* [1], sicut in præcedenti questione allegatum fuit.

Ad VI. Ad illud quod objicitur de Glossa, quod omnibus pro Deo spretis, debent labore manuum operari, dicendum quod illud est consilium, quantum ad primum, quod dicitur [2]: *Vendite quæ possidetis*; quantum ad secundum autem, est solum de bene esse consilii, quod non astringit etiam viros perfectos, illos potissime qui possunt circa majora bona occupari. Et quod illud sit verum, apparet per eamdem Glossam, cum subditur: « Unde vivatis, vel eleemosynas faciatis. » Certum est enim, quod illi qui omnia simul pro Deo dederunt, ad ulteriores eleemosynas faciendas minime astringantur: et ideo illa glossa non exprimit quod est de essentia et substantia consilii, sed magis secundum bene esse, secundum statum et conditionem aliquarum personarum, quæ magis sunt idoneæ ad manualiter operandum, quam ad aliquid magis arduum faciendum. Nam si aliter diceretur, quod illud esset de essentia perfectionis consilii, tunc nulli illud consilium implevissent, nisi qui operati fuerunt manualiter; ac per hoc apostoli alii a Paulo et Barnaba, et alii plurimi Sanctorum perfectissimorum, quos non legimus fuisse manualiter operatos, non judicaremus fuisse perfectos. Verum est utique, quod perfectioni evangelicæ consonat operatio manualis, si tamen non impediat majora bona. Unde Glossa, super illud [3]: *Vado piscari* [4]: «Sciendum est, non fuisse prohibitos arte sua licita victum quærere, apostolatus integritate servata, cum unde viverent non haberent, et sic illis laborantibus adjicit Deus necessaria, quæ promisit.» Sed quod hic labor competat non occupatis circa majora, manifestum est, quia tunc Apostoli prædicationi minime vacabant. Unde Chrysostomus [5]: « Venit Simon piscari, quia neque Christus continue cum eis erat, neque Spiritus datus erat, neque quid commissum erat: tunc neque quid habentes agere, tunc artem tractarunt.» Et ex hoc non habetur, quod perfecti teneantur operari manualiter, nisi forte cum non habent spiritualem et meliorem exercitationem. Præterea, esto quod vir perfectus tenetur (*b*) manibus suis operari, ex hoc tamen non potest inferri, quin pro sui humiliatione et aliorum ædificatione posset eleemosynas humiliter petere pro loco et tempore.

Ad VII. Ad aliud quod objicitur de Glossa, quod nullatenus aliquid desiderandum nec petendum; dicendum, quod dupliciter potest quis petere ab aliquo: vel propter desiderium alienæ rei, vel propter desiderium alienæ salutis. Primum prohibet Apostolus tamquam malum, et in lege prohibitum, qua dicitur [6]: *Non concupisces rem proximi tui.* Secundum autem non prohibet, quia lex charitatis non prohibet, quæ mutuis habet beneficiis confoveri, et onus alterius facit ab altero supportari. Quid enim tam absurdum est, quam ut credamus Apostolum denegasse, quod nullus ab altero petat nec beneficium, nec auxilium, nec solatium, ex pietatis et charitatis fine? Et quod illud sit verum, apparet per illud quod dicit Apostolus de seipso, regratians eis de beneficio collato [7]: *Non quæro datum, sed requiro fructum abundantem in ratione vestra.* Secundum enim quod exponit Augustinus libro tertiodecimo *Confessionum* [8]: « Datum quærit, qui delectatur præcipue in re accepta; fructum requirit, qui delectatur in salute aliena. » Hæc est verborum Augustini sententia, licet verba sint mutata.

Ad VIII. Ad illud quod objicitur de Glossa, quod egestas facit a justitia declinare, dicendum,

[1] August., *de Bon. conj.*, n. 8. — [2] *Luc.*, XII, 33. — [3] *Joan.*, XXI, 3. — [4] Gloss., ex Bed. in hunc loc. — [5] Chrysost., *n Joan.*, hom. LXXXVII, al. LXXXVI, n. 2. — [6] *Exod.*, XX, 17. — [7] *Philip.*, IV, 17. — [8] August., *Conf.*, lib. XIII, c. XXVI, n. 41.

(*a*) *Al.* semel. — (*b*) *Leg.* teneretur.

quod sicut divitiæ non sunt in culpa, sed cupiditas divitiarum, sic egestas in culpa non est, sed impatientia egestatis, quam qui habet, a justitia declinat, dum, fugiendo egestatem, vadit post pecuniam, quam qui sequitur de facili, declinat a justitia. *Qui* enim [1] *volunt divites fieri, incidunt in tentationes, et in laqueum diaboli, et desideria multa et nociva.* Et sicut talis egestas est mala, sic et mendicatio ex tali egestate proveniens culpanda. Cum autem plus placet penuria, quam abundantia, et homo propter amorem paupertatis contemnit abundantiam terrenitatis, talis non habet occasionem declinandi pro tali egestate a justitia; et talis est paupertas et mendicatio, quæ spectat ad perfectionem evangelicam. Et quod ista responsio sit recta, patet per ipsam Glossam, in qua dicitur, quod « egestas, dum saturari cupit, declinat a justitia. » Egenus est, qui cupit saturari. Est egenus, qui non amat paupertatem, sed saturitatem; non penuriam, sed abundantiam. Et talis non est pauper evangelicus, aut cœlestis, qui mendicat ex supererogatione justitiæ; sed potius cupidus et terrestris, qui mendicat ex vitiositate culpæ, secundum prius habitam responsionem.

Ad IX. Ad illud quod objicitur de Glossa, quod vult Apostolus [2] servos Dei corporaliter operari, etc.; dicendum, quod illud velle (*a*) non est velle præcepti, sed admonitionis; aut si est velle præcepti, non se extendit ad omnes, aut (*b*) ad eos qui volunt egere; sed (*c*) ad illos tantum se extendit, qui non possunt majora agere. Et ex hoc non colligitur, quod pauperum vita sit mala, qui manducant et manibus suis non operantur, sed melioribus et salubrioribus exercitiis occupantur. Et quod istud sit verum, manifestum est: nam si verbum illud: *Qui non vult operari, non manducet,* simpliciter esset præceptum, tunc omnes essent in malo statu qui manibus propriis victum suum non quærunt, cum possent, et hoc esset damnare totum mundum. Quod iterum se non extendit ad pauperes voluntarios et perfectos, hoc apparet ex ipsa Glossa quæ dicit: « Ut non compellantur egestate necessaria petere. » Tales enim non mendicant sicut egestate compulsi, sed sicut amore perfectionis inducti. Postremo, quod non se extendat nisi ad eos, qui non sunt circa majora occupati, apparet ex ipso textu [3]: *Audivimus quosdam inter vos ambulare inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes. His autem, qui ejusmodi sunt, denuntiamus: ut cum silentio operantes, panem suum manducent.* Et quod istud sit verum, patet per Ambrosium, qui super illud [4]: *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos,* dicit sic [5]: « Docet Dominus minora bona, pro utilitate majorum, esse prætermittenda. Majus est enim animas mortuorum prædicando suscitare, quam corpus mortuum in terra abscondere. » Unde et Apostoli dicebant [6]: *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis.* Apparet etiam per Hieronymum, in Prologo super *Job,* dicentem sic [7]: « Si fiscellam jungo texerem, aut palmarum folia complicarem, ut in sudore vultus mei comederem panem meum, et ventris opus sollicita mente pertractarem, nullus morderet, nullus reprehendere. Nunc autem, quia juxta sententiam Salvatoris [8], volo *operari cibum, qui non perit,* et antiquam divinorum voluminum viam sentibus virgultisque purgare, error mihi geminus infigitur, corrector scriptorum falsarius vocor, et errores non auferre, sed serere. » Hoc etiam apparet per beatum Augustinum, in libro *de opere Monachorum,* ubi dicit [9], quod « illi, qui habebant in hoc sæculo aliquid, quo facile sine opificio sustentarent vitam istam, quod conversi ad Dominum indigentibus dispertiti sint, quod tales ad ope-

[1] I *Tim.*, VI, 9. — [2] II *Thess.*, III, 12. — [3] Ibid., 11-12. — [4] *Luc.*, IX, 60. — [5] Ambros., *in Luc.*, lib. VII, n. 34 et seq., quoad sensum. — [6] *Act.*, VI, 2. — [7] Hieron. — [8] *Joan.*, VI, 27. — [9] Aug., *de Oper. Monach.*, XXV, 32, quoad sensum.

(*a*) *Cæt. edit. add.* aut. — (*b*) *Cæt. edit.* sed. — (*c*) *Cæt. edit. deest* sed.

ra manualia non tenentur, vel coguntur, nec ad quærendum victum proprium. » Et rationem postea reddit inferius, quia « illi, qui pauperes sustentaverunt, de eleemosynis pauperum sustentari debent, et possunt. » Ait enim sic [1] : « Omnium Christianorum una respublica est, et ideo quisquis Christianis ubilibet necessaria erogaverit, undecumque etiam ipse quod sibi necessarium est accipit, de Christi bonis accipit : quia et ubicumque ipse talibus dedit, quis nisi Christus accepit? » Si ergo, secundum Ambrosium, majora bona propter minora non sunt prætermittenda, et secundum Hieronymum, majora sunt bona prædicationis et instructionis, quam manualis operationis, et secundum Augustinum, ad hujusmodi opera non astringuntur, qui fuerunt divites delicati : manifeste apparet, quod intenti prædicationi, et operibus misericordiæ spiritualis, ad hujusmodi opera non sunt astricti, sed debent, et possunt de eleemosynis sustentari. Et hoc est, quod Augustinus in eodem libro ante hæc verba præmittit [2], quod « hujusmodi potestatem habent, si evangelistæ sunt, si ministri altaris, si dispensatores sacramentorum. » Si enim corporalia opera faciendo,. meretur quis suum sustentamentum, multo fortius spiritualia opera imponendo, quæ corporalibus operibus merito præferuntur. Fateor igitur, quod verum est, quod si quis adeo esset potens et spiritu, et carne, quod posset corporaliter operari, et nihilominus pro loco et tempore spiritualibus vacare exercitiis, et ecclesiasticæ utilitati, quod agendo perfectius faceret. Sed quis ad hoc plene idoneus, cum multo labore sudatum sit, ut veritas cognoscatur, ut cognita diligatur, et cognita, et dilecta, aliis proponatur? Ad hoc enim necessaria est continuitas lectionis, et orationis, et meditationis, quibus qui vult sollicite intendere, parum potest occupari circa corporalem laborem. Laudandus est igitur et suadendus labor corporalis, sic tamen ut non impediatur fervor orationis, nec fructus prædicationis, nec observantia regularis.

Ad id quod objicitur de Glossa, quod ad alienam mensam accedens, necesse habet adulari, dicendum, quod Glossa semetipsam exponit in hoc, quod dicit : « Otio deditus ;» in quo insinuat, quod ille, qui alienam mensam quærit, et mendicat pro otiositate fovenda, ille pronus est ad blandiendum. Et quid mirum, si ille, qui diligit otium, et fovet ventrem suum, in verbum prorumpit adulatorium? Sed ex hoc non damnatur pauper evangelista, qui ad alienam mensam convenit propter evangelizandum, et imitandum Christum. Nam si tales, hoc ipso quod pauperes, et alienam mensam accedentes, essent adulatores, tunc cum Christus Apostolos misit ad Evangelium prædicandum, et ad vivendum de sumptibus alienæ mensæ, potius fecisset tunc apostolos suos adulatores, quam veros prædicatores. Ipse enim Christus fuisset adulator permaximus, qui frequenter invitabatur, et comedebat in domibus Pharisæorum. Unde, si recte intelligimus, adulationis vitium potius est annexum divitibus mundanis, quam pauperibus evangelicis et voluntariis. Unde Chrysostomus, in homilia *super Matthæum*, loquens de divitibus, dicit sic [3] : « Adulari necesse est multos et principes, et subjectos, et multis indigere, et turpiter servire, et formidare, et suspicari, et timere eorum, qui suspicantur, oculos, et timere calumniatorum ora, et aliorum (*a*) avarorum concupiscentias. Sed non paupertas est aliquid tale, sed contrarium in (*b*) universum. Regio (*c*) est non furibus subjecta, sed munita, portus tranquillus, et palæstra, et gymnasium philosophiæ. Audite, quicumque horum pauperes estis, magis autem et quicumque ditari concupiscitis : non pauperem esse malum est, sed non velle pauperem esse; neque malum existima esse paupertatem, et non erit tibi ma-

Ad X.

[1] Aug., *de Opere Monach.*, XXV, 33. — [2] Ibid., XXI, 24. — [3] Chrysost., *in Matth.*, hom. XC, al. XCI, n. 3 et 4. — (*a*) *Cæt. edit. add* al. — (*b*) *Deest* in. — (*c*) *Al.* Religio.

lum. » Et paulo post : « Non enim mihi eos, qui accusant paupertatem, afferas, sed eos qui per eam fulserunt. Cum hac Elias educatus, raptus est illa beata rapina ; cum hac Elisæus claruit; cum hac Joannes; cum hac Apostoli omnes. Cum avaritia vero Achab, Jezabel, Giezi, Judas, Nero, Caiphas condemnati sunt.»

Ad XI. Ad illud quod objicitur de decreto Urbani, dicendum, quod triplex est defectus in allegatione illius decreti. Primus, quia decretum illud est ad Episcopos, qui debent pascere mendicantes, non ad illos, qui egent. Unde, sicut illa lex Deuteronomii[1] : *Non erit omnino indigens et mendicus inter vos*, non est data contra mendicitatem pauperum, sed contra tenacitatem divitum, quod patet per hoc quod eodem capitulo subjungitur[2] : *Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ, idcirco præcipio tibi ut aperias manum tuam fratri tuo egeno, et pauperi* ; sic et hic lex datur Episcopis abundantibus, ad sustentationem pauperum clericorum, et eorum potissime, qui non egent voluntarie, sed compulsi, ne propter indigentiam efficiantur circa divinum obsequium indevoti. Secundus defectus est, quod decretum illud inducitur ad probandum, quod clerici non debent habere proprium, sicut apparet in fine capituli (*a*), ubi dicitur : « His omnibus claret, quod clericis nullo modo licet proprium habere; quod si habuerint, non erunt clerici. » Unde per illud decretum non præcluditur via pauperibus, qui nihil volunt habere proprium, sed potius aperitur. Tertius defectus est, quia sicut habere proprietatem in communi comprobatum et approbatum est auctoritate summi Pontificis, scilicet Urbani, sic modus vivendi in altissima paupertate auctoritate summi Pontificis[3] approbatus est, sicut patet, *de excessibus prælatorum : Nimis prava*[4], etc. Unde decretum Urbani Papæ præjudicare non potuit auctoritati Innocentii, Honorii et Gregorii, qui istum modum approbaverunt tam in jure communi, quam in privatis privilegiis, quia non habet imperium par in parem, et constitutio prior non præjudicat posteriori, nec commune privato, nec lex communis privilegio, sed potius e converso. Nec ex hoc potest argui instabilitas, seu contradictio inter rectores Ecclesiæ, quia statuta mutari possunt et debent pro loco et tempore, sicut patet in statuto de gradibus parentelæ, et aliis plurimis, quæ juste a principio statuta fuerunt, et nihilominus alia non minus juste introducta sunt.

Ad illud quod objicitur de consecratione ecclesiæ, dicendum, quod et in illius decreti allegatione tripliciter defectus est : primo, quia statutum illud de consecratione ecclesiæ non dotatæ, factum est in alleviationem Episcoporum ; secundo, in dilatationem divini cultus; et tertio, in solationem clericorum ministrantium, qui nolunt se astringere voluntarie ad paupertatis votum. Horum autem contrarium in proposito invenitur. Nam minus gravantur, et Episcopi, et Ecclesia, de religiosis viventibus de eleemosynis, quam si eis provideretur in beneficiis et præbendis. Secundo, quia cultus Dei non augmentaretur, sed potius diminueretur, si hic modus vivendi de medio tolleretur. Tertio, quia tales pauperes voluntarii libentius Deo serviunt mendicando, quam etiam Deo servirent pro magno beneficio, et magis sunt contenti parvulis eleemosynis, quam magnis beneficiis et præbendis. Ad XII

Ad illud quod objicitur de lege et (*b*) *de mendicantibus validis*, dicendum, quod similiter triplex defectus est in illius legis allegatione. Primus, quia lex illa introducta fuit contra quosdam, qui tempore famis pauperum eleemosynas usurpabant, simulantes inertiam. Secundus, quia illi tales onerosi erant, et nullam utilitatem reipublicæ afferebant. Tertius, quia tales, qui laborare poterant, et tunc in nihil occupati erant, et abundare volebant, proni erant ad maleficia et rapinas. Et ideo, justo judicio rector rei- Ad XIII.

[1] *Deut.*, XV, 4. — [2] Ibid., 11. — [3] Scilicet Gregorii IX. — [4] *Decret. Greg.*, lib. V, tit. XXXI, c. XVII.

(*a*) *Imo* post c. XVII. — (*b*) *Del.* et.

publicæ tales a mendicatione arcebat, et pœna gravissima puniebat. Secus autem omnino in pauperculis Religiosis, in quibus nec simulatio inertiæ, nec amor otii, nec periculum rapinæ, ac per hoc nec damnum Ecclesiæ, sed potius amor virtutis perfectæ reperitur : ideo non arcentur lege humana, sed potius prædicantur lege divina.

Ad XIV. Ad illud quod objicitur, quod mendicare est indifferens, dicendum, quod mendicare, quantum est de se, non est perfectionis, nisi præsupposita universali abrenuntiatione omnium, quæ quidem est secundum divinum consilium, in quo Dominus expressit adolescenti, quod si illud impleret, hoc ipso ad perfectionis cumulum perveniret. Ait enim [1] : *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia.* Nec addit : Trade (*a*) mihi, ut in loculos meos ponam, et sint omnia communia; sed potius : *Da pauperibus.* Nec subjunxit : Vade ad lucrandum victum tuum per laborem manuum; sed potius : *Veni, sequere me.* In quo, secundum quod Glossa exponit, intelligitur vocatio ad contemplandum, seu ad Christum imitandum et evangelizandum.

Ad XV. Ad illud quod objicitur, quod perfectionis est liberaliter servire, et oblationes (*b*) refugere, dicendum, quod est oblatio (*c*) veniens ex reatu culpæ, et ex affectu charitatis perfectæ. Prima oblatio (*c*) est vitanda; sed secunda est acceptanda, juxta quod dicitur [2] : *Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis.* Laudat enim Dominus [3] amicitiam spiritualium virorum, quæ fit *de mammona iniquitatis*; et ad corporis Christi mystici perfectionem spectat, quod membra sibi invicem communicent secundum rationem dati et accepti, ut mutua dilectio (*d*) vicissim possit impleri.

Ad XVI. Ad illud quod objicitur, quod qui mendicant ex professione, aut hoc faciunt, quia pauperes, aut quia prædicantes ; dicendum, quod hoc faciunt, quia pauperes Christi imitatores et evangelizatores. Quia enim Christum imitantur per observantiam disciplinæ regularis, in qua vacant divinis laudibus, orationibus, vigiliis, et aliis regularibus disciplinis, et Deum colunt, et hostem impugnant, et ea quæ sunt infirma, et non munita in castris Ecclesiæ, protegunt et defensant; rursus, quia (*e*) verbum veritatis annuntiant, similiter Deum laudant, et hostem impugnant, et audientes ædificant, et informant : et ideo, cum hæc opera eorum sint Ecclesiæ valde utilia, et pernecessaria, nulli dubium est, quin mereantur sustentationem suam : et ideo non illicite faciunt, si hanc humiliter et suppliciter petunt. Sicut enim oculus, videndo, operationem facit manui pernecessariam, ita quod manus oculo non potest improperare, nec dicere : Opera tua non indigeo ; quinimo utilis est toti corpori ejus operatio, et sic meretur sustentari, sicut manus et pes, et membra alia, quæ sunt exposita labori; sic et de istis membris Ecclesiæ non absurde debet et potest intelligi, si quis pio oculo velit istorum oculorum operam et vigilantiam intueri.

Ad illud quod objicitur, quod tales sunt Giezi imitatores, quia spiritualia pro temporalibus ministrant; ad hoc satis sufficienter respondet Glossa super illud [4] : *Dispensatio mihi credita est :* « Non debemus ideo evangelizare ut manducemus, sed ideo manducare ut evangelizemus, ut cibus non sit bonum quod appetitur, sed necessarium quod adjicitur; » ut illud impleatur [5] : *Primum quærite regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis.* Unde si finem constitueret quis in re temporali, prædicando verbum Dei, absque dubio hic perversus esset, quia de via faceret finem, et esset similis Giezi, et Balaam, qui mercedem iniquitatis amavit, et aliis pseudo-prophetis, qui in mercede docebant, et in muneribus divinabant. Si autem sustentationem quærunt sicut viam ordinatam ad Evange- Ad XVII

[1] *Matth.*, XIX, 21. — [2] *Rom.*, XIII, 8. — [3] *Luc.*, XVI, 9. — [4] I *Cor.*, IX, 17. — [5] *Matth.*, VI, 33.

(*a*) *Cæt. edit.* Tradite.— (*b*) obligationes.— (*c*) *Item* obligatio. — (*d*) *Item* diligentia. — (*e*) *Item* qui.

lium prædicandum, tunc recte incedunt, et Apostolos imitantur, nec a veritatis tramite in quoquam recedunt. Unde super illud [1] : *Edentes et bibentes, quæ apud illos sunt, dignus est enim operarius mercede sua*, Glossa dicit : « Nota quod uni operi prædicatorum, duæ mercedes debentur : una in via, quæ nos in labore sustentat ; alia in patria, quæ nos in resurrectione remunerat. »

Ad XVIII. Ad illud quod objicitur, quod perfectorum est abstinere a specie mala, dicendum est, quod illa species est mala, dum homo rationabiliter potest suspicari malum, circumstantiis omnibus pensatis quæ occurrunt; sed si quis recte attendat hujusmodi, sic prædicantes non habent speciem pseudo-

Qui sunt veri, et qui falsi prædicatores. prædicatorum. Nam pseudo-prædicatores dicuntur per oppositum ad veros prædicatores. Veri autem prædicatores dicuntur, quorum prædicatio habet auctoritatem, veritatem et utilitatem. Falsi sunt, qui habent horum contraria, vel simpliciter, vel in parte. Sed si certe velimus attendere modernum Ordinem, prædicatores hæc tria habent in se : auctoritatem quidem, quia missi sunt a Summo Pontifice, et aliis Prælatis, qui sunt domini messis; veritatem, sicut patet, quia fidem et mores prædicaverunt secundum legem Evangelii; utilitatem, quia multos de statu culpæ vocaverunt ad statum pœnitentiæ, et ideo speciem habent et similitudinem majorem incomparabiliter, si quis pio attenderet oculo, ad prædicatores veros, quam ad pseudo, licet in tanto numero vix possit esse, quin aliqui cum Juda diligant loculos, et exorbitent ab itinere recto. Si enim Dominus hoc non concessit duodecim Apostolis, quos personaliter elegit, quod universaliter essent boni, quid mirum si hoc non concedit congregationibus aliis? Nec tamen propter hoc non sunt boni damnandi cum malis, sicut nec mali justi sunt, licet sint permixti cum bonis.

Ad XIX. Ad illud quod objicitur, quod aut habent auctoritatem, aut non habent, dicendum quod habere auctoritatem, hoc est dupliciter : aut ex prima institutione, aut ex commissione, seu demandatione, vel per alia verba, aut ex injuncto officio, aut ex concesso privilegio. Prima est auctoritas principalis et potestativa, et spectat ad Apostolos, et ad Septuaginta, et eorum successores, qui sunt Episcopi, et alii curati, sicut Glossa in *Lucam* dicit. Secunda est auctoritas minus principalis, et potest subauctoritas non absurde dici, et competit his qui ab Apostolis mittuntur tanquam discipuli, sicut Paulus suos discipulos mittebat ad loca diversa; et potissime ei competit, qui est loco Petri principis apostolorum, imo loco Christi, qui est Dominus universalis messis, propter quod et habere dicitur plenitudinem potestatis. Sicut ergo primis habentibus auctoritatem principalem, competit sumptus accipere potestative, sicut dicit Glossa, secunda (*a*) *ad Timotheum*, (*b*) secundo [4] : *Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere*. Ibi Glossa [3] : « Necessaria sibi sumere ab his in quibus Deo militat, et quos tanquam cultor vineæ exercet, vel tanquam gregem pastor, non est mendicitas, sed potestas : » sic illis, quibus competit auctoritas subprincipalis, competit accipere supplicative. Quod disposuit Spiritus sanctus ad Ecclesiæ utilitatem, ut non tantum efficeretur verbo prædicationis, verum etiam verbo humilitatis. Quomodo ergo didicit a Christo mitis esse et humilis corde, miror, si hanc humilitatem et humiliationem audet tanquam reprobam condemnare.

Ad illud quod objicitur, quod tutius et perfectius est sequi viros probatiores et sapientiores, dicendum, quod secundum dispositionem divinæ sapientiæ Deus universa disponit, et ordinat temporibus suis. Unde, sicut in primo tempore Ecclesiæ introduxit viros potentes, et miraculis, et signis, sicut fuerunt Apostoli, et eorum discipuli, et me-

Ad XX.

[1] *Luc.*, x, 7. — [2] Gloss., ex Bed., *in Luc.*, lib. III, c. 42. — [3] II *Tim.*, II, 6. — [4] Gloss., ex Bed. in hunc loc. — (*a*) *Leg.* in secundam Epist. — (*b*) *Suppl.* cap.

dio tempore viros intelligentes in Scripturis, et rationibus vivis (*a*); sic ultimo tempore introduxit viros voluntarie mendicantes et pauperes rebus mundanis. Et hoc quidem recte congruebat, ut per primos destrueretur idololatria, et idolorum portenta; per secundos, hæresis; per tertios avaritia, quæ in fine sæculi maxime regnat. Nihilominus tamen, quia paupertas fundamentum est evangelicæ perfectionis, et ipsa est quasi complementum ejusdem, ideo viguit in Ecclesiæ primordio, et congruum est ut vigeat circa Ecclesiæ statum finalem. Unde, sicut Hieronymus dissolvit quæstionem illam [1], *De esu carnium,* distinctione XXXV, *Ab exordio,* dicens, quod « in primo tempore ante diluvium non erat in consuetudine esus carnium, et postea post diluvium communiter fuit omnibus concessus, et post in adventu Christi laudabilis fuit abstinentia ab esu carnium; » unde dicit ibidem, quod « (*b*) ω revolvit ad α, » id est finalis status concordavit cum primo; sic satis convenienter intelligi potest et in proposito. Sicut tamen Hieronymus non intelligit de abstinentia carnium quantum ad omnes, sed quantum ad monachos solum; sic nec de paupertate intelligendum puto, nisi quantum ad pauperes voluntarios, qui voluntarie renuntiaverunt mundo. Nolo tamen quod aliquis ex hoc arguat, quasi ego dicam, quod jam instet dies Domini; nec quod proprias fimbrias magnificem et dilatem, volens coram hominibus justificari, quod præferam modernos Sanctis antiquis; quia in magno et alto statu inveniri possunt multi infirmi et imperfecti, nec iste spiritus paupertatis defuit temporibus retroactis. Juxta quod dicit Gregorius, tertio *Dialogorum* [2], de quodam sanctissimo viro, Isaac nomine, qui fuit amator præcipuus paupertatis. Unde et de eodem dicit : « Cum ei discipuli innuerent, ut pro usu (*c*) monasterii possessiones, quæ offerebantur, acciperet; ille sollicitus suæ paupertatis custos, fortem sententiam tenebat, dicens : Monachus qui in terris possessionem quærit, monachus non est. Sic quippe metuebat paupertatis suæ securitatem perdere, sicut avari solent perituras divitias custodire. Ibi itaque prophetiæ spiritu et magnis miraculis, cunctis (*d*) longe lateque habitantibus vita ejus claruit. » Ex quo apparet, quod ejus doctrina contemnenda non fuit. Hoc etiam supra ostensum fuit multiplicibus exemplis, et adhuc multo pluribus posset ostendi. Et si nulla exempla essent, satis per seipsum laudabilis esset status excellentissimæ paupertatis, non solum secundum Scripturam sacram, verum etiam secundum documenta Sanctorum, quæ paupertatis statum voluntarium commendant, tanquam præcipuum et perfectum. Sicut ergo absurdum est valde, reprobare statum conjugatorum divitum, absurdius statum clericorum et religiosorum possessiones habentium; sic absurdissimum videtur, si quis inveniatur, qui reprobare velit statum pauperum, in paupertate altissima, et mendicatione humillima, Christo Domino famulantium, juxta consilium per os Jesu Christi propositum, et irreprehensibiliter promulgatum. Horum causam defendit Hieronymus [3] : « Ad me relatum est, inquit, quod contra auctoritatem Apostoli Pauli, imo Petri, Joannis, et Jacobi, qui *dexteras dederunt* Paulo et Barnabæ communicationis, *et præceperant eis, ut pauperum memores essent* [4], tu prohibeas Hierosolymam in usus sanctorum aliqua sumptuum solatia dirigi. Videlicet, si ad hæc respondero (*e*), latrabis meam me causam agere, qui tanta cunctos largitate donasti, ut nisi venisses Hierosolymam, et tuas vel patronorum tuorum pecunias expendisses, vel effudisses, omnes periclitaremur fame. Ego hoc loquor, quod beatus Paulus pene in cunctis Epistolis suis loqui-

[1] Hieronym., *adv. Jovinian.*, lib. I, col. m. 41. — [2] Gregor., *Dialog.*, lib. III, c. XIV, col. m. 304. — [3] Hieron., *adv. Vigilant.*, epist. LIV, col. m. 164-165. — [4] *Gal.*, II, 9-12.

(*a*) *Forte leg.* traditionibus *seu* revelationibus divinis. — (*b*) *Suppl.* Christus. — (*c*) *Cæt. edit.* per usum. — (*d*) *Item* cunctisque. — (*e*) *Item* respondeo.

tur, et præcipit in ecclesiis gentium per unam sabbati, hoc est die Dominico, omnes conferre debere, quæ Hierosolymam in sanctorum solatia dirigantur. Numquid in alia parte terrarum, et in his ecclesiis quas nascentes fide sua erudiebat, quæ ab aliis acceperat, dividere non poterat? Sed sanctis (*a*) pauperibus dare cupiebat, qui suas pro Christo facultatulas relinquentes, ad Domini servitutem tota mente conversi sunt. Longum est enim nunc, si de cæteris Epistolis ejus omnia testimonia revolvere voluero, in quibus hoc ait, et tota mente festinat, ut Hierosolymam, et ad sancta loca, credentibus pecuniæ dirigantur, non in avaritiam, sed in refrigerium ; non ad divitias congregandas, sed ad imbecillitatem corpusculi sustentandam, et frigus atque inediam declinandam. Hac in Judæa usque hodie perseverante consuetudine, non solum apud nos, sed etiam Hebræos, ut illi qui in lege Domini meditantur die ac nocte, et partem non habent in terra, nisi solum Deum, synagogarum et totius orbis foveantur ministeriis, ex æqualitate dumtaxat : non ut aliis sit refrigerium, et aliis tribulatio; sed ut aliorum abundantia aliorum sustentet inopiam. » Hæc Hieronymus. His visis, satis plana est responsio ad prædicta.

His autem, quæ prædicta sunt, conatus est aliquis multipliciter adversari, quædam ex eis refellere volens, tanquam impertinentia; quædam ut falsa, quædam ut inconsequentia, quædam ut dubia, plurima autem ex eis, tanquam doctrinæ apostolicæ inimica. Hoc autem facit respondendo cuidam quæstioni minus sufficienter post collectæ in scholis , salva gratia colligentis, sicut melius potest apparere in prænominata quæstione. Primum igitur impertinentia reputat quæcumque inducimus de discipulis Christi ad prædicandum missis, quia illis data erat auctoritas necessaria accipiendi, non ex mendicitate, sed ex potestate. Qui autem prædicant absque auctoritate, pseudo sunt, et ideo neutro modo, nec ex auctoritate, nec ex mendicitate petere debent. Et si dicatur, quod tales a Papa et ab Episcopis missi sunt, dicit, quod ab Episcopis sunt pascendi, *Extrav. de officio judicis ordinarii, Inter cætera* [1]. Fuit igitur data forma prædicantibus ex officio, et auctoritate, sed ad tempus, ut impedimenta amoverentur; et ideo auctoritates, tam textus, quam glossarum, in hoc casu impertinentes videntur ad propositum, secundum eum qui quæstioni prædictæ videtur adversari.

Hujus autem obviationis apparentiam sophisticam facile est detegere, si quis intelligat radicem potestatis in Apostolis, et Prælatis , et nuntiis destinatis ab Apostolis. Certum est enim quod hæc radicaliter fuit in Christo, secundum quod dicit Apostolus [2], quod erat *Apostolus per Jesum Christum,* et dicit Dominus [3] : *Sicut misit me Pater*, etc. Dedit autem Christus Apostolis, eos mittendo, duplicem potestatem, scilicet prædicandi, et exigendi sustentationem suam. Et has potestates constat esse distinctas, quia cum Episcopus possit semel in anno procurationes suas in uno loco exigere, potest tamen, cum voluerit, prædicare. Igitur Summus Pontifex, qui Christi locum tenet in terris, potest utrumque simul dare; potest et unam ab alia separare. Quoniam ergo Summus Pontifex, et Prælati non possunt omnia, quæ ad eos spectant, exercere personaliter per seipsos, propter diffusos populos sibi subjectos, ordinavit Spiritus sanctus in regimine Ecclesiæ, ut ipse mitteret aliquando legatos, qui utramque haberent potestatem. Et rursus, ne particulares ecclesiæ gravarentur, ordinavit ut Episcopi mitterent personas idoneas ad prædicandum, et confessiones audiendum, quibus etiam ipsi providerent, *Extra de officio judicis ordinarii, Inter cætera* [1]. Ordinavit etiam, ut ipse cum Præla-

[1] *Decret. Greg.*, lib. 1, tit. XXXI, c. XV. — [2] *Gal.*, I, 1. — [3] *Joan.*, XX,21.

(*a*) *Apud Hieron.* sanctorum locorum. — (*b*) *Forte leg.* per collecta.

tis mitteret pauperes voluntarios, et peritos, quibus nec ipsi essent astricti ad exhibendum, ne gravarentur multitudine sumptuum, nec potestatem haberent ad exactionem procurationum, propter tollendum gravamen subditorum, et ita qui humiliter intercederent tanquam pauperes, et contenti modicis, et sola necessaria suscipientes, et necessitatem suam, cum opus esset, humiliter insinuantes his qui voluntarie sine gravamine et cum hilaritate supportare et relevare, et possent, et vellent. Unde sicut decretum *de officio judicis ordinarii* a Sede Apostolica emanavit, sic et confirmatio ordinis et regulæ hujusmodi pauperum prædicantium veritatem, *Extrav. de excessibus Prælatorum, Nimis prava* [1], ut habitum est supra. Nec hoc factum est in præjudicium, sed potius in adjutorium parochialium sacerdotum. Nec ex hoc Ecclesia prostituitur, si curatis Deus providet adjutorium, ut animas sibi commissas, quarum habent curam, ab omni corruptione peccati perfectius custodiant incorruptas, adminiculantibus sibi viris spiritualibus, non ut dominis, vel curam habentibus, sed potius velut servis per charitatem Christi. Tales igitur, quia missi prædicant in humilitate et paupertate, similes sunt viris apostolicis, non pseudoprophetis. Quia vero non habent illam plenitudinem auctoritatis, quam habent Prælati, et habuerunt Apostoli, ideo inter opitulationes numerandi sunt, dicente Paulo [2] : *Posuit Deus in Ecclesia primum apostolos, secundo prophetas, tertio doctores, deinde virtutes, exinde opitulationes*, etc. Glossa : « *Opitulationes,* id est eos qui majoribus ferunt opes, ut Titus Apostolo, et archidiaconi episcopis. » Inter eos etiam numerari possunt, quos Pastor Ecclesiæ Dei statuit opem aliis ferre. Et ideo ego dixi juxta morem sermonis theologici, qui dicit subauctoritatem esse in eo, qui mittitur, quod subauctoritatem habent non ad excusandas excusationes in peccatis, ut mihi imponitur, sed potius ad intelligentiam veritatis. Forma igitur præscripta Apostolis, debet et potest competere istis. Quod enim dicitur, quod fuit temporalis, cum ex Scripturis auctoritatem non habeat, eadem facilitate contemnitur, qua probatur. Rursus, si conveniens fuit forma in Ecclesia primitiva, quare non similiter in finali, quantum ad eos, qui Apostolos in hac forma imitari volunt? Non enim dico, quod universalis Ecclesia in omnibus ad paupertatem reducenda sit, sicut rabies mihi imponitur, sicut ex verbis meis superius apparet; sed qui volunt, possunt Apostolorum imitari perfectionem, et paupertatis altitudinem. Unde exemplo Apostolorum ex verbis Evangelii in Ecclesia recitatis, incitatus fuit beatus Franciscus ad aggrediendum hujusmodi modum vivendi, sicut ex legenda sua clarius elucescit. Quod igitur super illa verba Ordo hujusmodi fundatus est, non sunt illa impertinentia, sed per omnem modum pertinentia, tanquam hujus modi vivendi stabilissima fundamenta. Sunt igitur tales suscipiendi, quia proficiscuntur ut pauperes pro nomine Christi, sicut in Canonica Joannis dicitur [3] quod qui tales recipiunt, sunt *cooperatores veritatis.* Igitur qui talibus adversantur, et eos non recipiunt, vel non suscipiendos dicunt, similes sunt Diotrephi, de quo dicit Glossa, quod « hæresiarcha etiam fuit illius temporis : » cujus doctrina et secta procul sit ab omnibus Christianis.

Refellere conatur aliqua sicut falsa. Nam falsum esse asserit, quod Christus aliquid petierit ut mendicus. Nam etsi mendicus dicatur in Psalmis, hoc dicitur in quantum petiit a Patre, vel in quantum assumpsit nostras infirmitates. Si dicatur a Samaritana petiisse aquam, et a Zachæo hospitium, hoc non fuit ex mendicitate, sed ex auctoritate, vel urbanitate. Et rursus, si etiam mendicasset, ad consequentiam trahendum non esset. Falsum esse nihilominus dicit, quod aliqua mendicatio sit voluntaria; imo omnis

[1] *Decret. Greg.*, lib. V, tit. XXXI, c. XVII. — [2] I *Cor.*, XII, 28. — [3] III *Joan.*, 8.

debet esse invita et coacta. Hanc autem obviationem, quæ falsitatem veritati impingit, facile est de falsitate convincere, si quis veritatem pie velit audire. Nam quod Christus fuit mendicus, et textus propheticus, et Glossæ testantur; et quod petierit ut mendicus, sicut allegatum fuit in opponendo in secunda Glossa. Et similiter in Psalmo illo : *Deus, in adjutorium meum intende,* super illud [1] : *Ego vero egenus, et pauper sum,* dicit Glossa : « Assumit iste sibi verba Dei, quæ in præcedenti Psalmo hæc eadem de se dixit, quasi diceret : Illi qui quærunt animam meam sunt divites; sed ego sum egenus, id est petens, et pauper, id est insufficiens mihi, quia et mundanas copias non habet, et intus, ubi est dives, semper ambit, desiderat et accipit. » Secundum hanc constat, quod Christus fuit egenus et pauper, et petens ut egenus : non a Patre tantum, tunc enim omnes hoc modo essent mendici, et nulli divites, etiam habentes copias, quod est contra Glossam. Præterea Christus adhuc petit a Patre, angeli petunt, et sancti comprehensores; sed tamen non dicuntur mendici. Ex quo igitur testimonio tam expresso textus hic dicit, et Glossa consentit, et nulla auctoritas contradicit : quare non fatebimur, quod Christus ut mendicus petierit? Fatemur enim eum fuisse virginem, et uxore caruisse, licet Scriptura de hoc non faciat mentionem. Evangelium etiam exprimit quod petiit et potum, et hospitium : et constat quod non ex imperio, et dominio, et auctoritate, quia tunc exemplum paupertatis non dedisset, falsum etiam dixisset [2], quod non haberet ubi caput suum reclinaret, cum haberet subditos, a quibus posset procurationes exigere ; et minus juste egisset in hoc, quod prædicabat in Hierusalem, et pascebatur in Bethania, alibi faciens fructus, et prædicans, et alibi accipiens emolumentum. Sed dices, quod petiit ex urbanitate. Sed numquid Christus accepit paupertatem ad docendam urbanitatem? numquid propter curialitates humanas docendas fieri voluit egenus et pauper? numquid se magistrum vocat curialitatis, et non magis humilitatis? *Discite a me,* inquit ipse [3], *quia mitis sum, et humilis corde.* Petiit igitur ex humilitate quod opportunum erat ad relevandum suam indigentiam, ac per hoc, ut mendicus pauper. Et constat, quod hanc indigentiam non habuit, nisi quia voluit; nec petiit, nisi quia voluit: quia lapides in aurum, cum voluit, convertere potuit, sicut discipulus ejus fecit Joannes Evangelista : illis mendicare et egere volentibus, et evangelizantibus, qui conversi fuerant retro, qui postmodum mendicitatem et paupertatem gemmis pretiosis prætulerunt. Ac per hoc constat, quod Christi et ejus sequacium est voluntarie mendicare; alioquin minime mererentur in hac mendicatione et paupertate. Nam absurdum est dicere, quod paupertas et egestas sint voluntariæ, et mendicatio ex ipsa procedens sit coacta. Si ergo in Christo fuit ex paupertate, et (*a*) humilitate, et voluntaria, quare non est trahenda ad consequentiam, cum ipse dicat [3] : *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde;* cum etiam cæteros volentes ad summum apicem perfectionis venire, invitet ad sequendum se per hujusmodi paupertatem [4]: *Vade,* inquit, *et vende,* etc.; et Apostolus dicat [5] : *Scitis gratiam Domini nostri Jesu Christi ;* et post (*b*) consilium, dicit Glossa, ut ejus paupertatem imitemini ; cum etiam ista sit perfectio, quæ omnibus communiter proponitur, et dicitur [6] : *Qui potest capere, capiat ;* cum Augustinus, *super Joannem,* dicat [7] : « In omnibus, quæ Christus gessit ut homo, hominibus in se credituris præbebat exemplum ; » cum Hieronymus dicat [8], quod etiam si in miraculis non sit a nobis imitandus, in his quæ humiliter gessit imitandus est a nobis; cum etiam ipse fuerit univer-

[1] *Psal.*. LXIX, 6. — [2] *Matth.*, VIII, 20 ; *Luc.*, IX, 58. — [3] *Matth.*, XI, 29. — [4] Ibid., XIX, 21. — [5] II *Cor.*, VIII, 9. — [6] *Matth.*, XIX, 12. — [7] Aug., *in Joan.* — [8] Hieron.

(*a*) *Leg.* fuit paupertas ex. — (*b*) *Forte leg.* ponat.

salis forma virtutum in actibus suis? Unde Augustinus, *de vera Religione* [1] : « Nullum peccatum committi potest, nisi dum appetuntur ea, quæ ille contempsit, aut fugiuntur, quæ ille sustinuit. Tota itaque vita ejus in terris per hominem, quem suscipere dignatus est, disciplina morum fuit. » Quis igitur audeat dicere, quod non sit trahenda ad consequentiam, nisi qui audet dicere, quod Christo non debetur imitatio in his quæ humiliter gessit? Hoc autem si dicimus, quidquid sanctitatis, virtutis et perfectionis est, et religio christiana confunditur, et subvertitur, et etiam enervatur, quia qua ratione de hoc dicitur, eadem ratione et de aliis exemplis virtutum dici poterit; absit autem hoc ab omnibus cordibus christianis.

Refellere nititur nihilominus aliqua, sicut inconsequentia. Dicit enim quod non sequitur, quod quamvis egestas sit conveniens perfectioni Sanctorum, quod propter hoc et mendicitas, quæ egestatem aliquando concomitatur : quod similiter posset argui de manducatione filiorum, et de furtis, et rapinis, quæ ex egestate, et paupertate pluries subsequuntur. Inconsequens etiam didicit, quod licet beatus Benedictus fuit perfectus, et propterea, accipiendo ab illo Romano eleemosynas quotidianas, opus egerit ad perfectionem spectans, quia perfectus multa facit, quæ ad perfectionem non spectant, sicut comedere, egerere, et cætera consimilia. Inconsequens etiam dicit, quod licet seipsum vilificare et humiliare pro Christo sit bonum, quod propter hoc humiliare se mendicando sit bonum; quia mendicare non est seipsum humiliare, sed sui curam agere. Et iterum meretrix seipsam vilificat prostituendo, nec tamen in hoc placet Domino : pari modo nec vilificatio, qua quis se vilificat mendicando. Has autem instantias fœdas, quia fœda proponit exempla, et mendicitatem fœdare nititur, facile est spirituali viro respuere tanquam fœdas, falsas et fictas. Invenimus enim viros christianos et perfectos in suis legendis non laudari de crudelitatibus in manducandis hominibus, vel de cupiditatibus in prædis agendis, vel de egestionibus, fornicationibus, et hujusmodi similibus; laudari autem, et prædicari inveniuntur, quod in tanta penuria vivere elegerunt, quod non habebant victum neque vestitum, nec habere volebant tanquam divites, sed potius mendicare humiliter tanquam pauperes et despecti, sicut apparet in exemplis supra introductis. Nam, quod ad egestatem sequatur comestio filiorum, hoc est contra ordinem naturæ ; quod sequatur furtum et rapina, hoc est contra ordinem morum et justitiæ. Quod autem sequatur insinuatio suæ necessitatis ad proximum, et postulatio subsidii pro amore Dei, hoc est secundum ordinem charitatis et pietatis, tam naturalis, quam etiam gratuitæ et spiritualis. Nam omnis lex mandat proximum a proximo foveri et relevari. Quomodo igitur simile est de hoc quod ordinem pervertit, et est secundum ordinem perversum, ad hoc quod fit secundum ordinem rectum, justum et bonum, charitativum, et pium? Laudatur igitur Romanus monachus, quia secundum legem charitatis beato Benedicto procurabat, et Benedictus, quia humillime suscipiebat. Nusquam autem invenies eum laudatum, quia egerebat et stercorizabat : hoc enim valde est abominabile in medium introducere, cum agitur de laudibus sanctorum. Laudatur enim mendicans, licet curam sui agat, non quia hoc facit qualitercumque, sed quia facit humillime. Unde sicut sobrie comedere est actus virtutis, licet comedere sit curam sui agere, sic et in proposito intelligendum est. Unde Chrysostomus, *super Matthæum*, loquens de pueris sanctis, qui erant in palatio regis Babylonis, ait sic [2] : « Sancti itaque existentes, et justi, decies millies elegissent mendicare domi, et eis quæ in templo erant potiri bonis. *Elegi* enim, ait [3], *abjectus esse in domo Dei mei, magis quam*

[1] Aug., *de ver. Relig.*, XVI, 31-32. — [2] Chrysost., *in Matth.*, hom. IV, n. 11. — [3] *Psal.* LXXXIII, 11.

habitare in tabernaculis peccatorum. Decies millies itaque elegissent abjecti esse domi, quam regnare in Babylonia. » Est ergo in mendicatione humiliatio et vilificatio sui Deo accepta; alioquin a sanctis pueris non esset eligenda. Eligitur autem, eo quod cura sit sui cum humilitate sua. Illi autem, qui curam carnis suæ agunt in desideriis et concupiscentiis, illi proculdubio non laudantur, sicut meretrix quæ seipsam prostituit amore pecuniæ, vel fervore libidinis. Sed absit hoc a fidelium cordibus, ut humiliatio virorum spiritualium in mendicatione sit similis vilificationi meretricis in sui prostitutione. Nam membra Christi non sunt tollenda, ut fiant membra meretricis. Christus autem de se in forma servi, et etiam pro suis membris dicit [1] : *Ego sum mendicus et pauper; Dominus autem sollicitus mei.* Quod nequaquam diceret, nisi esse mendicum pro Christo adeo placeret Deo, ut Deum faciat gerere curam nostri specialissimam, sicut gerit pater de filiis : quod de meretricibus et meretricantibus sentire, procul sit ab auribus et mentibus christianis.

Refellere nihilominus conatur aliqua alia, velut dubia. Nam ad illud, quod dicitur de beato Alexio, quod mendicavit, et Francisco, quod miraculis hoc confirmavit, respondet : « Proba tanquam dubia et incerta; » addens quod etiam si miracula essent facta, non esset adhuc certum, quia multi mali miracula faciunt; et quod de panibus etiam furtim sublatis possent miracula fieri, nec tamen ex hoc constaret, quod bonum esset furari. Dubium etiam dicit, quod Romana Ecclesia approbaverit mendicationem, quia si hoc faceret, errare convinceretur : similiter et si imponeretur in pœnam satisfactionis, erraret : et hoc dicit nullatenus esse credendum. Huic autem obviationi per dubitationem se protegenti, sine dubio resistendum est. Nam si in dubium revocetur, quod legitur in legenda sanctii Alexii, et legenda beati Francisci, pari ratione in dubium venit quidquid legitur in legendis aliorum sanctorum; ergo omnia exempla virtutum et gesta Sanctorum jam vocantur in dubium. Sed dubia imitari vel credere periculosum est; ac per hoc perit fides, devotio et reverentia, quæ habetur in Sanctis (*a*), si in dubium revocentur cætera quæ narrantur de ipsis. Rursus, si miracula quæ fecerunt non sunt testimonia efficacia ad sanctitatem eorum astruendam, stultizat hodie Ecclesia, quæ propter testimonia miraculorum Sanctos canonizat, et catalogo Sanctorum ascribit. Postremo quis unquam audivit, quod Deus per furem panem furtim acceptum multiplicaret ad aliorum salutem? Audivimus tamen per mendicum pauperem, panem, quem mendicando acquisierat, multipliciter augmentasse. Quod si dicas hoc speciale fuisse privilegium, et familiari Sancti Spiritus consilio esse factum, quomodo hoc aliis tradidit in legem et regulam, in qua eos ad mendicationem invitat, si sibi soli pro se solo est inspirata? Si dicas, quod ex proprio capite, non per inspirationem, quomodo non potest esse damnatus, qui ad actum reprehensibilem, tanquam ad actum moris, et perfectionis, temerarie invitavit? Quomodo etiam Sedes Romana de consensu Cardinalium hoc approbavit? Quod si dicas hoc non esse credendum, quod mendicitatem alicui imponat in pœnam, vel quod approbet pro regula et vita sancta : quod mendicitatem peregrinationis imponat, habetur *de pœnitentia* [2], ubi dicitur de sacerdote qui revelabat confessiones, quod « deponatur, et omni tempore vitæ suæ ignominiosus peregrinando pergat; » sed si viveret de labore honesto, vel de sumptibus propriis, non pergeret ut vilis, sed potius ut honorabilis. Restat igitur, quod imponit, quod vadat ut mendicus. Quod autem pro regula approbet, patet per illud scriptum superius allegatum *de excessibus prælatorum, Nimis prava*, ubi dicitur, quod « Ordinem et Regulam Prædicatorum et Mi-

[1] *Psal.* XXXIX, 18. — [2] Caus. XXXIII, dist. VI, c. II.

(*a*) *Leg.* Sanctos, *vel* Sanctis *sine præpositione.*

norum Sedes Apostolica noscitur approbasse.» Patet etiam per Regulam B. Francisci a domino Honorio approbatam, et confirmatam, ubi dicitur quod « vadant fratres pro eleemosyna confidenter. » Sed si erravit hoc approbando, et constat eum hoc approbasse, et confirmasse; constat etiam quod universalis Ecclesia per totum mundum hujusmodi ordines et status acceptat: concludendum est ergo secundum dictum hujus hominis unius, quod universalis Ecclesia tota erravit, et decepta fuit, et qui hujusmodi statum erroneum invenerunt et approbaverunt, omnes damnati sunt; quod est horribilissimum et incredibilissimum, quod Deus permitteret errare universaliter populum sanctum suum, et tantam multitudinem sapientium, qui hæc tempora præcesserunt. Quis autem tam sapiens, et tam justus, ut audeat cæteros præter se judicare fuisse deceptos et reprobos? Mira est hæc sapientia, quæ omnium ostendit insipientiam; et mira justitia, quæ cæteros condemnat. Quod si hoc non sapientia, sed potius temeritas, Sedem Apostolicam velle judicare, quæ a solo Deo judicatur, et ejus judicium et sententiam reprobare, et tot viros sanctos in infernum retrudere, et in barathrum damnationis, procul ergo hæc fiant a cordibus fidelibus et christianis.

Refellere etiam conatur plurima, imo fere omnia, tanquam doctrinæ apostolicæ inimica, pro eo quod dicit mendicationem ab Apostolo esse prohibitam tanquam malam, et tantum in casu esse concessam. Dicit etiam me fuisse mentitum, et contra Scripturam et Apostolum defendisse falsum, et defendere in hoc, quod dicit me dixisse, quod laborare opere manuali non sit præceptum. Dicit igitur, quod mendicare non est indifferens, sed malum; et ideo propter adjectionem circumstantiæ fieri nequaquam potest bonum, imo quod plus est, in prædicantibus asserit esse simoniacum. Hoc autem suæ positionis fundamentum frequentius iteratum, facile est advertere esse ruinosum, cum omni eo, quod superædificatur. Nam si mendicare prohibitum est, et mendicare peccare; ergo esse mendicum, est esse peccatorem. Cum ergo Christus se dicat mendicum, imo propheta in persona Christi, fatetur ergo Christus se esse peccatorem: quod dicere, vel credere, non parvum est flagitium, vel peccatum. Rursus, si mendicare peccare est, mendicitas peccatum est, sive mendicatio. Sed super illud [1], *Ut ejus inopia vos divites essetis,* Glossa [2] dicit: « Nemo se contemnat: pauper in cella, dives in conscientia, securior dormit in terra, quam auro dives in purpura. Non expavescas ergo cum tua mendicitate ad illum accedere, qui indutus est nostra paupertate: ubi se pauperavit, nos ditavit. » Ergo mendicitas disponit, non retrahit a divino accessu: constat igitur quod non est peccatum. Amplius Chrysostomus dicit [3]: « Mendicare in nullo offendit Deum; furari autem sive rapere offendit Deum, et hominem. »

Hoc etiam patet per auctoritatem Chrysostomi superius allegatam de Homilia quarta super Matthæum. Non ergo est ab Apostolo prohibitum, nec invenitur alicubi hoc Apostolum prohibuisse, sed potius cum suis coapostolis commendasse. Nam et prædicavit [4], et procuravit, quod collectæ fierent in pauperes sanctorum, qui erant in Hierusalem, sicut eleemosynæ eis gratis impensæ; et dicit [5], quod *Petrus et Jacobus dexteram dederunt mihi et Barnabæ societatis, ut nos in gentibus, ipsi in circumcisione, tantum ut pauperum memores essemus.* Glossa: « Pauperum, qui rerum suarum venditarum pretium ad pedes Apostolorum posuerant, memores essemus, ad opus illorum faciendo collectas. » Si ergo Apostolus simoniacus non erat in hoc, quod collectas petebat, et discipulos mittebat, ad hoc ut peterent eleemosynas ab his, quibus spiritualia seminaverat, pro pauperibus qui erant in Hierusa-

[1] II *Cor.*, VIII, 9. — [2] Gloss., ex Bed. in hunc loc., usque *in purpura.* — [3] Chrysost., *in Matth.*, hom. LXIX, al. LXX, n. 4. — [4] I *Cor.*, XVI, 1 et seq. — [5] *Gal.*, II, 9-10.

lem; si Summus Pontifex Ordines statuat pauperes, qui spiritualia seminent, et de eorum, quos ædificant verbo et exemplo, eleemosynis gratuitis petitis, seu ultro oblatis, vivant, ab Apostolo in nullo prorsus discordat, quin potius concordat, cum tantam sicut ipse, et majorem potestatem habeat in gubernando et disponendo ipsius Ecclesiæ membra.

Sed objicies, quod Apostolus præcepit laborem corporalem in textu, et glossæ videntur dicere, quod hoc facit contra mendicitatem. Sed ad hoc est plana responsio. Esto quod Apostolus laborem hujusmodi manualem præcipiat, quod nunquam negavi, sicut apparet in verbis meis, sed quod hoc non universaliter præcipit servis Christi, nisi forte in articulo necessitatis, in quo non patet licita via habendi victum, nisi per laborem manuum, sed præcipit personis determinatis, secundum quod apparet ex textu [1]: *Audivimus quosdam inter vos ambulantes inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes. His autem qui ejusmodi sunt, denuntiamus, et obsecramus in Domino Jesu Christo, ut cum silentio operantes suum panem manducent.* Et paulo ante [2]: *Denuntiamus, ut* (*a*) *subtrahatis vos,* etc. Glossa : « Incipit hic de curiosis et otiosis, monens ut corrigantur. » Patet ergo ex serie textus et ex Glossa, quod mandatum illud se extendit ad curiosos et otiosos. Similter [3]: *Rogamus vos, fratres, ut operam detis, ut quieti sitis, et operemini manibus vestris, sicut præcipimus vobis.* Glossa : « Operemini, quod adjuvat vos quietos esse. Illud enim malum de otio venit. » Et (*b*) hoc etiam patet quod hoc dicit ad otium vitandum, pigritiam tollendam, quæ est sentina desideriorum, et fomentum peccatorum. Unde alibi ait [4]: *Qui furabatur, jam non furetur; magis autem laboret operando manibus suis,* etc. Ex hoc igitur patet, quod labor non omnibus præcipitur, ac per hoc non inhibetur mendicatio, nisi illa quæ venit ex otio et cupiditate, secundum quod insinuant textus et glossa.

Sed objicies de Augustino, *de opere Monachorum* [5], qui loquebatur ad Monachos, qui spiritualibus erant exercitiis occupati et intenti, non otiosi; et illis dicit, quod ad hujusmodi opera sunt astricti. Ad hoc apparet manifesta responsio, si attendatur conclusio circa finem, qua confutat eorum positionem, qui repudiabant operationem corporalem, in quo male sentiebant; ibi [6]: « Quamobrem illi qui relicta, sive ampla, sive qualicumque opulentia, inter pauperes Christi vivere voluerint, si corpore valent, et ab ecclesiasticis occupationibus vacant, sed manibus operantur, misericordius agunt, quam cum omnia sua indigentibus diviserunt. Quod si nolunt, quis audeat cogere? Illi autem qui præter istam sanctam societatem vitam labore corporis transigebant, si non laborant, non manducent. » Apparent igitur qui sunt astricti, scilicet validi et fortes, et qui ab ecclesiasticis occupationibus vacant, et qui vitam in sæculo de labore corporis transigebant : et tales multi erant inter illos monachos, et plures erant in exordio Religionis Minorum fratrum, et ideo ad labores arctandi. Nunc autem comparatione aliorum paucissimi sunt tales, et ideo non est contra Apostolum, si talibus conceditur simpliciter mendicare, maxime cum talis actus non sit multum appetibilis, nec delectabilis, nec honorabilis, imo repletus multis vilitatibus et miseriis, ad quem nullius valentis viri cor posset inclinari, nisi in spe præmii, et amore Christi, et desiderio proficiendi, cum adjutorio gratiæ Spiritus sancti, sine qua vix, credo, posset dives ad tantæ abjectionis incommodum inclinari. Nec tales gravant populum Domini, et Ecclesiam, maxime si nihil ultra necessaria petant, quia multo plura expenderent et consumerent de eleemosynis pauperum, si clerici in sæculo in beneficiis præbendalibus remansissent, nec tunc

[1] II *Thess.*, III, 11-12. — [2] Ibid., 6. — [3] I *Thess.*, IV, 21. — [4] *Ephes.*, IV, 28. — [5] August., *de opere Monach.*, XXV, 32. — [6] Ibid., 33.

(*a*) Cæt. edit. *ne* — (*b*) *Forte leg.* Ex.

quando modicum intenderent spiritualibus operibus, etiam in divitiis præcluderetur via salutis. Absit igitur, quod nunc præcludatur in tanta arctitudine paupertatis.

Epilogus hujus quæstionis.

Ex jam dictis in hac quæstione de paupertate, ut cætera recolligamus in summa, apparet, quod sicut mendicare in pauperibus debilibus et infirmis est necessitas naturæ, in validis otiosis et cupidis est vitiositas culpæ, sic in pauperibus voluntariis contemptoribus sui, et imitatoribus Christi, et prædicatoribus Evangelii est actus consonans, non repugnans evangelicæ perfectioni, pro eo quod omnibus universaliter renuntiare, nullam rem sibi appropriando, est consilium a Domino, ut perfectum; eleemosynas accipere, justis pauperibus est concessum tanquam licitum, et in nullo perfectionis evangelicæ inimicum; eleemosynas etiam humiliter petere, pauperibus voluntariis non est inhibitum tanquam malum; vitam suam de lucro laboris sui transigere, non omnibus validis pauperibus injunctum tanquam præceptum necessario astrictivum. Si quis ergo impugnat rerum temporalium universalem abrenuntiationem, impugnat Christum pauperem, crucifixum, impugnat evangelicum consilium, impugnat cœtum Apostolorum dicentium [1]: *Ecce nos reliquimus omnia*; impugnat etiam Spiritum sanctum, qui hoc inspirat et suggerit cordibus perfectorum; impugnat et ipsum Deum Patrem universorum, qui est refugium pauperum; impugnat denique regnum cœlorum, totum universum, cujus dominium pauperi est concessum, dicente Domino [2]: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Et ideo contra talem *insensatum*, necesse est ut *pugnet orbis terrarum* [3]. Qui autem impugnat eleemosynarum acceptionem, et Christum impugnat, qui stipendium accipiebat [4] a mulieribus sibi servientibus, et se imitantibus (*a*); et cœtum Apostolorum, qui et ipsi eleemosynas accipiebant, quæ ponebantur ad pedes eorum; et statum Monachorum, qui super eleemosynas fundati sunt; et universum Clerum, nam et ipsi de eleemosynis vivunt, quæ ultro Ecclesiis Christi collatæ sunt; et per consequens communem pauperum statum, quem tamen Scripturæ divinæ indicant Deo maxime esse acceptum. Qui vero impugnat humilem eleemosynarum petitionem in eis qui egent, et licite possunt accipere, impugnat Christum, qui humiliter petiit hospitium, qui se fatetur esse mendicum: impugnat et Paulum, qui petiit collectas fieri pauperibus sanctis, et hoc de voluntate Petri; impugnat vinculum charitatis, quod facit communicari in ratione dati et accepti; impugnat officium humanitatis, per quam indigens exponit necessitatem suam, ne sibi sit inhumanus, et alium excitat, qui potest et vult, ut proximo sit humanus et pius, et in hoc nullus offenditur, nulli præjudicatur, nihil inordinate concupiscitur, nihil indebite aufertur in eis præcipue qui non quærunt datum, sed fructum. Qui autem impugnat otiositatem, cupiditatem, carnalitatem, et superfluitatem in cæteris christianis, et præcipue in religiosis, bene facit et recte, si tamen secundum ordinem rectum procedat; qui autem universaliter omnibus validis onus imponit lucrativi laboris, de quo debeant sustentari, præceptum Apostoli nimis ampliat, et jugum servitutis super Christi servos nimium aggravat, spirituales viros a spiritualibus occupationibus et laboribus retardat in periculum salutis animarum, dum magis facit eos sollicitos de suis morituris corporibus pascendis, quam de proximorum animis Domino acquirendis. Quod si fiat, decimatur mentha et cyminum, et relinquentur quæ graviora sunt, legis judicium, et misericordia, præfertur misericordia corporalis spirituali, ac per hoc corpus spiritui præfertur, privatum commodum utilitati communi, quæ specialiter consistit in ædificatione populi Christi, in eleemosynis, in documentis, et animarum consiliis, ad quæ misit Deus istos

[1] *Matth.*, XIX, 27. — [2] Ibid., V, 3. — [3] *Sap.*, V, 21. — [4] *Luc.*, VIII, 3.

(*a*) *Al.* invitantibus.

Ordines potremos per Summum Pontificem et Prælatos ; ad quæ si quis dicat (*a*) eos missos, manifeste obviat veritati, cum expressa ad hoc testimonia habeantur, tam in Regula, quam in privilegio, et institutione, et approbatione hujus duplicis Ordinis. Si autem dicat non debere mitti, detrahit evangelicæ sanctitati. Quis enim magis idoneus ad hoc, quam qui devovit evangelicam perfectionem? Si quis dicat eos a Papa et Episcopis non posse mitti, derogat Apostolicæ auctoritati, et potestati clavium in Prælatis, et plenitudini potestatis in Summo Pontifice, qui in terris (ut Scriptura asserit, fides sentit, jura testantur, rationes etiam irrefragabiles convincunt) caput unum et summum, et sponsus unicus, et hierarcha præcipuus, in quo etiam totus Ecclesiæ militantis status obtinet locum Christi. Ideo omne genu debet ei curvari, et Principum et Prælatorum, et Clericorum, et Laicorum, et Religiosorum in terris, ad instar Christi in cœlis, cui [1] *omne genu flectitur cœlestium, terrestrium et infernorum.* Quod mendicare pro Christo sit opus perfectionis evangelicæ, multiplex astruit auctoritas. Nam Hieronymus, in Epistola *de morte Fabiolæ*, commendans de hoc, dicit sic [2] : « Oblita sui sexus, fragilitatis immemor, ac solitudinis tantum cupida, ibi erat, ubi animo morabatur. Non poterat teneri consiliis amicorum, et ita ex urbe, quasi de vinculis, gestiebat erumpere. Dispensationem pecuniæ, et cautam distributionem, genus infidelitatis vocabat. Non aliis distributionem eleemosynarum tribuere, sed suis pariter effusis, ipsa pro Christo stipes optabat accipere. »

Item Hieronymus, *ad Furiam* [3] : « Quotiescumque manum extendis, Christum cogita, cave ne, mendicante Domino Deo tuo, alienas opes augeas. » Idem, *super Psalmos*, tractans illud verbum : *Persecutus est hominem inopem et mendicum*, dicit sic : « Qui cum esset dives, propter nos egenus factus est. Dominus inopem se dicit, et mendicum ; et quis in divitiis suis gloriatur ? Habetis consolationem, pauperes, et Dominus vobiscum pauper est. » Idem super Psalmum [5], *Qui dat escam esurientibus*, dicit : « Monachus qui non habet, confidenter accipiat ; qui habet et eructans est, non accipiat. Scis (*b*) quia esuris, scis (*b*) quia non habes, magnum est beneficium, si accipis quod tribuitur tibi ; si autem habes et non esuris, non debes cibum esurientium accipere saturatus. Accipe quod in ventrem mittas, non quod in sacculum : accipe tunicam quæ corpus tegat, non quæ arcas impleat. »

Item hoc ipsum astruit Chrysostomus, loquens de tribus pueris existentibus in Babylone [6] : « Ne enim mihi eos, quos in regalibus atriis invenerunt honores, dicas. Sancti enim existentes et justi, decies millies utique elegissent mendicare domi, et eis quæ in templo erant bonis potiri. *Elegi* enim, ait [7], *abjectus esse in domo Dei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.* » Idem alibi dicit [8] : « Quando videris pauperem, recordare verborum per quæ significabat, quoniam ipse sit qui cibatur. Etsi enim in eo quod apparet non est Christus, sed in hoc schemate ipse accipit, et mendicat. Sed verecundaris audiens, quoniam mendicat Christus. Verecundare, cum mendicanti non das. Hoc enim est verecundia, hoc supplicium et tormentum. Mendicare enim eum, ejus bonitatis est signum, et ideo in eo nos ornari oportet. »

Item dicit [9] : « Melius est mendicare quam rapere : hoc quidem, scilicet mendicare, in nullo offendit Deum ; illud autem offendit Deum et homines. » His etiam manifeste concordat Bernardus in homilia super illud Lucæ [10] : « *Cum esset Jesus annorum duodecim*, quærens ubi Christus fuit in triduo, dicit sic [11] : « Per illud triduum ubi eras, bone

[1] *Philip.*, II, 10. — [2] Hieron., *ad Ocean.*, epist. XXX, col. m. 257. — [3] Id., *ad Furiam*, epist. X, col. m. 94. — [4] *Psal.* CVIII, 17. — [5] *Psal.* CXLV, 7. — [6] Chrysost., *in Matth.*, hom. IV, n. 11. — [7] *Psal.* LXXXIII, 11. — [8] Chrysost., *in Matth.*, hom. LXXXVIII, al. LXXXIX, n. 3. — [9] Id., hom. LXIX, al. LXX, n. 4. — [10] *Luc.*, II, 42. — [11] Bern., hom. *in Evang. Luc.*, II.

(*a*) *Suppl.* non. — (*b*) *Leg.* Si.

Jesu? quis tibi cibum ministravit, aut potum? quis detraxit calceamenta? quis membra puerilia fovit unguentis? Ubi ergo eras, Domine? An ut te per omnia conformares nostræ paupertati, et omnes in te humanas miserias susciperes, quasi unus ex turba, pauperum stipem per ostia mendicabas? Quis dabit me buccellarum illarum mendicatarum participem fieri, et saltem divini illius edulii reliquiis saginari? » Item Glossa super illud Pauli [1] : *Qui cum esset dives*, etc. [2] : « Nemo se contemnat : pauper in cella, dives in conscientia, securior dormit in terra, quam dives auro in purpura. Non ergo expavescas cum tua mendicitate ad illum accedere, qui indutus est nostra paupertate; ubi se pauperavit, nos ditavit. » Amen.

QUÆSTIO II.

Utrum pauperes validi, et maxime regulares, ad opera manualia universaliter sint astricti.

MAGISTER GUILELMUS.

1. Arg. pro parte affirmativa. Quæritur utrum pauperes validi, et maxime regulares, ad opera manualia universaliter sint astricti? Et quod sic, ostenditur primo ex vinculo legis naturæ; scriptum est enim [3] : *Posuit Deus hominem in paradiso, ut operaretur.* Item [4] : *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Ergo præceptum de laborando respicit hominem secundum naturam institutam, et secundum naturam lapsam : ergo secundum omnia tempora; sed maxime respicit hominem, qui potest per se ipsum, et non potest supplere per alium : talis autem est pauper validus : ergo talis tenetur ad manualiter laborandum.

II. Item in *Zacharia* dicitur [5] : *Homo agricola ego sum, quia Adam exemplum meum;* Glossa : « Ut comedam panem meum in sudore vultus, dum ille se ostenderet natum ad hoc, ut in sudore vultus comederet panem. » Sed hoc maxime convenit ei, qui indiget pane, et potest laborare; et talis est validus pauper : ergo, etc.

III. Item ad ea sine quibus non potest natura subsistere, sumus naturaliter obligati : sed sine labore corporali, sive manuali, non potest genus humanum in esse conservari : ergo ad hoc necessario aliqui obligantur. Sed non nisi illi, qui sunt idonei; sed tales sunt pauperes validi, quia indigent, et possunt : ergo tales præcipue obligantur.

IV. Item sicut os datum est homini ad manducandum, ita et manus ad operandum : sed qui neglexerit comedere, cum indiget, si possit, facit contra dictamen juris naturalis : ergo pari ratione, qui neglexerit operari manualiter, si indiget et valet : sed talis est pauper validus : ergo, etc.

V. Item hoc ipsum ostenditur ratione religionis christianæ, primo per apostolicum præceptum, ubi dicit [6] : *Qui furabatur, jam non furetur, magis autem laboret operando manibus suis*, etc. Si dicas hoc esse consilium, contra ait Apostolus [7] : *Operamini manibus vestris, sicut præcepimus vobis, ut honeste ambuletis ad eos, qui foris sunt, et nullius aliquid desideretis.* Glossa : « Nedum rogetis vel tollatis. » Sed hoc maxime respicit pauperes : ergo, etc.

VI. Item hoc ipsum videtur per apostolicum exemplum, cum dicitur [8] : *Ipsi scitis quemadmodum oporteat imitari nos, quia non inquieti fuimus inter vos, neque gratis panem manducavimus, sed in labore et fatigatione*, etc. Glossa : « Apostolus forma erat his, qui tenues erant in substantia in plebe, ut discerent libertatem suam non amittere. Qui enim ad alienam mensam frequenter convenit otio deditus, aduletur necesse est pascenti se. » Cum religio nostra ad libertatem hominem vocet, ergo hoc est contra religionem nostram.

VII. Item hoc ipsum videtur per apostolicum edictum, ubi idem Apostolus ait [9] : *Cum essemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis,*

[1] II *Cor.*, VIII, 9. — [2] Gloss., ex Bed. in hunc loc., usque *in purpura.* — [3] *Gen.*, II, 15. — [4] *Gen.*, III, 19. — [5] *Zach.*, XIII, 5. — [6] *Ephes.*, IV, 28. — [7] I *Thess.*, IV, 21. — [8] II *Thess.*, III, 7-8. — [9] II *Thess,,* III, 10.

quoniam si quis non vult operari, non manducet. Sed constat, quod non loquitur, nisi de his, qui indigent refectione : ergo, etc. Si dicas, quod non intelligitur de labore corporali ; contra hoc, quod ibidem dicit Glossa : « Dicunt quidam de operibus spiritualibus hoc Apostolum præcepisse ; sed superflue conantur et sibi, et cæteris caliginem obducere, ut quod intelligitur charitas monere, non solum facere nolint (*a*), sed nec intelligere. » Sed forte dices, quod verba Apostoli intelliguntur dici ad curiosos, vagos et otiosos, non ad Christi servos spiritualibus occupatos. Contra, super illud [1] : *Qui non laborat*, Glossa : « Vult Apostolus servos Dei corporaliter operari, ut habeant unde vivant, ut non compellantur egestate necessaria petere. » Sed servi (*b*) dicuntur viri boni et justi ; et talibus præcipit operari, ut non compellantur mendicare : ergo pauperes validi, etc.

VIII. Hoc ipsum ostenditur ratione professionis monasticæ. Primo per B. Augustinum, qui per totum librum *De opere Monachorum* intendit tanquam finali conclusione ostendere, quod Monachi astricti sunt ad opera manualia.

IX. Item Glossa super illud Lucæ [2], *Vendite quæ possidetis, et date eleemosynam*, etc. [3] : « Ut omnibus spretis pro Deo, postea labore manuum operemini unde vivatis, vel eleemosynam faciatis. » Sed omnes regulares ex voto tenentur ad consilium paupertatis : ergo secundum Glossam labor manualis debet sequi abrenuntiationem : ergo omnes tenentur ad corporalem operationem.

X. Item Hieronymus *ad Rusticum* ait [4] : « Semper aliquid boni facito, ut te diabolus inveniat occupatum. Si Apostoli, habentes potestatem de Evangelio vivere, laborabant manibus suis, ne quemquam aggravarent ; cur tu in usus tuos successuras res non præparas ? Vel fiscellam texe junco, vel canistrum lentis plecte viminibus. » Et post : « Scribantur libri, ut et manus operentur cibos, et anima saturetur lectione. » Item beatus Benedictus in Regula sua [5] : « Tunc veri monachi sunt, si de opere manuum suarum vivant, sicut patres nostri et (*c*) Apostoli. » Ergo si hoc facit nos imitatores Apostolorum, et omnes Religiosi debent esse tales, ergo et operari manualiter, cum opera supererogationis non diminuant, sed implere debeant opera præceptorum.

XI. Item beatus Franciscus in Regula sua : « Fratres, inquit, quibus dedit Dominus gratiam laborandi, » etc. Et quod de labore corporali intelligat, patet per hoc quod sequitur : « De mercede vero laboris. »

SANCTUS BONAVENTURA.

Argumenta pro parte negativa

Contra, quod non omnes validi pauperes ad opera manualia sint astricti, videtur pro ratione contemplationis. Nam Salvator dicit [6] : *Martha, sollicita es*, etc., usque *elegit*. Melius ergo faciebat Maria intendens contemplationi, quam Martha corporali occupationi. Sed non melius ageret, si omitteret illud ad quod tenebatur : ergo intendens contemplationi, absolvitur ab opere corporali.

Item, super illud Genesis [7] : *Confirmatus est ager*, Glossa : « Contemplativa vita a sæcularibus actionibus funditus dividit ; sed non ab actionibus spiritualibus. » Ergo a corporalibus. Nec dividit contra legem Dei : ergo contemplantes non sunt astricti ad hoc.

Item labor manualis non est actus respiciens universaliter omnia membra Christi ; alioquin nullus sine eo posset salvari : respicit ergo officium alicujus membri. Sed membrum habens officium dignius non tenetur ad actum membri indignioris. Ergo si digniora sunt membra, quæ habent gratiam contemplandi, non astringuntur ad

[1] II *Thess.*, III, 10, quoad sensum. — [2] *Luc.*, XII, 33. — [3] Gloss. in hunc loc., ex Bed. *in Luc.*, lib. IV, c. 54. — [4] Hieron., *ad Rustic.*, epist. IV, col. III. 45. — [5] S. Bened. *Regul.*, c. XLVIII. — [6] *Luc.*, X, 41-42. — [7] *Gen.*, XXIII, 17.

(*a*) *Cæt. edit.* nolit. — (*b*) *Suppl.* Dei. — (*c*) Ita *Biblioth. Patr.*, edit. Lug. 1677. *Cæt. edit. deest* et.

officium vel exercitium actionis, maxime cum necessitas non compellit defectus inferioris membri supplere.

Item, quod non omnes astringantur, ostenditur ratione prædicationis. Nam ubi Lucas dicit [1] : *Misit eos binos*, etc., Glossa Ambrosii dicit : « Tanta debet esse prædicatori fiducia, ut sibi necessaria non defectura certissime sciat : ne dum sibi providet (*a*) terrena, minus aliis provideat (*b*) æterna. » Ergo studium prædicationis et doctrinæ non debet intermitti propter opus corporale, cum homo non perfecte sufficit ad utrumque.

Item super illud Lucæ [2] : *Dignus est operarius mercede sua*, Glossa ait [3] : « Duæ mercedes prædicatori debentur : una in via, quæ in labore sustentat; altera in patria, quæ in resurrectione remunerat. » Sed quod debetur alicui, non tenetur illud labore corporali acquirere : ergo prædicator non tenetur propter necessitatem corporis manualiter operari.

Item Augustinus, *De opere Monachorum* [4] : « Si evangelistæ sunt, si ministri altaris, si dispensatores sacramentorum, plane sibi vendicant potestatem vivendi, » scilicet sine opere corporali : ergo, etc.

Item, quod non omnes astringantur, ostenditur ratione spiritualis occupationis. Unde Apostolus ait [5] : *Nescitis quod qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt; et qui altari serviunt, cum altari participant?* ubi Glossa : « Naturalis ratio dictat, ut quis vivat inde, ubi laborat. » Si ergo fidelis qui intentus est spiritualibus occupationibus, dignus est sustentari, nec talis est otiosus; ergo nec ratione otii vitandi, nec etiam victus acquirendi, tenetur manualiter operari.

Item Anselmus, *De Similitudinibus* [6] : « Tres quippe sunt ordines hominum, orantes, agricultores, et defensores, quos ad diversa officia Deus in hoc mundo disposuit : monachos, ut pro aliis orent, et lacte prædicationis imbuant; agricultores, ut de suo labore et ipsi, et alii vivant; milites, ut orantes defendant. » Sed milites digni sunt sustentari, quando suum officium exercent, absque labore corporali : ergo pari ratione et monachi digni sunt.

Item, si spiritualis occupatio non excusat a labore corporali, ergo multo minus nec scientialis : ergo omnes validi pauperes, qui student in qualibet scientia, sunt in malo statu, quia non vivunt de labore manuum suarum : sed hoc est valde absurdum : ergo et primum.

Item Christus legem perfectissime implevit, quia decebat eum implere omnem justitiam : sed Christus pauperrimus fuit et validus : ergo si tales universaliter operari tenentur, Christus non perfecte legem implevit, nec dedit exemplum perfectum. Sed hoc est inconveniens : ergo et primum.

Item beatus Benedictus, quando erat in spelunca, erat pauper et validus; et tamen non vivebat de labore manuum suarum, sed edebat quod sibi Romanus apportabat, ut dicitur secundo *Dialogorum* [7]. Ergo vel erat in malo statu, quod absurdum est, vel non tenebatur ad operandum.

Item aut pauperes validi possunt vivere de eleemosynis absque manuali opere, aut non : si sic, habeo propositum, quod non tenentur; si non possunt, ergo cum omnia bona ecclesiarum et monasteriorum non sint nisi eleemosynæ pauperum, ut sancti dicunt, et manifestum est, ergo omnes, quotquot validi et clerici et monachi qui vivunt de hujusmodi bonis sine labore manuali, sunt in statu perditionis. Si ergo hoc est absurdissimum, patet quod et illud ex quo sequitur. Si dicas, quod de grossis et magnis eleemosynis licet, sed de parvis non licet, hoc non solum absurdum est, verumetiam adeo ridi-

[1] *Luc.*, x, 1. — [2] *Luc.*, x, 7. — [3] Gloss., ex Bed. *in Luc.*, lib. III, c. 42. — [4] August., *De opere Monach.*, c. xxi, n. 24. — [5] I *Cor.*, ix, 13. — [6] Imo Eadmer., *de Anselm. Similit.*, c. 127 et 128. — [7] Greg., *Dialog.*, lib. II, c. 1.

(*a*) *Cæt. edit.* prævidet. — (*b*) *Item* prævideat.

culosum, ut manifeste qui sic dicit, colet culicem, et glutiat camelum. Restat ergo quod ad hujusmodi opera manualia non omnes validi pauperes sunt astricti.

RESPONSIO.

Ad prædictorum intelligentiam est notandum, quod sicut circa fidem beatissimæ Trinitatis triplex est via sciendi, ita quod duæ, quæ declinant ad extrema, sunt erroneæ, sicut hæresis sabelliana, et ariana, media vero vera et catholica ; sic in quæstione proposita duplex est via declinans ad extrema, et ideo erronea et reprobanda, media vero recta et acceptanda. Unus est modus dicendi, quod nulli pauperes voluntarii, quantumcumque validi, ad opera manualia sunt astricti, sed solum ad spiritualia. Et hi fundaverunt se super illud Matthæi [1] : *Respicite volatilia cœli.* Hic autem modus dicendi est erroneus, quia est corruptivus Ecclesiæ, et depravativus Scripturæ. Corrumpit Ecclesiam, dum simulando falsam justitiam, fovet pigritiam ; dum simulat se velle Evangelium perficere, vult otium carnis nutrire. De quibus Augustinus, in libro *De opere Monachorum* [2] : « Quis ferat homines contumaces saluberrimis monitis Apostoli resistentes, non sicut infirmiores tolerari, sed sicut sanctiores etiam prædicari, ut monasteria doctrina saniore fundata, gemina illecebra corrumpantur, et dissoluta licentia vacationis, et falso nomine sanctitatis ? » Depravat etiam Scripturam, quia nimis ampliat verba evangelica, et nimis arctat verba apostolica. Vult enim quod Evangelium inhibeat perfectis omne opus corporale, et vult quod Apostolus non suadeat nisi opus spirituale : quorum utrumque falsum est. Et contra hanc falsitatem Augustinus totum librum *De opere Monachorum* condidit, ostendens quod Apostolus intelligit de opere corporali, et quod Evangelium non vetat corporalia opera, sed solum quod cor non sollicitetur præoccupatum circa temporalia. Unde in principio libri *De opere Monachorum* ait [3] : « Prius debemus ostendere beatum Apostolum opera corporalia servos Dei operari voluisse ; deinde ostendere evangelica illa præcepta, de quibus nonnulli non solum pigritiam, sed arrogantiam fovent, apostolico præcepto et exemplo non esse contraria. » Unde convincit Augustinus positionem istam esse reprobandam.

Secundus modus dicentium est, quod omnes validi pauperes, qui non habent unde vivant, ad opera manualia seu corporalia sunt astricti. Et innituntur verbis Apostoli dicentis [4] : *Qui non laborat, non manducet.* Nec possunt excusari, ut dicunt, per opera spiritualia. Et hic quidem modus dicendi est erroneus, sicut et primus. Nam nimis declinando ad alteram extremitatem, depravat Scripturam, et corrumpit Ecclesiam. Scripturam depravat, quia nimis ampliat verbum Apostoli, dum dicit : *Qui non laborat, non manducet ;* volens illa verba de labore manuali non solum ad otiosos, sed quantumcumque utiliter in spiritualibus occupatos extendi, qui non sunt curati. Nimis etiam restringit verba evangelica, dum illa verba [5] : *Dignus est operarius mercede sua,* ad eos solos extendit qui habent animarum curam : cum potius fiat homo dignus mercede ex opere, quam ex dignitate. Absit omnino a fidelibus mentibus, quod cooperatores habentium curam non sint digni operarii, nec digni mercede et sustentatione sua, maxime qui fideliter collaborant in verbo et doctrina. Ecclesiam etiam corrumpit, dum simulat districtionem justitiæ, et persequitur spiritum vitæ. Quid enim aliud est hoc, quam quod significatum est per præpositos Pharaonis, de quibus dicitur in *Exodo* [6], quod *oderant filios Israel, et ad amaritudinem perducebant, affligentes operibus duris luti, et lateris, atque omni servitute ?* Et ne forte videar moveri spiritu proprio, audi quid

[1] *Matth.*, VI, 26. — [2] August., *de opere Monach.*, c. XXX, n. 38. — [3] Ibid., c, III, n. 4. — [4] II *Thess.*, III, 10, quoad sensum. — [5] *Luc.*, X, 7. — [6] *Exod.*, I, 13.

dicit Glossa super illud Exodi [1] : *Quare, Moyses et Aaron, sollicitatis populum ab operibus suis? Ite ad onera vestra* [2] : « Hodie, si Moyses et Aaron, id est propheticus et sacerdotalis sermo, animam sollicitet ad servitium Dei, exire de sæculo, renuntiare omnibus quæ possidet, attendere legi et verbo Dei, continuo audies unanimes et amicos Pharaonis dicentes : Videte quomodo seducuntur homines, et pervertuntur adolescentes, ne laborent, ne militent, ne agant aliquid quod prosit, relictis omnibus necessariis, inertias sectantur et otium. Quid est servire Deo? laborare nolunt, et otii occasiones quærunt. Hæc erant tunc verba Pharaonis; hæc et nunc amici ejus loquuntur, nec solum verbis, sed etiam verberibus persequuntur. » Hucusque Glossa.

Quoniam igitur utraque opinionum, vel sententiarum, declinat ad extrema, et declinando depravat Scripturam, et corrumpit Ecclesiam, ideo utraque reprobanda : prima, quia dat fomentum pigritiæ ; secunda, quia nititur extinguere spiritum vitæ sub onere servitutis Ægyptiacæ : prima, quia fovet otium carnale ; secunda, quia persequitur spirituale. Propterea secunda longe perversior est, quam prima, licet utraque sit mala. Ideoque, utraque repulsa, tenenda est via media, quod de pauperibus validis aliqui sunt astricti, aliqui vero absoluti, aliquibus indicitur sub præcepto, aliquibus pro consilio, aliquibus nec isto, nec illo modo.

Ad cujus pleniorem evidentiam notandum est, quod regnum reipublicæ in Ecclesia attenditur circa tria, scilicet quantum ad bonum inferius, quod est corporale; quantum ad bonum exterius, quod est civile; et quantum ad bonum interius, quod est spirituale. Et secundum hoc, triplex genus operis est necessarium ad regnum Reipublicæ et Ecclesiæ militantis, scilicet opus artificiale, quod et manuale dicitur, quia manus est organum organorum, opus civile, et opus spirituale. Opus manuale sive corporale dico, quod est necessarium ad præparanda alimenta, vestimenta et habitacula, et diversorum opificum et artium instrumenta. Opus civile dico, quod est ipsorum præsidum gubernantium, militum defendentium, et mercatorum negotiantium, et famulorum subministrantium. Opus spirituale dico, quod consistit in disseminando divina verba, meditando divina cantica, in dispensando sacramenta, in communicando bona sibi divinitus data, sive terrena, sive spiritualia. Nam distribuere sua pro Christo, opus est spirituale, non civile, non civitatis terrenæ. Sicut ergo qui intenti sunt operibus civilibus reipublicæ, ad opera manualia per apostolicum præceptum non intelliguntur astricti, sic nec hi, qui intenti sunt spiritualibus, maxime si redundet in aliorum salutem, commodum et profectum. Et ideo occupatos in quatuor generibus operum spiritualium prædictorum excipit Augustinus a tentione apostolici præcepti in libro *de opere Monachorum*, cum dicit [3] : « Si evangelistæ sunt, si ministri altaris, si dispensatores sacramentorum, plane hanc sibi vendicant potestatem, si aliquid habebant in sæculo, quo facile sine opificio sustentarent hanc vitam, quod conversi ad Deum indigentibus dispartiti sunt. » Evangelistæ autem disseminant divina verba ; ministri altaris decantant divinas laudes, et divina cantica ; dispensatores sacramentorum dispensant divina Sacramenta, et maxime Eucharistiæ vel Pœnitentiæ : qui diviserunt suas possessiones, distribuerunt bona sua. Si ergo digni sunt sustentari pro unica distributione spiritualium, etiam si nihil corporaliter operentur, et si ille qui docet filium alicujus grammaticam, meretur ab eo sustentari, quare non ille qui docet viam regni cœlestis, qui impetrat gratiam orando, qui etiam exemplis bonæ vitæ excitat, et dirigit ad æternam salutem ? Cum ergo respublica universalis Ecclesiæ, seu ecclesiasticæ hierarchiæ, indigeat ad sui conservationem triplici opere supradicto, nec Deus,

Triplex est genus operis, scilicet corporale, civile, spirituale.

[1] *Exod.*, v, 4. — [2] Gloss. in hunc loc., partim ex Beda. — [3] Aug., *de opere Monach.*, c. XXI, n. 24-25.

nec angelus, nec pastor Ecclesiæ, vel rector, sicut Apostolus, astringit ad hujusmodi opera, nisi secundum quod exigit salus, necessitas et utilitas ipsius ecclesiasticæ hierarchiæ, cujus servi Christi sunt membra.

Pauperes validi, qui ad spiritualia non sunt idonei, ad manualia tenentur

Quoniam ergo inter membra Christi sunt quædam maxime idonea ad operationes corporales, et minime ad spirituales, quædam e contrario modo; hinc est, quod illis pauperibus validis, qui ad opera corporalia maxime sunt idonei, et minime ad spiritualia, qui convenienter aliter nesciunt vitare otium, et opus facere victu dignum, tales ad opera manualia astringuntur, et eis est manuale in præcepto. His autem qui simul spiritualibus sufficienter possunt intendere, et labore manuum victum acquirere, vel in toto, vel in magna parte, qualis fuit apostolus Paulus, est opus manuale in consilio. His autem qui maxime sunt idonei ad spiritualia opera prædicta, vel etiam ad civilia, et minime ad hæc manualia, hujusmodi opera lucrativa et artificialia non sunt in præcepto, nec etiam in consilio, quia stultum esset, quod pro re modicæ utilitatis commune bonum magnum incurreret detrimentum, nec hoc ordinavit Deus, nec ejus Apostolus, sicut in sequentibus evidenter ostenditur. Quod autem de hujusmodi operibus et hominibus diversificari debeat judicium secundum diversitatem donorum, officiorum, et gratiarum sibi divinitus collatarum, ostendit Glossa super illud Deuteronomii [1] : *Benedictus fructus ventris tui, et fructus terræ tuæ, et fructus jumentorum tuorum,* ita dicens : « Diversos ordines notat subditorum : alii enim doctoribus corporalia præbent adjumenta; alii laborare possunt, quod sibi fuerit præceptum; alii, simplicitate contenti, per innocentiam vitæ student Deo placere. » [2] *Unusquisque proprium donum habet ex Deo.* Concedendum est igitur, quod non omnes validi pauperes, etiam non curati, ad hujusmodi opera manualia sunt astricti, et concedendæ sunt auctoritates et rationes hoc probantes, hoc ostendentes.

[1] *Deut.*, XXVIII, 4. — [2] I *Cor.*, VII, 7. — [3] *Psal.* LXXII, 5.

Ad illud quod primo objicitur in contrarium de obligatione legis naturæ; dicendum, quod natura ad hoc non astringit, nisi ratione periculi vitandi. Nam si ex lege naturæ hæc maneret obligatio, cuncti essent universaliter et æqualiter obligati : quod absurdissimum est. Ideo si aliquis a natura astringitur, hoc non est, nisi propter vitandum periculum; et hoc potest esse triplex : aut quia non potest fructuose sine labore vivere; aut quia non potest honeste vivere; aut quia non potest vivere. In primo periclitatur entitas; in secundo, honestas; in tertio, utilitas. Est autem naturaliter insertus homini amor sui esse continui, amor honesti, et amor commodi : et per hoc lege naturæ astringitur homo ad vitandum hoc triplex periculum. Sic ergo astringitur necessario ad manualiter operandum pauper validus, si in tali articulo constitutus est, quod non potest aliter vivere, vel non potest honeste, sive juste, vel non potest aliter vivere fructuose. Si autem potest aliter hoc periculum vitare æque vel magis utiliter, astringi ad hoc non habet ex lege naturæ. Quod ergo objicitur, quod homo ex prima sua conditione ordinatus est ad istam operationem; dicendum, quod nullus homo debet esse sine labore in hac vita, ne forte de eo dicatur quod de reprobis dicitur in Psalmo [3] : *In labore hominum non sunt.* Sed ex hoc non sequitur, quod oporteat occupari circa laborem manuum, et maxime lucrativum.

Ad I.

Non astringitur homo ex lege naturæ ad opus manuale.

Et per hoc patet responsio ad sequens ab exemplo Adæ; quia constans est, quod non omnes obligantur ad opus agriculturæ. Ad illud quod dicitur : *In sudore vultus tui*, etc., tunc non dictum est in præceptum juris, sed in pœnam culpæ perpetratæ, sicut patet per textum sequentem.

Ad illud quod objicitur, quod sine hujusmodi opere non potest genus humanum sustentari; dicendum quod duplex est mandatum, unum individui, aliud quod respi-

Ad III.

cit conservationem speciei, sicut est mandatum de manducando, et mandatum de generando. Illud ergo quod respicit conservationem speciei, non obligat nisi in communi; quia, uno implente, alius absolvitur, sicut de generatione : et quia opus manuale est hujusmodi, nisi in eo qui constitutus est in statu periculi, ideo non habet nisi talis astringi.

Ad IV. Ad illud quod objicitur, quod sicut os est ad manducandum, ita et manus, etc., dicendum, quod non est simile, quia si homo posset vivere sine comestione, sicut potest vivere sine manuali opere, non teneretur manducare. Præterea unus homo potest operari pro alio, sed non manducare pro alio : ideo non oportet sic omnes astringi universaliter ad manualem operationem, sicut ad manducationem.

Ad V, VI et VII. Ad illud quod objicitur de præcepto, exemplo, aut dicto, et verbo apostolico; notandum, quod circa apostolicum præceptum consideranda est persona cui præcipitur, causa proqua præcipitur, et forma sub qua præcipitur. Si consideretur persona, non omnibus præcipit generaliter, sed determinate quibusdam. Ait enim [1] : *Et audivimus quosdam inter vos ambulantes inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes. His autem qui hujusmodi sunt, denuntiamus, ut cum silentio operantes, suum panem manducent.* Præcipit ergo inquietis, curiosis et otiosis. Si autem consideretur causa, non est dubium, quin sit ad remotionem horum trium vitiorum. Quia enim labor corporalis valet ad corpus domandum, ad otium tollendum, ad victum honeste quærendum, idem apostolus imponebat eis laborem, quasi in vitiorum istorum medicamentum. Nam inquieti labore domante, otiosi labore excitante, curiosi sedula cura victum quærentes, ut dicit Glossa, indigent labore victum promerente. Ideo Apostolus quasi per se loquitur, et proprie et sufficientissime, in prædicto mandato, si attendatur causa. Si vero attendatur forma sub qua præcipit, constans est, quod debet convenire cum causa. Apostolicum enim hoc præceptum est, et ad tria prædicta ille astringitur, qui non potest habere illa tria per aliam viam licitam et convenientem; qui vero potest, non astringitur determinate ad hanc viam, quantum est de ipsius præcepti efficacia, quod dedit Apostolus ad ornandam et ædificandam Ecclesiam, non est (*a*) ad destruendam illam, secundum potestatem, quam ad ædificationem dicit [2] sibi divinitus datam.

Quibus præcipiat Apostolus opus manuale, et qua de causa.

Dicendum ergo, quod apostolicum præceptum, exemplum, dictum et judicium, illos obligat potissime, qui sunt inquieti, otiosi et curiosi, ut ab his redeant (*b*) : vel eos qui non possunt aliter convenienter, quam per laborem corporalem, vitare vitia supradicta, sicut manifeste ostensum est.

Ad illud quod objicitur de Glossa, quod vult Apostolus servos Dei corporaliter operari; dicendum, quod si illud esset velle præcepti, intelligendum est indefinite de servis Dei, id est, de his qui sunt ad servitium dominicum conversi, qui per majora et utiliora opera non sunt a manuali opere excusati, sicut exemplificat Augustinus de his, qui vitam in sæculo de labore corporali transigebant : et sic illud indefinite debet intelligi, et non universaliter, quia absurdum esset dicere, quod omnes servi Dei ad hoc sint astricti. Patet etiam hoc, quia Augustinus, a quo verba illius Glossæ accepta sunt, sed mutata, excipit quatuor genera hominum, quos dicit non teneri ut labore proprio victum quærant, sicut ostensum est supra. Unde super prædictam Glossam innitendum non est, tum quia mutat verba Augustini (dicit enim in originali [3] : *Primum debemus ostendere Apostolum corporalia opera servos Dei operari voluisse, ut victu et vestitu a nullo indigerent*, nec aliquam mentionem fecit de petitione); tum (*c*) quia illi, contra quos agebat, non vivebant de

[1] II *Thess.*, III, 11-12. — [2] II *Cor.*, XIII, 10. — [3] Aug., *de opere Monach.*, c. IV, n. 3.

(*a*) *Del.* est. — (*b*) *Leg.* recedant. — (*c*) *Cæt. edit. deest* tum.

petitis, sed oblatis, sicut in secundo libro *Retractationum* [1] dicit. Facienda est ergo vis in hoc quod dicit : *Voluisse*, quod non semper præceptum est; et in hoc quod dicit : *Servos Dei*, quod indefinite dictum est; et in hoc quod dicit : *Ne compellantur*, quod non pertinet ad pauperes voluntarios, sed potius ad invitos.

Ad illud quod objicitur de monachis, dicendum quod monachi regulares aliqui habent in professione et voto laborem manualem, aliqui vero minime. Ratio vero hujus est diversitas professionum, ex parte temporum, personarum et intentionum. Ex parte temporum, quia circa tempora primitivæ Ecclesiæ quatuor erant genera monachorum, sicut distinguit beatus Benedictus in principio Regulæ, scilicet Cœnobitæ, Anachoritæ, Sarabaitæ (*a*), et Gyrovagi. Primi erant boni, secundi optimi, tertii et quarti pessimi. Tertii enim et quarti non ducebantur jugo aliquo, sed secundum proprias concupiscentias ambulabant : Sarabitæ, intendentes carni; Gyrovagi, vagi mutabiles et vagabundi, et ad omnia mala parati. Secundi, scilicet Anachoritæ, regula non indigebant, quia tanquam perfectissimi regulabantur a gratia. Primis debuit regula dari, ut distinguerentur a Gyrovagis et Sarabaitis (*b*); conveniens fuit, ne compellerentur exterius exire, ad laborem corporalem eos astringi. Unde Augustinus in libro *de opere Monachorum*, ait [2] : « Callidissimus hostis tam multos hypocritas sub habitu monachorum usquequaque dispersit, circumeuntes provincias, nusquam missos, nusquam fixos, nusquam stantes, nusquam sedentes. » Et post : « Nonne calescit cor vestrum intra vos, et in meditatione vestra exardescit ignis, ut istorum mala opera bonis operibus persequamini, ut eis amputetis occasionem turpium nundinarum, quibus æstimatio vestra læditur, et infirmis offendiculum ponitur? Miseremini ergo et compatimini, et ostendite hominibus, non vos in otio facilem victum quærere, sed per angustam et arctam viam hujus propositi regnum Dei quærere. Eadem vobis ratio est, quæ fuit Apostolo, ut amputetis occasionem his, qui quærunt occasionem, ut qui illorum putoribus præfocantur, in vestro bono odore reficiantur. » Hucusque Augustinus.

Quatuor genera Monachorum.

Ex parte etiam personarum voventium, quia monachi tunc temporis pro maxima parte erant laici et plebeii, et ideo competebat eis circa consueta opera occupari. Unde Augustinus, in libro *de opere Monackorum* [3] : « Illi qui præter istam societatem sanctam vitam labore corporis transigebant, ex quorum numero plures ad monasteria veniunt, si nolunt operari, non manducent. Neque enim in christiana militia ad paupertatem divites humiliantur, ut pauperes ad superbiam extollantur; nulloque modo decet, ut in ea vita ubi senatores fiunt laboriosi, ibi fiant opifices otiosi, et quo veniunt relictis deliciis, qui fuerunt prædiorum domini, ibi fiant rustici delicati. »

Ex parte intentionum, quia monasteria primitiva instituta erant ad vitam solitariam agendam, ut unusquisque haberet curam sui, et apud se habitaret; et ideo monachus dictus est : et quia paucissimorum est semper divinis intendere, ideo, ne otiosi essent, congruebat eorum professioni exerceri circa opus manuale. Unde Hieronymus ait [4] : « Ægyptiorum monasteria hunc morem tenent, ut nullum absque labore suscipiant, non tam propter victus necessaria, quam propter animæ suæ salutem, ne vagentur perniciosis cogitationibus, et ad instar fornicantis Jerusalem omni transeunti divaricent pedes suos. » Competebat ergo monasteriis primi temporis astringi ex professione ad opus manuale, ratione temporis, personarum et professionis. Sed post instantibus temporibus modicis quando illi Gyrovagi erant consumpti, et Ecclesia opulenta fuit,

[1] Aug., *Retract.*, lib. II, c. XXI. — [2] Id., *de opere Monach.*, c. XXVIII, 36. — [3] Ibid., c. XXV, n. 33. — [4] Hieron., *ad Rustic.*, epist. IV, col. m. 45.

(*a*) *Cæt. edit.* Sarabita. — (*b*) *Item* Sarabitis.

tam in clericis, quam in monachis, magis erat opus dandum circa spirituale exercitium; et hinc est quod monachi laborem manualem sive corporalem bene et recte in spiritualem exercitationem et psalmodiam commutaverunt. Et quia ecclesiæ jam ditatæ magis indigebant spiritualibus operariis, quam vinitoribus et agricolis; hinc est quod Spiritus sanctus religiones pauperculas suscitavit, quarum sollicitudo et cura tota esset ad signandos servos Dei in frontibus eorum signo Dei vivi, vocando ad pœnitentiam, et ad gratiam Spiritus sancti. Unde utræque a sua primaria institutione habent officium prædicandi, et ideo cum tales circa opera spiritualia sint intenti, propter quæ alii ab aliis merentur sustentari, nec sunt otiosi, nec curiosi sic vivendo, nec in periculo, cum Dominus eos paverit usque modo, nec habent hoc ex voto, ideo nec ipsi, nec omnes pauperes voluntarii, licet sint validi, sunt ad opus corporale astricti, quia nec ratione periculi, nec ratione præcepti apostolici, nec ratione voti emissi, ut manifeste liquet ex præmissis.

Ad VIII. Ad illud quod objicitur de libro *de opere Monachorum*, dicendum quod beatus Augustinus in libro illo non ad hos loquitur, sed ad primos, qui opera corporalia, quæ habebant ex professione, sub prætextu spiritualitatis contemnebant, quia nec propter spiritualia debebant omittere corporalia, nec etiam e converso. Unde Bernardus, ad tales loquens in Apologia, ait [1]: « Jam vero de labore manuum quid gloriamini, cum et Martha laborans increpata, et Maria quiescens laudata sit, et Paulus aperte dicat [2]: *Labor corporalis ad modicum utilis est, pietas autem ad omnia?* Optimus labor, de quo Propheta dicebat [3]: *Laboravi in gemitu meo;* et de quo alibi [4]: *Memor fui Dei, et delectatus sum, et exercitatus sum.* At ne corporale intelligas exercitium: *Et defecit spiritus meus*, inquit. Unde ubi (*a*) non corpus, sed spiritus fatigatur, spiritualis labor procul dubio intelligitur. [5] Quid ergo, inquis? Siccine spiritualia illa persuades, ut etiam hæc quæ ex regula habemus corporalia damnes? Nequaquam: illa oportet agere, et ista non omittere; alioquin cum aut ista omitti necesse est, aut illa, ista potius omittenda sunt, quam illa. Quanto enim spiritus melior corpore, tanto spiritualis quam corporalis exercitatio fructuosior. Tu vero cum de horum observatione elatus, aliis non eadem observantibus derogas, nonne te magis regulæ transgressorem judicas? » Sunt ergo ad opus manuale astricti illi, qui habent ex obligatione professionis, nisi forte opus manuale commutent in spirituale, ita quod hoc etiam sit de voluntate et licentia superioris.

Ad IX. Ad illud quod objicitur de Glossa, dicendum quod illud totum est consilium, sicut textus ille super quem Glossa fundatur. Nec aliquis ad totum illud, nec ad partem se astringit, nisi quantum ex professione promittit. Unde sicut eleemosynas dare non est præceptum illi, qui omnia dedit; sic nec illud intermedium, scilicet operari, tenet rationem obligationis necessariæ, sed solius suasionis monitoriæ, vel etiam consultivæ.

Ad X. Ad illud quod objicitur de Hieronymo, et Benedicto, jam manifesta est responsio per prædicta.

Ad XI. Ad illud quod objicitur de B. Francisco, dicendum, quod in Regula B. Francisci quædam dicuntur præceptorie, quædam monitorie, quædam informative, sicut ipsa regula aperta vocabula distinguit expresse. Hoc autem quod dictum est de labore, non est dictum præceptorie, quia non imperaret, quod faceret devote, cum hoc non sit in nostra potestate; sed dictum est informative. Informat enim quorum sit manualiter operari, et qualiter, quia illorum, qui habent gratiam et facultatem virtutis, et industriam artis, et opportunitatem loci, et temporis.

[1] Bern., *Apolog.*, c. VI, n. 12. — [2] I *Tim.*, IV, 8. — [3] *Psal.* VI, 7. — [4] *Psal.* LXXVI, 8. — [5] Bern., ubi sup., c. VII, n. 13.

(*a*) *Apud Bern., edit. Mabill.* 1690, Ubi autem.

Qualiter, quia fideliter ad proximum, devote ad Deum, et modeste ad se ipsos. Unde Sanctus intelligens per Spiritum sanctum suam vocationem, in qua erant laici cum clericis, nec mandatum dedit de manualiter operando, nec tamen omnino reticuit, ut laici, et qui non sunt ad spiritualia idonei, nec circa necessaria fratrum intenti, nec adhuc sunt ad contemplationis indefessum otium elevati, panem non comederent otiosi. Cum enim omnibus sit cavenda otiositas tanquam sentina omnium vitiorum, potissime his cavenda est, qui se perfectioni evangelicæ astrinxerunt. Sic ergo patet, quod non omnes validi pauperes, etiam non curati, ad opera manualia sunt astricti.

APOLOGIA PAUPERUM [1]

ARGUMENTUM

(Ex edit. Vatic.)

Evangelicæ paupertatis excellentiam, meritum et utilitatem S. Bonaventura hoc Opusculo explicat, et Fratrum Minorum statum securum, meritorium, et Deo gratum probat, adversus Gyraldum de Abbatis Villa, Parisiensem Doctorem, et regulæ S. Francisci calumniatorem. Qui cum in B. Franciscum, et ejus Ordinem linguam blasphemam relaxasset, divina ultione percussus, paralysi dissolutus, et lepra percussus interiit. Opusculum vero hoc, titulo eodem inscriptum, Trithemius S. Bonaventuræ tribuit : cujus initium esse testatur : *Summi Legislatoris,* etc. [2]

PROLOGUS

Summi Legislatoris inviolabili constat diffinitione sancitum, sic Majestati æternæ cultum debitum esse reddendum, quod idolorum cultura vitetur ; sic redigendum intellectum creatum in summæ veritatis obsequium, quod nullus falsitati præbeatur assensus ; sic vacandum sanctificationi spirituum, quod ferietur a servitute carnalium voluptatum ; sic denique virtutum deiformium approbandam esse rectitudinem, quod deformantium vitiorum pravitas reprobetur. Præterea, sicut veritatem fidei et morum amore præcipuo jubemur desiderare, ac quærere ; sic et errores, eidem oppositos, summo astringimur horrore vitare, tantoque vehementius, quanto perniciosiores esse probantur. Quod quia Scripturæ sacræ catholicos tractatores non latuit, mox ut suboriri senserunt perversorum dogmatum germina, magno studuere conatu illorum convulsioni operam diligentem impendere, ne si in altum succrescerent, sationis dominicæ semina suffocarent. Porro diebus istis novissimis, quibus evidentiori claritate veritatis evangelicæ fulgor illuxerat (quod absque profluentium exuberantia lacrymarum nequaquam referre valemus), dogma quoddam pullulasse, jamque in scriptis redactum reperimus, quod tanquam fumus teter et horridus e puteo abyssali prorumpens, ipsiusque Solis justitiæ splendentibus radiis se directe objiciens, christianarum mentium hemisphærium obscurare contendit. Ne igitur tam perniciosa labes (non sine Dei offensa et animarum discrimine dissimulata) concrescat, præcipue cum calliditate serpentina pietatem quamdam in superficie præferat, revelanda est facies indumenti ejus, ut clare detecta fovea, caute possit evitari ruina. Sane quia hujusmodi fabricator erroris, cum adhuc sit viator, ut credimus, corrigi

[1] *Cf.* Edit. Argentin. an. 1495, 17, part. I ; edit. Vatic. an. 1596, tom. VII, part. IV, pag. 411 ; edit. Ven. an. 1611, 19, tom. I ; edit. Ven. an. 1753, tom. V, pag. 593. — [2] Summam capitum singularium responsionum hujus opusculi, quæ hoc loco in cæteris editionibus legitur, ad calcem tomi pro more nostro remittimus.

potest per Dei clementiam, sollicite pro eo interpellandus est Christus, ut suæ vocis virtute, ac sapientiæ lumine ejus, quam Saulo quondam exhibuerat, miserationis non immemor, et protervientem deterreat, et superbientem humiliet, et errantem requirat, corrigat et reducat. Et quoniam [1] *meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta odientis oscula*, nequaquam peccatorum oleo, adulatione videlicet, impinguandum est ipsius languidum caput, nec tumidi cordis apostema palpandum; quin potius procacis hominis erectam cervicem oportet dura increpatione ferire, non quidem amari cordis odio, sed tranquillæ mentis æmulatoria charitate. Ipsum vero dogma pestiferum ordinato competit improbare progressu, ut per modum apologiæ objectioni coaptetur responsio, et impugnationi defensio correspondeat ex adverso. Quoniam igitur primo perfectionis evangelicæ apicem conatur dejicere, dehinc præcipitare mœnia, tertio evertere fundamenta, tandemque pauperum Christi professionem, falsis criminationibus infamatam, abominabilem reddere mundo: quadruplex in contrarium responsionum est instruenda munitio, quarum quælibet tripartita sit, juxta quod exigit materia, quatenus triangulari hujusmodi armatura evangelici milites, velut veritatis scuto circumdati, contra fulminantium telorum acumina protegantur invicti.

RESPONSIONIS PRIMÆ

CAPUT PRIMUM

In quo calumniatoris perversa intentio detegitur, veræ condescensionis Christi sublimis perfectio declaratur.

Igitur libellum illum calumniosum, cujus hoc initium est: *Tantum sibi præsumptionis assumpserunt quidam homines*, etc., cum æmulatione, non secundum scientiam fuisse conscriptum, neque sanam continere doctrinam, qui diligenter vult considerare, luculenter potest advertere. Primum quidem, quia in defensionem illius libri erronei, qui sic incipit: *Ecce videntes clamabunt foris*, paucis revolutis temporibus per Sedem Apostolicam reprobati, non absque nota rebellionis est editus, Legislatoris spreta sententia, quam in Deuteronomio sanxit [2]: *Si difficile atque ambiguum apud te judicium esse perspexeris, venies ad sacerdotes levitici generis, et sequeris sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, vel ad sinistram. Qui autem superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, et decreto judicis, morietur homo ille.* Quod si tempore sacerdotii figurativi pontificis sententiæ adversari malum erat, mortisque pœna mulctandum; multo fortius tempore veritatis et gratiæ revelatæ, quando Christi Vicario plenitudo potestatis collata esse dignoscitur, malum esse constat nullatenus esse tolerandum, in fide vel moribus ejus diffinitioni dogmatizare contrarium, approbando quod ipse reprobat, reædificando quod ipse destruit, defensando quod damnat. Dehinc si quis libri totalis continentiam vigili circumspectione consideret, non sanam, sed potius insanam et impiam disseminare doctrinam oculata fide perpendet. Nam in primo libro, fugam persecutionis et mortis tanquam actum maxime competentem viris perfectis et sanctis, magnis extollit præconiis; abstinentiam vero et jejunium, tanquam spiritualium medicamenta morborum, maxime astruit competere imperfectis. In secundo vero statum opes habentium ostendere nititur omni laude dignissimum, et e contra statum nihil habentium periculosum astruere conatur, atque imperfectum. In tertio quoque Religiosorum mendicantium pauperiem et abjectionem, quantis potest, cavillationum versutiis impugnare

[1] *Prov.*, XXVII, 6. — [2] *Deut.*, XVII, 11-12.

molitur. Ex quibus patenter colligitur, quod hujusmodi perniciosa doctrina, non tantum Sedi Apostolicæ, sed etiam Sedi Dei et Agni adversatur aperte. Cum enim S. Evangelium beatos dicit [1] pauperes, beatos qui lugent, beatos qui esuriunt, beatos qui cum gaudio et desiderio persecutionem patiuntur, ut sic nos ad arctam inducat viam, quæ ducit ad vitam; hic e contrario dogmatizat perfectos et beatos, qui persecutionem fugiunt, qui jejunia solvunt, qui redditibus affluunt, qui etiam summis honoribus extolluntur. Quod quam sit alienum a Salvatoris doctrina, nemo christianus ignorat, cum et ipse magister omnium Christus, non ad solatia carnis, sed ad supplicia crucis discipulos suos semper invitet. Denique quam perversi fuerit zeli amaritudine motus, qui prædictum edidit librum, et libri declarat titulus, progressus et terminus. Nam cum adversus eum scribat, qui contra libellum damnatum opusculum quoddam composuit, cujus initium est : *Manus quæ contra Omnipotentem erigitur*, in quo secundum totalem intentionem scribentis, et continentiam libri, paupertatis eximiæ perfectio defenditur, astruitur et laudatur; hic e contrario titulum libello suo præmittit, quod liber hic est contra adversarium perfectionis christianæ, et prælatorum, et facultatum Ecclesiæ, quasi non possit paupertatis celsitudo laudari, nisi in injuriam Christi et ecclesiasticæ dignitatis. In quo se ostendit vel impium, vel ignarum, dum vel scienter innocenti falsum impingit crimen, vel ex inconsideratione propria non advertit, quod diversi status in Ecclesia Christi commendari possunt laudibus præcelsis et propriis, non tamen dissonis, quanquam diversis. Nunquam enim qui commendat virginitatem, adversarius censendus est esse conjugii; aut qui laudat solitudinem, adversarius dicendus est cœnobiticæ vitæ. Certe sancta mater Ecclesia, quæ in laudibus cujuslibet confessoris pie decantat [2] : *Non est inventus similis illi, qui conservaret legem Excelsi*, non propter hoc glorioso detrahit Apostolorum choro, vel canditato exercitui martyrum, cum quilibet status suam prærogativam habeat, de qua potest sine aliorum injuria specialiter commendari. Porro, si laus filiorum non diminuit, sed amplificat laudem patrum, commendatio spiritualium pauperum potius censenda est exaltatio et glorificatio, quam depressio Prælatorum. Ex quibus aperte relinquitur, præfatum titulum a falsi criminis impositione sumpsisse originem, per quem pauperum hostis molitur procurare dissidium inter patres et filios, tutores et orphanos, nutritios et alumnos : ut sic patronorum suorum subsidio destitutos, deglutiat inopes, rapiat pauperes, et interficiat innocentes. Hujusmodi enim pauperes, de quorum numero fuit ille, contra quem scribit, in ipso sui libri exordio de præsumptione notat, de amore privato, de sui complacentia, jactantia et arrogantia inaudita, videlicet, quod se præferat Christo, dum in prima sui oris apertione sic ait : « Tantum sibi præsumptionis assumpserunt quidam homines seipsos amantes, sibimet-ipsis placentes, ac suam, non Christi justitiam prædicantes, ut, cum dicat Apostolus [3] : *Estote imitatores mei, sicut et ego Christi*; ipsi e contrario dicunt : Estote imitatores nostri, in quibus non sumus imitatores Christi. » Hæc namque sunt prima verba ipsius, in quibus aperte declaratur, quod liber ipse totalis trahit originem ab eo, qui est mendacii pater, et in veritate non stetit, qui homicida fuit ab initio, et accusator est fratrum. Qui enim tales inter Ecclesiæ membra sunt, certe si qui sunt, omnino tanquam luciferiana tumescentes superbia, ex hac et æterna vita delendi sunt. Quod si reperiri nequeunt, quia non sunt, vel in ventum loquitur, vel innocentes calumniatur, non attendens illud Sapientis [4] : *Qui calumniatur egentem, exprobrat factori suo; honorat autem, eum qui miseretur pauperis.* Nec du-

[1] *Matth.*, v, 3 et seq. — [2] In Officio Conf. SS. Pontif., ex *Eccli.*, xliv, 20. — [3] 1 *Cor.*, iv, 1. — [4] *Prov.*, xiv, 31.

bium divina providentia id gestum esse, quod tali dogmati tale præmitteretur initium, ut qui legit agnoscat, quod libelli hujus conscriptor, ut detractor loquitur, non ut doctor. Sane, quia detractionis vitium excæcationem inducit, Gregorio in registro dicente[1]: « Quid aliud detrahentes faciunt, nisi quod in pulverem sufflant, atque in oculos suos terram excitant, ut unde plus detractionis perflant, inde magis nihil veritatis videant? » Ideo perversi hujus dogmatis cultor semper, dum scribit, in pejus proficit, et tanquam cæcus in foveam ruit. Nam consequenter annectit : « Quid enim aliud dicere volunt, qui in suis scriptis dogmatizant, quod Christus Dominus aliqua egit, non in summæ perfectionis ostensionem, sed in infirmorum, seu imperfectorum condescensionem, cujus contrarium aliquando viris perfectis facere licet, non vituperabiliter, sed laudabiliter, imo laudabilius agitur, quam omittitur. » Hoc est etiam quod pro summo habet errore, quod tanquam venenum abhorret, et respuit, quod Christus Deus, cujus perfecta sunt opera, aliquod opus effecerit, per quod imperfectis condescenderet, et infirmis, ac per hoc condescensionem hujusmodi tanquam rectitudini perfectæ contrariam, ab exemplari omnimodæ perfectionis omnino astruit esse alienam. Quod quamvis superficie tenus videatur excelsam justitiæ perfectionem in Christo prætendere, et ideo ad ejus laudem pertinere, quia tamen ab ipso actum summæ pietatis excludit, nihil aliud est, quam fontis misericordiæ venas, salutisque vias inique præcludere, necnon Regis æterni condescensivam clementiam impie blasphemare.

Ad defensionem igitur veritatis, et improbationem erroris, eligere disponimus, exemplo David [2], quinque limpidissimos lapides de torrente redundantis sapientiæ catholicorum Doctorum, quibus, si pia fide veritati assentiri voluerit, nobiscum armetur; si autem ut effrons resistere, in fronte feriatur. Audiat ergo primum quid dicat Augustinus [3] : « Habuit, » inquit, « Dominus loculos, et dictum est de quibusdam religiosis fœminis, quod ministrabant ei de substantia sua. Futurus erat et Paulus nihil tale aliquando quærens, et omnia provincialibus donans. Sed quia multi infirmi ista quæsituri erant, magis infirmorum personam suscepit Christus. Sublimius Paulus numquid et Christo? Sublimius Christus, quia misericordius. Cum enim videret Paulum non esse ista quæsiturum, providit (*a*) ne damnaret quæsiturum, et præbuit exemplum infirmo. Cum enim videret multos promptos et gaudentes ituros esse ad martyrium passionis, exultaturos in ipsa passione, fortes, centenarios, maturos ad horreum, tamen infirmorum quorumdam, quos videbat posse conturbari ventura passione, ne deficerent, sed potius voluntatem humanam voluntati Creatoris conjungerent, ipsorum personam voluit suscipere Christus in passione dicens [4] : *Tristis est anima mea usque ad mortem.* » Hæc Augustinus. Quid hoc clarius? quid limpidius contra adversarium veritatis dici potest? Non enim valet intorqueri ad infirmitatem carnis, quod ait, in loculis et in formidine passionis infirmorum personam suscepisse Christum. Nam et Paulus ipse, et illi, quos ad passionem dicit ire gaudentes, quos etiam ab infirmis hujusmodi in verbo præfato distinguit a carnis infirmitate, cum essent mortales homines, nequiverunt esse immunes. Beatus quoque Ambrosius, super illud Salvatoris in Luca [5] : *Transfer a me calicem hunc :* « Errant, » inquit [6], « in hoc loco, qui tristitiam Salvatoris ad argumentum inolitæ (*b*) potius a principio, quam susceptæ ad tempus infirmitatis inclinant, et naturalis sensum (*c*) cupiunt detorquere sententiæ. Nusquam magis pietatem ejus ma-

Christus suscepit personam infirmorum.

[1] Greg., *ad Pallad. presb.*, lib. VIII, epist. XLV, al. lib. XI, epist. II. — [2] 1 *Reg.*, XVII, 40. — [3] Aug., *in Psal.* CIII, serm. III, n. 11. — [4] *Matth.*, XXVI, 38. — [5] *Luc.*, XXII, 42. — [6] Ambr., *in Luc.*, lib. X, n. 56.

(*a*) *Cæt. edit.* prævidit. — (*b*) *Ita Ambrosius, edit. Gauthier; cæt. edit. Bonav.* insolitæ. — (*c*) *Item* sensus.

jestatemque demiror : minus enim mihi contulerat, nisi meum suscepisset affectum. » Hæc S. Ambrosius. Ex quibus aperte colligitur, quod præter illum generalem mortis horrorem, qui communis est omnibus tam in passione gaudentibus, quam etiam cæteris, aliquem affectum susceperit ad condescendendum, non tantum carne, sed etiam mente infirmis. Chrysostomus etiam, *super Matthæum*[1] : « Vides, ait, quanta est Christi in condescentione diligentia, sicut cum comedat et bibat, cum videatur ex adverso Joanni faciens : et hæc Judæorum gratia salutis facit, magis autem orbis terrarum universi. » Quid his clarius dici potest, in quibus asserit, Christum condescendisse in cibo et potu Judæis? Qui utique infirmi erant, non tam carne, quam mente : nam et infirmitatem carnis ipse Joannes habebat. Gregorius, *in Moralibus*, libro XII, super illud : *Putasne mortuus homo rursum vivat?* « Solent, » inquit [2], « justi in eo, quod ipsi certum sentiunt, quasi ex dubitatione aliquid proferre, ut infirmorum in se verba transforment; sed rursum per fortem sententiam dubietati (*a*) contradicunt, quatenus per hoc quod dubie proferre cernuntur, infirmis aliquatenus condescendant, et per hoc quod certam sententiam proferunt, infirmorum mentes (*b*) ad soliditatem trahant. Quod dum faciunt, exemplum nostri capitis sequuntur, qui passioni propinquans, infirmantium in se sumpsit vocem, dicens [3] : *Pater, si possibile est, transfer calicem hunc a me;* sed vim fortitudinis ostendens, ait : *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* » Hucusque Gregorius : per quæ patenter ostendit condescensionem ad infirma et imperfecta mortalium, non solum ad membra Christi fortia pertinere, sed etiam ad caput. Tandem magister Hugo, in expositione illius Psalmi [4] : *Bonum est confiteri Domino,* sic dicit [5] : « Habebat Jesus loculos, et ea, quæ dabantur, suscipiebat, conformans se imperfectis. Paulus autem nolebat sumptus accipere de Evangelio, sed gratis factus est minister verbi; et invenitur Paulus aliquid majus fecisse, quam Christus. Christus autem in numero imperfectorum inveniri voluit, ne præsumerent non accipientes, et confunderentur accipientes, et æstimaretur non esse christianus, faciens quod noluit facere Christus. » Hoc catholici Doctoris testimonio quinto, directe hostis condescensionis Christi in fronte percutitur, quo non solum astruitur, quod magister perfectionis ex condescensione loculos habuerit, verum etiam quod oppositum hujus non solum laudabiliter, sed laudabilius habet fieri, quam omitti.

Ut autem hoc clarius elucescat, consideratione pervigili attendendum est, quod sicut tripliciter bonum dicitur, et etiam malum, sic et perfectum et imperfectum, videlicet in genere, ex circumstantia, et secundum se. Bonum namque in genere, est actus transiens super materiam debitam, ut ire ad ecclesiam, dare eleemosynam. Bonum ex circumstantia, est actus laudabilibus circumstantiis informatus, sicut dare eleemosynam servatis debitis circumstantiis circa dantem, datum et accipientem, quantum ad loca, tempora et personas. Et hæc duo bona depravari possunt per alicujus circumstantiæ defectum, et maxime propter inordinationem intentionis, utpote si quis in dando eleemosynam, vel jejunando, vel eundo ad ecclesiam, hoc faciat, ut gloriam capiat humanam. Tertium autem est bonum secundum se, quod nullo modo potest esse malum, aut male fieri, sicut est opus virtutis ex charitatis radice procedens. Per hunc etiam modum, tripliciter dicitur malum. Malum, inquam, in genere, dicitur actus transiens super materiam indebitam, sicut occidere hominem. Malum ex circumstantia, dicitur actus informatus deordinata circumstantia, ut comedere extra horam. Mala secundum

[1] Chrysost., *in Matth.*, hom. XXXVII. — [2] *Job*, XIV, 14. — [3] *Matth.*, XXVI, 39. — [4] *Psal.* XCI, 2. — [5] Hug. de S. Vict., in hunc loc., c. LXIV.

(*a*) *Apud Greg.* infirmanti dubietate. — (*b*) *Ibid. add.* dubias.

se sunt illa, quæ mox nominantur conjuncta malo, ut mentiri, fornicari, odire veritatem, approbare errores. Simili etiam modo perfectum dicitur tripliciter. Perfectum namque in genere, est actus difficilis et excellens, sicut est omnia relinquere, et intrare religionem. Perfectum ex circumstantia, dicitur actus difficilis debitis circumstantiis adornatus, ut relinquere divitias gaudenter, et ad ædificationem proximi. Perfectum autem secundum se, est actus difficilis a charitatis sublimitate procedens, ut est motus fervidæ et extractæ (*a*) dilectionis in Deum, vel puræ et plenæ dilectionis ad inimicum. Juxta hunc etiam modum, imperfectum dicitur tripliciter. Imperfectum quippe in genere, dicitur actus facilis ad quem humana infirmitas inclinatur, sicut fugere mortem, pecuniam possidere. Imperfectum ex circumstantia, dicitur actus informatus circumstantia inclinatus (*b*) ad infimæ justitiæ statum, ut vim facienti dimittere vestem, propter fugam majoris injuriæ. Imperfectum autem secundum se, quod nullo modo potest stare cum perfectione evangelica, sicut ducere uxorem, et fugere paupertatem. Cum igitur tam multiformiter dicatur tam perfectum, quam imperfectum, clarum est, quod sicut malum ex genere potest fieri bonum ex circumstantia, ut occidere hominem, quia maleficus est, et quia lex jubet, et quia reipublicæ confert, et e converso bonum ex genere potest fieri malum ex circumstantia, utpote dare eleemosynam propter vanam gloriam; sic et perfectum in genere potest fieri imperfectum ex circumstantia, ut puta sua relinquere modica, ut quis capiat majora bona ecclesiastica, vel ab omni actu libidinis carnalis continere propter corporis vitam prolongandam, et e contrario imperfectum in genere potest fieri perfectum ex circumstantia, utpote fugere mortem, ut quis gloriosius, et fructuosius, et opportunius patiatur pro Domino, quomodo fugit Christus, et apostolus Paulus : sic et in consimilibus similiter est judicandum. Ex his patenter liquet, quid veraciter de Christi operibus sentiendum sit. Nam cum loquimur de Christi operibus, potest fieri sermo de ejus opere interiori, vel exteriori. Interius dicimus opus operans, exterius opus operatum. Omne autem opus Christi operans, sive interius, est perfectissimum, quia ex perfectissima charitate processit, et hoc est opus et actus perfectissimæ voluntatis et virtutis. Opus vero ejus exterius, in se consideratum, aliquando fuit perfectum de genere actus, utpote morti se offerre, vel animam pro ovibus ponere, aliquando imperfectum, ut a facie persequentium fugere, et seipsum abscondere, et pro amotione calicis exorare. Verumtamen hoc opus, relatum ad Christi charitatem, et rationem, et causam, quare hoc faciebat, et ad personam suam, efficitur perfectissimum. Unde Bernardus, tractans illud [1] : *Si fieri potest, transeat a me calix iste,* ait [2] : « Agnosco in duce belli pusillanimorum (*c*) trepidationem, agnosco ægroti vocem; in medico, agnosco infirmantem gallinam cum pullis; considero charitatem, stupeo dignationem, et expavesco humilitatem (*d*). Misericors Dominus non B. Andreæ robustum sibi sumpsit (*e*) affectum, quia non est sanis opus medicus, sed male habentibus; et si quem dignatio tanta scandalizet, plane meretur audire [3] : *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Huic enim odor vitæ in mortem est. [4] « Quid enim magnum fuit, Domine Jesu, si accedente jam hora mortis propter quam veneras, intrepidus stares, tanquam qui potestatem habebas ponendi animam tuam, et nemo tollebat eam a te? Aut non longe gloriosius fuit, quandoquidem totum propter nos agebatur, ut non solum passio corporis, sed etiam cordis affectio,

Omne opus Christi interius est perfectissimum.

[1] *Matth.*, XXVI, 39. — [2] Bern., *in festo S. Andreæ*, serm. I, n. 5. — [3] *Matth.*, XX, 15. — [4] Bern., ubi supra, n. 6.

(*a*) *Forte leg.* extraordinariæ. — (*b*) *Item* inclinante. — (*c*) *Ita apud Bern. edit. Mabill.* an. 1690; *cæt. edit. Bonav.* pusillanimitatem. — (*d*) *Al.* stupeo miserationem, expavesco dignationem. — (*e*) *Al.* suscepit.

pro nobis faceret, et quos vivificabat mors tua, nihilominus et trepidatio robustos, et mœstitia lætos, et tædium alacres, et turbatio quietos faceret, et desolatio consolatos? » Hucusque Bernardus. Et hoc ipsum est, quod dicit Augustinus in auctoritate superius allegata [1], quod sublimius aliquid fecerat Paulus, quam opus quod fecerat Christus; nec tamen Paulus sublimius Christo, imo Christus sublimius, quia misericordius. Quod ideo dicit, quia ipsa condescensio Christi, qua membris suis condescendebat infirmis et imperfectis, ex sublimitate procedebat perfectissimæ charitatis. Sicut enim humanam assumendo naturam, in nostris quidem factus est humilis, sed in propriis permansit excelsus; sic et summæ charitatis dignatione, ad actus quosdam nostræ imbecillitati et imperfectioni conformes deprimitur, et a summæ perfectionis rectitudine non curvatur. Ac per hoc verum est, quod Christi perfecta sunt omnia opera ad ipsum relata : verum etiam est, quod Christus etiam fecit aliqua opera, infirmorum in se suscipiendo personam, et ad nostra condescendendo infirma et imperfecta. Verum nihilominus quod eorum opposita laudabiliter possunt fieri, et laudabilius est facere illa pro loco et tempore, quam omittere. Verum est etiam, quod nunquam ex hoc discipulus est super magistrum, quia nullus tanta charitate ascendit ad illa fortia, quanta Christus condescendit ad ista infirma : et ideo magister est semper supra discipulum, Christus videlicet supra omnem hominem quantumcumque perfectum. Hæc omnia si pie et diligenter is, cui respondetur, scivisset advertere, nunquam tot contra Christi condescensionem protulisset ineptias. Et tunc, si misericordia Dei præventus, ut per omnem modum optamus, et suppliciter petimus, humilitatem discere velit, non alteri conabitur hæreticæ pravitatis crimen impingere, sed proprium corrigere ac deplorare studebit errorem, nisi forte, quod avertat Deus, de numero sit illorum, qui Christi sublimis et humilis altam et condescensivam ignorantes justitiam, et inflexibilem quemdam magistro perfectionis attribuentes errorem, veræ ac piæ Christi justitiæ convincuntur esse contrarii potius, quam subjecti.

Omne opus Christi ad ipsum relatum, est perfectissimum.

[1] Aug., ubi sup. prox.

CAPUT II.

In quo capitalis error circa notificationem perfectionis et imperfectionis eliditur, et veræ perfectionis exemplaritas, et differentia ipsius ad imperfectionem refertur.

Quemadmodum autem condescensionis Christi adversarium valida Doctorum prostravit auctoritas, sic et perversi ejus dogmatis caput propriæ assertionis mucro detruncat, dum idem perfectionis evangelicæ oppugnator impiis sensibus invertendo Scripturas, et imperitis sermonibus involvendo sententias, non solum a veritate dissentit, verum etiam sibiipsi contradicit. Quanta namque sit in sequentibus intellectus perversitas, quantus Scripturarum abusus, quanta involutio sententiarum, quantaque repugnantia sensuum, quia longum esset explicari per singula, prudenti lectori sufficere credimus, si aliqua illorum succincte tangamus. Siquidem a diffinitione perfectionis quasi capitale sumens exordium, dicit quod perfectio hujus vitæ est, non ut peccatum non habeamus, sed ne regnet in nostro mortali corpore. Hoc quamvis sit veraciter et catholice verum, et a sanctis acceptum; quia tamen in hoc perfectionis evangelicæ terminum ponit, et complementum constituit, a vera perfectionis notitia procul esse convincitur. Nam cum omnis homo ad hoc, quod peccatum in ipso non regnet, divino sit præcepto astrictus, omnis igitur homo teneretur esse perfectus. Iterum, si quantumcumque charitas parva ad hoc sufficit, sequitur, quod minima charitas ad perfectionis culmen attingit. Quid igitur dicit Augustinus, quod charitas meretur augeri, ut aucta mereatur et perfici? Amplius, si perfectio est, quod peccatum in nobis non

regnet, igitur imperfectio est, quod regnet. Sed cum peccatum in nobis non potest regnare nisi cum sumus in peccato mortali, omnis igitur imperfectio est peccatum mortale. Quod quam absurdum sit, et a veritate dissentiat, nemo qui aliquid novit, ignorat. Dehinc vigilans lector attendat, qualiter in subsequentibus imperfectionem diffiniens, sibiipsi contradicat aperte. Subdit enim : Imperfectio est circa possibilitatem humanæ conditionis non conformari Christo. Sed hoc potest esse non solum absque mortali peccato, quia nullus ad hoc tenetur, verumetiam absque veniali in his potissimum, quæ sunt consilii, et in nostræ ponuntur liberæ voluntatis arbitrio, ac per hoc omitti possunt absque ullo peccato, sicut expresse patet in voto paupertatis, et continentiæ virginalis. Quod autem subjungit dicens, quod a mandatis Christi, et ejus operibus discordare, est imperfectio, a qua Apostolus discipulos dehortatur, non solum a præcedentibus dissonat, verum etiam repugnantiam in se claudit manifestam. Nam discordari a Christi mandatis, semper est peccatum mortale; discordare vero a Christi operibus, potest esse peccatum veniale, vel omnino nullum peccatum. Apparet igitur, quod seipsum nequaquam intellexit, dum in eadem propositione duo sibi contraria simul includit. Deinde quod verba inculcans de imperfectionis notificatione subnectit, dicens : «Imperfectio vitæ est, a regula justitiæ et a vestigiis Christi distorqueri, ubi Christum posset secundum carnem corruptibilem imitari;» ostendit se non solum veritatis intelligentia vacuum, sed etiam verbis veritatis egenum. Verum de verbis cura permodica; magis autem discutienda verbi sententia, et abjicienda tanquam distorta. Dic (*a*) enim quod imperfectio est distortio a regula justitiæ. Constat autem, quod justitia est rectitudo voluntatis, sicut dicit Anselmus [1]. Si igitur est quædam justitia perfecta, quædam imperfecta, sequitur necessario, quod sit quædam justitia distorta. Amplius, si est rectitudo justa, distortio etiam injusta. Si igitur imperfectio est distortio, imperfectum erit injustum. Sequitur ergo, si imperfectio est distortio, quod aliqua justitia sit injusta. Denique cum virtus omnis, ut ait Augustinus [2], sit recta ratio, necessario sequitur quod distortio sit peccatum. Si igitur universaliter imperfectio est distortio, sic imperfectio universaliter erit peccatum : cum aliqua charitas sit imperfecta, consequentia necessaria potest inferri, quod charitas sit peccatrix. Ac per hoc colligitur ex præmissis secundum notificationes imperfectionis præhabitas, quod justitia sit injusta, rectitudo distorta, et charitas vitiosa. Ad majorem quoque imperitiæ suæ declarationem, paulo post subdit, quod Sapiens magnam asserit [3] esse gloriam sequi Dominum, et quod simpliciter dictum est, universaliter intelligitur. Quod si verum est, cum velle sequi Dominum in aliquibus suis actibus sit magna præsumptio, utpote in miraculis, in judiciis, in vindictis, et in prævidendis futuris, et consimilibus; igitur si hoc verbum simpliciter dictum est universaliter intelligendum, aut magna erit gloria sequi Dominum in his ad quæ aspirare est præsumptuosum et imperitum, aut secundum istius perversum judicium Sapiens dixit falsum. Huic quoque dementiæ et aliam non minorem adjunxit, dicens, quod Christus adolescenti dixit [4] : *Sequere me,* non distinguens in quibus et qualibus, sed simpliciter; et magna, ut dicit, præsumptio est velle distinguere, ubi Dominus non distinxerit, quia legislatoris est proprium, legem interpretari quam condidit. In qua quidem assertione, et ipsi fidei, et sanctorum Patrum sententiæ, et etiam sibimet contradicit aperte. Nam si ubi Christus in sermone proprio non distinxit, nec nos debemus distinguere, cum dixit [5] : *Pater major me est,* errat catholicæ fidei sensus, quo docetur non ad Christi di-

[1] Anselm., Dialog. *de Veritate*, c. XIII, al. XII. — [2] Aug., *Soliloq.*, lib. I, VI, 13. — [3] *Eccli.*, XXIII, 38. — [4] *Matth.*, XIX, 21. — [5] *Joan.*, XIV, 28. — (*a*) *Leg.* Dicit.

vinitatem, sed ad ejus tantummodo humanitatem, præfatum verbum esse referendum. Errant nihilominus sancti, qui Christi eloquia explanando, et distinguendo exponunt, et exponendo interpretantur. Errat et ipse, qui consequenter in hoc verbo etiam distinguit dicens, quod non intelligitur de actibus spectantibus ad graduum et dignitatum distinctionem, sed de aliis tantum. Verum nec his contentus stultitiis, subjungit et alias, asserens, quod dicere Deum aliquid præcepisse perfectis, non imperfectis, error sit Manichæorum, et res magni periculi, non attendens, quod sacer dicit Hieronymus *contra Jovinianum* libro secundo; dicit enim [1]: « Numquid omnibus præceptum est, ne duas tunicas habeant, ne cibos in pera, æs in zona, calceamenta in pedibus, ut vendant universa quæ habent, et sequantur Jesum? Sed iis qui volunt esse perfecti; alioquin cur a Joanne Baptista, aliud militibus, aliud præcipitur publicanis? » Hæc Hieronymus. Quibus patenter ostendit, hanc suam, imo Scripturarum esse sententiam, quam hic novellus doctor, Joviniani erroneum dogma secutus, hæreticam asserit et periculosam. Sane quod addit, mandatis hominem imperfectum non effici, quia mandatum sanctum, bonum et justum non operatur mortem, sed imperfectio mors quædam est, manifeste verum probans per manifeste falsum, simul sui ipsius imprudentiam declarat, et errorem. Certum enim est, quod mandata nec imperfectos faciunt, nec perfectos, cum tam hi, quam illi ad eorum observantiam astringantur. Certum est etiam, quod imperfectio a perfectione non discrepat, sicut mors a vita distat. Si enim et imperfectio mors est, aut pœnalis, aut culpabilis : si pœnalis, nullus est in hac vita perfectus, nec etiam ipse Christus; si culpabilis, sed mors culpabilis est culpa mortalis; nullus est igitur imperfectus, qui non sit per mortale peccatum vita privatus. Quod si dicat mortem quamdam dici culpam venialem, valde improprie loquitur, nec tamen declinat errorem, quia nisi (*a*) culpa venialis est mors faciens imperfectum, et cum non sit major ratio de uno veniali, quam de alio, quoties incidit quis in veniale peccatum, toties decidit a perfectionis statu. Et iterum, cum nullus quantumcumque justus sit omnino immunis a venialibus, nullus erit in hac vita perfectus ea perfectione quam consulit Christus, quod est hæreticum et damnandum. Ad erroris etiam sui cumulationem majorem subsequenter annectit, imperfectionem esse quamdam claudicationem, quæ sub præcepto non cadit, sed sub indulgentia, quemadmodum sua repetere non est præceptum, sed indultum. Quod est plane falsum, cum indulgentia, secundum Augustinum in libro *De bono conjugali* [2], includit peccatum, et repetere sua imperfectis est licitum, sicut prima *ad Corinthios*, sexto, dicit Glossa : « Infirmis licet sua repetere, etiam movendo causam ante judicem. » Huic quoque simile est, quod, quibusdam vanis et frivolis interpositis, addidit, quod in Novo Testamento, etiam quando causa prolis contrahitur matrimonium, est indultum. Cui aperte contradicit Augustinus in libro *De bono conjugali*. « Certe, » inquit [2], « dubitare fas non est, nuptias non esse peccatum. Non itaque nuptias secundum veniam concedit Apostolus; sed illum concubitum secundum veniam concedit, qui fit per incontinentiam non solum causa procreandi, sed etiam aliquando nulla causa procreand , quem nuptiæ fieri non cogunt, sed ignosci impetrant. Concubitus enim sola causa generandi inculpabilis, solus ipse nuptialis est. » Hæc Augustinus. Ubi inter ipsum doctorem antiquum, et istum novellum tanta est repugnantia sensuum et verborum, ut necesse sit alterum eorum asseruisse falsum. Si igitur non suam, sed egregii doctoris vult sequi sententiam, ne in foveam cadat erroris, desinat imperfectionem describere per distortionem et claudicationem, ut non compellatur ex hoc, tanquam distortus et clau-

[1] Hieron., *adv. Jovinian.*, lib. II, col. m. 92. — [2] Aug., *de Bon. Conj.*, c. X, n. 11. — (*a*) *Leg.* nulla.

dus, a veritatis tramite deviare. Quod autem subdit, Christum nulla fecisse opera tantum imitanda perfectis, pro eo quod nemini perfectionem invidit, quasi non posset esse gradus et distinctio in exemplis Christi et verbis, respectu graduum et statuum diversorum in hierarchia Ecclesiæ; nequaquam est consonum documentis Scripturæ. Nam Christus dicit specialiter Apostolis [1] : *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis.* Et iterum loquens ad Patrem ait [2] : *Abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.* Numquid invidus Deus, quia non omnibus sapientiæ suæ revelavit arcanum? Constans est autem quod sicut Christus sua pro illis, qui ea capiebant, proponebat eloquia, ita pariter et exempla. Nequaquam igitur ex invidia, sed ex altissima dispensatione sapientiæ Dei, dividentis dona sua singulis prout vult, quædam proponuntur imitanda prælatis, non subditis; quædam spiritualibus, non animalibus; quædam perfectis, non imperfectis; quædam fortioribus, non infirmis, sicut expresse patet in auctoritate præmissa Hieronymi *contra Jovinianum.* Nec tamen dicimus, quod opera consiliorum et supererogationum illis solis proponantur qui jam perfecti sunt; quin potius omnibus, qui ad perfectionis culmen conscendere volunt. Quod quidem, tanquam difficile et arduum, non est omnium, sed paucorum. Porro ratio illa, qua subsequenter conatur astruere Christi opera et exempla æqualiter cunctis esse proposita, quia si aliquid egit, quod tantum imitandum esset imperfectis, videretur tunc quod debuisset uxorem accipere, et contentionibus se ingerere, ut horum exempla imperfectis præberet, nullius est efficaciæ, sed magnæ dementiæ. Nequaquam enim rationem hanc probabilem crederet, nisi experientiam carnalis libidinis et compugnantiam litis condescensioni divinæ dulcedinis in nostris infirmitatibus suscipiendis, temeritate quadam erronea, coæquaret, ac si aperte diceret : Si Christus condescendit infirmitati humanæ in actu comestionis et fugæ : pari ratione condescendere debuit in actu carnalis libidinis, et litis contentione. Alioquin ratio sua non valet. Et vere non valet, quia non est simile hinc inde : quia in illis infirmitatibus decuit nobis condescendere Christum, quæ communiter respiciunt naturam lapsam, nec aliquam habent fœditatem annexam; in aliis vero nequaquam. Tandem, si quis vigilanter attendat quid finaliter concludit et intendit, patenter advertet, quod seipsum paralogizando multiplici involvit errore. Ait enim : Cum duæ sint partes perfectionis, scilicet sua vendere ac distribuere, et Christum Dominum sequi, sicut ad fundamentum religionis requiritur necessario, quod omnia sua relinquat, sic ad complementum exigitur, quod sua relinquens Christum imitetur in omnibus juxta possibilitatem humanam. Propter quod non parvam asserit esse blasphemiam, dicere Christum in his quæ secundum naturam nostram gessit, non in omnibus, sed in aliquibus imitandum, eis potissime, qui perfecti esse conantur. Verum licet verba hujusmodi in superficie videantur aliquam prætendere rationem, tamen secundum veritatem ratiocinatio sua nullum omnino habet vigorem, sed et conclusio multimodam continet falsitatem. Non enim est simile de dimissione suorum, et imitatione actuum Christi. Nam dimittere sua actus est unus et uniformis, qui perfectioni non consonat, si diminute, hoc est secundum partem, et non secundum totum fiat; actus autem Christi sunt multiformes et varii; et quamvis in comparatione ad Christi personam omnes sint perfecti, tamen secundum naturam propriam quidam sunt excellentes, quidam condescensivi, sicut in præcedentibus aliqualiter patuit, et subsequenter patebit. Sane si verum est, sicut concludit, quod perfectio dicat universalem conformitatem ad Christi opera, et imperfectio dissonantiam (*a*), multa

[1] *Matth.*, XIII, 11. — [2] *Matth.*, XI, 27.

(*a*) *Cæt. edit.* dissonantia.

per omnem modum sequuntur absurda. Nam cum Christus mulieres secum comitantes, et ipsum sustentantes habuerit, sequitur, quod imperfectus fuerit Paulus, qui hoc recusavit. Cum Christus inter homines habitaverit, imperfectus fuerit Joannes Baptista, qui, relictis turbis, solitaria loca quæsivit. Cum Christus vinum biberit, imperfectus idem Baptista, qui vinum et siceram non gustavit. Cum Christus solus cum muliere locutus fuerit, imperfectus vir qui a mulieris consortio se elongat. Cum Christus mulieri peccatrici pedes osculandos præbuerit, imperfectus vir qui mulierum contactus abhorret et vitat. Cum Christus dividere hæreditatem inter fratres recusavit, imperfectus erit qui jurgantes pro hæreditatis divisione germanos ad pacem et æquitatem reducit. Cum Christus scienter loculos furi conservandos commiserit, imperfectus omnis erit, qui furem dispensatorem expellens, fidelem requirit. Cum Christus in ipsa sua passione tacuerit, imperfectus omnis erit, qui pro Christo patiens veritatem dicit. Et sic in pluribus aliis potest inductio fieri, ut in fuga, et comestione, et loculis taceamus : quæ omnia tam absurda sunt, ut si quis ea conetur defendere, non tam videatur errare, quam insanire.

Ut autem hæc et his similia prudens lector effugiat inconvenientia, in quæ is cui respondemus ex inconsideratione devenit, attendere debet, quod deceptionis hujus duplex extitit causa. Prima causa est, quia cum sciret Christum esse omnis perfectionis exemplum, modum tamen hujus exemplaritatis nescivit, vel advertere neglexit. Secunda causa est, quia cum clare perpenderet imperfectionem a perfectione deficere, modum tamen hujus defectionis non potuit investigare. Intelligendum est igitur, quod cum Christus sit Verbum increatum et incarnatum, duplex est in eo ratio exemplaritatis, æternæ videlicet, et temporalis. Æternæ, inquam, secundum quod est *splendor* æternæ *gloriæ*, *et figura substantiæ* [1] Dei Patris, atque *candor lucis æternæ et speculum sine macula majestatis Dei* [2]. In quo quidem speculo exemplariter cuncta creata relucent, quæ a principio conditionis mundi usque in finem, ad perfectionem universi totius, tam spiritualiter, quam sensibiliter producuntur. Et secundum hoc est Christus, ut Verbum increatum, speculum intellectuale, et exemplum æternum totius machinæ mundialis. In quantum autem Verbum incarnatum in assumptæ humanitatis conversatione, exemplum et speculum est omnium gratiarum, et virtutum, et meritorum, ad cujus exemplaris imitationem erigendum est tabernaculum militantis Ecclesiæ. Juxta quod Moysi mysterialiter dictum est [3] : *Inspice, et fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Et quemadmodum ab illo uno æterno exemplari indiviso, tam diversæ manant creaturarum naturæ, et naturarum perfectiones, secundum variam ipsius summi boni participationem, quod perfecte ab una aliqua creatura capi non poterat, propter quod et diversas constituit Deus rerum species ad universi completionem; sic et a Verbo illo incarnato, tanquam ab originali principio gratiæ, de cujus plenitudine accepimus omnes, et tanquam a speculo, in quo, et a quo omnis sanctitatis et sapientiæ plenitudo et pulchritudo refulget, diversi status, gradus et ordines secundum variam distributionem donorum, et varium imitandi modum exemplariter derivantur, in quibus secundum multiformem participationem multimoda Christi perfectio sic distribuitur, ut simul reperiatur in omnibus, nec tamen in aliquo uno solo secundum omnimodæ plenitudinis totalitatem refulgeat, sed quilibet gradus et status, pro suæ mensuræ modulo, secundum plus et minus, istiusmodi exemplaris influentiam suscipit, et ad ipsius imitationem accedit. Refulgent autem a Christo, tanquam a totius nostræ salutis exemplari et originali principio, actus multiformes. Nam quidam actus in ipso re-

Christus est exemplar militantis Ecclesiæ

Varii ac multiplices actus in Christo.

[1] *Hebr.*, I, 3. — [2] *Sap.*, VII, 26. — [3] *Exod.*, XXV, 40.

spiciunt sublimitatem potentiæ, ut super aquas siccis pedibus ambulare, elementa convertere, panes multiplicare, se ipsum transfigurare, et cætera miracula facere; quidam sapientiæ lucem, ut arcana cœlestia referre (*a*), secreta cordium scrutari, et futura prædicere; quidam severitatem judicii, sicut vendentes ejicere de templo, cathedras vendentium columbas evertere, et dura increpatione ferire pontifices; quidam officii dignitatem, ut sacramentum conficere sacratissimi corporis sui, manus imponere, et relaxare peccata; quidam condescensionem miseriæ, ut latere in persecutione, trepidare et contristari in morte, et pro amotione calicis Patrem rogare; quidam informationem vitæ perfectæ, ut paupertatem servare, virginitatem custodire, Deo et hominibus seipsum subjicere, noctes in oratione pervigiles ducere, pro crucifixoribus exorare, et morti se summa charitate etiam pro inimicis offerre. Cum igitur sex sint hujusmodi actuum varietates, in his ultimis duntaxat ipsum imitari est perfectum. Nam in his quæ sunt excellentiæ singularis, est impium et luciferianum, nisi fuerit alicui privilegii singularis dono concessum; in his autem quæ sunt severitatis et dignitatis, est præsidentium et prælatorum; in his quæ condescensionis, est infirmorum, in quantum loquimur ad actum extrinsecum. Nequaquam igitur, ut dogmatizat, summa Christianæ perfectionis consistit in universali imitatione actuum Christi, sed tantum illorum qui vitæ perfectæ imitationem respiciunt. Ex quo apparet, quod hujusmodi veritatis ignorantia, prima fuit in eo causa erroris. Quam etiam secunda comitata est, videlicet, quod imperfectionem a perfectione rationabiliter non discrevit, dum imprudenter asseruit, quod imperfectio et perfectio differunt, sicut rectitudo et distortio, sicut justitia et peccatum, sicut puritas et pollutio, sicut gloria et ignominia, sicut vita et mors, sicut sanitas et morbus, sicut incessus et claudicatio. Ex quibus magna inconvenientia sequuntur et multa, quorum aliqua superius sunt expressa. Propter quod diligens lector advertat, quod perfectio et imperfectio non differunt sicut duo contraria, sed sicut majus bonum, et minus bonum, sicut fini propinquum, et longinquum, sicut magis meritorium, et minus, sicut magis deiforme, et minus, sicut gloria et sanctitas major, et minor. Quod, quanquam intelligentibus sit per se notum, ad tollendum tamen omnem dubitationis scrupulum, auctoritatibus Sanctorum est probandum. Ait enim S. Ambrosius *De officiis*, libro I [1]: « Officium omne aut medium, aut perfectum est. Quod æque Scripturarum auctoritatibus probare possumus. Habemus enim a Domino in Evangelio dictum [2]: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Non homicidium facies, non adulterabis.* Hæc media sunt officia, quibus aliquid deest; ideo sequitur: *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et sequere me.* Hoc est igitur perfectum officium, quod Græci catorthoma [3] vocant, quo corriguntur omnia quæ aliquos poterunt lapsus habere. » Hæc Ambrosius. Ex quibus colligitur, quod medium officium, quod est imperfectum, nullum dicit peccatum, cum consistat in observantia mandatorum. Item etiam, super primam epistolam ad *Corinthios* [4]: « A licitis etiam temperare voluit fideles, ut non solum innocentes, sed et gloriosi videantur. Concessa enim præterire, virtutis est maximæ. » Hæc Ambrosius. Si igitur uti licitis innocentia, concessa præterire perfectio, constat quod imperfectio simul cum innocentia stat. Non est ergo peccatum. Augustinus quoque, *De bono conjugali* [5]: « Quid dicturi sumus ad evidentissimam Apostoli vocem dicentis [6]: *Quod vult faciat, non peccat si nubat,* et : *Si acceperis uxorem, non peccasti, et si nupserit virgo non peccavit?* Hinc certe dubitare fas non est, nuptias non esse

In quibus actibus imiri Christum spectat ad perfectionem.

Perfectio, et imperfectio, quomodo differant.

[1] Ambros., *de Offic.*, I, XI, 36-37. — [2] *Matth.*, XIX, 17 et seq. — [3] Κατορθωμα. — [4] Ambros., vel quivis alius, in epist. I *ad Cor.*, VII. — [5] Aug., *de Bon. Conj.*, X, 11. — [6] I *Cor.*, VII, 7. — (*a*) *Leg.* reserare.

peccatum. Non itaque nuptias secundum veniam concedit Apostolus. Nam quis ambigat absurdissime dici non eos peccasse, quibus venia conceditur? » Hæc Augustinus. Constat autem, quod nuptiæ non stant cum evangelica perfectione, qua eunuchizari docet Christus propter regnum cœlorum. Igitur imperfectio non requirit veniam, nec est de se aliqua culpa. Item etiam in eodem libro [1]: « Bonum, inquit, erat quod fecit Martha, occupata circa ministerium Sanctorum; sed melius, quod Maria soror ejus. Bonum Susannæ in conjugali castitate laudamus; sed tamen ei viduæ Annæ bonum, et multo magis Virginis Mariæ bonum anteponimus. Bonum erat quod faciebant qui de sua substantia Christo, et suis discipulis ministrabant; sed melius, qui omnem substantiam dimiserunt, ut Christum Dominum expeditiores sequerentur. » Hæc Augustinus. In quibus luculenter ostendit, quod perfectum non differt ab imperfectione sicut virtuosum a vitioso, sed sicut majus bonum a minus bono. Hoc ipsum Hieronymus dicit expresse: « Vis, » ait [2], « esse perfecta, et in primo stare fastigio dignitatis? fac quod fecerunt Apostoli. » Et post: « Non vis esse perfecta, sed secundum vis tenere gradum virtutis? dimitte omnia quæ habes, da propinquis, da filiis; nemo te reprehendit, si inferiora secteris, dummodo scias illam tibi jure prælatam, quæ elegerit prima. » Hucusque Hieronymus. Ecce quam patenter ait et asserit, quod imperfectio, quæ est secundi et inferioris status et gradus, non dicitur (*a*) quid reprehensibile, et peccatum. Idem quoque Hieronymus ait [3]: « Prohibentur mala, præcipiuntur bona, conceduntur media, suadentur perfecta. In duobus primis peccatum omne concluditur; reliqua vero in nostra posita sunt potestate, ut aut cum minori gloria utamur concessis ac licitis, aut ob majus præmium ea, quæ nobis concessa sunt, respuamus. » Hæc Hieronymus. Quid his clarius ad propositum dici potest? Quibus quantumcumque tardum ingenium, nisi fortasse fuerit excæcatum malitia, ab omni præfati erroris caligine non dubitamus posse purgari, maxime si velit advertere, quod recenter baptizatus, quanquam nondum pervenit ad apicem perfectionis et meriti, nulla tamen est infectus labe peccati.

CAPUT III.

In quo evangelicæ perfectionis integritas panditur, ejusque status sublimis et gradus multiformis aperitur.

Quoniam autem scriptoris intentio non tam debet esse de falsitatis reprobatione, quam de veritatis reseratione sollicita, quatenus erroris tenebrositate depulsa, mentalibus legentium oculis radius veræ lucis infulgeat; ideo perfectionis notificatione falsa et erronea jam improbata, considerandum nobis est, in quo perfectio consistat, tandemque per quem modum unus status perfectionis alterum in ipsa perfectione transcendit. Sciendum est igitur, quod radix, forma, finis, complementum et vinculum perfectionis charitas est: ad quam Magister omnium Christus legem et Prophetas, et per consequens universa Dei documenta reducit. Ipsa vero charitas triplicem habet statum: unum quidem infimum, in observantia mandatorum legalium; secundum vero medium, in adimpletione spiritualium consiliorum; tertium vero summum, in perfruitione sempiternalium jucunditatum. Ideo triplex est perfectionis differentia, in sancta Scriptura scripta: una quidem necessitatis, de qua in Deuteronomio [4]: *Perfectus eris et absque macula coram Domino Deo tuo.* Glossa: « Id est, absque macula criminali. » Et de hac Prosper dicit in libro *de vita contemplativa* [5]: « Perfecti sunt, qui volendo quod Deus vult, nullis peccatis, quibus Deus offenditur, acquiescunt. » Secunda

Status charitatis triplex.

Triple est differentia perfectionis.

[1] August., ubi sup., VIII, 8. — [2] Hieron., *ad Hedib.*, epist. CL, q. I, col. m. 224. — [3] Id., *ad Demetriad.*, epist. VIII, col. m. 73. — [4] *Deut.*, XVIII, 13. — [5] Prosp., *De vit. contempl.*, III, XV. — (*a*) *Leg.* dicit.

est perfectio supererogationis, de qua dicitur in Matthæo [1] : *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus.* Et de hac dicit Hieronymus [2] : « Perfectus servus Christi nihil præter Christum habet; aut si præter ipsum aliquid habet, perfectus non est. » Tertia est perfectio ultimatæ plenitudinis, de qua Sapiens in Proverbiis [3] : *Justorum semita quasi lux splendens crescit, et procedit usque ad perfectam diem,* id est, divinæ visionis fulgidam claritatem. Et de hac Augustinus, primo *Soliloquiorum* [4] : « Vere perfecta virtus est ratio perveniens usque ad finem, quem beata vita consequitur. » Prima igitur et secunda perfectio a tertia differunt, sicut meritum differt a præmio. Media quoque a prima differt, sicut distinguitur consilium a præcepto. Omnia vero tam consilia, quam præcepta, referuntur ad charitatis impletionem et observantiam, quam sic describit Apostolus ad Timotheum [5] : *Charitas est finis præcepti, de corde puro, conscientia bona, et fide non ficta ;* insinuans triplicem actum charitatis, videlicet declinare a malo, prosequi bona, et patienter ferre adversa. Nam propter declinationem a malo, dicitur *de corde puro*; propter prosecutionem bonorum, dicitur *de conscientia bona*; propter vero tolerantiam adversorum, dicitur *de fide non ficta*, Glossa : « Id est, non fictili, vel fragili, sed contra adversa forti. » Quia vero hic triplex charitatis actus duobus modis ab habitu virtutis egreditur, vel secundum legem præcepti, et obligationis necessariæ et universalis, vel secundum legem consilii, et obligationis spontaneæ et specialis, et sequens includit primum, et superaddit quantum possibilitas viatoris admittit, hinc est, quod secundum cum primo dicitur perfectum; primum vero absque secundo, quanquam sit quodammodo perfectum, respectu tamen secundi dicitur imperfectum, sicut dicit Ambrosius in libro *de officiis* [6], in auctoritate capitulo præcedenti proposita. Cum igitur de perfectione evangelica loquimur, secundum communem acceptionem de hac materia intelligimus. Et istiusmodi perfectionis notificationem ex præcedentibus colligere possumus, videlicet quod ipsa sit conformitas viatoris ad Christum, per illum virtutis habitum, quo supererogative declinantur mala, efficiuntur bona, et adversa perferuntur. In his namque tribus, tres partes evangelicæ perfectionis consistunt. Porro cum ex conversione inordinata ad triplex bonum commutabile, scilicet exterius, interius et inferius, omne peccatum trahat originem, secundum concupiscentiam oculorum, superbiam vitæ, concupiscentiam carnis, et hæc tria vitari habeant non solum quantum ad actum et consensum, quod fit per virtutes illis oppositas, verumetiam quantum ad occasionem, et hoc quidem promotivum sit in merito, et expediens ad salutem, perfectionis magister Christus, ad perfecte declinandum concupiscentiam oculorum, consulit, quod hæc omnia temporalia relinquantur, secundum illud [7] : *Si vis perfectus esse,* etc. Ad perfecte autem declinandum superbiam vitæ, suadet quod voluntas propria abnegetur, juxta illud [8] : *Qui vult venire post me, abneget semetipsum,* etc. Ad perfecte autem declinandum concupiscentiam carnis, edocet quod omnis experientia secundum actum generativæ potentiæ abscindatur, sic inquiens [9] : *Sunt eunuchi, qui se castraverunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere, capiat.* In hac igitur triplici supererogativa declinatione triplicis originis omnis mali, primam partem evangelicæ perfectionis consistere, et sacra Scriptura insinuat, et veri doctores astruunt, et sancti Patres religionum institutores affirmant. Secunda vero pars perfectionis evangelicæ consistit in supererogativa prosecutione bonorum, quæ

Quid sit perfectio evangelica.

[1] *Matth.*, XIX, 21. — [2] Hieron., *ad Heliod.*, epist. I, col. m. 4. — [3] *Prov.*, IV, 18. — [4] August., *Soliloq.*, lib. I, c. VI, n. 13. — [5] I *Tim.*, I, 6. — [6] Ambros., *de Offic.*, lib. I, c. XI, n. 36, quoad sensum. — [7] *Matth.*, XIX, 21. — [8] Ibid., XVI, 24. — [9] Ibid., XIX, 12.

secundum duplicem vitam, videlicet activam et contemplativam, in duobus consistit, videlicet in condescensione ad proximum, et in sursumactione mentis in Deum. Consistit autem supererogativa condescensio charitatis ad proximum in hoc, ut secundum legem justitiæ et misericordiæ, amoris signa et beneficia non solum ad amicos, verum etiam ad inimicos, largiflua benignitate protendantur, secundum illud [1] : *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos.* Et post : *Estote perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est.* Per hunc etiam modum supererogativa sursumactio mentis in Deum in hoc attenditur, ut secundum legem mentalis munditiæ, ac pacis amorem ecstaticum, in divinos splendores et ardores sacra mens devota sentiat et patiatur excessum, juxta illud Apostoli ad Corinthios [2] : *Sive mente excedimus, Deo; sive sobrii sumus, vobis.* Et ad Hebræos [3] : *Perfectorum est cibus solidus.* Tertia denique evangelicæ perfectionis portio consistit in supererogativa perpessione adversi : quæ quidem attenditur, non solum in hoc, ut quis patienter adversa perferat, cum sibi supervenerint, quæ secundum legem Dei declinari non possunt, quoniam ad hoc omnes tenentur; verumetiam ex fervore divini amoris magno desiderio illa præoptet, et cum magno gaudio illa sustineat, secundum illud Jacobi [4] : *Omne gaudium existimate, fratres, cum in tentationes varias incideritis.* Et post : *Patientia opus perfectum habet* (*a*), *ut sitis perfecti, et integri, in nullo deficientes.* Hic namque est consummatio perfectionis et charitatis, juxta illud Joannis [5] : *Perfecta charitas foras mittit timorem.* Secundum igitur hoc arca spiritualis perfectionis, cum inferius sit tricamerata, et bicamerata in medio, in cubito consummatur. Hoc sane perfectionis arcanum Salvator noster monstravit in semetipso, tanquam in monte sublimi, qui totius perfectionis est splendor, speculum et exemplar, juxta quod ipse testatur in Luca [6] : *Perfectus discipulus omnis erit, si sit sicut magister ejus.* Et ideo in hujus designationem, cum hanc docere apostolos voluit, in montem conscendit, non turbas imperfectas alloquens, sed discipulos suos, quos ad perfectionis culmen exaltare decreverat. Et propterea sex præfata eo, quo dictum est, ordine docet. Nam primo dicens [7] : *Beati pauperes spiritu*, invitat ad perfectam abdicationem temporalium ´possessionum. Secundo addens : *Beati mites*, inducit ad abnegationem propriarum voluntatum et sensuum, quibus quis immitis et protervus efficitur. Tertio subdens : *Beati qui lugent*, incitat ad fugam perfectam carnalium voluptatum. Dehinc subjungens : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam*, et : *Beati misericordes*, attrahit ad justam, piam et condescensivam proximorum supportationem. Post hæc superaddens : *Beati mundo corde*, et : *Beati pacifici*, allicit ad sursum actionem limpidam in intellectu, et tranquillam sive pacificam in affectu, quibus anima perfecti viri Hierusalem conformis efficitur, quæ *visio pacis* interpretatur. Tandem concludens : *Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum*, quasi circulum faciens redit ad principium, quia in hoc uno summa completur universorum, ac per hoc senaria perfectio minoris mundi in esse reparationis et gratiæ, directe correspondet senariæ productioni mundialis machinæ in esse naturæ. Unde sicut illorum tria prima pertinent ad distinctionem, tria sequentia ad ornatum; sic etiam in his tria prima, quasi distinguendo, separant animæ vires ab universitate malorum, ut esse habeant purum atque distinctum ; tria sequentia, quasi adornando, easdem reducunt in Deum, ut habeant esse decorum atque perfectum. Porro si descendatur ad singula, tam mira est correspondentia ordinis, tantæque similitudinis sym-

[1] *Matth.*, v, 44, 48. — [2] II *Cor.*, v, 13. — [3] *Hebr.*, v, 14. — [4] *Jac.*, I, 2, 4. — [5] I *Joan.*, IV, 18. — [6] *Luc.*, VI, 10. — [7] *Matth.*, v, 3 et seq.

(*a*) Cæt. edit. *habeat*.

bolum, ut illud, quod post dierum sex opera dicitur [1] : *Igitur perfecti sunt cœli, et terra, et omnis ornatus eorum,* in anima viri perfecti videatur esse completum. Propter quod instar trium primorum operum, quæ sunt mundi fundamenta, et trium sequentium, quæ sunt complementa, tria prima ex his cadunt sub voto, tria vero sequentia sub desiderio. In cujus rei testimonium, beatus pauperum patriarcha Franciscus, in principio Regulæ suæ, tria prima proponit ut vovenda, tanquam fundamenta, dicens : « Regula et vita fratrum Minorum hæc est, scilicet Domini nostri Jesu Christi sanctum Evangelium observare, vivendo in obedientia, sine proprio, et in castitate. » Alia vero tria postmodum ut desideranda commendat, tanquam complementa, dicens : « Attendant fratres, quod super omnia desiderare debent habere Spiritum Domini, et sanctam ejus operationem, orare semper ad Deum puro corde, et habere humilitatem et patientiam in persecutione et infirmitate, et diligere eos, qui nos persequuntur, et reprehendunt, et arguunt. » Ubi illa tria tangit. Nam præmittit sursum actionem in Deum, et subjungit ultimo condescensionem ad proximum, interponens in medio tolerantiam adversorum. Igitur in tribus primis vir perfectus crucifigitur mundo; tribus sequentibus conformis efficitur Deo, ut quasi sex alis seraphicis a mundialibus elevetur, et in divina feratur. Proinde digne huic pauperculo sacro, qui perfectionem Evangelii perfecte servavit, et docuit, in apparitione seraphica stigmata sua tanquam sigillum approbativum impressit, ut contra finalium temporum periculosam caliginem, manifestum nobis in via perfectionis ostenderet signum, quo reduceremur in Christum, perfectæ virtutis exemplar et finem, ac per hoc doceremur ad perfectionem attingere, si tamen discamus non alta sapere, sed humilibus consentire.

Cum autem perfectio evangelica, circa quam modo sermo versatur, in his quæ sunt supererogationis, sit in præcedentibus monstrata consistere; ea vero quæ supererogationis sunt, non solum respiciunt dona charismatum, verumetiam exercitia virtutum : manifeste colligitur, quod hujusmodi perfectio non sine virtuosorum habituum exercitatione possidetur. Hujusmodi autem exercitia virtutum supererogantium, aut fiunt ex mera voluntate absque obligatione, et tunc dicunt quamdam perfectionem actionis et meriti; aut cum voluntate dicunt quamdam obligationem superinductam ex voto emisso, vel ex officio injuncto, et tunc dicunt perfectionem status et ordinis, in quo videlicet quis actibus perfectis non solum est deditus, verumetiam ad actus perfectionis astrictus. Quæ quidem astrictio de perfectione non minuit, sed potius culmen superinducit, quia de temporali facit æternum, dum non licet resilire a voto; et de nostro divinum facit, dum non solum actum, sed etiam voluntatem dedicans Deo, totum illi offert, et redigit sub jure divino, dumque propriam sacrificat voluntatem, quæ est impretiabile bonum, et maxime charum et intimum, offert Deo sacrificium medullatum, ac per hoc perfectum, et integrum, et optimum, Deo summe acceptum. Unde Augustinus, tractans illud Psalmi [2] : *Sicut juravit Domino, votum vovit Deo Jacob*, ait sic [3] : « Quid vovemus Deo, nisi ut simus templum Dei? Nihil enim gratius possumus ei offerre, quam ut dicamus ei quod dicitur in Isaia [4] : *Posside nos.* » Hæc Augustinus. Si igitur perfectius possidet, qui possidet ad usum et proprietatem, quam qui quoad usum tantum; perfectius se dedicat, qui Deo se offert, et quoad usum operis, et quoad arbitrium voluntatis. Quemadmodum Anselmus [5], in libro *De similitudinibus*, per exemplum sensibile patenter ostendit in duobus, quorum unus pro tempore offert domino arboris fructum, sed retinet proprietatem; alter vero largitur utraque : et hujus secundi donum et oblatio-

[1] *Gen.*, II, 1. — [2] *Psal.* CXXXI, 2. — [3] Aug., in hunc *Psal.*, n. 3. — [4] *Isa.*, XXVI, 13. — [5] Imo Eadmer., *de Anselmi similit.*, c. LXXXIV.

nem, tanquam liberalius offerentis, dicit non immerito debere præferri. Ac per hoc, juxta hujusmodi similitudinem, opus voventis, opere non voventis, Deo acceptabilius esse demonstrat, pro eo videlicet, quod sic introducta in voluntate ex mera libertate necessitas gratiositatem obsequii non diminuit, sed consummat. Idem quoque scribens Episcopo Parisiensi, et eum redarguens, quod Clericum de Monasterio Sancti Martini de Campis extraxerat, ait sic [1] : « Si omnia agenda sunt cum consilio, cujus magis consilio, quam ejus qui admirabilis consiliarius, Deus fortis dicitur? Ipse quippe consulit ad perfectionem nitentibus, ut omnia relinquant, et se sequantur. Quod consilium magis in monasterio, quam in alio vitæ proposito impleri sancti Patres intellexerunt. » Hoc ipsum Gregorius in registro, scribens Desiderio Episcopo pro Clerico volente Religionem intrare, dicit sic [2] : « Minime sit ei impedimento vestra fraternitas; magis autem pastorali admonitione succendite, ut fervor hujus desiderii in eo non tepescat : ut qui a turbulento sæcularium turbarum tumultu se segregans, quietis desiderio monasterii portum appetit, rursus ecclesiasticarum curarum non debeat tumultibus implicari, sed in Dei laudibus secure permittatur liber ab his omnibus, ut postulat, permanere. » Bernardus quoque, in libro *De dispensatione et præcepto* [3] : « Audire, » inquit, « a me vultis, unde inter cætera pœnitentiæ instituta, monasterialis disciplina meruerit hanc prærogativam, ut secundum baptisma nuncupetur. Arbitror, ob perfectam mundi abrenuntiationem, ac singularem excellentiam vitæ spiritualis, qua præeminens universis vitæ humanæ generibus hujusmodi conversatio; professores suos, et amatores suos, angelis similes, dissimiles hominibus facit, imo divinam in homine reformat imaginem, configurans nos Christo instar baptismi, dum per id quod mortificamus membra nostra, quæ sunt super terram, rursum Christum induimus, complantati similitudini mortis ejus. » Idem etiam astruit Glossa super tricesimum *Numerorum*, dicens : « Alii vovent vitulos, alii arietes vel domos, Nazareus semetipsum. Hoc est Nazarei votum, quod est super omne votum. Filius enim vel filia, aut pecus, aut prædium extra nos est ; semetipsum Deo offerre, non alieno labore, sed proprio placere, perfectius et eminentius est omnibus votis. » Ex his omnibus aperte clarescit, quod religionis votum in statu perfectionis collocat, tanquam adminiculans ad perfectæ virtutis exercitium. Quod intelligentes patres in quarto concilio Toletano statuerunt, quod liber sit clericis ad religionem ingressus, sic dicentes [4] : « Placuit clericos monachorum propositum appetentes, quia meliorem vitam sequi cupiunt, liberos esse debere ab Episcopis ad monasteriorum ingressus. » Hoc autem, quia non solum auctoritatibus probari potest, sed etiam universis sanctorum exemplis, qui de clericali statu ad religionem transierunt, adeo certum est, ut si quis contraire voluerit, non minus videatur desipere, quam errare. Si quis autem errore deceptus præfatis conetur obsistere, asserendo quod perfectius sit manere in sæculo, quia circa magis difficile virtus consistit, et difficilius est inter multas peccandi occasiones peccata vitare, et mirabilius est hominem in medio flammarum non uri, et victoriosius est inter numerosiores hostium acies, et frequentiores insultus, et majora bellorum discrimina de hostibus triumphare; respondebimus, non ideo statum majoris esse virtutis, quia minoris est securitatis, nec ideo statum aliquem perfectioris esse justitiæ, quia proximior est ruinæ, nec etiam ideo magis esse perfectum, quia difficilius est in ipso vitare peccatum. Est enim triplex difficultas : prima prove-

[1] Anselm., *ad Goffrid. Paris*, epist., lib. III, XII. — [2] Gregor., *ad Desider. Vienn.*, lib. XII, epist. XXXV, al. lib. X, epist. XXXVIII. — [3] Bernard., *de Præc. et Dispens.*, c. XVII, n. 53. — [4] Conc. Tolet. IV, c. 49, al. 50.

niens ex arduitate et nobilitate generis operis, sicut omni se castrare concubitu, omni abrenuntiare possessioni, et omnino se alienæ propter Deum subjicere voluntati. Et hæc absque dubio auget meritum, juxta illud Matthæi [1]: *Intrate per angustam portam;* ubi Glossa: « Satis angustum est omnia prætermittere, unum solum diligere, unum quærere, ad unum quotidie pulsare, prospera non ambire, adversa non timere. » In his consistit difficultas, ratione generis operis. Major difficultatis angustia reperitur in via divini consilii, quam pauciores inveniunt, quam in via divini præcepti, per quam omnes gradiuntur justi. Unde Hieronymus ait [2]: « Si perfecta sequi desideras, exi cum Abraham de patria et de cognatione tua, et perge quo nescis. Si habes substantiam, vende et da pauperibus: si non habes, grandi onere liberatus es. Nudum Christum nudus sequere. Durum, grande et difficile; sed magna sunt præmia. » Est et alia difficultas veniens ex vitiositate per se agentis, sicut difficilius est diviti avaro dare minuta, quam largo majora, et superbo se alteri subdere, et guloso jejunare, et assueto voluptatibus carnis difficilius continere. Et hoc non auget meritum, sed miseriam. Unde Hieronymus *ad Eustochium* [3]: « Soror tua Blesilla, ætate major, sed proposito minor, post acceptum maritum septimo mense viduata est. O infœlix humana conditio, et futuri nescia! Nam et virginitatis coronam, et nuptiarum perdidit voluptatem. Et quanqam secundum pudicitiæ gradum teneat, quas tamen illam per momenta singula sustinere æstimas cruces, spectantem quotidie in sorore quod ipsa perdidit, et cum difficilius experta careat voluptate, minorem continentiæ habere mercedem? » Est et tertia difficultas ex circumstantiis extrinsecus annexis trahens originem, sicut et difficilius est abstinere, cum apponuntur delicata cibaria, difficilius est bona temporalia contemnere, quando offeruntur magna et pulchra, difficilius continere in consortio fœminarum. Et hæc difficultas per accidens et indirecte auget aliquando meritum, cum virtus inter hæc illæsa triumphat; sed directe et per se est magis via ad ruinam, et ideo fugienda. Unde, super illud Matthæi [4]: *Dives difficile intrabit in regnum cœlorum*, dicit Rabanus: « Non ait impossibile, sed difficile, hoc est maximi laboris esse, pecunias habentes, et in pecuniis confidentes, exutis philargyriæ retinaculis aulam regni cœlestis intrare. » Nec tamen ex hoc inferri potest, quod divites sint pauperibus perfectiores, cum Dominus adolescenti diviti consilium dederit, ut pauper fieret, si vellet esse perfectus. Expedit igitur ad perfectionem virtutis et meriti, difficultatem hujusmodi non amplecti, sed fugere. Unde Augustinus, *De singularitate clericorum* [5]: « Lubrica spes est, quæ inter fomenta peccatorum se salvari sperat, incerta victoria inter hostilia arma pugnare, et impossibilis liberatio flammis circumdari, nec ardere. » Hæc Augustinus: cui et consonat Hieronymus [6] contra Vigilantium, qui statum sæcularium statui religionis præferre conabatur. « Cur, inquies (*a*), pergis ad eremum? Videlicet, ut te non videam, te non audiam, ut tuo furore non movear, ut tua bella non patiar, ne me capiat oculus meretricis, ne me forma pulcherrima ad illicitos ducat amplexus. Respondebis: Hoc non est pugnare, sed fugere. Sta in acie, adversariis armatus obsiste, ut cum viceris, coroneris. Fateor imbecillitatem meam, nolo spe pugnare victoriæ, ne perdam aliquando victoriam. Si fugero, gladium devitavi; si stetero, aut vincendum est mihi, aut cadendum. Quid necesse est certa dimittere, et incerta sectari? Nulla securitas est vicino serpente dormire. Potest fieri ut me non mordeat, et tamen potest fieri ut aliquando me mordeat. Quod

Occasio peccati fugienda

[1] *Matth.*, VII, 13. — [2] Hieron., *ad Rustic.*, epist. IV, in fine. — [3] Id., *ad Eustoch.*, epist. XXIII, col. m. 176. — [4] *Matth.*, XIX, 23. — [5] Aug., *de singularit. Cleric.* — [6] Hieron., *cont. Vigilant.*, epist. LIII, col. m. 166.

(*a*) *Ita apud Hieron.; cæt. edit. Bonav.* inquit.

de libidine diximus, referamus ad avaritiam, et ad omnia vitia quæ vitantur solitudine. Et ideo urbium frequentias declinamus, ne facere compellamur, quæ nos non tam natura cogit facere, quam voluptas. » Hæc Hieronymus, quibus error confutatur Vigilantii suorumque sequacium, eorum videlicet, qui statum sæcularium, quantum ad perfectionis gradum, statui religionis vel præferre, vel æquare conantur. Adversus quos et paulo ante præmittit [1] : « Quod autem asserit Vigilantius, eos melius facere qui utuntur rebus suis, et paulatim fructus possessionum suarum pauperibus dividunt, quam illos qui possessionibus omnibus venumdatis simul omnia largiuntur, non a me, sed a Domino sibi respondebitur [2] : *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ tu habes, et da pauperibus.* Ad eum loquitur, qui vult esse perfectus, qui cum apostolis patrem, naviculam et rete dimittit. Iste tamen, quem tu laudas, secundus aut tertius gradus est: quem et nos recipimus (*a*), dummodo sciamus prima secundis et tertiis præferenda.

Denique de comparatione perfectionis ad perfectionem secundum præeminentiæ rationem, patenter elucet, quod aliquis perfectionis modus et status sit eminentior altero. Cum enim seipsum castrare propter regnum cœlorum per votum continentiæ sit perfectum, et certum est quod perfectiori modo fit illud per virginalem continentiam, quæ fructui comparatur cèntesimo, quam per vidualem, quæ per sexagesimum in evangelica parabola designatur : non est ergo contra perfectionis naturam, quod de aliquibus duobus, quæ recte dicuntur perfecta in statu viæ, unum dicatur perfectius altero, quia in statu patriæ, ubi ad ultimam perfectionem beatificati perveniunt, unus alteri secundum apostolicam doctrinam [3] præponitur, instar cœlestium luminum differentium claritate. Attendendum est igitur quod cum perfectionem perfectioni comparamus, potest hoc esse in eodem genere, vel in diversis. Nam, sicut ex præcedentibus liquet, perfectio supererogationis quædam existit in exercitio virtutis, voto religionis, et officio prælationis. Facta ergo comparatione ad similem perfectionis modum, primo secundum exercitium virtutis illa perfectio est præeminentior, in qua radix charitatis pinguior, sublimitas operationis excelsior, fraternæ ædificationis fructus uberior. Quánquam autem totius hujus perfectionis origo sit charitas, multum tamen facit ad ejus complementum ipsa operatio, Gregorio attestante, qui ait [4] : « De dilectione Conditoris, lingua, mens et vita requiratur. Nunquam amor Dei est otiosus : operatur enim magna, si est; si autem operari renuit, amor non est. » Multum etiam facit genus et nobilitas operis, quia, sicut clarum est, aureolæ præmium non debetur habitui virtutis intrinseco, sed operi privilegiato, utpote prædicationi, martyrio, virginitati. Multum etiam facit ædificatio proximi, cum Dominus dicat viris perfectis [5] : *Vos estis lux mundi. Sic luceat lumen vestrum coram hominibus, ut videant opera vestra bona.* Similiter, quantum ad votum religionis, illius est perfectio potior, in qua vovetur paupertas altior, obedientia universalior, forma castitatis honestior. Nam ista tria, sicut expresse patet, et gradus habent, et majus et minus recipiunt, et per hoc tanto in majoris perfectionis statu constituuntur, quanto sublimius voventur, potissime si hæc regularium observantiarum instituta imitentur, quibus austerius castigetur corpus, fructuosius ædificetur proximus, ac reverentius colatur Deus. Consistit autem castigatio corporis in arctitudine vestium, victualium et verborum, cum austeritate laborum, vigiliarum, et aliarum afflictionum corporalium ; ædificatio vero proximi in exemplis exhibendis virtutum, documentis Scripturarum, remediis sacramentorum,

[1] Hieron., *cont. Vigilant.*, epist. LIII, col. m. 165. — [2] *Matth.*, XIX, 21. — [3] I *Cor.*, XV, 41. — [4] Greg., *in Evang.*, hom. XXX, n. 2. — [5] *Matth.*, V, 14, 16.

(*a*) *Cæt. edit.* præcipimus.

præsidentiis regiminum, judiciis justitiarum, et beneficiis miserationum; cultus autem Dei in reverenti ac vigili frequentatione psalmorum, hymnorum, canticorum spiritualium, adorationum, missarum, et aliarum divinarum orationum. Hæc autem simul reperire in aliquo uno statu religionis præcellentius, quam in aliis, valde difficile, et fortassis impossibile videtur diligenter consideranti. Et ideo, quamvis unus religionis status alterum præcellat in votis substantialibus, non tamen præferri potest in omnibus, cum quilibet status aliquid prærogativæ specialis obtineat, quo sancta mater nostra, et sponsa Christi, Ecclesia, tanquam vestitu deaurata, circumdata varietate decoratur, et deiformis efficitur. Per hunc etiam modum secundum officium prælationis excellentior est perfectio, in quo eminentior confertur sublimitas ordinis, videlicet ad purgandum, illuminandum et perficiendum; onerosior imponitur sarcina laboris, in pascendo commissum gregem exemplo, verbo et temporali subsidio; uberior etiam comitatur fructuositas salutis, et in eo qui præsidet, et in eis qui subsunt, et in cæteris ad quos præsidentis exempla perveniunt. Requiritur igitur hujus perfectionis eminentior sublimitas, ut prælatus Ecclesiæ quanto sublimius præest, tanto sanctius vivat, sollicitius invigilet, et fructuosius gregem pascat. Si autem comparatio fiat perfectionis ad perfectionem in genere diverso, quantum ad modum et statum, dupliciter potest intelligi, vel præsuppositorie, vel præcise. Si præsuppositorie, sic absque dubio major est perfectio, quæ attenditur secundum exercitium virtutis, votum religionis, et officium prælationis, quam altero modo tantum. Sed si præcise comparamus perfectionem religionis aut prælationis ad perfectionem virtutis, nulla prorsus est comparatio in vero esse virtutis. Nam votum religionis, sine exercitatione perfectæ virtutis, non est perfectio, sed perversio, non perfectionis sublimitas, sed simulatio æquitatis. Officium vero prælationis, sine culmine virtutis et meritis, non est vera sublimatio, sed dejectio, non gloriosa excellentia, sed periculosa ruina, pro eo quod [1] *potentes potenter tormenta patientur, et durissimum judicium his qui præsunt fiet.* Cum igitur perfectio status sine ratione voti, sine ratione officii, sine perfectione meriti, pro modica habenda sit, perfectio vero meriti obtineri non possit sine charitate, quæ est donum Spiritus Sancti, et nemo sciat, utrum alterum in hoc dono præcellat, quia etiam nescit se illud donum habere, nullus debet se alteri in perfectione præferre; quin potius, si fiat comparatio personarum in excellentia perfectionis, debent viri quantumcumque perfecti, juxta doctrinam Apostoli [2], superiores sibi invicem arbitrari. Unde Augustinus, *De bono conjugali* [3] : « Non recte, inquit, comparantur homines hominibus in (*a*) uno aliquo bono. Fieri enim potest ut alius homo non habeat aliquid quod alius habet, sed alius habeat quod pluris æstimandum est. » Et paulo post : « Melius est habere omnia bona, vel minora, quam magnum bonum cum magno malo, quia in bonis corporis melius est habere staturam Zachæi cum sanitate, quam Goliæ cum febre. » Porro de comparatione statuum religionis et prælationis, meliori salvo judicio, dicere possumus, quod hujusmodi comparatio fieri potest, vel quantum ad ea, quæ sunt de substantia, vel quantum ad ea, quæ sunt de congruentia statuum. Si quantum ad ea, quæ sunt de substantia, sic se habent velut excedentia et excessa, pro eo videlicet, quod ad perfectionem status religionis necessario requiritur abdicatio proprietatis, ad quam tamen minime astringuntur prælati Ecclesiæ, sicut patet, causa XII, q. 1, ex concilio Agatensi [4] : « Episcopi de rebus propriis, vel acquisitis, vel quidquid de proprio habent, hæredibus suis, si

[1] *Sap.*, VI, 7. — [2] *Philip.*, II, 3. — [3] Aug., *de Bon. conjug.*, c. XXIII, n. 29. — [4] Caus. XII, q. 1, c. XIX, ex conc. Agath., can. 48.

(*a*) *Apud Aug.* ex.

voluerint, derelinquant. » Verumtamen omnis prælatus ex ipso prælationis officio tenetur, non solum ad ea, quæ sunt salutis propriæ, sed etiam plebis sibi commissæ. Nam ei pro quolibet subditorum a Domino dicitur [1] : *Custodi virum istum, qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima illius.* Et ad hoc religiosus ex ipso religionis voto nequaquam astringitur. Si autem fiat comparatio statuum quantum ad ea, quæ sunt de congruentia statuum, sic simpliciter dicendum, quod status prælationis et ejus perfectio est eminentior, quemadmodum insinuat Dionysius in libro *De Ecclesiastica Hierarchia*, dicens [2] : « Sicut qui dicit hierarchiam, summatim dicit universorum sacrorum ornatum ; ita dicens hierarcham, monstrat in Deo manentem et divinum virum, in quo omnis hierarchia perficitur. » Similiter et Hieronymus ait [3] : « Tanta debet esse scientia et eruditio pontificis Dei, ut gressus ejus et motus, et universa vocalia sint. Veritatem mente concipiat, et toto eam habitu resonet et ornatu, ut quidquid agit, quidquid loquitur, sit doctrina apostolorum. » Nec tamen ex his potest inferri, quod ad pontificis statum requiratur, quod omnes status præcellat in omnibus ; alioquin non posset fieri pontifex, nisi esset virgo : congruit tamen, quod in his præcellat quæ ad pascendi gregis spectant officium, sicut scribit Hieronymus *ad Oceanum* [4] : « Futurus pastor Ecclesiæ talis eligatur, cujus comparatione subjectus populus merito grex dicatur. » Et Gregorius in *Pastorali* [5] : « Tantum debet actionem populi actio præcedere præsulis, quantum distare solet a grege vita pastoris. » Quapropter ad prælationis statum non congruit accedere nisi perfectum, ut ibidem ait Gregorius [6] : « Virtutibus pollens, coactus ad regimen veniat ; virtutibus vacuus, nec coactus accedat. » Status vero religionis peccatores et imperfectos admittit, ut justos efficiat, et ad perfectionem adducat. Et ideo quanquam prælationis status in perfectione sit altior, religionis tamen status securior, et morbis nostris curandis expedientior, pro eo, quod a multis periculis eruit, quibus status prælationis exponit. Primum quidem ratione annexi honoris, juxta illud Augustini [7] *super Psalmos* : « Quanto plus honoramur, tanto plus periclitamur. » Hujusmodi autem periculum manifestans Gregorius super illud *Job* [8] : *Qui dicit regi, Apostata*, ait [9] : « Unusquisque rector quoties extollitur, quod cæteros regit, toties per lapsum superbiæ a summi Rectoris officio separatur. » Idem etiam in registro [10] : « Ego viam capitis mei sequens, summopere decreveram esse opprobrium hominum et abjectio plebis, ut tanto veracius intus adscenderem, quanto foris humilius jacerem. » Adjacet igitur statui prælationis periculum ratione honoris, necnon et oneris et occupationis. Unde idem Gregorius, septimo *Moralium* [11] : « Omnis qui dispensandis rebus terrenis præsidet, occulti hostis jaculis latius patet. Nam cum ad dispensanda exteriora mens extendere se efficaciter nititur, a sui consideratione separatur. » Apparet igitur, quod status prælationis simul est excelsus et periculosus ; et ideo ipsum appetere simul est periculosum, præsumptuosum et stultum. Propter quod ait Augustinus, libro XIX *de civitate Dei* [12] : « Locus superior, sine quo populus regi non potest, etsi ita administretur, ut decet, tamen indecenter appetitur. » Et ideo ait Gregorius, libro XVIII *Moralium* [13] : « Sancti viri nequaquam curas extrinsecas appetunt, sed occulto ordine sibi superimpositas gemunt. Et quamvis illas per meliorem intentionem fugiant, tamen per subditam mentem portant. Quas quidem summopere, si

[1] III *Reg.*, XX, 39. — [2] Dion., *de Eccl. Hier.*, c. I. — [3] Hieron., *ad Fabiol.*, epist. CXXVIII, circa fin., col. m. 99. — [4] Hieron., *ad Ocean.*, epist. LXXXIII, col. m. 500. — [5] Greg., *Pastor.*, part. II, c. I. — [6] Ibid., part. I, c. IX. — [7] Aug., Enarr. *in Psal.* — [8] *Job*, XXXIII, 18. — [9] Gregor., *Moral.*, lib. XXIV, c. XXV, al. XIV, n. 52. — [10] Id., *Epist.* — [11] Id., *Moral.*, lib. VII. — [12] Aug., *de Civit. Dei*, lib. XIX, c. XIX. — [13] Gregor., *Moral.*, lib. XVIII, c. XLIII, al. XXVI, n. 70.

liceat, vitare festinant; sed timentes occultas dispensationes Dei, tenent quod fugiunt, exercent quod vitant. » Ex his aperte colligitur quod locus prælationis, pro sublimitate quidem gradus, et multiformitate periculi, a viris jam probatæ virtutis potest coactione et formidine suscipi, a peccatoribus vero et infirmis tota debet intentione vitari, a nullis prorsus appeti, et ab omnibus honorari. Status autem religionis ab universis tam justis quam peccatoribus, tam perfectis quam imperfectis, tam sapientibus quam simplicibus, licite potest appeti, a nullis debet contemni; ab his vero, qui vocantur divinitus, secure suscipi, et studiose servari. Hæc de perfectione diffusius dicta sunt, pro eo, quod non parvum adminiculum conferunt ad declinationem errorum sequentium, in quos is, cui respondere incœpimus, incidit : quia considerare prædeterminata, vel ex ruditate non valuit, vel ex protervitate contempsit.

RESPONSIONIS SECUNDÆ

CAPUT PRIMUM

In quo appetitus martyrii de se perfectus ostenditur, et contra fuga de se imperfecta monstratur.

Spirituali divinæ legis intelligentia præditos nequaquam arbitramur ambigere, perfectionis evangelicæ culmen, instar davidicæ turris, spiritualibus propugnaculis esse munitum, quibus et foris hostilitas infesta repellitur, et intus tranquillitas imperturbata servatur. Horum autem præcipuum locum tenere desiderium passionis et mortis pro nomine Domini nostri Jesu Christi ipse nobilis christiani exercitus dux apostolus Paulus evidenter ostendit, cum ad Hebræos dicit [1] : *Curramus per patientiam ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio, crucem sustinuit confusione contempta.* Ubi Glossa : « Succincti et expediti curramus sine dubitatione ad certamen martyrii, aspicientes in auctorem fidei, qui scilicet omnia bona terrena contempsit, ut contemnenda monstraret; et omnia mala terrena sustinuit, quæ sustinenda præcipiebat, ut nec in illis quæreretur felicitas, nec in istis timeretur infelicitas. » Et paulo post : « Vinctus est, qui infirmitatum vincula solvit; mortuus est, qui mortuos suscitavit : amore itaque ejus similia patiamur. » Hæc Glossa. Ad hæc quoque idem Apostolus suo nos hortatur exemplo, ad Corinthios scribens : *Ego*, inquit [2], *libentissime impendam, et superimpendar ipse pro animabus vestris.* Ibi Glossa : « Perfecta charitas hæc est, ut quis paratus sit etiam pro fratribus mori. Sed numquid, mox ut nascitur, jam prorsus perfecta est? imo, ut perficiatur, nascitur. Cum enim fuerit nata, nutritur; cum fuerit nutrita, roboratur; cum fuerit roborata, perficitur; cum ad perfectionem pervenerit, dicit [3] : *Cupio* (*a*) *dissolvi, et esse cum Christo.* » Hæc Glossa. Per quæ patenter colligitur, quod perfectæ charitatis actus est sui corporis dissolutionem et mortem appetere, exemplo ipsius Apostoli dicentis ad Philippenses : *Cupio* (*a*) *dissolvi, et esse cum Christo.* Ubi Glossa : « Sunt quidam homines imperfecti, qui cum patientia moriuntur; et sunt quidam homines perfecti, qui cum patientia vivunt. Qui enim desiderant istam vitam, cum venerit illis dies mortis, luctantur adversum se, ut sequantur voluntatem Dei; qui vero desiderat, sicut Apostolus, dissolvi, et esse cum Christo, non patienter moritur; sed patienter vivit, et delectabiliter moritur. Unde passioni appropinquans, exultabat et gloriabatur dicens [4] : *Bonum certamen certavi*, » etc. Hæc Glossa. Ecce quod (*b*) nihil clarius ad propositum potest adduci, cum expresse dicat, perfectionem charitatis consistere in desiderio mortis. Potest autem et hoc ipsum necessaria ratione concludi. Si enim amor, ut dicit

[1] *Hebr.*, XII, 1-2. — [2] II *Cor.*, XII, 15. — [3] *Philip.*, I, 23. — [4] II *Tim.*, IV, 7.

(*a*) Vulg. *desiderium habens.* — (*b*) *Forte leg.* quo.

Dionysius, est vis unitiva, et si hæc locutio est vera per se, necessario sequitur, quod perfectus Dei amor perfecte inclinat amantem ad omne illud, per quod convenientius, intimius et celerius amato possit uniri : sed nihil est, quod magis disponit, ut celerius et intimius spiritus hominis, in statu mortalitatis existens, uniatur immortali et impassibili Deo, quam sustinentia mortis illatæ propter honorem Dei : necesse est igitur perfecte amantem hoc desiderare, antequam illud obtineat, et cum obtinuerit, perfecte lætari. Unde et de Apostolis dicitur [1], quod *ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.* Ipse enim amor, ut dicit Hugo, vis est transformativa. Qui igitur Christum perfecte amat, præcipuo mentis affectu eidem configurari peroptat, in his potissimum quæ divina lex dictat. Sed configuratio ad Christum præcipue salvandis conveniens in statu præsentis miseriæ attenditur secundum assimilationem in passione et morte, Petro attestante, qui ait [2] : *Christus pro nobis passus est, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Hoc igitur est ad quod inclinatione præcipua perfectæ charitatis ardor inflammat, juxta illud Canticorum [3] : *Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio, lampades ejus lampades ignis atque flammarum.* Idem nihilominus amor, ut dicit Richardus, est vis liberaliter diffusiva. Ubi igitur perfectus est amor, ibi et perfecta diffusio, vel actu, si opportunitas adest, vel, si non adest, saltem desiderio pleno. Cum igitur traditio sui in mortem pro alicujus amore sit diffusionis permaximæ, necesse est perfectum charitatis amorem ad id aspirare, juxta illud quod habetur in Joanne [4] : *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Mortem itaque pro Christo desiderare, morti se pro Christo exponere, et in mortis agone gaudere, actus est charitatis perfectæ. Porro mortem fugere actus est imperfectionis, quantum in se est ; potest tamen ad perfectionem reduci per circumstantiam superadditam, sicut determinatum est supra : utpote cum quis hoc facit, ut se reservet ad gloriosiorem triumphum, sicut fugit Apostolus, vel cum id agit ad præbendum infirmis spei solatium, ne, dum morte imminente trepidare se sentiunt, in desperationem labantur. Et hac ratione fugisse credendus est Christus, non ex vehementia timoris, sed ex benigna condescensione perfectissimæ charitatis, juxta quod dicit Augustinus [5] : « Firmissimi sunt Christiani, si qui sunt, qui nequaquam morte imminente turbantur. Sed numquid Christo firmiores? Quis hoc insanissimus dixerit? Quid est ergo quod ille turbatus est, nisi quia infirmos in suo corpore, id est, in Ecclesia, suæ infirmitatis voluntaria assumptione consolatus est : ut si qui suorum morte imminente turbantur, ipsum in spiritu intueantur, ne hoc ipso se putantes reprobos, pejore desperationis morte absorbeantur? » Hæc Augustinus. Quibus luce clarius ostenditur, quod in passione trepidare, quanquam sit imperfectum, nullam tamen in Christo condescendente imperfectionem ponit, sed in eis solum, quibus ipse condescendit.

Similiter etiam de fuga, super illud Joannis [6] : *Non enim volebat in Judæam ambulare,* astruit esse sentiendum. « Futurum, » inquit [7], « erat ut aliquis fidelis absconderet se, ne a persecutoribus inveniretur ; et ne illi pro crimine objiceretur latibulum, præcessit in capite quod in membris confirmaretur. » Idem quoque, super illud Psalmi [8] : *Quoadusque justitia convertatur in judicium :* « Infirmos, inquit [9], in se præfigurans Dominus, id est infirmorum personam gerens, illisque compatiens, ait [10] : *Transeat ad me calix iste.* Non enim timebat Dominus pati, tertia die resurrecturus, cum arderet Pau-

[1] *Act.*, v. 41. — [2] I *Petr.*, II, 21. — [3] *Cant.*, VIII, 6. — [4] *Joan.*, XV, 13. — [5] Aug., *in Joan.*, tract. LX, n. 5. — [6] *Joan.*, VII, 1. — [7] Aug., *in Joan.*, tract. XXVIII, n. 2. — [8] *Psal.* XCIII, 15. — [9] Aug., Enarr. *in Psal.* XCIII, n. 19. — [10] *Matth.*, XXVI, 39.

lus dissolvi, et esse cum Christo. Certum est autem quod Paulus habebat infirmitatem carnis. Non igitur infirmis carne Christus exemplum præbuit; sed infirmis spiritu condescendit.» Huic autem veritati tam claræ is, cui respondemus, multipliciter conatur obsistere. Quia enim, ut veritatis ignarus, absurdum reputat, quod Christus imperfectis condescenderit in aliquo actu, ostendere nititur, quod fugere mortem sit de sua ratione perfectum, pro eo videlicet quod a Christo præcipitur, et quia in viris perfectis invenitur. Verumtamen primam rationem nullius esse vigoris ex hoc colligere possumus, quia sicut præceptum perfectionem non efficit, sic nec imperfectionem tollit. Si enim imperfectionem tolleret, quicumque teneretur ad præcepti observantiam, teneretur ad perfectionem implendam. Quod cum sit manifestissime inconveniens, constat quod frustra laborat ostendere, quod fugere sit perfectum, per Evangelium, per Pelagium Papam, et per Athanasium, cum evangelicæ perfectionis culmen ex supererogatione manet divini consilii, non ex obligatione præcepti. Insuper et illud mandatum de fugiendo a facie persecutorum, intelligi habet in casu, sicut Rabanus dicit super *Matthæum*, et Glossa. «Hoc, inquit, ad illud tempus pertinet, quo dictum est[1]: *In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis*, quod persecutionem non debeant timere, sed declinare, ut tribulationis occasio sit Evangelii seminarium. Si ergo in hoc casu intelligit, nihil ad propositum suum valet. Si autem simpliciter intelligit, sicut insinuat, non modicum errat, quia tunc quicumque voluntariæ morti se exponeret, cum latere vel fugere posset, peccaret mortaliter, faciens contra Domini jussionem. Quod si verum est, beatissimi martyres, Petrus, Paulus, Andreas, Laurentius, Sebastianus, Tiburtius, Vincentius, et consimiles, qui se ultro persecutoribus tradiderunt, digni non essent gloria martyrum, sed ignominia prævaricatorum. Magnæ igitur fuit dementiæ universaliter affirmare, quod sancti martyres fugerunt, et cum inveniebantur, martyrio se subdebant. Nam hoc expresse derogat perfectioni sanctorum martyrum, quia quilibet quantumcumque imperfectus, quando non potest latere, tenetur seipsum martyrio subdere, ac per hoc dum actui fugiendi falsam quamdam perfectionem attribuit, perfectis Christi martyribus veram tollit. Alia quoque ratio qua conatur probare, quod fugere non sit imperfectum, quia viri perfecti fugerunt, dupliciter deficit. Primo, quia non omne quod viri perfecti faciunt, est ex hoc ipso perfectum. Nam sicut Jacob, David, Urias et Mathatias fugerunt, quos introducit ad fugæ commendationem, ita etiam habuerunt uxores, proprietates possessionum, quæ tamen sese cum evangelica perfectione non compatiuntur. Dehinc, quia, ut supra monstratum est, actus qui de suo genere est imperfectus, per aliquam circumstantiam, quam charitas perfecta illi adhibet, potest esse perfectus; et ideo non ratione actus, sed ratione circumstantiæ sanctorum virorum in operibus hujusmodi perfectio commendatur. Præterea, sicut non sequitur, quod occidere hominem sit bonum atque perfectum, quia Phinees et Mathatias ex peccatorum occisione laudantur, sic et rationes, quas multiplicant, nil recte concludunt. Bene tamen potest inferri, quod si sancti viri aliquid laudabiliter fecerunt, illud fieri potest pro loco et pro tempore absque peccato, sicut sacer Athanasius probare videtur, et intendit. Nec tamen ex hoc sequitur quod sit perfectum, nisi pariter includatur, quod imperfectio peccatum includit, sicut hic perverse dogmatizat. Quod quia superius improbatum est, hic commemorasse sufficiat.

Sane distinctio quam subjungit de modis fugiendi, quos de se conatur perfectos astruere, ac multipliciter per exempla commendare, non veritatis dilucidationem tribuit mentibus legentium, quin potius erroris caliginem, nisi sollicita circumspectione caveatur.

[1] *Matth.*, x, 5.

Distinguit namque sex modos fugæ, quorum primus, ut dicit, est ex mentis perversitate; secundus est ex mentis ignavia, et timore servili; tertius est ex naturali ratione; quartus est ex humilitate mentis; quintus est ex circumspecta prudentia; sextus, ex abundanti misericordia. In quorum modorum explicatione, multa videtur absurda dicere. Loquens enim de secundo modo, dicit, quod fugere ex ignavia est ex timore servili, sicut fugerunt filii Israel in diebus Saulis; subditque, quod Christus hoc modo mortem non timuit, sed timeri prohibuit. Et paulo post : « Hæc fuga imperfectis competit. » In his autem verbis ostendit se per omnia theologicæ veritatis ignarum. Primo quantum ad significationem verborum, in hoc quod dicit filios Israel fugisse Philistiim ex timore servili. Timor enim servilis, cum sit donum Spiritus sancti, non docet fugere corporalia bella, sed spiritualia peccata. Secundo ostendit se nescire pondus sententiarum, cum dicit hunc timorem esse prohibitum, et post subjungit, quod competit imperfectis. Ex hoc enim sequitur, quod aliquid idem sit generaliter prohibitum, et aliquibus personis indultum, et iterum, quod imperfectis sit indulta transgressio mandatorum. Quod quia continet contradictionem implicitam, ab omni prorsus ratione discordat. De tertio vero loquens fugiendi modo, dicit, quod est ex quodam naturali timore, et quod hic fugiendi modus competit viris perfectis, sicut Moysi, Eliæ, Elisæo, et Uriæ : et hæc fuga, ut dicit, nullam operatur imperfectionem, et hanc, ut asserit, Christus assumpsit. In quibus verbis duo implicat, quorum unum est falsum, alterum vero blasphemia. Quamquam enim timere mortem sit naturale, fugere tamen est voluntarium, et quamvis perfecta charitas non excludat omnino timorem naturalem, excludit tamen illius dominium, quo timidus in fugam convertitur. Unde Beda super illud Marci [1] : *Relicta* (*a*) *sindone, fugit* [2] : « Quia plus cæteris Dominum amaverit, indicavit, qui, aliis fugientibus, sequi Dominum non omisit; nondum tamen perfectionem habuit, qui vel territus fugere potuit. » In quibus patenter ostendit, quod fugere ex timore mortis non stat cum perfectione charitatis. Nec obstat verbum Glossæ super illud Joannis [3] : *Alius te cinget*, qua dicitur quod hujusmodi affectus adeo naturalis erat, ut nec eum Petro senectus abstulerit, cum tamen perfectus esset, pro eo quod aliud est timere, aliud est timore fugere, sicut in eadem Glossa, quam ipse fraudulenter detruncat, immediate subjungitur. Sed quantacumque, ait, sit molestia mortis, ut vincat eam vis amoris, constat quod amoris vi superante timorem, nequaquam fugimus. Fuga igitur ex timore mortis nequaquam stare potest cum perfectione charitatis. Unde Augustinus in originali, Homilia eadem [4] : « Amor Christi in eo, qui pascit oves ejus, in tam magnum debet Christi talemque crescere ardorem, ut vincat etiam mortis naturalem timorem, quo mori nolumus, etiam quando cum Christo vivere volumus. » Hæc Augustinus. Ex quibus concluditur, quod fuga hujusmodi stare non potest cum perfectione charitatis, quæ hunc timorem exuperat, ne timentem in fugam convertat. Dicere igitur ex hoc timore Christum fugisse, non est aliud quam ipsum blasphemare, cum ex hoc sequatur, quod in ipso fuerit amor naturalem timorem non superans, sed ab ipso superatus, ac per hoc non perfecte stabiliens, sed vacillans et imperfectus. Advertat igitur quisquis hæc legerit, quod fugæ provenienti ex naturali timore mortis perfectionem tribuere, simulque asserere Christum hoc modo fugisse, nihil aliud est quam Christum ducem jam prostratum ab hostibus dicere, et universum ipsius exercitum ad fugam provocare. Nullus enim in fugam mortis timore convertitur, nisi timor hujusmodi in eo dominetur. Quod si hoc, ut asserit, perfectum est, et omnes

[1] *Marc.*, XIV, 52. — [2] Bed., in hunc loc. — [3] *Joan.*, XXI, 18. — [4] Aug., *in Joan.*, tract. CXXIII, n. 5.

(*a*) *Vulg.* rejecta.

hoc naturali timore urgentur, nil aliud restat secundum hanc prophanam doctrinam, nisi ut omnes in fugam convertantur. Nulla igitur erit in fugiendo differentia Pastoris et mercenarii, cum uterque pariter habeat naturalem timorem moriendi. De quarto vero disserens addit, quod fugere ex humilitate mentis, qua homo propriam infirmitatem cognoscit, et ad mortem sustinendam humiliter se imperfectum credit, competit viris perfectis. Nam hoc modo, ut ait, fugit Petrus a facie Neronis, et Judæi persecutiones Antiochi, et Anachoretæ persecutiones Decii et Valeriani. Et post subdit, quod hanc fugam docuit Christus, et exemplo confirmavit, et est imitanda perfectis. Hoc autem si quis diligenter consideret, scribentis imperitiam manifeste perpendet. Nam primum exemplum de Petro est falsum. Si enim Petrus, ut dicit, se reputabat imperfectum ad martyrium, pari ratione et quilibet christianus. Si igitur ex hac consideratione fugere perfectum est, quilibet omnino debet fugere, nullusque ad passionem, tanquam ad rem proprias vires transcendentem, aspirare. Ex quo etiam illud infertur, quod præsumptuosus fuit ille fervor sanctorum, qui corde intrepido ad tormenta ferebantur. Secundum autem exemplum est in se ambiguum, et impertinens ad propositum, quia non constat Judæos illos ex humilitate fugisse, nec ad perfectionis exemplum eorum fuga potest assumi, qui materiali gladio propriam tuebantur salutem, et adversarios, quando sibi facultas aderat, persequebantur ad mortem. Exemplum vero tertium de Anachoretis, ubi allegat auctoritatem Hieronymi pro fuga Pauli primi Eremitæ, suo proposito non competit; quin potius adversatur. Nam Paulus, ut ibidem dicit Hieronymus, adolescens erat delicatus et dives, non anachoreta, non monachus, sed adhuc in sæculo degens. De quo ibidem Hieronymus subdit, quod necessitatem in voluntatem convertit, dum primo quasi compulsus, postea voluntarius mansit in eremo. De aliis vero Christianis qui jam perfecti erant, idem Hieronymus paulo ante præmittit [1] : « Votum tunc Christianis erat, pro nomine Domini gladio percuti. Verum hostis callidus tarda ad mortem supplicia conquirens, animas jugulare cupiebat, non corpora, et ut ipse, qui ab eo passus est, Cyprianus ait, volentibus mori non permittebatur occidi.» Hæc Hieronymus. Quibus præfati erroris sententia non fulcitur, sed confutatur, dum asserit, quod illius temporis martyres, non solum non fugiebant, sed etiam vehementer dolebant quod occidi non poterant, quemadmodum gloriosi martyris doctoris Cypriani verbo et exemplo confirmat. Quartum autem exemplum, quod ponit de Christo, horrendam in piis auribus includit blasphemiam : quia si Christus ex humilitate se ad martyrii sustinentiam imperfectum putabat, aut vere hoc æstimabat, aut false : si vere, ergo Christus veraciter fuit imperfectus ; si false, tunc necessario sequitur, quod fuerit suæ perfectionis ignarus : et horum utrumque blasphemum. Insuper, si omnis qui Filium Dei Jesum Christum imperfectum dicit, vel æstimat, in Deum blasphemat, qui ponit hoc Christum de se sensisse, non solum blasphemat in Christum, verum etiam asserit Christum fuisse blasphemum : quod piæ aures audire non possunt. Quisquis igitur hoc pertinaciter senserit, tradendus est satanæ, ut discat non blasphemare. De quinto vero modo fugiendi, qui est ex prudentia circumspecta, diffusius tractans, imprudentiam suam patenter ostendit, dum pro nihilo tot verba disseminat. Nullus enim negat, quin pro expectatione opportunitatis, vel utilitatis majoris, interdum etiam vir perfectus fugere possit, sicut Apostolus de Damasco fugit. Sed hic modus ab aliis licitis fugiendi modis non debet distingui, quia omnis rationalis et licita fuga est ex prudentia circumspecta, quæ est magistra directionis in omni via salutis. Est autem prudentia directiva fugæ, pro loco et tempore, non tam se-

[1] Hieron., *Vit. B. Pauli Erem.*, col. m. 314.

cundum imperium perfectæ virtutis, quam secundum humanæ conditionem imperfectionis, et infirmitatis mentalis. Unde super illud Matthæi[1]: *Discipuli relicto eo fugerunt,* Beda dicit in Glossa[2]: « Sicut Petrus, qui negationem lacrymis abluit, et confessione dominici amoris trina funditus extirpavit, recuperationem eorum ostendit qui martyrio labuntur; sic alii discipuli, qui articulum comprehensionis fugiendo prævenerunt, cautelam fugiendi docent eos, qui se ad supplicia minus sentiunt idoneos, quibus tutius est latere, quam discrimini se exponere. » Hæc Beda. Quibus elucet, quod hujusmodi circumspectio, qua quis provide fugit, infirmis magis competit, quam perfectis. Quod igitur dicit se nullatenus æstimare, quod prudentia, quæ perfectionem facit, aliquando magistra sit imperfectionis, si sic intelligit, quod prudentia de perfecto imperfectum non facit, verum dicit; sed nihil ad propositum. Si autem intelligit, quod nullum opus imperfectionis ex prudentia procedit, manifeste errat, quia tunc omne opus prudentiæ esset perfectum, nec solius prudentiæ, verum etiam omnium aliarum virtutum, quibus necessario prudentia est annexa. Ex quo etiam sequeretur, quod omnis virtus sit perfecta, et omnis virtutem habens sit perfectus, et omnis imperfectus injustus, et omnis imperfectio culpa. De sexto tandem modo fugiendi subinfert, quod fugere ex abundanti misericordia, ne persequentes gravius Deum offendant, viris perfectis competit, quia hoc modo fugit Jacob, Moyses, David, Benedictus, Silvester, etc. Et hanc fugam, ut dicit, docuit Christus, et exemplo confirmavit. Porro quamvis in his, quæ de hoc modo sexto fugiendi scribit, videatur superficialiter considerantibus rationabiliter et pie sentire; si quis tamen vigilantiori attentione consideret, manifeste cognoscet ea carere ratione, simul et pietate. Nam et exempla quæ ponit, ambigua sunt, nec ex Scripturis constat præfatos viros ex ea, quam assignat, causa fugisse. Qua etenim ratione, vel auctoritate astrui potest, quod Jacob Esau, Moyses Pharaonem, David Saulem, et Silvester Constantinum fugerit, ne in eos gravius peccarent? Et ideo quæ proponit pro nihilo habenda sunt: quia, ut dicit Hieronymus[3], quod de Scripturis auctoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, qua probatur. Insuper si omnis qui persequitur justum, tanto magis peccat, quanto graviores injurias irrogat, et sanctum est atque perfectum propter hoc fugere, semper a facie cujuslibet persecutoris fugiendum est, ne gravius peccet. Amplius ex hoc necessario sequitur, quod Christus non abundantem misericordiam, sed potius crudelitatem in Judæos exercuerit, qui tunc se passioni obtulit, quando plures in eo peccare potuerunt, paschali scilicet tempore, cum Judæorum multitudo ad festum ventura erat, de qua sciebat, quod in ejus mortem consensura erat. Arguuntur etiam, secundum hanc doctrinam, impietatis et crudelitatis, omnes martyres, qui non fugerunt. Inaniter igitur gloriatur se adversarium confutasse, quasi fugere non sit imperfectum, cum habeat fieri ex abundanti misericordia, quæ imperfectionis non potest esse ministra. In quo credens alterius improbare sententiam, viam aperit ad reprobandam suam. Si enim Christus, qui fugit ex misericordia respectu persequentium, nullam imperfectionis notam incurrit, multo magis, si fugit ex misericordia respectu membrorum suorum infirmorum, ad præbendum illis solatium, non debet imperfectioni adscribere, sed potius judicare perfectum. Quod autem in fine concludit, quod his quatuor modis Christus fugit, et fugere docuit, et viri perfectissimi in hoc eum imitati sunt, et hoc alios facere docuerunt, et quod Christus fugiendo exemplum infirmis præbuit: infirmis dicit infirmitate carnis, quæ perfectis competit, non mentis, quæ solum convenit imperfectis, quia ex præcedentibus satis reprobatum est, non

[1] *Matth.*, XXVI, 56. — [2] Bed., in hunc loc. — [3] Hieron., *in Matth.*, c. XXIII.

est opus ultra discutere, quamquam hæc quatuor simul aggregata, dogmatis hujus absurditatem patenter ostendant. Nam si Christus hoc quadruplici modo fugit, et perfectissimi viri in hoc eum imitati sunt, cum hoc fugiendi quadrivium semper, et ubique, et omnibus pateat, semper et a quolibet ineunda est fuga. Quis enim non naturaliter timet mortem? Quis non debet se humiliare? Quis non debet prudenter cavere periculum? Quis misereri non debet persequentium proximorum? Si igitur hæ viæ fugarum semitæ sunt perfectionum, quibus itur ad Christum, non jam, ad exhortationem apostolicæ tubæ, currendum est ad nobis propositum passionum certamen [1]; sed potius quærendum est per aliquam dictarum viarum fugæ præsidium, quo celerius, tanquam per compendiosas perfectionis semitas, perveniatur ad Christum. Quod si hujusmodi exhortationis, imo dehortationis clamorem, quo bellatorum corda terrentur, procul a castris bellantium abesse censuerunt duces in pugna sæculi, quanto magis hoc observare convenit in pugna Jesu Christi, ubi res agitur non pro vitandis dispendiis rerum, aut fugiendis periculis corporum, sed pro declinanda infinibili morte animarum? Nec hoc dicimus, quin competere possit perfectis in casu fugere, eo modo quo superius ostensum est; sed ut fugæ laudes superfluas, vanas et falsas, tanquam perniciosas, et virtutibus perfectis contrarias, ostendamus esse fugiendas: quia cum falsitas ubique et semper vitanda sit, ibi tamen et tunc potissimum declinanda est, cum sub fallaci specie sanctitatis a virtutum culmine revocat, et inclinat ad ima.

CAPUT II

In quo abstinentiæ laus et perfectio declaratur, et ejusdem impugnatio calumniosa refellitur.

Quanquam certum sit omnibus in christiano exercitatis agone, abstinentiæ sanctæ rigorem pernecessarium esse his qui perfectionem adipisci et defensare conantur; quia tamen novæ adinventionis dogma perversum subintroductum est ad probandum contrarium, roboranda est hujusmodi veritas tam per exempla, quam per documenta sanctorum. Et primum quidem evangelicæ perfectionis Præcursor adducatur in medium, qui propter abstinentiam eminentem, magnus prædicatur angelica voce, sicut refert Lucas [2] Angelum dixisse ad Zachariam: *Erit enim magnus coram Domino, vinum et siceram non bibet.* Ubi Glossa [3]: « Sicera interpretatur ebrietas, quo nomine signatur omne poculum de quacumque materia factum, quod inebriare potest. Decet namque vas cœlesti gratiæ mancipatum, a sæculi illecebris abstinere. » Hoc ipsum vas electionis Apostolus in seipso commendat, ad Corinthios scribens [4]: *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte, cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* Et ad hoc, agonistarum exemplo, cunctos provocat Christi milites, cum præmittit [5]: *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet; et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* Ad hoc facit quod ait Ambrosius, tertio libro *Hexameron* [6]: « Ab initio sæculi simplicem cibum et naturalem debuit Deus reliquis cibis anteferre, quoniam iste est sobrietatis cibus, reliqui voluptatis. In hoc datur nobis frugalitatis exemplum et parcimoniæ magisterium, ut herbis et simplicis oleris victu, aut pomi, contenti simus, quem natura obtulit, quem liberalitas Dei primo donavit. » In Ecclesiastica vero Historia, libro secundo, refert Eusebius [7], quod inter sanctos Ægyptios quos Evangelista Marcus multipliciter instituit, vinum nemo nec gustu contingit, nec aliquam carnem, tantum aqua est eis potus, et panis cum sale et hyssopo est eis cibus. De anachoretis autem, quorum vita constat fuisse perfectionis

[1] *Hebr.*, XII, 1. — [2] *Luc.*, I, 15. — [3] Gloss., ex Bed. *in Luc.*, lib. I, c. II. — [4] I *Cor.*, IX, 27. — [5] Ibid., 25. — [6] Ambros., *Hexaem.*, lib. III, c. VII, n. 28. — [7] Euseb., *Hist. Eccl.*, lib. II, c. XVI, vers. fin.

exemplar, Hieronymus *ad Eustochium*[1], cum vitam commendasset cœnobitarum, dicens, quod « inter eos vivitur pane, et leguminibus, et oleribus, quæ sale solum condiuntur, » quibusdam interpositis, subdit[2] : « Ad tertium genus veniam, quos Anachoretas vocant, qui de cœnobiis exeuntes, accepto pane et sale, amplius ad deserta nil proferunt (*a*). Hujus vitæ auctor Paulus, illustrator Antonius, et ut ad superiora conscendam, princeps Joannes Baptista fuit. » Hucusque Hieronymus. Qui et hunc, quem hujusmodi vitæ asserit auctorem, Paulum talibus extollit abstinentiæ laudibus, ejus. vitam rescribens[3] : « Omnem in oratione in (*b*) solitudine duxit ætatem; cibum et vestimentum ei palma præbebat. Quod ne cui incredibile videatur, Jesum testor et sanctos angelos, vidisse me monachos, e quibus unus per triginta annos pane hordeaceo et aqua lutulenta vixit. » Beatus quoque Basilius Monachis Orientalibus, qui ad perfectionis culmen nitebantur ascendere, carnium esum inhibuit. Sanctus etiam Martinus, ut de ipso narrat Sulpitius[4], in suo monasterio secum degentibus monachis vini potum concedere noluit. Et sacer vir Benedictus sanis monachis esum carnium interdixit. His et similibus quasi innumeris universis sanctorum exemplis indubitanter colligitur, quod abstinentiæ vigor opus sit perfectæ virtutis. Et ne quid ad certitudinem desit, aliis sanctorum auctoritatibus probandum est, quibus asserunt, quod abstinere a vino et carnibus sit perfectum. Ait enim Hieronymus *ad Demetriadem*[5] : « Conceduntur quidem nuptiæ, carnium esus, usus vini; sed horum abstinentia consilio perfectiore suadetur. » Idem quoque contra Jovinianum[6] : « Si vis perfectus esse, bonum est vinum non bibere, et carnes non manducare; nam si vis perfectus esse, melius est saginare animam, quam carnem. » Augustinus[7] etiam, *de fide ad Petrum*, sic ait : « Humiles servi Christi, qui cupiunt Domino absque impedimento servire, conjugia non appetunt, a vino et carnibus abstinent, quantum corporis valitudo permittit, non quod peccatum sit aut conjugem habere, aut carnes vinumque percipere. » Hæc Augustinus[7]. Ad hoc idem facit quod dicit Gregorius libro trigesimo *Moralium*[8] : « Nullus palmam spiritualis certaminis apprehendit, qui non prius in seipso per afflictam concupiscentiam carnis incentiva devicerit. Neque enim ad conflictum spiritualis certaminis consurgitur, si non prius intra nosmetipsos hostis mentis positus, gulæ videlicet appetitus edomatur. » Colligitur itaque, quod abstinentia sit opus maxime competens viris perfectis, quorum est satanæ bellis victoriose resistere, et sapientiæ studiis quiete vacare. Propter quod Hieronymus *contra Jovinianum*[9] : « Si quis æstimat abundantia ciborum atque potuum se perfrui, et vacare se posse sapientiæ, hoc est versari inter delicias, et deliciarum vitiis non teneri, seipsum decipit. » Et post : « Quomodo nuptiis virginitatem, ita saturitati et carnibus jejunia spiritumque præferimus. » Si igitur vacare sapientiæ perfectorum est, et virginitas præfertur conjugio, sicut perfectum imperfecto, restat quod de genere operis abstinere a carnibus, aliisque delicatis cibariis, actum dicit consonum perfectioni; et contra his uti, imperfectionem quamdam importat, quantum est de sui generis natura, nisi ad perfectionem reducatur per circumstantiam superadjectam, utpote cum quis habet plenam abstinendi voluntatem, et tamen hujusmodi cibariis pro loco et tempore sobrie utitur, vel quia requirit necessitas sustentationis propriæ propter ægritudinem, seu debilitatem, vel utilitas fraternæ ædificationis per charitativam condescensionem. Primum quidem

[1] Hieron., *ad Eustoch.*, epist. XXII, col. m. 188. — [2] Ibid., col. 189. — [3] Id., in *Vit. Pauli Erem.*, col. m. 315. — [4] Sev. Sulp., in *vita S. Martini*, c. VII. — [5] Hieron., *ad Demetriad.*, epist. VIII. — [6] Id., *cont. Jovinian.*, lib. II, col. m. 92. — [7] Imo Fulg., *de fid. ad Petr.*, c. III, n. 45, inter Oper. Aug., Append. tom. VI. — [8] Greg., *Moral.*, lib. XXX, c. XVIII, al. XIII, n. 58. — [9] Hieron., *cont. Jovinan.*, ubi sup. prox. — (*a*) *Al.* perferunt. — (*b*) *Al.* orationibus et.

exemplum ex vita sumitur perfectorum cœnobitarum, quam describens Hieronymus, ait loquens de sanis [1] : « Vivitur pane, leguminibus, et oleribus, quæ sale solo condiuntur. » Dehinc pro debilibus subdit : « Vinum tantum senes accipiunt, quibus et parvulis sæpe fit prandium, ut aliorum fessa sustentetur ætas, et aliorum non frangatur incipiens. » Post hæc de infirmantibus ait : « Si quis vero cœperit ægrotare, transfertur ad exedram latiorem, et tanto senum ministerio confovetur, ut nec delicias urbium, nec matris quærat affectum. » Hæc Hieronymus. Porro exemplum secundi manifeste refulget in Christo, de quo Chrysostomus *super Matthæum* [2] : « Vide quanta est Christi in condescensione diligentia, sicut cum comedat et bibat, cum videatur ex adverso Joanni faciens, et hoc Judæorum gratia salutis facit, magis autem orbis terrarum universi, simulque hæreticorum obstruens ora. » Magister namque perfectionis omnimodæ Jesus Christus, et supportator imperfectionis nostræ, utrumque debuit in sua vita monstrare; cum tamen Joannes totam peregerit vitam secundum arctissimam abstinentiæ legem. Et quanquam actus abstinendi perfectior sit ex proprio genere, perfectius tamen egit Christus, quam Joannes, quia et puriori modo in se ipso abstinuit, et aliis ex perfectiore charitate condescendit. Unde et perfectionis præcipuus sectator Apostolus non solum imitabilem se præbet in austeritate vitæ, verum etiam pia ad proximos condescensione, ad Corinthios dicens [3] : *Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem : omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.* Hanc condescensionis ædificatoriæ formam discipulis ad prædicandum missis Dominus dedit, cum ait [4] : *In eadem domo manete, edentes et bibentes, quæ apud illos sunt.* Et ratio a Matthæo redditur [5] : *Est enim dignus operarius cibo suo.* Quia enim discipuli pauperes erant, et laboriosis prædicationis exponebantur discursibus, ne pro penuria et difficultate laboris in se ipsis deficerent, vel, pro difformitate victus, onerosi redderentur suscipientibus ipsos, hujusmodi fuit eis a Domino vivendi forma præscripta, tam pie quam provide, ut et aliis condescenderent, et injunctum sibi laborem viriliter tolerare valerent. Ex prædictis igitur elucescit, quod tam abstinere a carnibus et vino, quam his uti, potest fieri perfecte et imperfecte ; sed unum, scilicet abstinere, fit perfecte ex proprio genere, alterum vero ratione circumstantiæ adjunctæ, cum ex se magis declinet ad imperfectionem. Hæc autem non idcirco dicimus, quia cibus in culpa sit, cum dicat Apostolus ad Corinthios [6] : *Esca nos non commendat Deo.* Glossa : « Sumpta, vel non sumpta. » Et Augustinus, libro tertio *de Doctrina Christiana* [7] : « Quid locis, et tempori, et personis conveniat, diligenter attendendum est, ne temere flagitia reprehendamus. Fieri enim potest, ut sine aliquo vitio cupidinis, vel voracitatis, pretiosissimo cibo sapiens utatur, insipiens autem fœdissimæ gulæ flamma in vilissimum ardescat, et sanius quisque maluerit more Domini pisce vesci, quam lenticula more Esau, aut hordeo more jumentorum. » Hæc Augustinus. Ad quod etiam facit quod dicit Gregorius, libro xxx *Moralium* [8] : « Non cibus, sed appetitus in vitio est. » Unde lautiores cibos plerumque sine culpa sumimus, et abjectiores non sine reatu conscientiæ degustamus. Hinc Esau primatum per lenticulam perdidit, et Elias in eremo carnes edendo virtutem corporis servavit. Unde et antiquus hostis primum sibi hominem non carne, sed pomo subdidit; et secundum, non carne, sed pane tentavit. Patet igitur, quod delicatis uti pro loco et tempore possumus absque peccato : quia tamen, per excitationem (*a*)

[1] Hieronym., *ad Eustoch.*, epist. XXII, ubi sup. — [2] Chrysost., *in Matth.*, hom. XXVII, al. XXVIII, n. 3. — [3] I *Cor.*, IX, 22. — [4] *Luc.*, X, 7. — [5] *Matth.*, X, 10. — [6] I *Cor.*, VIII, 8. — [7] Aug., *de Doct. Christ.*, lib. III, c. XII, n. 19. — [8] Greg., *Moral.*, lib. XXX, c. XIII, al. XVIII, n. 60. — (*a*) *Cæt. edit.* exercitationem.

concupiscentiæ, dant occasionem peccandi, ab hujusmodi abstinere salutare est. Ac per hoc, cum sit difficile, et arduum, et supererogatorium, de natura sui generis colligitur esse perfectum, tanquam ad perfectionem præparans, et ipsam promovens, et conservans. Unde Hieronymus *contra Jovinianum*[1]: « Fac esum carnium cunctis nationibus esse communem, et passim licere quod passim gignitur, quid ad nos, quorum conversatio in cœlis est, qui super Pythagoram, et Empedoclem, et omnes sapientiæ sectatores, non ei debemur cui nascimur, sed cui renascimur : quoniam repugnantem carnem, et ad libidinum incentiva rapientem, inedia subjugamus? » Hæc Hieronymus. Quibus ostendit, abstinentiam viris perfectis et cœlestibus competere, ad perfecte cavendam libidinem, et edomandam carnem. Competit etiam eis, quia promovet ad perfectam virtutem. Valet enim primo ad servandum pudicitiæ sanctæ nitorem. Unde Hieronymus ad Eustochium[2] : « Sollicite providendum est, ut quos saturitas de paradiso expulit, esuries reducat. Non quod Deus universitatis Creator et Dominus, intestinorum nostrorum rugitu, et inanitate ventris, pulmonumque delectetur ardore, sed quod aliter pudicitia tuta esse non possit. » Valet secundo ad custodiam paupertatis altissimæ, juxta quod idem Hieronymus ad Salvinam scribit dicens[3] : « Ubi vile oluscu-lum, cibarius panis, et cibus potusque moderatus, ibi divitiæ supervacuæ. » Idem quoque contra Jovinianum[4] : « Si vis perfectus esse, bonum est vinum non bibere, et carnes non manducare. » Et post : « Grandis animæ exultatio est, cum parvo contentus fueris, mundum habere sub pedibus, et omnem ejus pompam, et epulas, ac libidines, propter quæ divitiæ conquiruntur, vilibus commutare cibis. » Valet etiam tertio ad conquirendam animi fortitudinem, secundum illud Bernardi[5] : « Quomodo ipsum corpus nostrum quotidie crescit et decrescit; sic necesse est spiritum semper proficere, aut deficere. » Sed interest ordinis : nam semper in robusto et vegeto corpore animus mollior atque tepidior est; et rursum in corpore debili et infirmo fortior viget promptiorque spiritus. Quod se expertum testatur Apostolus, dicens[6]: *Quando infirmor, tunc potens sum.* Sicut igitur per abstinentiam vigor attenuatur in corpore, sic et augmentatur virtus in animo : quod maxime locum habet in viro perfecto. Valet nihilominus quarto ad obtinendam mentis serenitatem, juxta sententiam Senecæ in quadam epistola : « Non est, » inquit[7], « jucunda res, aqua et pulmenta, aut frustum hordeacei panis; sed summa voluptas est ex his posse capere voluptatem, et ad id se deduxisse, quod eripere nulla fortunæ iniquitas possit. » Si igitur hæc mentis tranquillitas, quam varii eventus fortunæ non auferunt, perfectioni attestatur, aperte colligitur, quod sic abstinere sit perfectorum.

His præallegatis pro veritatis parte, facile jam est et perfectionis abstinentiæ sublimitatem defendere, et hostis adversus eam erecta machinamenta dissipare. Nam ab impositione falsi criminis sumens exordium, primum quidem se fundat super falsum, asserens eum, contra quem scribit, dixisse, quod carnium esus sit a perfectione recessus, quod nunquam dixit; insuper et quod de numero sit illorum, de quibus dicit Apostolus[8], quod *in novissimis diebus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris* : quod crimen illi impingit, quia saturitati abstinentiam prætulit. Quantæ igitur malignitatis sit et fraudis, pro abstinentiæ commendatione, viro fideli errorem Manichæorum impingere, is, qui legit, advertat. Hoc enim nihil aliud est astruere, nisi quod abstinentia commendari non possit sine præjudicio fidei et sanæ doctrinæ. Quod si verum

[1] Hieron., *cont. Jovinian.*, lib. II, col. m. 94. — [2] Id., *ad Eustoch.*, epist. XXII, col. m. 174. — [3] Id., *ad Salvin.*, epist. IX. — [4] Id., *cont. Jovinian.*, lib. II. — [5] Bern., *ad Guarin.*, epist. CCLIV, n. 5. — [6] II *Cor.*, XII, 10. — [7] Senec. — [8] I *Tim.*, IV, 1.

est, erraverunt viri clarissimi, qui magna et mira fuerunt abstinentia prædíti. Errat et nunc sancta mater Ecclesia, quæ in jejuniis ab ipsa institutis, jubet abstinere a carnibus, et ab his quæ sementinam inde trahunt originem. Errare probatur et ipse, qui aut morem sequitur Ecclesiæ, et tunc secundum suam sententiam est Manichæus, aut morem hunc sacrum impugnat, et tunc est Joviniani discipulus. Audiat igitur non nos, sed Augustinum, contra Adamantium Manichæum, et de discipulis illius sectæ loquentem. « Istos, » inquit, [1] « significavit futuros Apostolus in temporibus novissimis, prohibentes nubere, et abstinere a cibis, quos Deus creavit. Hos enim proprie designat, qui se non propterea temperant a cibis talibus, ut aut concupiscentiam suam refrænent, aut infirmitati alterius parcant. » Audiat etiam Hieronymum *contra Jovinianum :* « Reprobat, » inquit [2], « Apostolus eos qui prohibebant nubere, et jubebant a cibis abstinere; sed Marcionem designat, et cæteros hæreticos, qui abstinentiam inducunt perpetuam, ad destruenda et contemnenda et abominanda opera Creatoris. Nos autem omnem creaturam laudamus, et maciem saginæ, abstinentiam luxuriæ, jejunia præferimus saturitati, et a diebus Joannis Baptistæ jejunatoris et virginis, regnum cœlorum vim patitur. » In his satis Hieronymus Joviniani, et novi sectatoris ipsius os obstruit, ne, instar sepulcri patentis, suorum carnalitate sermonum, tanquam exhalationibus fœtidis, fidelium mentes sobrias et pudicas inficiat, moresque corrumpat. Nam, ut ait Apostolus [3] : « Corrumpunt bonos mores, colloquia prava. » Sane quia studium esse consuevit errantium, testimoniis veritatis perverse intellectis, adversus ipsam veritatem confligere, ideo consequenter munire se nititur auctoritate Scripturarum, primo allegans illud Apostoli [4] : *Omnis creatura Dei bona.* Et iterum [5] : *Omnia munda mundis.* Cui etiam, interpositis quibusdam, subnectit evangelicum illud [6] : *Non quod intrat in os, coinquinat hominem.* Quibus etiam interponit auctoritatem Augustini *De civitate Dei*, qui dicit [7], quod « consuetudo victus non impedit religionem. » Ex quibus conatur astruere, quod abstinentia ciborum nihil facit ad perfectionem, nec ipsorum usus, vel sumptio, ad imperfectionem. Unde et dicit : « Imperfectionem non facit Dei creatura, sed mens infirma, et nesciens uti ea. Idcirco magis ei abstinentia, quam perfectæ menti est necessaria. » Hoc si verum est, et hujusmodi ratio aliquid roboris habet; cum bona temporalia sint creaturæ Dei, et mulier formata a Deo, et conjugium, quod plus est, sit Domini sacramentum, et libertas propriæ voluntatis sit donum divinum, nihil horum ad imperfectionem facit, magisque competunt hæc perfectis, quam imperfectis, tanquam melius scientibus uti. Magis igitur, secundum hanc indoctam doctrinam, perfectis competit divitias possidere, quam spernere; magis nubere, quam continere; magis agi voluntate propria, quam gubernari aliena. Ex quibus etiam illud infertur, quod doctrina Christi fuerit perfectioni contraria. Ad quod quidem inconveniens, auribus piis horrendum, nequaquam devenisset, si earum, quas allegat, auctoritatum catholicum habuisset intellectum. Nam auctoritas Apostoli, quam proponit, hæreticorum reprobat impietatem; evangelicum verbum, Pharisæorum superstitionem; sed Augustinus in verbo proposito adversatur utrisque. Quod enim Christus Pharisæos de superstitione notavit, et textus evangelicus aperte declarat, et Glossa exponit, quæ super illud Matthæi [6] : *Non quod intrat in os, coinquinat hominem,* ait [8] : « Uno sermone omnis superstitio observationum eliditur, dum in discernendis cibis religio putatur. » Quod de ea discretione intelligendum est, quæ se-

[1] August., *cont. Adimant. Manich.*, c. XIV, n. 2. — [2] Hieron., *adv. Jovinian.*, lib. I. — [3] I *Cor.*, XV, 33. — [4] I *Tim.*, IV, 4. — [5] *Tit.*, I, 15. — [6] *Matth.*, XV, 11. — [7] Aug., *de Civit. Dei*, lib. XIX, c. XIX. — [8] Gloss., ex Bed. *in Matth.*, XV.

cundum Pharisæorum sententiam in cibis constituit immunditiæ causam. Nam discernere inter cibaria delicata et aspera, pretiosa et vilia abstinentium more, non repugnat, sed consonat religioni christianæ. Quod autem dicit Augustinus, quod « victus non impedit religionem, » intelligendum est de religione christianæ fidei, quæ communis est perfectis et imperfectis, de qua Augustiuus ibidem : « Ipsos quoque philosophos qui christiani fiunt, non habitum et consuetudinem victus, sed falsa dogmata mutare compellit. » Quod quidem intelligi non potest de religione disciplinæ regularis, in qua habitus novus assumitur, et mutatur consuetudo vivendi quantum etiam ad discretionem ciborum. Unde Hieronymus contra Jovinianum [1] : « Audi, inquit, sues, et apros, et cervos, et hujusmodi reliquos animantes, esse creatos, ut athletæ, milites et nautæ, metallorumque fossores, et cæteri hujusmodi operibus mancipati, cibos haberent, quibus fortitudinem corporum sibi necessariam sustentarent. Cæterum nostra religio non athletam erudit, non fossorem, vel remigem, sed sapientiæ sectatorem, qui se Dei cultui mancipavit. » Denique verbum Apostoli, quod primo proponit, Manichæorum impietatem impugnat, non abstinentiam imperfectorum. Unde idem Hieronymus ad Salvinam [2] : « Scimus ab Apostolo dictum [3] : *Omnis creatura Dei bona, et nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur;* sed idem loquitur [4] : *Bonum est non manducare carnem, et non bibere vinum.* Comedant carnes, quæ carnibus serviunt, quarum fervor despumat in coitum, quæ alligatæ maritis, generationi et liberis dant operam. Quarum uteri portant fœtus, earum intestina carnibus impleantur. Tu vero, quæ in tumulo mariti sepelisti omnes pariter voluptates, nihil habes necesse aliud, nisi perseverare in jejunio. » His aperte colligitur, quod omnis creatura bona et munda est, et quod sanctum est ab aliquibus abstinere, quia etsi non sint immundæ formaliter vel causaliter, tamen occasionaliter, ex earum usu, ut frequenter immunditia contrahitur, dum concupiscentia excitatur, sicut idem Hieronymus ad Eustochium ait [5] : « Si quid in me potest esse consilii, si experto creditur, hoc primum admoneo, hoc obtestor, ut virgo Christi vinum fugiat pro veneno. Quid oleum flammæ adjicimus? Quid ardenti corpusculo fomenta ignium ministramus? » Hæc Hieronymus. Quod si forte quis dicat hanc ruinam juvenibus et imperfectis, non perfectis esse timendam, obviat idem Hieronymus in eadem epistola dicens : « Quamdiu in hoc fragili corpore detinemur, quamdiu habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, et concupiscit caro adversus spiritum, et spiritus adversus carnem, nulla est certa victoria. » Et paulo post : « Si Apostolus vas electionis, et præparatus in Evangelium Christi, ob carnis aculeos, et incentiva vitiorum, reprimit corpus suum, et servituti subjicit, ne aliis prædicans, ipse reprobus inveniatur; et si post nuditatem, jejunia, famem, flagella, supplicia, in semetipsum reversus exclamat [6] : *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* tu te putas securum esse debere? Cave igitur ne de te aliquando dicat Deus [7] : *Virgo Israel cecidit, et* (*a*) *non est qui suscitet eam.* » Hæc Hieronymi verba si vera sunt, imo quia vera sunt, non parvi periculi res est abstinentiæ perfectioni detrahere, ac per hoc animos perfectæ virtuti studentium ab ea revocare. Ut autem ad hoc efficacius possit inducere, sanctorum consequenter se munit exemplis, Noe scilicet, Eliæ, et Joannis Baptistæ : quorum primus, ut dicit, omne genus carnis accepit in usum; secundus fuit carnium cibo refectus; tertius vero locustarum esu non fuit pollutus. Ex quibus arguit, quod cum omnis imperfectio

[1] Hieron., *adv. Jovinian.*, lib. II.— [2] Id., *ad Salvin.*, epist. IX. — [3] I *Tim.*, IV, 4. — [4] *Rom.*, XIV, 21. — [5] Hieron., *ad Eustoch.*, epist. XXII. — [6] *Rom.*, VII, 24. — [7] *Amos*, V, 2.

(*a*) Vulg. *projecta est in terram suam.*

sit pollutio animæ, carnium esus nihil facit ad imperfectionem; quin potius ad perfectionem, cum dicat Apostolus [1]: *Scio abundare, et penuriam pati;* nec esset perfectior esuriens, quam abundans, utrumque enim poterat virtute divina. Verum hæc, quæ proposuit, virorum perfectorum exempla, si ad hoc introducit, quod talibus vesci sit de se licitum, ex ratione procedit, et Augustini sententiam sequitur, in libro *Confessionum* [2], ubi ex prædictis sanctorum exemplis ostendit, quod non cibus, sed appetitus inordinatus introducit peccatum. Si autem per hoc conatur astruere, quod cibis hujusmodi uti pro loco et tempore, non sit perfectioni contrarium, sed compossibile, verum adhuc dicit; sed frustra laborat, quia hoc nullus catholicus negat. Si vero persuadere conatur, quod his vesci, et ab his abstinere, sit æque perfectum, errat non modicum. Primo quidem, quia hoc falsum est et absurdum, sicut præallegata sanctorum testimonia et exempla declarant. Secundo, quia non vera, sed sophistica ratione procedit, cum arguit, quod si viri perfecti aliquid egerunt, quod hoc (*a*) illud sit de propria ratione perfectum: hoc enim plurimas habet instantias, sicut præostensum fuit in præcedenti particula. Nam similiter argui posset de conjugio Noe, et de proprietate possessionum, et de plantatione vinæ, ut taceamus de vini potatione. Tertio vero, quia exemplis hujusmodi primo propositis, falsam subnectit assumptionem, cum dicit, quod imperfectio est animæ quædam pollutio; hoc superius multipliciter est improbatum tanquam erroneum, et ad quod multa inconvenientia sequuntur. Tunc enim noviter baptizatus, aut non esset imperfectus, aut peccati labe esset pollutus, quorum utrumque est absurdum. Insuper, si esset pollutio, aut esset mortalis, et tunc omnis imperfectus charitate careret; aut venialis, et tunc omnis venialiter peccans a perfectione decideret, nullusque, in veniali existens, ad perfectionem perveniret, idemque foret perfectum et impollutum: quod quidem vel est justorum omnium in statu viæ, vel omnino nullorum, nisi Dei hominis et virginis Mariæ. Quarto autem, quia præfata exempla magis ad oppositum valent, quam ad propositum, sicut a sacris Doctoribus inducuntur. Unde Hieronymus, *ad Eustochium* [3]: « Noe vinum bibit, et inebriatus est, et post ebrietatem nudatio femorum subsecuta est. Elias cum Jezabel fugeret, et sub quercu jaceret, adveniente ad se Angelo suscitatur, et ecce ad caput ejus panis subcinericius, et vas aquæ. Revera poterat ei conditum merum mittere, et electos cibos, et carnes contusione mutatas. Eliseus filios prophetarum invitat ad prandium, et herbis agrestibus eos alens, consonum prandentium audit clamorem [4]: *Mors in olla, vir Dei:* non est iratus cocis, lautioris enim mensæ consuetudinem non habebat. Potuit et Danieli de regiis ferculis opulentior mensa transferri; sed Habacuc ei messorum prandium portat, arbitror rusticanum. Ideoque ibi [5] *vir desideriorum* appellatus est, quia panem desiderii non manducavit, et vinum concupiscentiæ non bibit. » Ecce quot exempla Patrum Veteris Testamenti introducit ad abstinentiæ laudem, quæ is, tanquam carnaliter sapiens, trahere nititur ad carnem. Sentiens autem ex his, quæ jam dixerat, acutis ejusdem Hieronymi jaculis, ut Joviniani discipulum, se posse transfigi, quasi clypeum defensionis objiciendo, versute subjungit: « Nec me clames Jovinianum, quia non dico, ut ipse, quod non differat simpliciter abstinere, vel carnes et vinum gulose comedere, sed infirmis, qui nesciunt his recte uti, valde necessarium (*b*) judico abstinentiam, perfecti vero nullam contrahunt immunditiam. » Hæc verba ipsius, quibus ut excuset errorem proprium, exaggerat alienum. Nunquam enim Jovinianus, quanquam sit omnino

[1] *Philip.*, IV, 12. — [2] Aug., *Conf.*, lib. X, c. XXXI, n. 46. — [3] Hieronym., *ad Eustoch.*, epist. XXII, col. 174. — [4] IV *Reg.*, IV, 40. — [5] *Dan.*, IX, 23; X, 11, 19.

(*a*) *Del* hoc. — (*b*) *Forte leg.* necessariam.

detestandus, in hanc, quam hic fingit, dementiam incidit, ut gulositatem æquaret abstinentiæ, sicut nec luxuriam continentiæ coæquavit; sed pudicitiam conjugalem et virginitatem, usum ciborum et abstinentiam, æqualis apud Deum meriti censuit : quod idem Hieronymus reprobat ut dogma prophanum. Hic autem longe amplius desipit, quam ille Jovinianus, tanquam proficiens in erroris doctrina discipulus. Nam sobrietatem in usu ciborum dicit competere perfectis, abstinentiam imperfectis, quia perfecti nullam ex hoc immunditiam contrahunt, et imperfecti indigent illo remedio ad edomationem concupiscentiarum. Constat autem quod perfecti præferuntur imperfectis, et quæ illis et his competunt, per se loquendo, consimilem habent comparationem : igitur secundum ipsum præfertur horum ciborum usus moderatus et sobrius, abstinentiæ ab eisdem. Quod si causetur falsum sibi crimen imponi, dicat igitur ipse quod sentit. Aut enim præfert abstinentiam moderato modo vescendi, aut æquat, aut postponit. Si præfert, ut quid tot supervacua verba contra propriam sententiam protulit? Concesso enim quod abstinere perfectius sit, jam nulla restat causa adversus aliquem disputandi. Si vero æquat, in errorem Joviniani turpiter incidit. Si autem postponit, damnatæ et reprobatæ jam hæresi superaddit. Quod autem hujus ultimæ sententiæ fuerit, ex consequentibus aperte clarescit. Quasi enim ei, quod dixerat abstinentiam imperfectis competere, ex adverso aliquis resisteret, ex alterius persona subjungit : « Sed dices : Quid igitur Dominus sacerdotibus Veteris Testamenti cum ministrarent, prohibuit vinum? Quid quod Nazaræis inhibuerit? quid quod filii Rechab ex hoc laudantur? Et tandem Joannes Baptista vinum et siceram non gustavit. » Et addit : « Qualiter igitur non erit perfectius a vino, et a carnibus abstinere, quam his uti? » Et ad hæc, tanquam ad probandum falsum inducta, respondit dicens, quod « sacerdotibus veteris legis inhibetur vinum velut adhuc nescientibus uti; quod abstinentia Nazaræorum figuralis, non moralis fuit; et quod filii Rechab magis de obedientia, quam de abstinentia laudati sunt; et quod Joanni Baptistæ abstinentia competebat, quia adolescens erat, addens, quia sicut absque diminutione perfectionis carnes comedit, sic etiam, si voluisset, potuisset bibere vinum, cum ad ejus oppositum nulla lege teneretur. Ex quibus aperte colligitur, quod ad Joviniani superaddit errorem. Cum enim supra probaverit, quod perfectis competit vino et carnibus uti, exemplo Noe, Eliæ et Joannis Baptistæ, et nunc pro inconvenienti habeat, quod perfectis viris abstinentia indicitur, manifeste convincitur ejus esse sententiæ, qua ciborum usus abstinentiæ non postponitur, sed præfertur. Pro hujus quoque erroris defensatore perfidia (*a*), plurima dicit absurda. Nam quod asserit vinum interdici sacerdotibus, tanquam nescientibus uti, aperte contrariatur veritati, cum super illud Levitici [1] : *Vinum et omne quod inebriare potest*, etc., dicat Glossa : « Filiis Aaron, tanquam sublimiora adeptis, traditur hoc mandatum. » Insuper contra viros sanctos blasphemare convincitur, quorum nonnulli sacerdotalis generis, sanctitatis privilegio, et prophetiæ spiritu claruerunt. Mira certe, vel potius monstruosa doctrina. Cum enim supra præmiserit, quod viris perfectis competebat conjugium in veteri lege, et secundo addiderit, quod Aaron tanquam vir perfectus fugit, qua fronte nunc subjungere potest quod tanquam imperfectus abstinuit, quasi conjugii nexus, vel fugæ præsidium sacerdotibus perfectionis gloriam tribuat, et sanctitas abstinentiæ tollat? Magna enim absurditate non caret, quod principalem causam abstinentiæ Præcursoris ætatem asserit fuisse juvenilem, scilicet propter adolescentiam castigandam, ac si abstinentia senibus et perfectis non compe-

[1] *Levit.*, x, 9.

(*a*) *Forte leg.* defensione perfida, *vel* cum perfidia.

teret. Quid igitur sancti senes et perfecti, Paulus eremita, Antonius, Hilarion, et clarissimi illi cœnobiorum patres abstinuerunt usque ad decrepitam senectutem? Quid illi nobiles cœnobitæ, de quibus dicit Hieronymus ad Eustochium [1] : « De cibis vero et potu taceo, cum etiam languentes monachi aqua frigida vix utantur, et coctum aliquid accepisse luxuria sit? » Quid illa sacratissima Paula, de qua idem Hieronymus [2] : « Nulla juvenum puellarum, sano et vegeto corpore, tantæ se dedit abstinentiæ, quantæ ipsa fracto et senili debilitatoque corpusculo? » Quid etiam venerabilis illa Tarsilla, de qua Gregorius, quarto *Dialogorum* [3] : « Tarsilla, inquit, amita mea, inter duas alias sorores suas, virtute continuæ orationis, gravitate vitæ, singularitate abstinentiæ, ad culmen perfectionis excreverat? » Quid tandem Apostolus, de quo Hieronymus contra Jovinianum [4] : « Paulus Apostolus post famem et sitim, et cæteros labores suos, et pericula latronum, et solitudinis, crebra jejunia enumerat, et discipulo Timotheo dolenti stomachum et infirmitates, plurimas sustinenti, suadet vini modicam potionem, quod non concederet, nisi crebre infirmitates, et dolor stomachi postulassent? » Innumera quoque ad hæc exempla suppetunt virorum illustrium, non solum in Christum credentium, verum etiam gentilium philosophorum, sicut ex variis historiis colligi potest, et præcipue de libro Hieronymi *contra Jovinianum*, et ex eo quem conscripsit Ambrosius *De vita Brachmanorum*. Nec horum contemnenda exempla, cum Hieronymus *ad Lætam* dicat [5] : « Quod Judaica superstitio ex parte facit in rejectione quorumdam animalium atque escarum, quod Indorum Brachmanæ, et Ægyptiorum Gymnosophistæ in polentæ, et orizæ, et pomorum solo observant cibo, cur virgo Christi non facit in toto? Si tanti vitrum, quare et non majoris pretii sit margaritum? » Hæc autem non idcirco diximus, ut abstinentiæ laudemus excessum, sed nostri temporis homines de imperfectione notemus. Fieri enim potest, ut pro debilitate corporum excusentur nonnulli, juxta quod distinctione XXIV dicitur [6] : « Defectus hominum nostri temporis, quibus non solum membra, sed etiam corpora ipsa defecerunt, non patitur districtionis illius manere censuram. Fieri enim potest, ut ad aliqua pietatis officia seipsos exerceant, quæ districtionem illam vel in toto, vel in parte recompensent. Hoc tamen præcipua cura servandum, ut qui tantum vitæ rigorem sequi non valent, vel forsitan nolunt, non præsumptuose vilipendant, sed religiose venerentur, quatenus si quid in eis pro carnis debilitate subtrahitur, ex mentis humilitate suppleatur. » Hanc piam reverentiæ formam si is, cui respondetur, observare voluisset, nequaquam humanæ carnalitatis vitium per carnes, quas dicit a Præcursore comestas, temeraria præsumptione foveret. Cui aperte contrariatur evangelicus textus, et Augustinus *contra Faustum*, ubi sic ait [7] : « Unde dictus est Joannes non manducans, neque bibens, nisi quia illo victu, quo Judæi utebantur, ipse non utebatur? » Constat autem quod Judæi carnibus vescebantur, nisi forte quis ita desipiat, ut dicat Joannem carnes manducasse in lege prohibitas. Hieronymus etiam, *contra Jovinianum* [8] : « Præcursor Domini et præco locustis alitur, et silvestri melle, non carnibus. » Et Rabanus, super illud Matthæi [9] : *Esca ejus locustæ*, etc. « Habitatori solitudinis congruum erat, ut non delicias ciborum, sed necessitatem humanæ carnis expeteret. » Unde refert Arnulphus, Galliarum Episcopus, minimum genus locustarum fuisse in deserto Judææ, quo pastus est Joannes Baptista, et usque hodie ibi apparere, quæ corpusculis in modum digiti

[1] Hieronym., *ad Eustoch.*, epist. XXII. — [2] Id., in epitaph. Paulæ, epist. XXVII. — [3] Gregor., *Dialog.*, lib. IV, c. XVI, et *in Evang.*, hom. XXXVIII, n. 15. — [4] Hieron., *adv. Jovinian.*, lib. II. — [5] Id., *ad Læt.*, epist. VII, col. m. 59. — [6] Dist. XXIV. — [7] Aug., *cont. Faust.*, lib. XVI, c. XXXI. — [8] Hieron., *adv. Jovinian.*, lib. II, col. m. 102. — [9] Raban., *sup. Matth.*

manus exilibus in herbis facile capiuntur, coctæque in oleo pauperum præbent victum. His itaque diligenter perspectis, quis tam impudens erit, ut per vitam Joannis austeram et pauperem, suam vel alienam defendere audeat carnalitatem? Cæterum, quia superfluum est in his immorari diutius, ad ea veniendum est, quæ in quæstionis hujus diffinitione subjungit. Dicit namque, quod « viri perfecti ad vinum et carnes se relaxaverunt propter carnis infirmitatem, propter servandam consuetudinem communis vitæ, et propter scandali vitationem. » Quæ quamvis vera sint, et a sanctis accepta, multa tamen falsa, ut assolet, in eorum explicationem permiscet. Dicit enim in explicatione primi membri, quod imperfectio est damnum virtutis : quod superius, tanquam erroneum, est multipliciter improbatum. Addit etiam, quod Elias propter infirmitatem carnis carnibus pastus fuit, quam etiam infirmitatem Christus accepit. Hoc si de speciali carnis infirmitate intelligatur, non sine temeritate multa asseritur, tum quia illud Scriptura non docet, sed ejus contrarium; tum quia erroneum est asserere, quod Christus assumpserit infirmitates, nisi illas quæ communiter respiciunt statum humanæ naturæ. Quod si de infirmitate, quæ communis est omnibus, loquitur, secundum hoc exemplo Christi et Eliæ quilibet perfectus carnes comedere debet. Sane quod in explicatione secundi modi introducit auctoritate Augustini de libro *Quæstionum Evangelii* [1], quod « non interest, quid alimentorum vel quantum quis accipiat, dummodo id agat pro congruentia hominum cum quibus vivit, » si generaliter accipiatur, sicut hic ex perversitate intellectus insinuat, omnem abstinentiæ rigorem enervat, secundum duplicem abstinentiæ modum, a qualibus videlicet, et a quanto. Attendendum est igitur quod verbum illud intelligi debet, quod non multum interest quantum ad rationem liciti, vel illiciti, contra id quod asserit Manichæus; multum tamen interest quantum ad edomationem carnis, exercitationem virtutis, et satisfactionem pro culpis commissis. Unde Gregorius in Registro [2] : « Duobus modis viri sancti a licitis abstinere solent, aliquando ut merita sibi apud omnipotentem Deum augeant, aliquando ut anteactæ vitæ culpas detergant. » Sed etiam pari non caret perversitate, quod ibidem subjungit : quod si quis districtius vult vivere, quam hic (*a*) cum quibus communiter vivit, aut intemperans est, et ita imperfectus; aut superstitiosus, et ita impius. Hæc verba ipsius, quæ imponit Augustino *De doctrina Christiana* [3], simulque dicit quod hoc, scilicet restrictius vivere, non docuit Christus, sed potius prohibuit, nec aliquis sanctorum hoc fecit. His autem verbis omnibus plane sanctarum religionum institutoribus, et Ecclesiarum rectoribus, qui strictius vixerunt quam eorum consocii, non solum notam imperfectionis, sed etiam maculam prævaricationis impingit. Propter quod et a blasphemia in Christi sanctos immunis non est, nisi in quantum fortassis eum ignorantia excusat, quia quos imitari abhorruit, illorum vitas legere neglexit, sicut et mendositas codicis, in ea quam allegat Augustini auctoritate, ipsum fefellit. Nequaquam enim ibi scriptum habetur : *aut intemperans*, sed *aut temperans, aut superstitiosus* ; ubi vult Augustinus ostendere, quod transcensus vitæ communis, aut venit ex sublimitate virtutis, sicut in viris magnæ auctoritatis, aut ex superstitione erroris, sicut in Manichæis, vel ex præsumptuosa singularitate modi vivendi, sicut in quibusdam hypocritis et vanis hominibus, qui despiciunt statum vitæ communis. Corrigat igitur sui mendositatem codicis, vel potius a malignitate resipiscat erroris. In pertractatione quoque tertii modi falso redarguit Petrum Apostolum, et impie blasphemat in Christum; dicit enim Petrum re-

[1] August., *Quæst. Evang.* — [2] Gregor., *ad Theoct.*, ib. XI, epist. XLV, col. 1130. — [3] August., *de Doct. Christ.*, lib. III, c. XII, n. 18.

(*a*) *Forte leg.* hi.

prehensum a Paulo, quia abstinentia sua scandalizabat infirmos. Verum, sicut ex textu apparet Apostoli [1], non in hoc arguendus erat Petrus, quod abstinentium more, a cibis delicatioribus carnem restringeret; sed quia more Judæorum cibos discernens, Gentiles faciebat exemplo suo judaizare. Quod vero subjungit, Christum comedisse agnum paschalem, quem comedere non tenebatur, nisi ne inde præberet Judæis scandali occasionem, manifestam blasphemiam continet. Nam Christus, cum esset Dominus legis et omnium, etiam cum scandalo Judæorum, quæ (*a*) sub lege erant, legales cærimonias præterire poterat, nec ex tentione, sed ex condescensione legis figuralia observabat. Tandem, quia veritas vincit semper et invalescit, cujus lumen inter densas errorum tenebras radiat, ejus quasi virtute compulsus abstinentiæ hostis ad eam, quam impugnaverat, laudandam convertitur, cum subjungit, quod tribus ex causis viri sancti abstinuerunt : primo propter macerationem carnis, ad edomandum concupiscentias; secundo propter cautelam scandali infirmorum; tertio propter evitationem idolothytorum. Hæc siquidem vera sunt, et ab Augustino sumpta in libro *De moribus Manichæorum;* sed hunc triplicem veritatis radium, triplicis erroris caligine obnubilare conatur. Nam primo dicit, quod sancti Patres non tenebantur abstinere cibis lege prohibitis, nisi propter vitandum scandalum, quod pertinebat ad novum Testamentum; et hoc falsum est. Unde Augustinus [2] : « Machabæos, inquit, cum ingenti admiratione præferimus, quod escas, quibus nunc licite Christiani utuntur, attingere noluerunt, quia pro tempore prohibito non licebat. » Secundo addit, quod Christus his tribus modis abstinuit; in quo non solum oberrat (*b*), sed solito modo blasphemat. Cum enim primus modus sit, ut dicit, propter refrænandas concupiscentias carnis, hoc Christo attribuere, non est aliud quam blasphemare, nisi forte per hoc sese excusare velit, quod ante prædixit Christum non propter concupiscentias proprias abstinuisse, quia nullas habuit, sed ut abstinendo exemplum daret aliis suas concupiscentias refrænandi. Verum, si hanc intelligentiam habet, sensum rectitudinis teneat, sed verbum erroris immutet. Quærimus tamen ab eo, quibus exemplum hoc præbuit Christus : utrum perfectis, de quibus idem dicit, quod jam concupiscentias domuerunt; an imperfectis, qui adhuc concupiscentiis agitantur? Constat, quod imperfectis. Si igitur Christus, tanquam medicus, infirmis condescendendo exemplum præbuit, et quasi de hujusmodi medicinali potione gustavit absque detrimento perfectionis suæ, ut quid tot in vanum verba protulit, et conscripsit adversus hanc veritatem, quam de ipsius impugnantis ore, ejusdem invincibilis veritatis virtus extorsit? Tertio subdit, quod his tribus modis abstinere perfectis Christus præcepit, nec contrarium præcepit imperfectis, sed quibus placuit, misericorditer indulsit. Hæc verba ipsius, in quibus veritati contradicit, et sibi ipsi : veritati quidem, quia maxime astringuntur imperfecti ad idolothyta vitanda, nec eis indulgetur, quod alios scandalizent, aut suas concupiscentias non refrænent; sibi ipsi etiam contradicit, quia cum supra docuerit, abstinentiam imperfectis magis competere quam perfectis, propter quod dicit abstinentiam vini injunctam sacerdotibus veteris Testamenti, non novi; nunc seipsum redarguens dicit, quod abstinentia viris perfectis præcipitur, et (*c*) imperfectis indulgetur. In quo dum uno destruit brevi sermone quidquid supra construxerat, manifeste declarat, quod qui studio contentionis deservit, dum arcu tenso doloso, per sagittam sermonis emissam, alterum vulnerare satagit, justo Dei judicio semetipsum prius ipse configit.

[1] *Gal.*, II. — [2] Aug., *cont. Faust.*, lib. XIX, c. XIV.

(*a*) *Forte leg.* qui. — (*b*) *Leg.* aberrat. — (*c*) *Suppl.* contrarium.

CAPUT III.

In quo jejunii arctitudo ut consona perfectioni defenditur, et ejus multiplex commendatio subinfertur.

Satis evidenter per determinata patet, ut credimus, jejunii arctitudinem, velut abstinentiæ culmen, evangelicæ perfectionis structuræ non modicum præstare munimen. Verum, quia contentionis amator adversus ipsius prærogativam novum disputationis certamen aggreditur, stultitiæ suæ respondere compellimur, ut simplices a perfectione non revocet, nec sibi sapiens esse videatur. Etenim cum is, contra quem scribit, nullam de jejunio mentionem fecerit, sicut ipsemet recognoscit; quia tamen alius prædicans fuit de jejunii perfectione locutus, nova eum disputatione confutare conatur, quasi ei non sufficiat agere contra unum; quin potius, Ismaelitico [1] more, manum erigit contra omnes, ut justo Dei judicio manus sit omnium contra eum. Et quidem quod vir peritus, ut iste fatetur, docuit, Christum jejunando solis perfectis, et comedendo solis imperfectis exemplum dedisse, nullatenus videtur esse credibile, cum omnibus constet, quod tam jejunare quam comedere fieri potest, non solum perfecte et imperfecte, verum etiam bene et male, et sancte et impie, secundum rationem diversorum finium et circumstantiarum. In hoc tamen est differentia inter jejunia servare, et jejunia solvere, quod primum de se est difficile et arduum, ac de se efficax ad repressionem carnalis libidinis et exercitationem spiritualis virtutis, et ideo de ratione sui generis bonum, et ad perfectionem ordinatum. Secundum autem, scilicet jejunia solvere, facile est et carni suave, et ad quod inclinatur mentalis infirmitas, et ideo imperfectum de se, quamvis et perfecte fieri possit, ratione circumstantiæ supperadditæ, utpote cum a viro perfecto fit, ratione debilitatis propriæ, vel condescensionis fraternæ. Fatemur igitur una cum illo, contra quem scribit, quod loquendo de natura hujusmodi actuum, perfectius est jejunia servare, quam solvere, et quod Christus omnis virtutis exemplar, et pro tempore jejunavit, et pro tempore jejunia solvit : ut in primo austeritatis vitæ præberet exemplum; et in secundo humanæ infirmitati præstaret solatium. Propter quod et primum fuit rigoris, secundum condescensionis, utrumque tamen perfectum in Christo, quia ex perfectissima charitate processit. Nam condescensio, ut ex prædeterminatis est evidens, nullam imperfectionem ponit in condescendente, sed in eis solum quibus condescenditur, vel in ipso genere actus. Hoc si voluisset calumniator advertere, varios, in quos incidit, falsorum dogmatum declinasset errores. Nam super falsum primo se fundans, falsi criminis impositione catholici doctoris verba depravat; sed et verisimili quadam distinctione modorum jejunandi, erroris sui versutias occultat; tandem fraudulenta commendatione solutionis jejunii, carnalis lasciviæ venena propinat. Aggrediens igitur eum contra quem scribit, primum redarguit tanquam hæreticum et præsumptuosum, et veræ perfectionis inimicum. Summa autem persuasionis suæ, qua velut hæreticum confutare conatur, hæc esse colligitur : quia si Christus aliqua fecit, quibus exemplum præbuit perfectis tantummodo, tunc sequitur quod invidus fuerit, quia perfectionem imperfectis invidit. Item si aliqua fecit tantum imitanda imperfectis, cum illa non potuerunt esse perfecta, aut Christus duas habet personas, quarum una fecit perfecta, alia imperfecta, secundum dogma Nestorii; aut si Dei Patris perfecta sunt opera, et Christi imperfecta, tunc erit persona Filii minor persona Patris, juxta impietatem Arii (*a*), sive Photini. Hujus autem sophisticæ ratiocinationis processus auctorem suum et ignorantem demonstrat, et impium. Si enim scientiam haberet, vel quantumcumque exilem, manifeste perpen-

[1] *Gen.*, XVI, 12.

(*a*) *Cæt. edit.* Arrii, *sicut et aliis in locis.*

deret, quod sicut universitatis Creator diversis rerum generibus, secundum magis et minus, naturarum, virtutum et operationum nobilitates distribuit, non solum absque malignitate invidiæ, verum etiam cum multa manifestatione bonitatis suæ; sic et humani generis Recreator, non solum absque invidia, sed etiam ex multa charitatis benevolentia, diversa largitur charismatum dona, diversa revelat mysteriorum arcana, diversa graduum et prælationum officia, diversa tandem virtutum præbet exempla, ita quod uni dat imitari unum, alteri alterum, juxta quod Apostolus loquens de continentiæ gradibus ait [1] : *Unusquisque donum proprium habet a Deo.* Insuper, cum dicitur, quod Christus aliqua proposuit imitanda perfectis, si sane saperet, non solum de illis intelligeret, qui jam perfecti sunt, sed de omnibus, qui cupiunt esse perfecti, sicut etiam, Christus adolescenti, cum dixerat [2] : *Unum tibi deest,* subdit [3] : *Si vis esse perfectus, vade et vende omnia*, etc. Nullis ergo semitam perfectionis præcludit, nullis invidet, nullos repellit; sed gradum statuit competentem his, qui ad perfectionem satagunt provehi, non his qui volunt in imperfectione versari. Quod autem ex diversitate operationum in Christo, vel minoritate respectu operum Patris, infert Christum vel duplicis esse personæ, et (*a*) in ipsa personalitate divina esse minorem Patre, Nestorii simul et Arii (*b*) erroneam sapit impietatem. Nunquam enim ex pluralitate operationum sequitur pluralitas personarum, nisi secundum Nestorium; sed pluralitas virtutum et naturarum. Nec ex minoritate operationis sequitur minoritas in personalitate divina, sed in natura assumpta, nisi secundum Arium (*c*), qui ex hoc, quod Christus dicit se Patre minorem, quod fideles intelligunt secundum naturam humanam, infert inæqualitatem in personalitate et natura divina. Si igitur hanc rationem credit valere, dum errorem alteri conatur impingere, manifeste convincitur ut Nestorianus et Arianus (*d*) errare. Verum nec his contentus, servum Dei, contra quem scribit, tanquam præsumptuosum invadit et arguit, pro eo videlicet, quod, contra prohibitionem Apostoli [4], judicat alienum servum, in hoc quod manducantes asserit imperfectos. Nam cum omnis imperfectio, ut dicit, sit reatus, sit etiam configurans mundo, sit et displicens Deo, si quis manducantes imperfectos dixerit, hoc ipso judicat et condemnat eosdem, tanquam reos in seipsis, mundo conformes, et Deo displicentes: quod quidem asserere, nil aliud est, ut dicit, quam insanire, et hæc est summa rationum suarum. Sed huic ex adverso veraciter dicitur [5]: *O præsumptio nequissima, unde creata es operire terram malitia ?* Præsumptuose enim atque maligne alienum judicat servum, qui dicenti verum, impingit mendacium, sicut hic agit, cum id peritum hominem sensisse asserit, quod falsum esse vix quantumcumque imperitus ignoret. Quis enim tam stolidus, ut dicat, quod omnis manducans sit imperfectus, cum hoc necessarium et commune sit omni viatori, tam perfecto, quam imperfecto, tam bono, quam malo? Sed esto, quod quis dixerit, quod jejunia solvere, sit actus imperfectus, quantum est de proprio genere, non tamen ex hoc sequitur, quod omnis jejunia solvens vel comedens sit imperfectus, pro eo quod, sicut sæpe dictum est, circumstantia potest esse personæ, et actui annexa, quæ ab omni imperfectione excuset. Insuper alia est comparatio actuum, et alia personarum. Unde, sicut non sequitur, si perfectior est virginitas quam conjugium, quod ideo virgo sit semper perfectior conjugata, quia potest esse quod virgo sit impia, et conjugata sit sancta, sic et ad eam comparationem, qua jejunium comestioni præfertur, non sequitur, quod jejunans sit universaliter comedente perfectior, ac per hoc multo minus inferri potest, quod come-

[1] I *Cor.*, VII, 7. — [2] *Marc.*, X, 21. — [3] *Matth.*, XIX, 21. — [4] *Rom.*, XIV, 4. — [5] *Eccli.*, XXXVII, 3.

(*a*) *Leg.* vel. — (*b*) *Cæt. edit.* Arrii. — (*c*) *Item* Arrium. — (*d*) *Item* Arrianus.

dens sit imperfectus. Ex hoc autem quod dicit imperfectionem esse reatum, rem mundo conformem, et Deo displicentem, sequuntur absurditates innumeræ. Nam cum virtus, charitas et justitia aliquando sit imperfecta, erit ergo reatui obnoxia, conformis mundo, et displicens Deo. Amplius, cum ipsum conjugium de sua ratione sit imperfectum, necessario sequitur, quod sit culpabile, et displicens Deo. Sed et pudicitia conjugalis, cum sit imperfecta respectu virginalis, erit Deo displicens, ac per hoc juxta Manichæum non erit matrimonium a Deo institutum. Præterea si omnis imperfectio in artificiato artifici displicet, ut hic temerarie asserit, cum omnia a Deo creata prius imperfecta fuerint, quam perfecta, universa in suæ productionis principio displicuerunt Conditori suo : sed nullus sapienter operans producit quod sibi displicet; sequitur ergo quod prima rerum opera non sunt a Deo in sapientia facta. Et quia hæc absurdissima sunt, illa, ex quibus sequuntur, repudianda sunt tanquam erronea, et ex falso intellectu imperfectionis procedentia, sicut in præcedentibus patenter ostendimus. Sed nec ista contentioso disputatori sufficiunt. Nam adhuc prudentem virum tanquam perfectionis hostem insequitur. Arguit enim : « Si jejunium solvere est imperfectum, senes, qui jejunare non possunt, in imperfectionem labuntur. Similiter et corpore imbecilles in virtute decrescunt, cum tamen dicat Apostolus [1], quod *virtus in infirmitate perficitur.* Insuper, quod solventes jejunium in diebus dominicis, secundum mandatum canonum, imperfecti erunt. » Hæ sunt itaque rationes ipsius in quibus non tam ejus, cui adversatur, impugnat sententiam, quam jejunii sanctitatem perfectam. Cum enim nullus etiam hoc senserit, quod solutio jejunii ex rationabili causa perfectioni repugnet, aut præfatæ rationes omnino sunt frivolæ, aut ex hoc imperitis videntur probabiles, quia nullum perfectionis opus est, quod intermitti potest salva perfectione; ac per hoc, quia jejunium salva perfectione intermitti potest, concludi posse videtur, quod non sit de perfectionis integritate. Et quoniam hac ratione ad impugnationem perfectionis in consequentibus frequenter se munit, ideo, ut hac una responsione sophisticatio ipsius dissolvatur, ubique prudens lector advertet, quod actus ad perfectionem spectantes, quidam sunt intrinseci et essentiales, tamquam secundum se perfecti, et perfectivi; quidam autem sunt exteriores, et ad perfectionis complementum adminiculantes et exercitativi, et horum quidam possunt intermitti pro loco et tempore salva perfectione, quidam autem, nisi pro loco et tempore intermittantur, cum perfectione stare non possunt. Unde Beda *super Lucam* [2] : « Quis nesciat viscera misericordiæ, benigitatem, humilitatem, patientiam, castitatem, et his similia, sine ulla temporum intercapedine, fidelibus esse servanda ? At vero famem, sitim, vigilias, nuditatem, lectionem, orationem, laborem operandi, et cætera hujusmodi si quis semper exequenda putaverit, horum se fructu privabit. » Hoc Beda. Ad hoc ipsum facit quod dicit Augustinus, *de Bono conjugali* [3] : « Habebat, inquit, Timotheus virtutem continendi a vino, quam non ei abstulit Paulus monendo, ut vino modico uteretur, propter stomachum, et frequentes suas infirmitates : alioquin perniciose docebat, ut propter salutem corporis fieret in animo damnum virtutis; sed quia poterat ea virtute salva fieri quod monebat, ita relaxata est corpori utilitas bibendi, ut maneret in animo habitus continendi. » Hæc Augustinus. Ex quibus patenter colligitur, quod opus virtutis intermitti potest *virtute salva*, ac per hoc etiam opus perfectionis, ipsa perfectione servata. Ad palliandam quoque absurditatem sui dogmatis, qui jejunium a perfectione sequestrare contendit, sex differentias jejuniorum distinguendo subnectit. Dicit enim quod sex modis contin-

[1] II *Cor.*, XII, 9. — [2] Bed., *in Luc.* — [3] August., *de Bon. Conj.*, c. XXI, n. 25.

git jejunare : primo, causa laudis humanæ ; secundo ; causa avaritiæ : tertio, causa concupiscentiæ refrænandæ; quarto, ex abundanti misericordia ad dandum exemplum; quinto, ad designandum mysterium; sexto, propter gerendum aliis morem, et scandalum vitandum. Hæc autem distinctio, superficialiter considerata, erroneam ipsius sententiam palliare videtur; sed diligenti examinatione discussa, propalare cognoscitur. Nam ex his sex modis duos secundum veritatem dicit competere hypocritis et avaris; tertium, scilicet causa concupiscentiæ refrænandæ, competere asserit perfectis et imperfectis, quia, ut dicit, in quantumvis (*a*) sancto remanet aliquid de concupiscentiis evincendis; et post subdit, quod hoc jejunium Christus non assumpserit; et tertio subjungit, quod hoc jejunium magis imperfecto, quam perfecto monacho competit.

Sed hoc tertio loco dictum, ei quod primo posuerat, aperte contradicit. Nam si in quantumcumque perfecto aliquid remanet de concupiscentiis evincendis, cum plene vincere ac domare concupiscentias magis competat perfecto, quam imperfecto, magis ei competit modus hic jejunandi, ubi corporalium virium imbecillitas non obsistit. Unde Hieronymus, Hilarionis perfectissimi monachi vitam describens [1] : « A sexaginta quatuor annis, inquit, usque ad octoginta (*b*) pane abstinuit incredibili fervore mentis, sicque complens ordinem vitæ nunquam ante solis occasum solvit jejunium. » Porro in eo quod dicit, Christum non dedisse exemplum hoc modo jejunandi, aperte contrarium est ei, quod in præcedenti capitulo scripsit. Dixit enim ibi, quod Christus exemplum abstinendi ad domandas concupiscentias præbuit. Mirum certe, si homo fuit alicujus intelligentiæ, aut saltem memoriæ, qui hæc scripsit, quomodo repente oblitus eorum quæ dixerat, paucis interpositis, contrarium dogmatizat. Justo tamen judicio supernæ dispositionis, has mentis tenebras incurrit, ut nec sibi ipsi consentiat, qui a veritate discordat. Quanquam enim Christus nullas concupiscentias habuit, suo tamen jejunio exemplum nobis certandi per jejunium contra concupiscentias dedit, sicut dicit Hieronymus [2] : « Salvator generis humani, qui virtutis et conversationis suæ nobis exemplum reliquit, post baptismum statim assumitur a Spiritu, ut pugnet contra diabolum; et tamen hostis antiquus, post quadraginta dierum jejunium, per cibum molitur insidias. » Glossa etiam, super illud Matthæi [3] : *Ductus est Jesus in desertum*, etc. « Jejunat, ut tentetur; tentatur, quia jejunat; et exemplum jejunandi nobis dat. » Et alia Glossa ibidem [4] : « Hic est ordo rectæ conversationis, ut post acceptam Spiritus sancti gratiam, contra diabolum arctius accingamur. » Ex quibus colligitur, quod Christus simul exemplum jejunandi, et pugnandi, dedit hominibus. Sed hoc exemplum certum est nos sequi non posse per primum et secundum jejunandi modum, in quibus deest justitia ; nec per quartum, quintum et sextum, quibus non jejunatur, ut contra hostem pugnetur : restat igitur quod exemplum dedit quantum ad tertium modum. Unde et Ambrosius, in libro de *Laude jejunii* [5] : « Præliatus est Christus ut vinceret, non quod ipse egeret certamine, sed ut nobis formam bellandi præscriberet, et postea daret gratiam triumphandi. Certamen nostrum jejunium est. Denique jejunavit Salvator, et sic ad eum tentator accessit; et primum gulæ direxit spiculum, et cibum velut escam laquei prætendit. Dominus jejunium prætulit, ut laqueos tentatoris sui vinculaque dissolveret. Illo laqueo Adam fuit strangulatus; hac absolutione diabolicæ quæstionis omnis homo est liberatus. » In his tam clare sacer Ambrosius, si quid forte obscurum est, explicat, ut nemo nisi mente obstinatus obsistat. Unde

[1] Hieron., *Vit. Hilarion.*, col. m. 323. — [2] Id., *ad Demetriad.*, epist. VIII, col. m. 71. — [3] *Matth.*, IV, 1. — [4] Gloss., ex Bed. *in Matth.*, IV. — [5] Ambros., *de Elia et jej.*, c. I. — (*a*) *Al.* quantovis. — (*b*) *Ita apud Hieron. Cæt. edit. Bonav.* octuaginta.

et ipse hostis jejunii in quarto jejunandi modo, qui videlicet est ex abundanti misericordia, asserit Christum dedisse jejunandi exemplum non solum perfectis, sed etiam imperfectis. In quo siquidem, aut intendit dicere quod exemplum jejunandi dedit nobis, ut jejunemus pro exhibenda aliis misericordia, sicut jejunaverunt Moyses, Elias, Daniel, et alii prophetæ, et tunc falsum dicit, quia abundans misericordia non competit imperfectis, sed perfectis; aut ut jejunemus pro superanda pugna, et tunc quidem verum dicit, sed sibiipsi aperte contradicit. Quod etiam facit in sexto jejunandi modo, ubi dicit, quod perfecti concupiscentias habentes edomitas, jejunio non astricti, jejunabant secundum morem illorum cum quibus vivebant : ubi contradicit ei, quod paulo ante prædixerat, quod in quantumvis (*a*) perfecto remanet aliquid de concupiscentiis evincendis. Contradicit insuper veritati : nam Paulus Apostolus, qui ad apicem summæ perfectionis pervenerat, castigare se dicit [1] corpus proprium, et in servitutem redigere, non tam pro gerendo aliis more, quam pro superando hoste domestico, sicut expresse dicit Hieronymus in auctoritate superius posita [2]. Quis etiam quantumcumque sanctus, nisi sit actu infirmus, vel corpore debilis, ab his jejuniis, ad quæ se obligavit per regulæ votum, vel ab his quæ universaliter servanda sancta mater Ecclesia statuit, ex sua quantalibet perfectione absolvitur? Quis sanæ mentis hoc senserit? quis docere præsumpserit? nullus certe, ut credimus, nisi sanctæ matris Ecclesiæ statuta contemnat.

Dehinc ut (*b*) suam finalem declaret intentionem, quæ non ad jejunium servandum, sed potius ad solvendum conatur inducere, sex modos assignat solutionis jejunii, quorum primum dicit illicitum, secundum imperfectum, quatuor sequentes modos dicit esse perfectorum. In quibus plura interserit perversorum seminaria dogmatum, quæ ad præsens indiscussa relinquimus, ne legentium animos prolixitate gravemus. Hoc tamen prætereundum non est, quod cum supra sex modos jejunandi distinxerit, in quibus quatuor posuit licitos, et illos indifferenter competere perfectis et imperfectis, deinde sex modos subnectit solvendi jejunium, ex quibus unum imperfectis attribuit, quatuor vero reliquos modos perfectis maxime competere dicit, manifeste declarat ejus sententiæ se esse, quod viris perfectis magis competat jejunia solvere, quam servare. In quo et impietatem transcendit Joviniani hæretici, qui sacræ jejuniorum observantiæ moderatam ciborum sumptionem ausus non fuit præponere, sed æquare. Legat igitur, si dignetur, veracium scripta Doctorum, in quibus magnis nequaquam præconiis solutio jejuniorum extollitur, sed miris laudibus observantia commendatur. Hanc enim sacer Ambrosius in libro *de Jejunio*, non tam miseriæ hujus sæculi fore asserit, quam innocentiæ Paradisi, cum ait [3] : « Itaque ne terrenum quis, aut novellum putet esse jejunium, primus usus mundi a jejunio cœpit, quando lux clara resplenduit. » Et infra [4] : « Ubi cibus cœpit, ibi finis factus est mundi. Ubi cœpit sua incrementa nescire, ibi cœperunt divina circa eum opera feriari. Quo judicio declaratum est, quod per cibos mundus haberet imminui, per quos desiit et augeri. [5] Et ut sciamus novellum non esse jejunium, primam in Paradiso legem constituit de jejunio : sciebat enim quod per escam culpa haberet inferri. » Idem etiam libro eodem jejunium comparat vitæ cœlesti : « Merito, » inquit [6], « Eliam dignum cœlo divina judicavit sententia, ut cum ipso raperetur corpore, quoniam cœlesti vita vivebat in corpore, et supernæ usum conversationis exhibebat in terris. [7] Quid est enim jejunium, nisi substantia cœlestis? Jejunium refectio animæ, et cibus mentis est. Jejunium vita angelorum culpæ

[1] I *Cor.*, IX, 27. — [2] Hieronym., *ad Demetriad.*, epist. VIII, col. m. 71. — [3] Ambros., *de Elia et jej.*, c. IV, n. 6. — [4] Ibid. — [5] Ibid., n. 7. — [6] Ibid., c. II, n. 3. — [7] Ibid., c. III, n. 4.

(*a*) *Al.* quantovis. — (*b*) *Cæt. edit. deest* ut.

mors, excidium delictorum, remedium salutis, radix gratiæ, fundamentum castitatis. Hoc ad Deum gradu citius pervenitur : hoc gradu Elias ascendit, antequam curru ; in hac virtute et spiritu Eliæ venit Joannes ; denique et in deserto ille vacavit jejuniis. Et ideo, qui vitæ humanæ possibilitatem continentia supergressus fuerat, non homo, sed angelus æstimatus est. » In his Ambrosius sacer jejunium comparat angelicæ vitæ, et quidem satis digne. Cum enim, sicut ait Dionysius, hierarchiæ cœlestis triplex sit actus, purgatio scilicet, illuminatio et perfectio, et ad hæc tria per jejunii observantiam perveniatur; sancte jejunantium vita magis cœlestis esse perhibetur, quam terrena. Per jejunium enim obtinetur perfecta custodia sanctitatis. Primo quantum ad declinationem carnalium vitiorum, sicut ait Hieronymus ad Demetriadem [1] : « Post cogitationum diligentissimam cautionem, jejuniorum tibi arma sumenda sunt, et canendum cum David [2] : *Humiliavi in jejunio animam meam.* Et [3] : *Cinerem tanquam panem manducabam.* » Et paulo post : « Ignita sunt diaboli jacula, quæ simul vulnerant, et inflammant, et a rege Babylonis tribus pueris præparantur. [4] Sed quomodo ibi quartus, speciem habens quasi filii Dei [5], immensos mitigavit ardores, sic et in animo virginali, rore cœlesti, et jejuniorum frigore, puellaris calor extinguitur, et humano corpori angelorum conversatio impetratur (*a*). » Dehinc propter debellationem spiritualium hostium, juxta illud Ambrosii, ubi supra [6] : « Judith jejunans omnibus diebus viduitatis suæ, his armis munita processit, omnem Assyriorum circumvenit exercitum, sobrii vigore consilii abstulit Holofernis caput, servavit pudicitiam, victoriam reportavit. [7] Esther quoque pulchrior facta jejunio, omne genus suum a persecutione liberavit, ita ut regem sibi faceret esse subjectum : non libidinis ardore inflammatum, sed cœlesti miseratione conversum, ut pœna in impium retorqueretur, et honor sacris redderetur altaribus. [8] Est ergo jejunium reconciliationis sacrificium, virtutis incrementum, quod fecit etiam fœminas fortiores. » Per jejunium etiam impetratur perfecta intelligentia veritatis. Primo quidem in operandis, cujusmodi est veritas divinæ legis, sicut dicit Ambrosius, ubi supra : « Moyses, » inquit, [9] « de jejunio legem dedit, ipsumque jejunantem non voces magnæ, non fulgura, et nubes tenebrosa, et fumigans Sina perterruit. Neque enim introisset in nubem, et vocem Dei loquentis de medio ignis sine periculo salutis audisset, nisi munitus armis jejunii. Quadraginta enim diebus jejunavit in monte, ut legem acciperet a Domino Deo nostro. Et in superioribus quidem montis lex dabatur Moysi jejunanti, in inferioribus populo manducanti, prævaricatio sacrilega accendebatur epulantium. Quo spectaculo motus Moyses, fregit tabulas, indignum judicans, ut ebrio populo lex daretur. » Impetratur etiam per jejunium intelligentia veritatis in speculandis, juxta quod dicit Hieronymus contra Jovinianum [10] : « Daniel, atque tres pueri revelationem somniorum jejunio merentur, pastique leguminibus, pulchriores, et prudentiores inveniuntur. » Eodem quoque libro [11] : « Elias quadraginta dierum jejunio præparatus, Deum vidit in monte Oreb, audivitque ab eo [12] : *Quid tu hic agis, Elia?* Multo familiarior vox ista, quam illa in Genesi [13] : *Ubi es, Adam?* Illa enim pastum terrebat et perditum, hæc jejunanti famulo blandiebatur. » Denique per jejunium acquiritur constantia virtutis. Primum quidem ad faciendum ardua, juxta quod Ambrosius, ubi supra [14] : « Magna est virtus jejunii. » Denique tam speciosa militia est, ut jejunare delectaret et Christum ; tam valida,

[1] Hieron., *ad Demetriad.*, ubi sup. prox. — [2] *Psal.* XXXIV, 13. — [3] *Psal.* CI, 10. — [4] Hieron., ubi sup., col. m. 72. — [5] *Dan.*, III, 92. — [6] Ambros., *de Elia et jej.*, c. IX, n. 29. — [7] Ibid., n. 30. — [8] Ibid., n. 31. — [9] Ibid., c. VI, n. 16. — [10] Hieronym., *adv. Jovinian.*, lib. II, col. m. 101. — [11] Ibid., paulo superius. — [12] III *Reg.*, XIX, 9. — [13] *Gen.*, III, 9. — [14] Ambros., ubi sup., c. II, n. 2.

(*a*) *Ita apud Hieron. Cæt. edit. Bonav.* imperatur.

ut ad cœlum homines elevaret. Et ut tam humanis, quam divinis utar exemplis, Elias jejuno ore cœlum clausit, [1] jejunus filium viduæ ab inferis suscitavit, jejunus pluvias ore deposuit, jejunus ignes deduxit de cœlo, jejunus curru est raptus in cœlum, et quadraginta dierum jejunio divinam acquisivit præsentiam. Tunc denique plus meruit, quando plus jejunavit. [2] Quis ex humana virtute igneos equos et currus potuisset ascendere, nisi qui naturam humanam corporis incorruptibilis jejunii virtute mutasset? » Dat etiam virtutem superandi adversa, sicut idem Ambrosius dicit ibidem [3] : « Est quædam creaturæ natura, quam adamantium (*a*) vocant, nullo facilis igne consumi, quæ imposita focis ignescit, illico sublata de flamma, tanquam aquarum infusione munda resplendet. Talia erant puerorum Hebræorum corpora, quæ jejunio in adamantii (*b*) transformata naturam, vapore ignis, non ad dispendium sui, sed ad gratiam mutabantur (*c*). [4] Daniel quoque trium hebdomadarum jejunio leones edocuit jejunare, missus in lacum, et in adamantinam soliditatem abstinentiæ rigore membra duratus non patuit vulneri. Sic eum constrinxerant jejunia, ut in ejus corpore ferarum morsibus locus esse non posset. Clausa tenebant feri leones ora, quæ abstinentiæ propheticæ sanctitas comprimebat, ut ea feræ aperire non possent, veluti (*d*) quibusdam vinculis alligata. » Ex his igitur et aliis prædictis colligitur, quod cum per jejunium obtineatur perfectio sanctitatis, sapientiæ et virtutis, per quæ mens humana purgatur, illuminatur et perficitur instar hierarchiæ cœlestis, ab omnibus debet servari et appeti, sed maxime ab his, qui cupiunt esse perfecti. Unde et hæc tria breviter exprimit Gregoriana illa præfatio [5], qua dicitur, quod Deus *corporali jejunio vitia comprimit, mentem elevat, virtutem largitur et præmia.* Et Augustinus in quodam sermone [6] : « Jejunium, inquit, purgat mentem, sublevat sensum, carnem spiritui subjicit, cor facit contritum et humiliatum, quod Deus non spernit, concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinum ardores extinguit, castitatis lumen accendit, verbositatem non amat, divitiarum superfluitates abdicat, superbiam calcat, humilitatem commendat. » Ambrosius etiam, ubi supra [7] : « Jejunium continentiæ magisterium est, pudicitiæ disciplina, humilitas mentis, castigatio carnis, forma sobrietatis, norma virtutis, purificatio animæ, miserationis expensa, lenitatis institutio, castitatis origo, senum gratia, custodia juventutis. » Hæc de jejunii laude diffusius diximus, ut carnaliter sapientis hominis et intellectus instruatur, et inflammetur affectus, quatenus suum recognoscens errorem, in jejunio, fletu et planctu convertatur ad Dominum : super quo Patri misericordiarum sacrificium devotæ precis offerimus, ut sicut de ipsius subversione doluimus hactenus, ita de conversione in posterum gaudeamus.

[1] Ambros., ubi sup., c. II, n. 3. — [2] Ibid., c. III, n. 4. — [3] Ibid., c. VII, n. 19. — [4] Ibid., n. 20. — [5] Præf. quadrages. — [6] Imo auctor serm. LXXIII, n. 1, inter Oper. Aug., Append. tom. V. — [7] Ambros., ubi sup., c. VII, n. 22. — [8] I *Cor.*, III, 11. — [9] *Hebr.*, XI, 1. — [10] *Ephes.*, III, 17.

(*a*) *In originali* amantium. *Apud Ambros. edit. Bisont.* amiantum. — (*b*) *Item* amantii *vel* amianti. — (*c*) *In orig.* utebantur. — (*d*) *Item* meriti. — (*e*) *Cæt. edit.* quia.

RESPONSIONIS TERTIÆ

CAPUT PRIMUM

In quo voluntaria et penuriosa paupertas fundamentum evangelicæ perfectionis astruitur, et quæ huic videri possunt contraria, dissolvuntur.

Christianæ religionis fundamentum esse Christum Jesum, sapiens ille architectus Apostolus Paulus *ad Corinthios* asserit, docens [8] *fundamentum aliud poni non posse præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus.* Hoc quidem in nostro intellectu collocatur per fidem, quam idem Apostolus dicit *ad Hebræos* [9], *rerum sperandarum* esse *substantiam*; in affectu vero per charitatem, de qua idem *ad Ephesios* scribit [10] : *In chari-*

tate radicati et fundati, fundamento ipsam comparans et radici. Ut igitur hæc duo jungantur in unum, christianæ religionis fundamentum et radix est fides, quæ per charitatem operatur, sicut et Glossa, super illud : *Fundamentum aliud*, etc., dicit [1] : « Fides, quæ per dilectionem operatur, in fundamento posita, neminem perire permittit. » Huic autem fundamento, sive radici, directe adversatur cupiditas, de qua scribitur *ad Timotheum* [2] *: Radix omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt a fide.* Ex hac nempe radice, cum annexa sibi superbia, universa mala sibi originem, fomentum et incrementum suscipiunt; propter quod civitatis Babylonicæ fundamentum ab Augustino esse perhibetur. Omnium itaque bonorum origo, et novæ civitatis Jerusalem fundamentum et fundator Christus Jesus, qui in hoc apparuit [3], ut diaboli dissolveret opera, hujus cupiditatis oppositum summo debuit affectu complecti, exemplo ostendere, et verbo prædicare. Et quoniam cupiditatis vitium et inordinatio radicatur in affectu mentis, occasio vero et fomentum sumitur a rebus extra possessis, ideo necesse est, quod perfecta radicis hujus avulsio utrumque respiciat, ut avaritiæ rubiginosa affectio, et substantiæ terrenæ illecebrosa possessio, tam spiritualiter, quam corporaliter abdicentur. Unde super illud Matthæi [4] : *Dixit Simon Petrus ad Jesum : Ecce nos reliquimus omnia*, dicit Bernardus [5] : « Optime, et non ad insipientiam tibi. Nam et mundus transit et concupiscentia ejus, et relinquere hæc magis expedit, quam ab eis derelinqui. Et hæc fugiendarum divitiarum causa præcipua est, quod aut vix, aut nunquam, sine amore valeant possideri. » Si igitur gemina hæc abdicatio, mundi scilicet et concupiscentiæ ejus, quæ etiam paupertas spiritus dicitur, ipsa est qua radix omnium malorum perfecte amputatur, et Babylonis fundamentum evertitur, recta potest ratione concludi, quod perfectionis evangelicæ, per quam Christo configuramur, et complantamur, et habitaculum ejus efficimur, ipsa paupertas spiritus, secundum quamdam analogiam et cohærentiam ad prædicta, radix est et fundamentum. Propter quod et Christus cum ad perfectionem discipulos informaret in monte, tanquam novæ Jerusalem descendentis de cœlo fundamenta, perfectionis videlicet evangelicæ limina, in montibus sanctis, montibus scilicet apostolicis collocans, inter cæterarum virtutum gloriosa præconia, a sanctæ paupertatis excellentia sumit initium, dicens [6] : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Dehinc tribuens de perfectionis aggressione consilium, primum ad hanc suo invitat exemplo, dicens [7] : *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et veni, sequere me.* Quem locum tractans Hieronymus ait [8] : « Apostolici fastigii est, perfectæque virtutis, omnia vendere et pauperibus distribuere, et sic levem atque expeditum cum Christo ad cœlestia subvolare. » Cum autem circa bonorum temporalium possessionem duo considerare contingat, dominium scilicet, et usum, sitque usus necessario annexus vitæ præsenti, evangelicæ paupertatis est possessiones terrenas quantum ad dominium et proprietatem derelinquere, usum vero non omnino rejicere, sed arctare, juxta illud quod dicit Apostolus [9] : *Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus.* Ex his potest colligi paupertatis evangelicæ ratio, scilicet, quod ipsa sit virtus temporalium abdicativa bonorum, qua quis nil proprium habens sustentatur de non suo. Et quoniam dupliciter contingit rerum temporalium abdicare dominium, dupliciter etiam sustentari de non suo, ideo paupertatis evangelicæ duplex est modus, duplexque per-

[1] Gloss., ex Bed. in hunc loc. — [2] I *Tim.*, VI, 10. [3] I *Joan.*, III, 8. — [4] *Matth.*, XIX, 27. — [5] Imo Gaufrid., *De colloq. Simon. cum Jesu*, n. 2, inter spuria Bern., *Oper.* tom. II, edit. 1690. — [6] *Matth.*, V, 3. — [7] Ibid., XIX, 21. — [8] Hieron., *ad Demetriad.*, ubi sup., col. III. 73. — [9] I *Tim.*, VI, 8.

fectio. Cum enim duplex sit rerum dominium, scilicet privatum, et commune, unum quidem spectans ad determinatam personam, alterum vero ad determinatum collegium, et primum abdicari possit retento secundo, possit etiam secundum abdicari cum primo; duplex erit secundum hunc duplicem modum paupertatis perfecta professio : una videlicet, qua quis temporalium omnium privato, seu personali, abdicato dominio, sustentatur de non suo, id est, non sibi proprio, communi tamen jure cum aliis participato et simul possesso; alia vero, qua quis omnium rerum abdicato dominio, tam in proprio, quam in communi, sustentatur de non suo, id est, non sibi proprio, sed alieno, pie tamen et juste ab alio sibi pro sustentatione collato. Primæ paupertatis forma præcessit in turba credentium, de qua in *Actibus* dicitur [1] : *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una, nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.* Quem Scripturæ locum tractans Hieronymus *ad Demetriadem,* dicit [2] : « In Actibus Apostolorum, quando Domini nostri Jesu Christi calebat cruor, et fervebat recens in credentibus fides, vendebant omnes possessiones suas, et pretia earum ad Apostolorum projiciebant pedes, ut ostenderent pecunias esse calcandas, et dabatur singulis prout opus erat. » Hinc etiam tradita fuit forma monasticæ seu cœnobiticæ vitæ; juxta quod Glossa Bedæ dicit ibidem : « Qui ita vivunt, ut sint eis omnia communia, ideo cœnobitæ vocantur. Quæ vita tanto felicior est, quanto statum futuri seculi imitatur, ubi sunt omnia communia. » Secundæ autem paupertatis exemplar et forma in vita præcessit Apostolorum, quam perfectionis magister Christus eisdem instituit, quando ipsos ad prædicandum misit, sicut legitur in Matthæo [3] : *Nolite,* inquit, *possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam. Dignus est enim operarius cibo suo.* Ubi Glossa : « Propemodum necessaria vitæ amputat, ne vel curent de crastino, qui docent omnia regi a Deo, nec ipsa necessaria, nec cellarium secum vehant, nihil præter vestimentum, nec etiam numisma. » In his igitur verbis Dominus apostolis et prædicatoribus veritatis extremæ ac penuriosæ paupertatis formam servandam imponit, quantum ad carentiam non solum possessionum, sed etiam pecuniarum et aliorum mobilium, quibus sustentari vel communiri solet communis hominum vita, ut, tanquam veri pauperes, in summa rerum constituti penuria, carerent pecuniis, alimenta non ferrent, simplici vestitu contenti essent, et sine calceamentis incederent, ut sic paupertatem altissimam actu et habitu, quasi quoddam perfectionis insigne, præferrent. Hanc paupertatis normam, tanquam speciali prærogativa perfectam, et Christus in seipso servavit, et apostolis servandam instituit, et his, qui eorum cupiunt imitari vestigia, consulendo suasit. Quod enim Christus illam servaverit, ostendit Chrysostomus super Matthæum [4] : « *Ne possideatis,* inquit, *aurum, neque argentum, neque peram in via.* Quia enim per opera ostendit ea, tunc jam legislationem, quæ est a verbis, validiorem inducit, quando et facile susceptibilis sermo factus est, operibus suis prius certificatus. Ubi igitur ostendit per opera? audi eum dicentem [5] : *Filius hominis non habet ubi caput suum reclinet.* Neque in hoc sufficit solo, sed et discipulis tribuit hanc apodixim. » Hæc verba Chrysostomus. Glossa etiam super illud Matthæi [6] : *Vulpes foveas habent,* etc. [7] : « Quid me propter lucra sæculi vis sequi, cum ita sim pauper, ut nec hospitiolum, quod meum sit, habeam? » Quod si forte quis dicat, Christum non proprium habuisse hospitium, sed commune,

[1] *Act.*, IV, 32. — [2] Hieron., ubi sup. prox., paulo inferius. — [3] *Matth.*, X, 9-10. — [4] Chrysost., *in Matth.*, hom. XXXII, al. XXXIII, n. 4. — [5] *Matth.*, VIII, 20. — [6] Ibid. — [7] Gloss., ex Bed. in hunc loc.

obviat idem Chrysostomus in sermone *de proditione Judæ :* « Quos, inquit, [1] pretiosorum marmorum pompa delectat, cognoscat Christum omnium Dominum, qui locum in quo caput reclinare non habuit. Et ideo discipuli ipsum interrogant, et dicunt [2] : *Ubi vis paremus comedere Pascha ?* » Sed si Christus habuisset domicilium commune, illud discipuli non ignorassent. Sed etiam Christus loco non caruisset, in quo caput reclinaret, et Pascha comederet. Colligitur ergo ex interrogatione discipulorum, et hospitii incertitudine, quod Christus domicilium non habuit, nec proprium, nec commune. Arctissimam quoque Domini paupertatem declarans Hieronymus ait [3] : « Turpe est ante fores sacerdotis Domini crucifixi et pauperis, qui cibo quoque vescebatur alieno, lictores consulum, et milites excubare. » Fuit itaque Christus, tanquam vere pauperrimus, alieno cibo sustentatus. Hoc ipsum Bernardus in quodam sermone super illud *Lucæ* [4] : *Cum factus esset Jesus annorum duodecim,* apertius dicit [5] : « Ut te, Domine, per omnia nostræ paupertati conformares, quasi unus in turba pauperum stipem per ostia mendicabas. Quis dabit me buccellarum illarum mendicatarum participem fieri, et illius edulii reliquiis saginari? » Anselmus etiam in libro *de Sacramentis* [6] : « Pauper ita fuit Christus, ut veniens in mundum, non in sua, sed in aliena domo nasceretur, et natus propter inopiam loci in præsepio brutorum animalium poneretur, et vivens in mundo non haberet, ubi caput suum reclinaret; nec moriens, unde nuditatem suam tegeret; nec mortuus, unde involveretur, nec sepulcrum, aut locum, ubi corpus mortuum locaretur. » Ex his colligitur, quod Christus pauper fuit in ortu, pauper in vitæ progressu, pauper in termino : sane ut hanc paupertatem amabilem redderet in mundo, pauperrimam matrem elegit, paupertatis defectus voluntarie pertulit, et, ut pauper et inops, discalceatus incessit. De paupertate namque matris ipsius dicit Beda *super Marcum,* exponens evangelicum illud [7] : *Si quis mihi ministrat, me sequatur :* « Consideremus, inquit [8], qua via graditur, ut sequi mereamur. Ecce cum Dominus sit creator angelorum, suscepturus naturam nostram quam condidit, in uterum Virginis venit, nasci tamen in hoc mundo per divites noluit, parentes pauperes elegit. Unde et agnus, qui pro illo offerretur, defuit; columbarum pullos, et par turturum ad sacrificium mater invenit. » His concordat Chrysostomus *super Matthæum* [9] : « Pariens quidem Filium Virgo, confestim illum in præsepe reclinavit, quia multis convenientibus propter descriptionem, non erat domum invenire. Sed quid fuit, quod suasit Magos adorare? Nihil enim sensibilium magnum erat illic, sed præsepe et tugurium, et mater pauper, et nudam Magorum videas philosophiam. » Item quoque in homilia Epiphaniæ de Magis loquens, dicit [10] : « Viderunt pandochium tenebrosum et sordidum, magis animalibus, quam hominibus aptum, in quo nemo erat contentus secedere, nisi itineris necessitate coactus, matremque ejus vix tunicam habentem unam, non ad ornatum corporis, sed ad tegumentum nuditatis proficientem. » Quod autem pauperrime vixerit, super illud Marci [11] : *Circumspectis omnibus,* Glossa declarat dicens : « Circumspectis omnibus, si quis eum hospitio susciperet. Tantæ enim paupertatis fuit, et ita nulli adulatus, ut in tanta urbe nullum inveniret hospitium. » Super quem etiam locum Beda in origine (*a*) dicit [12] : « Intelligendum est, quod tantæ paupertatis Dominus fuit, ut in urbe maxima nullum hospitem, nullam mansionem inveniret, sed in agro parvulo apud Lazarum, sororesque ejus habitaret. » Constans est igitur, quod Christus

[1] Chrysost., *de prodit. Judæ,* hom. I, n. 4. — [2] *Matth.,* XXVI, 17. — [3] Hieron. — [4] *Luc.,* II, 42. — [5] Bern. — [6] Anselm., *de Sacram. diversit. ad Waleranni querel. resp.,* c. III. — [7] *Joan.,* XII, 26. — [8] Bed., *in Marc.* — [9] Chrysost., *in Matth.,* hom. VIII, n. 1. — [10] Id., *de Epiph.* — [11] *Marc.,* XI, 11. — [12] Bed., in hunc loc.

(*a*) *Leg.* originali.

non solum hospitio, sed et pretio quo illud emeret, caruit, dum necessitate compulsus, de urbe exivit, illo videlicet die, quo eamdem urbem tanquam rex asello vectus intravit. Hoc ipsum et Glossa, super illud Joannis [1] : *Venit princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam,* expressius asserit : « Noluit Dominus habere quod perderet; pauper erat, ne diabolus haberet quod auferret. » Sed omne temporale, sive commune, sive proprium, et auferri potest, et perdi. Tandem, ut pauper, discalceatus incessit, juxta quod Hieronymus ad Eustochium scribens ait [2] : « Discipuli sine calceamentorum onere, et vinculis pellium, ad prædicationem novi Evangelii destinantur, et milites, vestimentis Jesu sorte divisis, caligas non habebant quas tollerent. Nec enim habere poterat Dominus, quod prohibuerat in servis. » Calceamentis igitur Christus, ut pauperrimus, caruit; vestimentis vero necessariis carere non potuit; volens tamen summæ paupertatis nuditate vitam concludere, nudus elegit cruce pendere. Quia vero Magister et Dominus Christus, non propter se, sed nostri causa paupertatem assumpsit, ut perfectionem nobis exemplo monstraret; ideo sacris Apostolis, tanquam suæ sanctitatis imitatoribus perfectis, hanc extremæ paupertatis formam servandam instituit, sicut legitur in *Matthæo, Marco,* et *Luca.* Quod quanquam ex ipso textu sit certum et evidens, ad omnem tamen dubietatis scrupulum amovendum, sanctorum auctoritatibus confirmetur. Nam super illud Matthæi [3] : *Nolite possidere aurum,* etc., dicit Chrysostomus [4] : « Multa per hoc unum emendabat : primum quidem non suspectos faciens Apostolos; secundo autem ab omni eos eruens sollicitudine, ut vacationem omnem tribuant sermoni; tertio docens eos suam virtutem, hoc nempe eis, et postea dicit [5] : *Numquid aliquid defuit vobis, quando misi vos nudos, et discalceatos sine sacculo ?* » Et infra [6] : « Orbi terrarum doctores erat missurus; propter quod et angelos eos ex hominibus, ut ita dicam, constituit, ab omni absolvens vitæ hujus sollicitudine. » Et post [7] : « Intende (*a*) qualiter omnibus eos denudans, omnia eis dedit, permittens in domibus eorum, qui docentur, manere, et nihil habentes introire. Si autem in aliena patria existentes, et apud ignotos abeuntes, nihil amplius oportet petere quotidiano cibo, multo magis domi manentes. » Hucusque Chrysostomus. Idem quoque ait [8] : « Si bonum esset aurum habere, hoc utique dedisset Apostolis Christus, qui ineffabilia eis tribuit dona; nunc autem non solum non dedit, sed etiam habere prohibuit. Ideoque Petrus non solum non verecundatur, sed etiam decoratur in paupertate, dicens [9] : *Argentum et aurum non est mihi.* » Super præfatum etiam Matthæi locum Rabanus in originali sic dicit : « Consequenter hoc præcipit evangelizatoribus veritatis, quibus ante dixerat [10] : *Gratis accepistis, gratis date.* Si enim sic prædicant, ut pretium non accipiant, superflua est auri et argenti, nummorumque possessio. Nam si habuissent aurum vel argentum, viderentur non causa hominum salutis, sed lucri causa prædicare. » Idemque subjungit : « Qui divitias detruncaverat, propemodum necessaria vitæ amputat, ut Apostoli, doctores veræ religionis, qui docebant omnia gubernari providentia divina, seipsos ostenderent nihil cogitare de crastino. Ex hoc præcepto arguit philosophos, qui vulgo appellantur Batroperitæ, quod contemptores sæculi existentes, et omnia pro nihilo ducentes, cellam secum vehant. » His etiam Beda super Marcum consonat dicens [11] : « *Præcepit eis ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum* [12]. Tanta, » inquit, « prædicatori debet esse fiducia in Deo, ut præsentis vitæ sumptus quamvis non provideat, tamen sibi

[1] *Joan.*, XIV, 30. — [2] Hieron., *ad Eustoch.*, epist. XXII, col. m. 178. — [3] *Matth.*, X, 9. — [4] Chrysost., *in Matth.*, hom. XXXII, al. XXXIII, n. 4. — [5] *Luc.*, XXII, 35. — [6] Chrysost., ubi sup. — [7] Ibid., n. 5. — [8] Ibid., hom. XC, al. XCI, n. 4. — [9] *Act.*, III, 6. — [10] *Matth.*, X, 8. — [11] Bed., *in Marc.*, lib. I, c. 24. — [12] *Marc.*, VI, 8.— (*a*) *Cæt. edit.* Intendere.

eos non deesse certissimo sciat : ne, dum mens ejus occupatur ad temporalia, minus aliis provideat æterna. » Idem paulo post subdit : « Illa Apostolis loquebatur, ut securi non possiderent, nec portarent huic vitæ necessaria, nec magna, nec minima. Ideo posuit (*a*) : *Nec virgam*, ostendens a fidelibus omnia deberi ministris suis, nulla superflua quærentibus. » His concordat Ambrosius super illud Lucæ [1] : *Nihil tuleritis in via, nec virgam, nec peram, nec panem, nec pecuniam :* « Qualis debeat esse qui evangelizat regnum Dei, præceptis Evangelii designatur, ut sine virga, sine pera, sine calceamento, id est, subsidii sæcularis adminiculum non requirens, fideque tutus, putet sibi, quo minus ea requirit, magis posse suppetere. » Ad quod etiam facit, quod ab eodem dicitur super illud Lucæ [1] : *Nolite portare sacculum, neque peram* [2] *:* « Si prohibemur possidere aurum, quid eripere ? [3] Petrus Apostolus, primus Dominicæ executor sententiæ, ostendens non in vacuum effusa Domini mandata, cum posceretur a paupere, ut ei pecuniæ aliquid largiretur, ait [4] : *Argentum atque aurum non habeo.* Tamen non tam in hoc gloriatur Petrus, quod aurum, et argentum non habeat, quam quod servet Domini mandatum, qui præcepit : *Nolite possidere aurum.* Hoc est dicere : Vides me Christi discipulum, et aurum a me requiris? Aliud nobis multo pretiosius auro donavit. » His verbis Ambrosii Augustinus [5] concordat in libris *de mirabilibus sacræ Scripturæ*, sic dicens : « In excusatione eleemosynæ, et paupertatis professione, Petrus paralytico dixit [6] : *Surge, et ambula*, illud Magistri præceptum servans [7] : *Nolite possidere aurum, neque argentum.* Qui enim de iniquo mammona expeditus fuerat, verbo imperii morbo ligatum cito solvebat. » Hoc ipsum Bernardus *ad Eugenium* confirmat : « Nec locus, » inquit [7], « otio, ubi sedula urget sollicitudo omnium Ecclesiarum. Nam quid aliud dimisit tibi sanctus Apostolus? *Quod habeo*, inquit, *hoc tibi do.* Quid illud ? Unum scio : neque aurum, neque argentum, cum ipse dicat [6] : *Argentum et aurum non est mihi.* » Et infra : « Esto ut alia quacumque ratione hæc tibi vendices, sed non apostolico jure. Nec enim ille tibi dare potuit, quod non habuit. » Idipsum Hieronymus dicit expressius [9] : « Apostoli toto orbe terrarum peregrini, non æs in zona, non virgam in manu, non caligas habuere in pedibus. » Chrysostomus tandem, *de Laudibus Pauli :* « Paulus, » inquit [10], « pecuniam non possedit. Nam ipse hoc testatur : *Usque in hanc*, inquit [11], *horam, et esurimus, et sitimus, et nudi sumus, et colaphis cædimur.* Et quid dico pecuniam, cum ille necessarium sæpe non haberet cibum, nec quo circumdaretur indumentum? » Ex his omnibus aperte colligitur, præscriptam paupertatis formam, qua nihil possidetur, et in summa rerum penuria vivitur, Apostolis fuisse præceptam, et ab eisdem servatam. Quid autem ipsorum, imo Christi vestigia sequi volentibus, consulatur ab ipso, aperte clarescit ex consilio quod dedit adolescenti, sicut legitur in Matthæo [12] : *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ possides, et da pauperibus, et veni, sequere me.* Quod exponens Rabanus ait : « In potestate nostra est, utrum velimus esse perfecti; tamen quicumque perfectus esse voluerit, debet vendere quæ habet: et non ex parte vendere, sicut Ananias, et Sapphira ; sed totum, et sic præparare sibi thesaurum in regno cœlorum. Nec hoc ad perfectionem sufficit, nisi Salvatorem sequatur. Constat autem, quod Christus in summa rerum penuria vixit. » Idem paulo posterius : « Inter pecunias habere, et pecunias amare, nonnulla distantia est. Multi enim

[1] *Luc.*, x, 4. — [2] Ambros., *in Luc.*, lib. VII, n. 54. — [3] Ibid., n. 55. — [4] *Act.*, III, 6. — [5] Imo auctor librorum *de Mirabilib. S. Script.*, lib. III, c. XVI, inter Opera Aug., Append. tom. III. — [6] *Act.*, III, 6. — [7] *Matth.*, X, 9. — [8] Bern., *de Consid.*, lib. II, c. VI, n. 10. — [9] Hieronym., *ad Ageruch.*, epist. XI, col. m. 109. — [10] Chrysost., *de laud. S. Paul.*, hom. IV, pag. 495. — [11] I *Cor.*, IV, 11. — [12] *Matth.*, XIX, 21.

(*a*) *In origin.* apposuit.

habentes, non amant; multi non habentes, amant. Item alii et habent, et amant; alii nec habere, nec amare se divitias sæculi gaudent; quorum tutior status est, cum Apostolo dicentium [1]: (Nobis) *crucifixus est, mundus et* (nos) *mundo.* » In his Rabanus expresse insinuat, opus perfectionis esse, magisque securum, et Christo crucifixo conforme, in carentia rerum et pecuniarum, vivere in extrema paupertate. Hoc ipsum et Apostolus *ad Corinthios* persuadet : *Scitis,* inquit [2], *gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum dives esset, ut illius inopia vos divites essetis. Et in hoc consilium do.* Augustinus, in originali : « Factus est, inquit, egenus in tantum, ut non haberet quod habent vulpes. *Et in hoc consilium do,* subauditur ut ejus paupertatem imitemini. » Idem quoque, in libro *de Bono conjugali* [3] : « Non ideo malum est, justum aut prophetam in domo sua suscipere, quia nec domum habere debet, ut, quod melius est, faciat, qui vult ad perfectum Christum sequi. » In quo Augustinus aperte declarat, quod alieno suscipi tecto, ei maxime competit, qui perfecte Christum imitari cupit. Huic consonat quod dicit Chrysostomus [4] *super Joannem :* « Omnia agamus, per quæ Christum imitemur. Quid igitur Christus ait? *Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos; filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* » Idem, *super Matthæum,* homilia IX [5] : « Si ab honore quidem, qui in inferioribus est palatiis, pecuniæ nos expulerint, contemptibiles erunt; cœlorum autem Rege per singulos dies clamante et dicente, quia difficile est cum illis in cœlum intrare, non projiciemus omnia? et non desistemus ab omnibus rebus, ut cum libera facie regnum ingrediamur? » His concordat Hieronymus *ad Heliodorum* dicens [6] : « Nolo te hujus peregrinationis deterreat difficultas, qui in Christum credis; sed ejus (*a*) crede sermonibus : *Primum quærite regnum Dei, et hæc omnia adjicientur vobis.* Non pera tibi sumenda, non virga : affatim dives est, qui cum Christo pauper est. » Idem, *ad Rusticum Monachum* [7] *:* « Si habes substantiam, vende, et da pauperibus; si non habes, grandi onere liberatus es; nudum Christum nudus sequere. Durum, grande, difficile; sed magna sunt præmia. » Constat autem, quod duritia et difficultas non est, cum proprietas rerum contemnitur, nisi penuria comitetur. Ad hoc ipsum spectat quod dicit Gregorius Nazianzenus in Apologia sua, libro secundo [8]. « Sed paupertatem, » inquit, « et penuriam exprobrabunt. Istæ sunt divitiæ meæ. Ista me non solum gloriantem, sed etiam arrogantem facit. Videor enim mihi hoc audire ab inimicis, quia vestigiis illius incedam, qui [9] *propter nos pauper factus est, cum dives esset.* Atque utinam exuere possem me istis panniculis, quibus circumdari videor, ut nudus effugerem spinas sæculi, quæ retinent, et revocant pergentes ad Deum ! » Hæc S. Gregorius. His consonat, quod dicit Bernardus [10] : « Habetur in Evangelio, et perfectionis consilium, et remedium infirmitatis. [11] *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra.* Hæc perfectio est, siquidem Filius hominis, ubi caput reclinaret, non habebat. Petro et Joanni, nec aurum, nec argentum erat. Paulus simplici victu et vestitu contentus, hæc ipsa labore manuum acquirebat. Sed non omnes capiunt verbum hoc, sicut nec consilium castitatis. » Hucusque Bernardus. Gennadius quoque, *de Ecclesiasticis dogmatibus* [12] *:* « Bonum est, » inquit, « facultates cum dispensatione pauperibus erogare, sed melius est pro intentione se-

[1] *Gal.*, VI, 14. — [2] II *Cor.*, VIII, 9-10. — [3] Aug., *de Bon. Conj.*, n. 8. — [4] Chrysost., *in Joan.*, hom. XIX, al. XVIII, n. 3. — [5] Id., *in Matth.*, hom. IX, n. 5. — [6] Hieron., *ad Heliod.*, epist. I, col. III. 9. — [7] Id., *ad Rustic.*, epist. IV, in fine. — [8] Gregor. Naz., *Apolog.*, lib. II. — [9] II *Cor.*, VIII, 9. — [10] Imo Gaufrid., *de colloq. Simon. cum Jesu*, n. 8, inter spuria Bern., *Oper.* tom. II, edit. 1690. — [11] *Matth.*, VI, 19. — [12] Gennad., *de Eccl. Dogm.*, XXXVIII, al. 71, inter Oper. Aug., Append. tom. VIII.

(*a*) *Apud Hieron.* difficultas. Qui in Christum credis, ejus.

quendi Dominum simul donare, et absolutum sollicitudine egere cum Christo. » Sed qui habet unde sustentatur, scilicet in communi, non proprie dicitur egere; nam de illis quibus erant omnia communia, in *Actibus* dicitur [1] : *Nec erat quisquam egens inter eos.* Postremo, ut clare nobis innotescat, quæ sit abrenuntiationis forma perfectis, attendendum est, quod dicit Beda super illud Marci [2] : *Relictis omnibus* (*a*), *secutus est eum* [3] *:* « Perfectam nobis abrenuntiationis formam tribuit, dum non solum lucra reliquit vectigalium, sed et pericula contempsit. Tanta enim cupiditate sequendi Dominum ductus est, ut nullo prorsus hujus vitæ respectu, vel cogitationem sibimet reservaverit. » Per hæc sacrorum Doctorum testimonia, tam manifesta, quam certa, et alia plurima, quæ causa brevitatis vitandæ resecantur ad præsens, irrefragabili potest ratione concludi, quod Christum et Apostolos imitari, non solum quoad abdicationem proprietatum, verum etiam quoad extremam temporalium rerum penuriam, quæ consistit in carentia possessionum, et pecuniarum, non solum est licitum, sed et laudabile, et perfectum. Non tamen ex hoc debet vel potest inferri, quod abdicatis rerum proprietatibus, possidere aliquid in communi sit imperfectum, quia sicut perfectæ castitatis diversi sunt modi, quorum variis prærogativis sancta mater Ecclesia, tanquam ornamentorum varietate decoratur; sic et in modis perfectæ paupertatis intelligendum est, quanquam non sit per omnia simile hinc inde, sicut diligenter consideranti est evidens.

His autem non obstat præallegatorum vita sanctorum, qui communia possederunt, quasi non debuerint aliter docere quam vivere, quia mos esse solet piis Doctoribus, ut eas virtutum prærogativas, quibus carere se vident, in aliis mirentur, et prædicent, sicut Hieronymus, ad Pammachium scribens : « Virginitatem, » inquit [4], « in cœlum fero, non quia habeo, sed quia magis miror quod non habeo. Ingenua enim et verecunda confessio est, quo ipse careas, in aliis prædicare. Numquid, quia gravi corpore terræ hæreo, avium non miror volatus? » Hæc Hieronymus. Cui etiam Chrysostomus consonat, qui Ægyptios monachos laudans, ait [5] : « Nunc veniens in eremum Ægypti, paradiso hanc meliorem videbis effectam. Etenim est videre ubique regionis illius Christi exercitum et regalem gregem, et superiorum virtutum urbanitatem. [6] Existentia enim omni exuti, in mundo omnino crucifixi, et ultra rursus (*b*) procedunt, corporis operationem ad indigentium (*c*) cibum sumentes. Neque enim, quoniam jejunant et vigilant, vacare per diem dignum æstimant; sed noctes quidem sacris hymnis et vigiliis, dies in orationibus, et manuum operationibus consumunt, apostolicum imitantes zelum. Verecundemur igitur omnes, et divites, et inopes, cum illi nil penitus habentes nisi corpus et manus suas, conantur et litigant (*d*) impensas hinc indigentibus invenire, nos autem decem millibus intus reconditis, neque superflua ad hoc tangimus. » Hæc Chrysostomus, qui, ut doctor sanctus et verax, quasi ad sui et aliorum sibi similium verecundiam, paupertatis excellentiam in monachis Ægypti commendat. Simile per omnia sacer dicit Ambrosius [7] : « Christus, » ait, « Dominus noster sacerdotibus quid præcepit, audiamus [8] : *Qui non renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Contremisco hæc dicens : meus enim primo omnium, meus, inquam, ipse accusator existo, meas condemnationes loquor. Negat Christus suum esse discipulum, quem viderit aliquid possidentem, et eum qui non renuntiat omnibus quæ possidet. Et quid agi-

[1] *Act.*, IV, 34. — [2] *Marc.*, II, 14. — [3] Bed., *in Marc.*, lib. I, c. II. — [4] Hieronym., *ad Pammach.*, epist. L, col. m. 142. — [5] Chrysost., *in Matth.*, hom. VIII, n. 4. — [6] Ibid., n. 5. — [7] Imo Origenes, *sup. Genes.*, hom. XVI. — [8] *Luc.*, XIV, 33.

(*a*) Leg. *surgens.* — (*b*) *Cæt. edit.* crucifixi. Et ultra. Rursus. — (*c*) *Item* operatione ad indigentiam. — (*d*) *Item* manus suas cogant et litigent.

mus? Quomodo hæc autem ipsi legimus, aut populis exponimus, qui non solum non renuntiamus his quæ possidemus, sed acquirere volumus ea quæ nunquam habuimus, antequam veniremus ad Christum? Numquidnam, quia nos redarguit conscientia, legere, non proferre quæ scripta sunt, possumus? Nolo duplicati criminis esse reus: confiteor, et palam audiente populo confiteor hæc scripta esse, etiam si nondum implesse me novi. Sed ex hoc saltem (*a*) commoniti festinemus implere, festinemus transire a sacerdotibus Pharaonis, quibus terrena possessio est, ad sacerdotes Domini, quibus in terra pars non est, quibus portio Dominus est. Talis enim erat ille qui dicebat [1] : *Tanquam egentes, multos autem locupletantes; ut nihil habentes, et omnia possidentes.* Paulus hic est, qui in talibus gloriatur. » His sacri doctoris veracibus et humilibus verbis, nihil expressius ad propositum dici potest. Et B. Papa Gregorius, tertio *Dialogorum*, viri mirabilis Isaac vitam describens, ait [2] : « Servus omnipotentis Domini egressus urbem, non longe desertum locum reperit, ibique sibi humile habitaculum construxit, ad quod dum multi pergerent, exemplo illius æternæ vitæ desiderio accendi cœperunt, atque sub ejus magisterio in omnipotentis Domini se servitium dederunt. Cumque ei crebro discipuli innuerent, ut pro usu monasterii possessiones, quæ offerebantur, acciperet, ille sollicitus suæ paupertatis custos, fortem sententiam tenebat, dicens: Monachus qui in terra possessionem quærit, monachus non est. Sicque metuebat paupertatis suæ securitatem perdere, sicut avari solent divites perituras divitias custodire. » Hæc Gregorius : qui cum monachus (*b*) et ipse, in monasterio quod possessionibus dotaverat, vitam duxisset, communes tamen possessiones recusantem miratur et laudat. Ac per hoc impiæ præsumptionis esse convincitur, virtutem non habitam spernere, ut quia docentis vita extremæ paupertati non per omnia consonat, ipsius doctrina pauperum perfectioni repugnando contradicat. Nequaquam igitur a prædictis discordat illud Augustini verbum, quo contra Adimantum Manichæum, præfatum de paupertatis forma mandatum Apostolis, dicit [3] spiritualiter esse scrutandum, vel, ut alibi dicit, permissive intelligendum. Nam cum Marcus dicat [4] expresse, quod præcepit eis *ne quid tollerent in via*, et ipse cum aliis expositoribus, sicut ex præmissis claret, intelligendum ad litteram doceat, si hoc simpliciter alibi negaret, et evangelicæ veritati, et sanctorum doctrinæ, simul ac suæ, aperte contradiceret, sive contrairet. Quod de tanto dici Doctore, piæ Catholicorum aures abhorrent. Attendendum est ergo, quod cum Apostoli fuerint primi fundatores religionis christianæ, et professores perfectionis excelsæ, professores, inquam, et sicut privatæ personæ, et sicut exemplaria quædam; prædicta Domini verba intelligere possumus eis esse dicta tanquam fundatoribus christianæ religionis, et sic intelliguntur extendi ad omnes; sed non omnes Christiani arctantur ut hanc vitæ regulam teneant, sicut Manichæi falso dogmatizant. Ideo contra ipsos loquens hæreticorum malleus Augustinus ostendit, quod hæc verba spiritualiter intelligenda sunt, si sic accipiantur tanquam omnibus sint præcepta. Possumus etiam intelligere prædicta verba dicta fuisse Apostolis, tanquam exemplaribus perfectionis; et sic intelliguntur per modum consilii, quod de se non obligat, nisi eos, qui hanc vivendi formam voluntarie profitentur, et vovent. Intelligere possumus insuper dicta fuisse Apostolis sicut certis personis, primisque prædicatoribus evangelicæ legis: et sic cum duo insinuentur in verbis illis, scilicet abdicatio temporalium, et receptio dispendiorum, primum intelligitur fuisse præceptum, sicut dicit textus, et Glossa.

[1] II *Cor.*, VI, 10. — [2] Greg., *Dialog.*, lib. III, c. XIV. — [3] Aug., *cont. Adimant.*, c. XX, n. 1. — [4] *Marc.*, VI, 8.

(*a*) *Cæt. edit.* statim. — (*b*) *Item* Monachis.

Unde Beda : « Missis ad prædicandum discipulis, ne quid tollerent in via præcepit. » Secundum autem non fuisse præceptum, sed concessum, sive permissum. Unde Glossa super illud Lucæ [1] : *In eadem domo manete*, etc. : « Qui saccum et peram prohibuit, sumptus ex prædicatione concedit. » Et Rabanus super Matthæum : « Claret autem hoc Dominum non ita præcepisse tanquam evangelistæ vivere aliunde non debeant, quam eis præbentibus, quibus annuntiant Evangelium : alioquin contra hoc præceptum fecit Apostolus, qui victum de manuum suarum laboribus transigebat ; sed potestatem dedisse, in qua scirent ista sibi dari. Cum autem potestas datur, licet cuique non uti, tanquam de jure suo cedere. » Hæc Rabanus. Ex his colligitur manifeste, quod prædicta Domini verba, juxta considerationes præmissas intelligi possunt et spiritualiter, et ad litteram, ut consulta, et ut præcepta, et permissa. Propter quod omnis contrarietatis calumnia de medio tollitur, si multiformis hujus acceptionis intelligentia sane capiatur. His etiam non obsistit illud Hieronymi ad Nepotianum [2], ubi dicit, quod vivens de decimis, et altaris oblatione sustentatus, nudam crucem nudus sequitur, tanquam perfectæ paupertatis summa consistat in vivendo de decimis et oblationibus, sicut sacerdotes et clerici vivunt. Est enim multiplex gradus et differentia nuditatis. Alia quidem est cordis, alia cordis et corporis. Nuditas cordis est per expoliationem spiritus ab omni perverso affectu avaritiæ et cupiditatis. Et de hac Gregorius in homilia [3] : « Nudi cum nudo luctari debemus : quia si vestitus quisque cum nudo luctatur, citius ad terram dejicitur, quia habet unde teneatur. » Hoc quidem intelligitur generaliter dictum omnibus Christianis. Nuditas autem corporis et cordis triplicem habet gradum. Nam quædam est magna, quæ attenditur in abjectione omnis superfluitatis, et proprietariæ possessionis. Et hæc quanquam non sit de necessitate, est tamen de congruentia status ordinis clericalis. Et de hac Hieronymus ad Nepotianum [4] : « Si autem ego pars Domini sum, et funiculus hæreditatis ejus, nec accipio partem inter cæteras tribus, sed quasi levita et sacerdos vivo de decimis, et altari deserviens, altaris oblatione sustentor ; habens victum et vestitum, his contentus ero, et nudam crucem nudus sequar. » Est et alia nuditas major, quæ non solum consistit in his, verum etiam in abdicatione potestatis possidendi proprium, et abnegatione propriæ voluntatis ; et hæc competit regularibus et cœnobitis, de qua Hieronymus ait [5] : « Nolo pristinarum necessitudinum recorderis : nudos amat eremus. » Nudos intelligit non solum a facultatum appropriatione, verum etiam a propria voluntate, juxta illud Bernardi [6] de colloquio Simonis et Jesu : « Age ergo, et qui relinquere omnia disponis, te quoque inter relinquenda numerare memento ; imo vero maxime et principaliter abnega temetipsum, si deliberas sequi ipsum, qui exinanivit propter te semetipsum. » Est et tertia nuditas, quæ consistit in his quæ prædicta sunt, et insuper in abdicatione omnis transitoriæ facultatis, cum penuria et indigentia opportunæ sustentationis ; et hæc competit Apostolis et apostolicis viris, et de hac super illud Matthæi [7] : *Qui potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli, non perdet mercedem suam*, Glossa : « Minimi sunt, qui nihil penitus habent in hoc mundo. Tales fuerunt Apostoli. » Unde Hieronymus *ad Exuperantium* [8] ait : « Nemo Apostolis pauperior fuit, et nemo tantum pro Domino dereliquit. Vidua illa in Evangelio paupercula, quæ duo minuta misit in gazophylacium, cunctis præfertur divitibus, quia totum quod habuit, dedit. »

[1] *Luc.*, IX, 4. — [2] Hieron., *ad Nepotian.*, epist. II, col. m. 13. — [3] Greg., *in Evang.*, hom. XXXII, n. 2. — [4] Hieron., ubi sup. prox. — [5] Hieron., *ad Heliod.*, epist. I, col. m. 2. — [6] Imo Gaufrid., inter spuria Bern., *Oper.* tom. II, edit. 1690. — [7] *Matth.*, X, 42. — [8] Hieron., *ad Exuperant.*, epist. XXXV, col. m. 274.

Hæc Hieronymus. Si igitur hæc vidua, juxta testimonium Domini, totum dando nihil sibi reservavit, in extrema se nuditate constituit. Ad hanc nuditatem aspirabat illa nobilis vidua Paula, de qua Hieronymus in laudem ipsius [1] : « Hoc habuit voti, ut mendicans ipsa moreretur, et unum nummum non dimitteret filiæ, et in funere suo aliena sindone involveretur. » Ejusdem quoque felicem describens obitum, ait [2] : « Testis est Jesus, ne unum quidem nummum ab ea derelictum. Quid hac virtute mirabilius, fœminam nobilissimæ familiæ, magnis quondam opibus, tanta fide omnia vel dilargitam, ut ad egestatem ultimam perveniret? Jactent alii pecunias in corbonam, funalibusque aureis dona pendentia; nemo plus dedit pauperibus, quam qui sibi nihil reliquit. » Hæc Hieronymus. Qui ad hanc nuditatem, tanquam summe perfectam, hortatur Hedibiam in epistola, quam ad eam scribens, ait [3] : « Vis esse perfecta, et in primo stare fastigio dignitatis, fac quod fecerunt Apostoli. Vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et sequere Salvatorem, et nudam solamque crucem nuda sequaris, et sola. » In his manifestius asserit, quod ea paupertas ad perfectionis attingit fastigium, qua quis expressius et conformius nuditatem crucis amplectitur, et nudum Crucifixum imitatur. Illud autem Gregorii verbum [4], quod dicit censum non esse in culpa, sed affectum, nequaquam est præmissis contrarium, si recte intelligatur. Si quis enim hoc sentiat, quod census in culpa sit causaliter vel formaliter, cum Manichæo errat, et hoc Gregorius reprobat. Si quis autem intelligat censum esse culpæ occasionem, a sententia veritatis non deviat, cum et ipsa veritas dicat in Marco [5] : *Quam* (*a*) *difficile, qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt!* Nullo enim modo pecunia impedimentum difficultatis, Dei regnum intrare volentibus, præstat, nisi quia vel est occasio inclinationis ad malum, vel distractionis a bono. Hoc sanctorum testimoniis clare monstratur. Quod enim divitiæ habentibus ipsas, occasio sint cupiditatis, in libro *de Officiis* dicit Ambrosius [6] : « Feralis, » inquit, « avaritia, illecebrosa pecunia, quæ habentes contaminat, non habentes non juvat. Esto tamen, ut aliquando juvet pecunia inferiorem, et ipsam desiderantem; quid ad alios, si sit ille copiosior qui habet? Numquid idcirco honestior, quia habet quo plerumque honestas amittitur? » Cui Bernardus concordat de colloquio Simonis et Jesu [7] : « Hæc fugiendarum divitiarum præcipue causa est, quia vix aut nunquam sine amore valeant possideri. Limosa siquidem et glutinosa nimis, non solummodo exterior, verum etiam interior nostra substantia videtur, et facile cor humanum omnibus, quæ frequentat, adhæret. » His consonat Augustinus dicens [8] : « Non sunt istæ veræ divitiæ, sed mendicitas, quia quanto magis abundant, tanto magis crescit inopia avaritiæ. Non sunt veræ divitiæ, quæ plus augent cupiditatem ei, qui eas possidet. » Quod autem sint occasio vanitatis et superbiæ, Augustinus *de Lapsu mundi* [9] : « In divitiis nil tam cavendum est, quam superbiæ morbus. Qui enim non habet divitias, non habet amplissimas facultates, non habet unde se extollat. » Idem *de verbis Domini* [10] : « Nihil est quod sic generent divitiæ, quomodo superbiam : omne granum, omne germen habet vermem suum. Vermis divitiarum superbia est. » Quod vero sint occasio distractionis, manifeste insinuat Gregorius libro primo *Moralium* [11] : « Solet, » inquit, « rerum abundantia tanto a timore divino mentem solvere, quanto hanc exigit diversa cogitare. Nam dum foris per multa spargitur, stare in intimis fixa prohibetur. » Idem in homilia super illud Lucæ [12] : *Exiit*

[1] Hieron., *ad Eustoch.*, epist. XXVII, col. m. 229. — [2] Ibid., col. 259. — [3] Id., *ad Hedib.*, epist. CL, col. m. 224. — [4] Greg., *Moral.*, lib. X, c. XXX, al. XVII, n. 49. — [5] *Marc.*, X, 23. — [6] Ambros., *de Offic.*, lib. II, n. 132. — [7] Imo Gaufrid., *de colloq. Simon. cum Jesu*, n. 2. — [8] Aug. — [9] Id. — [10] Id. — [11] Greg., *Moral.* — [12] Id., *in Evang.*, hom. XV, n. 1.

(*a*) Cæt. edit. *Quia.*

qui seminat, etc. : « Si nos, » inquit, « vobis semen verbum, agrum mundum, volucres dæmonia, spinas divitias significare diceremus, ad credendum nobis mens vestra forsitan dubitaret. Unde et idem Dominus per semetipsum est dignatus exponere quæ dicebat. Quis enim unquam mihi crederet, si spinas divitias interpretari voluissem? maxime cum illæ pungant, istæ delectent. Et tamen spinæ sunt, quia cogitationum suarum punctionibus mentem lacerant, et cum usque ad peccatum pertrahunt, quasi inflicto vulnere cruentant. » Si quis igitur præmissa diligenter attendat, indubitanter advertet, quod quamvis census formaliter seu causaliter non sit in culpa, est tamen frequens occasio culpæ, distrahendo a bonis, et inclinando ad mala. Propter quod opes a Salvatore spinis comparantur, et ab Ambrosio illecebrosæ dicuntur. Nam, sicut ex præmissis apparet, cum vim rationalem distrahant, irascibilem extollant, et concupiscibilem nostram illiciant, non solum sunt illecebris, sed et periculis plenæ. Unde Augustinus, *de Lapsu mundi* [1] : « Divitiæ ipsæ quas putatis plenas esse deliciarum, pleniores sunt periculorum. » Cum itaque perfectionis sit non solum peccata vitare, verum etiam peccatorum occasiones et bonorum impedimenta ad plena succindere, dicente Gregorio in *Moralibus* [2], quod « solus ille in illicita non cadit, qui se a licitis caute restringit, » liquido claret, quod quamvis possessiones et pecunias habere de se non sit peccatum, sed licitum; est tamen eas abdicare, et voluntarie pro Christo eis carere, perfectum. Quod si forte quis dicat, occasionem hujusmodi a temporalibus rebus imperfectis dari mentibus, non perfectis, quasi magis competat statui imperfectorum divitias fugere, eisque carere, vitæ Jesu Christi, ejusque doctrinæ adversatur aperte. Neque enim secundum hæc perfectissimus debuisset Christus carere divitiis, neque hoc docuisset perfectos, cum tamen dixerit [3] : *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes*, etc. Numquid Apostoli perfecti non erant, quibus dictum est [4] : *Nolite possidere aurum ?* Quod verbum tractans Ambrosius in libro *de Officiis*, ait [5] : « *Nolite possidere aurum et argentum, neque pecuniam* : qua (*a*) velut falce pullulantem in pectoribus humanis succidit avaritiam. » Super eumdem quoque sermonem Chrysostomus [6] : « Non dixit : Nolite accipere vobiscum aurum; sed si aliunde possibile est accipere, fugite perniciosam hanc ægritudinem. Etenim multa per hoc emendabat. » Ex his datur intelligi, quod propter vitandam occasionem avaritiæ, fuit Apostolis interdicta pecunia, cum tamen essent perfecti. Verum quidem est, quod sensus perfectis non tam vehemens, nec tantorum est peccatorum occasio; sed quia quantumlibet parva intellectus distractio, vel illectio appetitus vitiosa mentibus perfectorum ad æterna suspensis magis est dissona, quam longe major imperfectis, circa filiorum educationem, et curam rei familiaris occupatis, hinc est quod perfecta temporalium rerum abdicatio perfectis consulitur, non imperfectis, nisi velint esse perfecti. Nam cum ipsis imperfectis sufficiat peccata majora vitare per mandatorum observantiam, perfectis tamen competit etiam superfluas cogitationes a mente rescindere, sicut et Gregorius secundo *Moralium* docet, spiritualiter exemplificans Nazareorum ritum, perfectionisque figuram [7] : « Devotione, » inquit, « completa, caput Nazareus radere, capillosque in igne sacrificii ponere jubetur, quia tunc ad perfectionis summam pertingimus, cum sic exteriora vitia vincimus, ut etiam cogitationes superfluas a mente resecemus. Quas nimirum igne sacrificii concremare, est flamma divini amoris incendere, ut totum cor in Dei amore ardeat, et cogitationes superfluas concremans, quasi Nazarei capillos,

[1] Aug. — [2] Greg., *Moral.* lib. V, c. XI, al. VIII, n. 17. — [3] *Matth.*, XIX, 21. — [4] Ibid., X, 9. — [5] Ambros., *de Offic.*, lib. II, c. XXV, n. 128. — [6] Chrysost., *in Matth.*, hom. XXXIII, al. XXXII, n. 4. — [7] Greg., *Moral.*, lib. II, c. LII, al. XXVII, n. 84. — (*a*) *Al.* quo.

devotionis perfectione consumat. » Illa quoque promissio centupli prædeterminatis non obviat, quoniam ad spiritualia bona refertur, sicut dicit Hieronymus *super Matthæum* [1], et etiam Rabanus, quasi eisdem verbis utentes : « Occasione, » inquiunt, « hujus sententiæ quidam introducunt mille annos post resurrectionem, dicentes nobis, tunc centuplum omnium rerum quas dimisimus, et vitam æternam esse reddendam, non intelligentes quod etsi in cæteris digna sit retributio, in uxoribus appareat turpitudo, ut qui unam pro Domino dimiserit, centum accipiat pro futuro. Sensus igitur iste est, ut qui carnalia pro Salvatore dimiserit, spiritualia recipiat, quæ comparatione et merito sui ita erunt, quasi parvo numero centenarius numerus comparetur. » Cui etiam consonat Gregorius *super Ezechielem* [2] : « Neque enim sanctus vir ideo terrena deserit, ut hæc possidere in hoc mundo multiplicius possit; sed per centenarium numerum perfectio designatur, quia quisquis pro Dei nomine temporalia contemnit, hic perfectionem mentis recipit, ut ea non appetat, quæ contempsit. Centies itaque recipit quod dedit, qui perfectionis spiritum recipiens, terrenis non indiget, etiam si hæc non habet. » Hucusque Gregorius. His consentit Bernardus in sermone illo de S. Petro : *Dixit Simon Petrus ad Jesum,* dicens [3] : « Quid est centuplum istud, fratres, nisi consolationes, visitationes, primitiæque spiritus, qui super mel dulcior est ? » Et post pauca : « Non est pater aut mater, non domus aut ager est, non cibus aut vestis, non denique terrenum aliquid aut corporale, sed plane his omnibus est delectabilius, super omnia hæc dulcius, universis his jucundius est : quæcumque desiderantur in hoc sæculo nequam, huic non valent comparari. » Quod si forte quis pertinaciter obsistat, tam per textus Marci, quam per Augustinum *contra Adimantum*, asserens, bona temporalia repromissa fuisse a Christo; respondebimus promissiones donationis et receptionis hujusmodi debere intelligi per modum charitativæ communionis, non per modum possessionis. Unde Beda, super illud Marci [4] : *Nemo est qui reliquerit domum*, etc. [5] : « Quia nimirum a fratribus atque consortibus propositi sui, qui ei spirituali glutino colligantur, multo gratiorem etiam in hac vita recipiet charitatem. » Cui consonat et Glossa ibidem : « Omnes sancti et quæcumque habent, communicantur ei. » Et Augustinus *contra Adimantum* [6] : « Fideli totus mundus divitiarum est. » Vel certe intelligendum est per modum cujusdam cœlestis provisionis, contra Manichæos, qui dicebant hæc temporalia bona a tenebrarum principe fuisse creata, et ab illo solo repromitti et dari, a Christo autem inhiberi. Ideo hic promittuntur a Domino ad hæreticorum confutandam perfidiam, et a cordibus fidelium diffidentiam omnem tollendam. Unde super illud Matthæi [7] : *Hæc omnia adjicientur vobis,* Glossa : « Omnia sunt filiorum, et ideo hæc omnia adjicientur etiam non quærentibus, quibus si subtrahantur, ad probationem est; si dentur, ad gratiarum actionem. » Et Augustinus, super illud Joannis [8] : *Vado piscari* [9] : « Cur non invenit aliud unde viveret, cum Dominus promiserit, dicens [7] : *Primum quærite regnum Dei, et hæc omnia adjicientur vobis?* Prorsus Dominus etiam sic quod promisit, implevit. Nam quis alius pisces, qui caperentur, apposuit? » Constat igitur promissionem hujusmodi per modum provisionis debere intelligi, ad tollendum diffidentiam, non per modum angmentationis temporalis substantiæ, quia hoc non esset cupiditatem abscindere, sed augere. Unde Chrysostomus *super Matthæum* homilia XLIII [10] : « Nihil ita sedat cupiditatis sitim, sicut desistere a lucrandi concupiscentia, sicut amaram choleram absti-

[1] Hieron., *in Matth.*, lib. X. — [2] Greg., *in Ezech.*, hom. XVIII, al. lib. II, hom. VI, n. 16. — [3] Imo Gaufrid., *de colloq. Simon. cum Jesu*, c. LVIII, n. 70, quoad sensum. — [4] *Marc.*, X, 29. — [5] Bed., in hunc loc. — [6] Aug., *cont. Adimant.* — [7] *Matth.*, VI, 33. — [8] *Joan.*, XXI, 3. — [9] Aug. *in Joan.*, tract. CXXII, n. 4. — [10] Chrysost., *in Matth.*, hom. XLIII.

nentia et evacuatio. Facilius est enim hominem existentem volare, quam adjectione pluris, quiescere facere desiderium.» Et Augustinus, in libro *LXXXIII Quæstionum* [1]: «Charitatis venenum est spes adipiscendorum temporalium.» Si ergo Christus multiplicationem temporalium per modum possessionis discipulis suis promitteret, charitem in eis perimeret potius quam augeret, dum possessionis terrenæ centuplicatione promissa, temporalium bonorum affluentiam sperandam doceret, potius quam spernendam. Quod impium est sentire de Christi doctrina. Modus etiam apostolicæ vitæ prædeterminatus non adversatur, sed consonat. Quamvis enim legatur in *Actibus* [2], quod *multitudini credentium erant omnia communia*, et quod *venditarum rerum pretia ponebantur ad pedes Apostolorum*, nequaquam est intelligendum, quod Apostoli proprium aliquid vel commune possiderent, quia communitas illa non refertur ad Apostolos, sed ad turbam, sicut Glossa ibidem insinuat: «Discernit,» inquit, «ordinem Doctorum, et auditorum. Nam multitudo credentium, rebus spretis, copula charitatis invicem jungebantur. Apostoli vero, virtute fulgentes, mysteria Christi pandebant.» Hæc Glossa: quæ per ipsum textum declarat, quod sicut illa rerum communitas erat turbarum, sic et signorum virtutes erant Apostolorum. Nec huic repugnat quod sequitur, ante ipsorum pedes pretia fuisse posita, quia, ut dicit Hieronymus [3] *ad Demetriadem*, «hoc fiebat ut docerent pecunias esse calcandas, vel certe ut se ac sua apostolicæ dispositioni committerent, sicut docet Ambrosius super epistolam secundam ad Corinthios, ubi de Apostolis dicit [4]: «Quantum ad præsentem vitam pertinet, pauperes videbantur; sed spirituales divitias credentibus largiebantur, egeni in terris, in cœlo divites, ut nihil habentes, omnia autem possidentes. Hoc enim fuit in Apostolis gloriosum, ut sine sollicitudine et nomine possidendi, non solum ea quæ in possessionibus erant, sed eorum dominos possiderent.» Hæc Ambrosius [4]. In quibus insinuat, quod Apostolis in sua egestate manentibus, eorum dispositioni, quoad res et personas, primitiva illa Ecclesia suberat; hanc tamen rerum dispositionem maluerunt committere aliis, sicut in *Actibus* consequenter legitur [5]: *Non est æquum nos relinquere verbum Dei, et ministrare mensis.* Quod quidem dixerunt, ut distractionem ministrandi refugerent, non quia per illud ministerium aliquid possiderent. Unde et Petrus in eadem urbe, ubi hæc fiebant, pauperi eleemosynam a se petenti respondit [6]: *Aurum et argentum non est mihi.* Ubi Glossa: «Memor illius præcepti: *Nolite possidere aurum, neque argentum*, pecuniam quæ ad pedes Apostolorum ponebatur, non sibi recondebant, sed ad usus pauperum, qui sua patrimonia reliquerunt.» Hanc etiam formam paupertatis et Joannes Evangelista servavit cum discipulis suis, inter quos duobus, qui magnas reliquerant opes, præ nimia egestate tentatis, sicut scribitur in ejus Legenda, ait: «Numquid non valet manus Domini, ut faciat servos suos divitiis affluentes? Sed in hoc certamen statuit animarum, ut sciant se æternas habituros divitias, qui pro ejus nomine temporales opes habere noluerunt.» Eamdem paupertatis districtionem Thaddæus servavit Apostolus, sicut scribitur in primo libro *Ecclesiasticæ historiæ* [7], quod cum post Christi ascensionem Abagarus rex sanatus a præfato Apostolo, præciperet eidem dari aurum et argentum, ille non accepit, dicens: «Si nostra reliquimus, quomodo accipiemus aliena?» Sed apostolus Paulus de se simul et cæteris apostolis, ait *ad Corinthios* [8]: *Usque in hanc horam et esurimus et sitimus, et colaphis cædimur, et instabiles sumus.* Ubi Glossa: «*Usque in hanc horam*, id est continue.» Et alibi *ad*

[1] Aug., lib. *LXXXIII Quæst.*, q. XXV, 61. — [2] *Act.*, IV, 32, 34. — [3] Hieron., *ad Demetriad.*, epist. VIII, col. m. 73. — [4] Imo Ambrosiaster, in II *Cor.*, VI. — [5] *Act.*, VI, 2. — [6] *Act.*, III, 6. — [7] Euseb., *Hist. Eccles.*, lib. I, c. XIII. — [8] I *Cor.*, IV, 11.

Corinthios[1] : *In fame et siti, frigore et nuditate.* Hanc penuriosam vitam duxisse Apostolum, non ad tempus, sed continue, hæc præfata Glossa insinuat, et superius allegata Chrysostomi *de Laudibus Pauli* auctoritas confirmat. Si quando igitur dicit se habere omnia, et abundare, nec debet, nec potest intelligi quantum ad opulentiam, sive affluentiam rerum; sed quantum ad sufficientiam mentis. De qua Augustinus in libro *de Beata vita*[2] : « Nullus perfectus aliquo eget, et quod videtur corpori necessarium sumet, si affuerit; et si non affuerit, istarum rerum non frangetur inopia. » Quod si forte quis dicat, Apostolum aliquas secum tulisse pecunias, quia periculis se dicit expositum fuisse latronum, aperte contrariatur Ambrosio[3], qui præfatum locum tractans in originali, sic ait : « Cum in civitate diabolus eum occidere non posset, latrones sibi excitabat in via, cum nihil ferret quod latrones cuperent. » Hæc sacer Ambrosius. Cui et Chrysostomus consonat in *Laudibus Pauli*[4] : « Job, cum oves et boves haberet innumeras, erat in pauperes liberalis. Paulus vero, nil amplius corpore suo possidens, de hoc ipso sufficienter indigentibus ministrabat. Miram Pauli ex hac laude perpendere valemus inopiam, cum nil præter corpus haberet, ac per hoc nihil quod latro capere posset; miram nihilominus affluentiam, cum non solum sibi sufficeret, verum etiam in alios abundaret. » Denique nec loculorum Christi, ad præfatam perfectionis formam, ulla invenitur dissonantia, si quomodo et quare ipsos habere dignatus fuit, pia mentis attentione pensetur. Nam unigenitus Dei, cum dives esset in omnes, pro nobis adeo factus egenus, ut alieno cibo vesceretur, non sine magna dispensatione divini consilii loculos fecit deferri, quorum tamen custodiæ illum deputavit discipulum, quem furem ac proditorem præsciebat esse futurum. Habuit enim loculos Christus ad consolandum infirmos, ad refellendum improbos, et ad informandum perfectos. Unde et hujusmodi actus, scilicet habere loculos, in Christo, respectu infirmorum, fuit condescensivus, ad consolandum eos, qui propriis loculis carere non volunt, sicut Augustinus ait in libro *de opere Monachorum*[5] : « Dominus more misericordiæ suæ infirmioribus compatiens, cum ei angeli possent ministrare, loculos habebat, quibus mitteretur pecunia, quæ conferebatur utique a bonis fidelibus eorum victui necessaria : quos loculos Judæ commendavit. » Respectu autem impiorum fuit actus commonitorius; primo quidem ad refellendum hæreticos, qui loculos reprobant, et detestantur. Unde Augustinus *super Joannem*, Homilia L[6] : « Quare loculos habuit, cui angeli ministrabant, nisi quia Ecclesia ipsius loculos habitura erat? » Unde et loculos habebat, ut doceret non esse peccatum, loculos habere. In his Augustinus Manichæorum refellit impietatem, condemnantium Ecclesiæ statum, propter rerum temporalium possessionem. Secundo commonitorius fuit, ad deterrendum avaros, qui loculos concupiscunt. Quanquam enim ad mitigationem cupiditatis Dominus Judæ loculos commisisset, ipse tamen adeo cupiditatis igne exarsit, ut ipsum Dominum pretio parvo venumdaret. Unde et Chrysostomus *super Joannem*[7] : « Si vero quis scrutabitur, quid furi existenti loculos commisit pauperum, et dispensare fecit avarum existentem? ut omnem abscinderet esse occasionem. Etenim sufficientem habebat ex loculo concupiscentiæ mitigationem; sed propter nequitiam multam, quam volebat comprimere Christus, multa condescensione ad eum utens, non incusabat surripientem, obstruens perniciosam concupiscentiam, et omnem auferens occasionem. » Hucusque Chrysostomus, aperte declarans, quod non penuria paupertatis,

[1] II *Cor.*, XI, 27. — [2] Aug., *de Beata Vit.*, disput. tert. diei, n. 25. — [3] Imo Ambrosiastro, in II *Cor.*, XI. — [4] Chrysost., *de laudib. Pauli*, hom. I, pag. m. 480. — [5] Aug., *de Opere Monach.*, c. V, n. 6. — [6] Id., *in Joan.*, hom. L, n. 11. — [7] Chrysost., *in Joan.*, hom. LXIV, al. LXV, n. 2.

sed nequitia cupidæ mentis causa fuit tantæ impietatis. Respectu vero perfectorum, fuit actus informatorius. Siquidem, quantum ad modum habendi, forma fuit perfectionis in ecclesiasticis personis, maxime cœnobitis, ut ad exemplum Christi, et discipulorum ejus, nullus sibi quidquam appropriet, sed habeant omnia in communi. Unde Augustinus *super Joannem* [1] : « Habebat Dominus loculos, et a fidelibus oblata conservans, suorum necessitatibus, et aliis indigentibus tribuebat. Tunc primum ecclesiasticæ pecuniæ forma est instituta, ut intelligeremus quod præcepit, non cogitandum de crastino esse, non ad hoc fuisse præceptum, ut nihil pecuniæ servaretur a sanctis, sed ne Deo propter ista serviatur. » Hæc Augustinus, qui formam regulariter viventium describens, sicut habetur causa XII, quæst. 1, ait [2] : « Cum hujus nostræ congregationis fratres, non solum facultatibus, sed etiam voluntatibus propriis ipsa ordinis susceptione renuntiaverint; certum est eos nihil habere, possidere, dare, vel accipere, sine superioris licentia debere. » Quantum autem ad modum dispensandi, forma fuit perfectionis in Ecclesiæ Prælatis, ut exemplo Christi, bona ecclesiastica dispensent ad sustentationem ministrorum Ecclesiæ, et ad pauperum relevandas miserias. Unde Chrysostomus *super Joannem*, de loculis Christi loquens, quæstionem proponit [3] : « Qualiter, inquit, non peram, non virgam, non æs jubens deferre, marsupium ferebat? » Respondens subdit : « Ad inopum ministerium, ut discas, quoniam valde pauperem, et crucifixum, hujus oportet partis multam facere procurationem. Multa enim ad nostram dispensans doctrinam agebat. » In his ostendit Chrysostomus, quod viris perfectis competat miserabilium personarum gerere curam : quod maxime locum habet in Prælatis Ecclesiæ, quorum perfectioni consonat, ut et spiritualiter, et etiam temporaliter, pascendis sibi commissis gregibus intendant. Unde Prosper in libro *de Vita contemplativa* [4] : « Scientes viri sancti, nihil aliud esse res Ecclesiæ nisi vota fidelium, et pretia peccatorum, et patrimonia pauperum, non eas vendicaverunt in usus suos, ut proprias, sed ut commendatas pauperibus erogaverunt. Hoc est possidendo contemnere; non sibi, sed alii possidere; nec cupiditate habendi Ecclesiæ facultates ambire, sed pietate subveniendi eas suscipere; et quod habet Ecclesia, cum omnibus nihil habentibus habere commune, nec aliquid inde eis, qui sibi sufficiunt, de suo erogare, cum nihil aliud sit habentibus dare, quam perdere. Quantum vero ad modum utendi, forma fuit perfectionis ipsis populis, ac cæteris hujusmodi paupertatem professis, ut cum, ex amore paupertatis, semper carere loculis cupiant, solum quando apertæ necessitatis urget articulus, loculos ferant. Ipse siquidem Christus sustentabatur a suscipientibus, vel a mulieribus comitantibus eum, sicut in *Luca* scribitur, quod [5] *ibant cum eo mulieres, quæ ministrabant ei de facultatibus suis.* Cum tamen per Samariam transivit, in qua quidem civitate, ut dicit Evangelista, hospitium habere non potuit, de loculis vixit, sicut dicitur in *Joanne* [6], quod *discipuli abierant in civitatem, ut cibos emerent.* Unde super illud Lucæ [7] : *Quando misi vos sine sacculo, et sine pera,* dicit Glossa [8] : « Si per inhospitales regiones transimus, plura viatici causa licet portari, quam domi habeamus. » Constat autem quod valde pauper est, qui plura portat in via, quam habeat ubi habitat habitatione determinata. Quod si forte quis dicat perfectionis formam nullo tempore esse intermittendam; respondet ad hoc Beda, *super Lucam,* dicens super illud [9] : *Nunc qui habet sacculum, tollat similiter et peram* : « Non eamdem vivendi regulam persecutionis, quæ pacis tem-

[1] August., *in Joan.*, tract. LXII, n. 5. — [2] Caus. XII, q. I, c. XI; apud Augustinum vero non reperitur. — [3] Chrysost., *in Joan.*, hom. LXXI, al. LXXII, n. 2. — [4] Prosp., *de Vit. Contempl.*, lib. II, c. IX. — [5] *Luc.*, VIII, 2. — [6] *Joan.*, IV, 8. — [7] *Luc.*, XXII, 35. — [8] Gloss., ex Bed. *in Luc.*, lib. VI, c. 92. — [9] *Luc.*, XXII, 36.

pore, insinuat. Sunt namque virtutes, quæ semper obnixeque tenendæ sunt, et sunt quæ tempore locoque provida sunt discretione mutandæ. Quis enim nesciat, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, patientiam, modestiam, castitatem, fidem, spem, charitatem, et his similia, sine ulla temporum intercapedine esse servanda? At vero famem, sitim, vigilias, nuditatem, lectionem, psalmodiam, orationem, laborem operandi, doctrinam, silentium, et cætera hujusmodi, si quis semper exequenda putaverit, non modo se horum fructu privabit, sed et notam indiscretæ obstinationis incurret. Magister itaque Deusque virtutum, ut modum discretionis insinuet, missis ad prædicandum discipulis, ne quid tollerent in via præcepit, videlicet ordinans, ut qui Evangelium aununtiant, de Evangelio vivant. Mortis vero tempore illo instante, tota simul gente pastorem gregemque persequente, congruam tempori decrevit regulam, pecuniam scilicet victui necessariam, donec sopita persecutionum insania, tempus evangelizandi redeat, tollere permittendo. » Hæc Beda. Ex prædictis igitur patenter elucet, quod omnis perfectionis splendor et speculum Jesus Christus, ob sex rationes præfatas, ac triplicem utilitatem, aggregatione quadam in perfectionis senarium consurgente, mirabili quodam modo in habendo loculos, et infirmos simplici modo consolatur, et impios dupliciter arguit, et perfectos tribus modis informat. In quibus, et illud est omni admiratione, et laude, ac imitatione dignissimum, quod sic paupertatem Christus tenuit, ut statum divitum non damnaret; sic et habentibus pecuniam conformem se reddit, ut paupertatis summæ formam perfecte servaret. Unde super illud Matthæi [1] : *Vade ad mare,* Glossa : « Dominus tantæ fuit paupertatis, ut unde tributa solveret, non haberet. Judas quidem communia in loculis habebat; sed res pauperum in usus suos convertere, nefas duxit, idipsum dans exemplum nobis. » Hæc Glossa. Non igitur loculi Christi ad fomentum cupiditatis trahendi sunt. Sicut enim in Salvatore nostro crucifixo nil fuit, quod sæculares glorias, aut delicias saperet, sic nil egit, nil docuit, per quod mundi divitias appetendas esse monstraret; quin potius, ut nos ad perfectæ paupertatis amorem accenderet, in hujus mundi campum, hostem expugnaturus, ingrediens, de pauperrima matre pauperrimus prodiit; sed et hostiam Deo Patri ut pontifex offerens, nudus in cruce pependit, necnon ut veritas ejus, tanquam perfectissimæ rectitudinis, nequaquam discordaret medium ab extremis, tota vita ipsius caminus paupertatis fuit. Hujus igitur invictissimi ducis nuditate, tanquam armatura circumdati, et in eo solo sperantes, qui ait [2] : *Confidite, ego vici mundum,* in ipsius pauperis Crucifixi nomine, hostiles excipiamus insultus.

[1] *Matth.*, XVII, 26. — [2] *Joan.*, XVI, 33.

CAPUT II

In quo possessionum leviticarum et ecclesiasticarum affluentia monstratur perfectioni paupertatis non esse contraria, sed et commendatio divitiarum ostenditur non esse secura.

Paupertatis siquidem odibile bonum, retroactis temporibus, in tanto fuit horrore sensualitati mortalium, ut ante Christi adventum, vix quantumcumque perfectus pretiositatem ipsius agnosceret. Post vero in tanta fuit admiratione spiritualium atque sapientium, ut vix quantumcumque perversus hæreticus ipsius dignitati derogaret, excepto dumtaxat Vigilantio quodam. Qui cum ad interpretationem sacri doctoris Hieronymi dormitasset jamdudum, nunc per novum quemdam paupertatis hostem, illo non minus improbum, evigilasse videtur. Ille nimirum contra paupertatis perfectionem, et sustentationem pauperum sanctorum, sui pectoris virus evomuit; hic autem bonorum temporalium affluentiam in culmine perfectionis evangelicæ collocans, ipsorumque voluntariam carentiam, ut imperfectam et superstitiosam, calumnians, illius se fate-

tur discipulum, qui contra evangelizantium et mendicantium pauperum ordines libellum composuit, quem Sedes Apostolica condemnavit. Quem etiam, non parva temeritate, velut innocentem excusat, ipsiusque doctrinam commendat et approbat, non sine injuria multa Sedis jam dictæ, cum nil aliud sit auctorem damnati libelli innocentem asserere, quam damnantis judicium reprobare. Insurgens igitur temerarius, in serie sui libri exordio adversus Pastorem Ecclesiæ, ut pauperum ipsius gregem invadat atrocius, primum se armat possessionibus Levitarum. Nam in hoc persuasionis suæ summa consistit, quod cum forma perfectionis evangelicæ in Levitis præcesserit, quibus a Domino collatæ fuerunt decimæ, primitiæ et oblationes ad vivendum, civitates ad habitandum, et suburbana ad alenda pecora, si Novum Testamentum Veteri non repugnat, quin potius consonat, quia rota erat in medio rotæ, nullo modo secundum hoc novæ legis perfectio consistit in carentia hujusmodi possessionum, sed potius in habendo eas, ut Domino dedicatas. In hac autem persuasione, quam per multas verborum venatur ambages, non solum veritati, sed sibi ipsi contradicit aperte. In præcedenti siquidem libro, cum abstinentiæ perfectionem impugnaret, asseruit vinum fuisse prohibitum filiis Aaron sacerdotibus, tanquam imperfectis; nunc autem illos eosdem in affluentia possessionum perfectos asserit, quasi verbi prioris oblitus, vel si forte memoriam habuit, in tantam devenit erroris caliginem, ut putaret, quod abstinere a deliciis sit imperfectum, et possidere divitias sit perfectum. Insuper, et cum paulo ante docuerit, quod in contemptu omnis proprietatis, evangelicæ perfectionis consistit incœptio, et sacerdotes levitici generis habuerunt uxores et filios, ad quos bona sua, tanquam vere propria, hæreditaria successione transmittebant, necessario sequitur, quod perfectio evangelica in Levitis non fuit, vel quod abdicatio proprietatis non est initium perfectionis hujusmodi, ac per hoc manifeste convincitur sibi ipsi esse contrarius. Contrariatur etiam ipsi veritati : si enim forma vitæ leviticæ perfectionem legis evangelicæ veraciter continet, cum perfectio modi vivendi, tam in Veteri Testamento, quam in Novo, supremum teneat locum, et perfectio legis perfectioni Evangelii æquatur, necesse est summum legis, et summum Evangelii, tam in merito, quam in præmio inter se æquari, ac per hoc testamentum testamento, promissio promissioni, sacerdotium sacerdotio coæquatur. Si igitur lex neminem ad perfectum duxit, nec Evangelium : si non per legem justitia, nec per Evangelium : si etiam qui sub lege erant, sub maledicto fuerunt, et qui sub Evangelio : frustra igitur Dei Filius est incarnatus et passus, frustra translatum est sacerdotium, frustra legis observantia pro majori parte abolita, et evangelica veritas introducta. Quæ omnia cum sint falsa et impia, et prorsus abjicienda tanquam hæretica, necessario concluditur, et illud esse erroneum, ex quo hæc sequuntur, scilicet quod in forma vitæ sacerdotum legalium, evangelicæ perfectionis altitudo consistat. Unde Apostolus ad Hebræos [1] : *Si consummatio*, inquit, id est, perfectio secundum Glossam, *per sacerdotium leviticum erat, quid adhuc necessarium fuit secundum ordinem Melchisedech, et non secundum ordinem Aaron dici? Translato enim sacerdotio, necesse est ut et legis translatio fiat.* Ubi Glossa : « Hic incipit Novi et Veteris Testamenti differentias dare, quia illud imperfectum. » Cui etiam consonat illud, quod subsequenter adjungit idem Apostolus : *Umbram*, inquit [2], *habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum, nunquam accedentes perfectos faceret* (*a*). Ubi Glossa : « Lex umbram habens, nunquam potest facere perfectos virtutibus, et bonos pontifices. » Non est igitur perfectio

[1] *Hebr.*, VII, 11-12. — [2] Ibid., X, 1.

(*a*) Vulg. *numquam potest acced. perf. facere.*

virtutum et consiliorum Evangelii in litterali observantia mandatorum legalium, et in modo vivendi illorum pontificum requirenda, nisi sicut in figura et umbra, quia hoc modo dicitur rota esse in medio rotæ, non per litteralis observantiæ æquitatem in Testamento utroque, sed per spiritualis intelligentiæ ænigmaticam præfigurationem. Quod si quis objiciat, sicut et hic, cui respondemus, allegat, quod forma præfata indicta sit sacerdotibus per Ezechielem [1], qui non umbraticum, sed sanctum et verum Ecclesiæ templum describit, attendat quod ibidem præmittitur, quod sacerdos virginem ducat uxorem, et in sacrificio agnos et vitulos offerat. Eadem igitur ratione qua perfecit, qui (*a*) evangelica in Leviticarum possessionibus præcessisse decernitur, et in eorum uxoribus et sacrificiis, atque observantiis cæteris fuisse monstratur. Quod si verum est, ad perfectionem evangelicam spectat, quod sacerdotes novæ legis uxores ducant, hircos et vitulos offerant, et primi cum tubis ad bella procedant. Quæ cum absurda sint, non est requirenda veræ perfectionis discretio in templo illo secundum litteram, sed secundum allegoriam. Unde Hieronymus ait [2] : « Neque vero mihi aliquis opponat dives in Judæa templum, mensas, lucernas, thuribula, patellas, scyphos, mortariola, et cætera ex auro fabrefacta. Tunc hæc probabantur a Domino, quando sacerdotes hostias immolabant, et sanguis pecudum erat redemptio peccatorum, quanquam hæc omnia in figura præcesserint. Nunc vero cum paupertatem domus suæ pauper Dominus dedicaverit, cogitemus crucem ejus, et divitias lutum putabimus. Quid miramur, quod Christus vocat iniquum mammona? quid suscipimus et amamus, quod Petrus se non habere testatur? Alioquin si tantum litteram sequimur, et in auro, atque divitiis simplex nos delectat historia, cum auro observemus et cætera. Ducant pontifices uxores virgines; lepra corporis animæ vitiis præferatur; crescamus, multiplicemur, et repleamus terram, figamus septimo mense tabernacula, et solemnia jejunia buccinis concrepemus. Quod si hæc omnia, spiritualibus spiritualia comparantes, sic intelligimus, ut Dominus intellexit et interpretatus est sabbatum, aut aurum repudiemus cum cæteris superstitionibus Judæorum, aut si aurum placet, placeant et Judæi, quos cum auro aut probare nobis necesse est, aut damnare. » Hucusque Hieronymus. A quo luce clarius ratio præmissa dissolvitur, et evangelicæ paupertatis perfectio novæ legi proprie convenire docetur. Nequaquam igitur intelligendum est, bona Levitarum Domino dedicata fuisse, tanquam in se sint aliquid sanctitatis habentia, et non possint esse occasio culpæ; sed quia deputantur sustentationi illorum, qui Domino famulantur. Quorum etiam Dominus possessio dicitur, quia sicut alii vivebant de fructibus terrarum suarum, sic et hi de proventibus divinorum ministeriorum : ita tamen, quod ea quæ inde percipiebant, proprietatis jure ad suos, ut dictum est, transmittebant hæredes : quia sicut illis non indicta erat castitatis integritas, sic nec consulta paupertas. Unde Hieronymus ait [3] : « Alia fuit in veteri lege felicitas, in qua beatus dicitur, qui habet semen in Sion, et repromissio fit divitiarum. Statim ut Filius Dei ingressus est super terram, novam sibi familiam instituit [4], ut qui ab angelis adorabatur in cœlis, haberet angelos et in terris. Tunc Holoferni caput Judith continens amputavit; tunc Jacobus et Joannes, relicto patre, reti et navicula, secuti sunt Salvatorem, affectum sanguinis, et vincula sæculi, et curam domus pariter relinquentes. Tunc primum auditum est [5] : *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.* Nemo enim miles cum uxore pergit ad prælium. Discipulo ad sepulturam patris ire

[1] *Ezech.*, XL, 5 et seq. — [2] Hieron., *ad Nepotian.*, epist. II, col. III. 16-17. — [3] Id., *ad Eustoch.*, epist. XXII, col. III. 179. — [4] Ibid., col. 180. — [5] *Matth.*, XVI, 24. — (*a*) *Leg.* perfectio, *et del.* qui.

cupienti [1] non permittitur. *Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos; Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet*[1], ne forte contristeris, si anguste permanseris. » In his Hieronymus patenter insinuat, quod sicut statui Testamenti Veteris, divitiæ competebant et nuptiæ, ita perfectioni novæ legis, paupertas et castitas. Sicut igitur virginitas per Christum introducta, legem non solvit, sed implet; sic nec paupertatis consilium legem destruit, sed consummat, quia nec in eadem lege evangelica consilia præceptis contrariantur, sed potius addunt ad perfectionem justitiæ. Concluditur igitur per hæc, quod sicut a ratione dissonum est, formam perfectæ castitatis constituere in uxoribus sacerdotum legalium, sic sanæ doctrinæ adversatur, perfectionem paupertatis collocare in possessionibus Levitarum. His consonat Bernardus, *de colloquio Simonis et Jesu* [2]*:* « Longe, » inquit, « aliud est, in luto aquarum multarum divisi fundo maris iter capere, terrena licite possidendo; aliud ipsam novis gressibus undam calcare, omnia relinquendo. Sed tempori gratiæ prærogativa hæc debebatur; Petro novum iter, et non typus itineris servabatur. Antiquorum sane Patrum diebus, donec in terris videretur, et conversaretur inter homines Dominus majestatis, non erat evangelicæ forma perfectionis, sed spiritum Domini (*a*) solo interim spiritu sequebantur. At cum *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* [3], jam in eo tradita est imago vitæ, et conversationis exemplar, quod oportet etiam corporaliter imitari, ut utroque sequentes vestigio, non ulterius cum patriarcha Jacob altero femore claudicemus. Neque hoc dicimus tanquam salvari hoc tempore, si secus quis egerit, nequeat, sed ut gradum agnoscat proprium, et locum perfectionis, aut discipulatus officium non usurpet. » Hæc Bernardus [3]. Per quæ cupidorum error perversus eliditur, a quibus, sub pietatis specie, per antiquorum Patrum divitias paupertas impugnatur. Ex quibus et illud consequitur, quod is cui respondemus, non tanquam paupertatis amicus, sed adversarius pauperum, super hujusmodi possessiones se fundans, perfectionis fundamenta non statuit, sed subvertit. Perfectionem igitur paupertatis extremæ, legalis observantia non oppugnat, sed nec forma vivendi Apostolorum, nec loculi Christi, nec promissio centupli, sicut ex ante dictis est patens, insuper nec affluentia facultatum Ecclesiæ, qua velut armatura consequenter se munit pauperum hostis, non tam ad defensandum statum ecclesiasticæ celsitudinis, quam ad dejiciendum culmen evangelicæ paupertatis. Si enim possessiones Ecclesiæ commendaret ut licitas, ut expedientes, ut perfectioni compossibiles in his qui communiter possident, et his qui sancte dispensant, viam sequeretur sanctorum Doctorum, et canonum confutantium perversos hæreticos, qui Ecclesiam Dei, propter possessiones acceptas, a statu justitiæ et perfectionis asserunt esse collapsam ; nec sanctæ paupertati præjudicatur in aliquo doctrina hujusmodi, pro eo quod varii sunt in ea perfectionis modi, sicut circa responsionis principium fuit ostensum. Nunc autem, quia suadere conatur possessiones ecclesiasticas ad perfectionis facere culmen, tanquam perfectius sit in eis Christo affluere, quam pro Christo carere ; non solum gloriam paupertatis evacuat, verum etiam fundamenta ipsius Ecclesiæ subruit, dum Christum et Apostolos temporalia possedisse ad dandum perfectionis exemplum, monstrare contendit. Etenim cum Christus de se diceret, quod non haberet ubi caput reclinaret, hic e contrario dogmatizat, quod domum habuit, de qua dixisse legitur [5]: *Domus mea, domus orationis vocabitur*. Et post subdit, quod Christus jure proprietario ubi caput suum reclinaret inter homines factus homo

[1] *Matth.*, VIII, 22. — [2] *Luc.*, IX, 58. — [3] Imo Gaufrid., *de colloq. Simon. cum Jes.*, n. 7, inter spuria Bern., *Oper.*, tom. II, edit. 1690. — [4] *Joan.*, I, 14. — [5] *Luc.*, XIX, 46.

(*a*) *Apud Bern.* Deum.

non habuit, qui tanquam verus Deus omnium Levitarum bona possedit. In quo miro modo se ostendit omni veritatis intelligentia nudum, quasi nescientem distinguere inter ea, quæ Christi divinitatem, et ipsius humanitatem respiciunt. Quod enim Christum dicimus fuisse pauperem, ad ejus refertur humanitatem assumptam, in qua perfecte vivendi nobis monstravit exempla, non autem ad divinitatis ejus potentiam, secundum quam non solum templum et bona levitica ejus dominio subjacent, verum etiam cœlum, et terra, et omnia quæ cœli ambitu continentur, dicente Propheta[1] : *Domini est terra et plenitudo ejus.* Ei vero, qui dicit, quod Christo tanquam vero sacerdoti Pater in manu omnia dedit, et quod sacerdotii jure Levitarum bona possedit, ipsemet paulo post aperte contradicit, cum subdit, quod nondum translato sacerdotio, nec decimarum, nec possessionum debuit translatio fieri. Si enim sacerdotium leviticum ante Christi passionem et resurrectionem translatum non fuit, manifeste colligitur, quod Christus jure sacerdotii eorum, quæ ad Levitas spectabant, nil omnino possedit. Igitur tam veritati, quam sibi ipsi contradicens, quia, instar principis mundi hujus, in pauperrimo capite Christo nil temporalium possessionum invenire potuit, ad corpus ipsius, scilicet matrem Ecclesiam, sermonem convertit. De qua, frivolis quibusdam præmissis, auctoritate Canonis astruit, quod ratione majoris utilitatis agros et prædia, quæ vendere consueverat, possidere cœpit. Ex quibus consequenter sic arguit : Cum idem sit utile et honestum, ut dicit Ambrosius[2], et quod est imperfectionis, in quantum hujusmodi, declinet ab honestate, et quod est honestatis est perfectionis, prædia Ecclesiæ viris perfectis sunt in perfectionis cumulum, non in ejus detrimentum. Hæc ratio ipsius, hæc verba; cujus rationis conclusio partim est vera, et partim erronea. Verum est quidem, quod ecclesiastica prædia sine detrimento perfectionis haberi possunt ; quod autem sint ad perfectionis cumulum, sentire vel dicere adeo absurdum est, ut ex hoc status modusque vivendi præsentium temporum vitæ Christi præferatur, et Apostolorum, quod est apertissime falsum. Unde Hieronymus Malchi Monachi vitam describens, ait[3] : « Scribere proposui ab adventu Salvatoris usque ad nostram ætatem, id est, ab Apostolis usque ad hujus tempóris fæcem, quomodo et per quos Christi Ecclesia nata sit, et adulta persecutionibus crevit, martyriis coronata, et postquam ad christianos principes venerit, potentia et divitiis major, sed virtutibus sit minor effecta. » Hucusque Hieronymus. Insuper, si prædia faciunt ad perfectionis cumulum, tunc quanto Ecclesiæ plura prædia possident, tanto qui in eis degunt, perfectiores existunt, ac per hoc nullus ab Ecclesia habente copiam prædiorum absque detrimento perfectionis ad religiones se transferre potest; quin potius e converso paupertatis ærumnas abjicere, et ad facultates ecclesiasticas aspirare, sanctum erit atque perfectum. Ejus sententiæ facultatem Hieronymus ad Nepotianum eliminans, ironice ait[4]: « Sunt ditiores monachi, quam ante fuerant sæculares; et clerici, qui (*a*) possideant opes sub Christo paupere, quas sub locuplete diabolo non habuerunt : ut (*b*) suspiret eos Ecclesia divites, quos tenuit mundus ante mendicos. » Amplius, si ecclesiastica prædia faciunt ad perfectionis cumulum, nihil est, secundum Christi consilium, vendendum, dandumque pauperibus, sed totum Ecclesiæ agris, seu opibus aggregandum, cum secundum hoc dogma profanum, cumulatio possessionum in Ecclesia Christi ad cumulum faciat perfectæ sanctitatis. Contra quod Hieronymus ait[5] : « Alii ædificent ecclesias, vestiant parietes marmorum crustis, columnarum moles advehant, earumque deau-

[1] *Psal.* XXIII, 1. — [2] Ambros, *de Offic.*, lib. III, c. II, n. 9. — [3] Hieron., *Vit. Malch.*, col. m. 339. — [4] Id., *ad Nepotian.*, epist. II, col. 13. — [5] Id., *ad Demetriad.*, epist. VIII, col. 74.

(*a*) *Cæt. edit. non habent* et clerici, qui; *quæ tamen leguntur apud Hieron.* — (*b*) *Cæt. edit.* et.

rent capita, gemmis aurata distinguant altaria : non reprehendo, non abnuo. Sed tibi aliud propositum est : Christum vestire in pauperibus, visitare in languentibus, pascere in esurientibus, suscipere in his qui tecto indigent, et maxime in domesticis fidei. » Ex his colligi potest, quod præfata conclusio multiformem continet absurditatem. Sed et ratio ipsa non valet. Nam sicut possessiones sunt utiles, sic et alia multa, utpote uxores, servi, arma, et temporalis potentia, ex quorum retentione non sequitur, quod cumulus perfectionis accrescat. Nec ei suffragatur Ambrosii verbum, quo diffinit, idem esse utile et honestum : loquitur enim de utilitate bonorum spiritualium, non terrenorum. Nam eodem libro [1] : « Nihil utile, nisi quod ad vitæ illius æternæ prosit gratiam, diffinimus, non quod ad delectationem præsentis. Nec aliqua commoda in facultatibus et opum copiis constituimus, sed incommoda hæc putamus, si non rejiciantur : eaque oneri magis, cum adsunt, æstimamus, quam dispendio, cum erogantur. » Idem quoque liber, a parte alia [2], sic ait : « Nullum adminiculum præstant divitiæ ad beatam vitam. Quod evidenter determinavit Dominus in Evangelio dicens : *Beati pauperes, quoniam vestrum est regnum Dei. Beati qui nunc esuritis,* etc. Itaque paupertatem, famem, dolorem, quæ putantur mala, non solum impedimento non esse ad beatam vitam, sed etiam adjumento esse evidentissime pronuntiatum est. [3] Sed et illa quæ videntur bona, divitias, satietatem, lætitiam expertem doloris, detrimentum esse ad fructum beatitudinis, dominico declaratum judicio liquet. Sic ergo non solum adminiculo non sunt ad vitam beatam corporis externa bona, sed etiam dispendio sunt. » Hucusque Ambrosius. Quod et in prædictis intelligendis, loquitur de utilitate intrinseca et spirituali, quæ idem est quod honestas, non autem de extrinseca, de qua non habent intelligi, secundum quod etiam pronuntiat Sapiens [4], *utiliorem* esse *sapientiam cum divitiis.* Sunt enim possessiones terrenæ utiles, et sustentamenta naturæ ad opera humanæ industriæ, nonnullis etiam ad exercitia virtutis perfectæ; sed hoc non inest eis ex seipsis, sed ex parte utentis. Unde Augustinus, in fine libri *Unde malum* [5] : « Qui, » inquit, « bene vult uti temporalibus bonis, non eis amore agglutinetur, et velut membra animi sui faciat, quod fit amando, ne cum resecari cœperint, cum cruciatu ac tabe fœdent; sed eis totus superferatur, et habere illa atque regere paratus sit, amittere vero ac non habere paratior. » Hæc Augustinus. Quæ nunquam diceret, si temporalia bona essent utilia secundum quod utile idem est quod honestum, quia nullus recte sapiens paratior esse debet honestatem amittere, quam servare. Multum igitur a sapientia discors fuit, qui in temporalibus Ecclesiæ bonis, honestum ab utili non discrevit. In sui quoque firmamentum erroris, perfectionis virtutum, et possessionis opum, septiformem assignat germanitatem, dicens, quod Dominus voluit ministros Ecclesiæ ipsum perfecte sequi, volentes habere bona communia, mobilia et immobilia : primo propter cautelam futurorum, quod est prudentiæ; secundo propter sustentationem ministrantium, quod est justitiæ; tertio in sustentamentum egentium, quod est misericordiæ; quarto in mutuæ charitatis nutrimentum; quinto propter quietudinem; sexto in aliorum exemplum, et largitionem eleemosynarum; septimo propter conformitatem ad cœlestem curiam, *cujus participatio in idipsum* [6]. Ex quibus omnibus arguit, quod habere possessiones ecclesiasticas perfectionem non minuit, sed consummat. Quamquam autem prædictarum rationum aggregatio, superficietenus considerata, efficax videatur et pia; si tamen discutiatur interius, inefficax invenitur et impia. Pro

[1] Ambros., *de Offic.*, lib. I, c. IX, n. 28. — [2] Ibid., *de Offic.*, lib. II, c. IV, n. 15. — [3] Ibid., c. V, n. 16. — [4] *Eccle.*, VII, 12. — [5] August., *de Lib. Arb.*, lib. I, XV, 33. — [6] *Psal.* CXXI, 4.

eo videlicet impia, quia si mobilium et immobilium communis possessio non diminuit, sed potius complet, qui non valent, nec volunt hæc possidere communia, perfecti esse non possunt. Insuper cum Christus et Apostoli hujusmodi possessiones immobiles non habuerint, sequitur in eis quod consummatæ perfectionis exemplum non effulsit. Inefficax vero, quia in eisdem rationibus potest etiam aliquis laicus uxoratus bona sua retinere, scilicet, ut prudenter, juste, misericorditer, charitative ministrantibus Christo subveniat, ad illorum quietem, et aliorum exemplum, secundum conformitatem supernam, in qua est communicatio larga bonorum : aut igitur talis erit perfectus, aut præfata ratio nullius efficaciæ esse convincitur. Amplius, sicut ecclesiastica bona bene utentibus sunt materia exercendarum virtutum, sic etiam abutentibus sunt fomentum multiformium perversitatum, utpote injustitiarum, impietatum et carnalitatum; nec tamen inferri potest, propter hujusmodi abusum, quod bona hujusmodi habere sit impium : pari ratione inferri non poterit, quod per (*a*) bonam dispensationem utentium ea habere sit perfectum in se et absolute, vel perfectius quam carere. Unde et illa conclusio, quam post explicationem rationum prædictarum, in quibus multas absurditates interserit, tanquam finaliter intentam subjungit, nullius est probabilitatis, sed magnæ perfidiæ. Ait enim, ut verbis ejus utamur : « His causis prædictis forte, et aliis quæ a sapientibus possunt inveniri, cum apice perfectionis (quod enim citra est, imperfectum est), bona temporalia Ecclesiæ a perfectis viris præcepit Deus, et voluit possideri. » In quibus verbis manifeste aperit, quod paupertatis evangelicæ perfectionem totis viribus eliminare contendit. Si enim temporalia bona Ecclesiæ possidere sic est perfectum, ut dicit, ut omne quod est citra illud, sit imperfectum, pauperes igitur Christi, qui nihil omnino possidere volunt, sed totum dant, ut vidua illa paupercula, aut citra hunc perfectionis apicem consistunt, et tunc imperfecti ; aut ultra procedunt, et tunc superstitiosi impii. Si igitur talis fuit Christus, sicut narrat evangelicæ veritatis historia, et perfectorum testimonio monstratum est supra, tales etiam fuerunt Apostoli ; necessario sequitur secundum antichristianam doctrinam, quod Christus et ejus discipuli, vel superstitiosi fuerint, vel imperfecti. Insuper, si hæc temporalia bona Christus præcepit possideri a viris perfectis, sicut asserit, quicumque ergo perfectionis statum profitentur, et hæc bona non possident, transgressores divini præcepti esse convincuntur. Quod si verum est, utique dici non potest : *Beati pauperes spiritu*, *quoniam vestrum est regnum Dei*, nec : *Væ vobis divitibus;* sed potius : Væ vobis pauperibus, tanquam miseris, imperfectis, injustis et impiis ; beati divites; *Beatus etiam populus cui hæc sunt*[1], sine quibus, nec perfectionis apex, nec virtus justitiæ possidetur, quæ perfectio inter dona Dei locum præcipuum tenet. Caveat sibi qui ejusmodi sententiæ est, ne super eum maledictio Principis apostolorum juste descendat, dicaturque sibi [2] : *Pecunia tua tecum sit in perditionem, eo quod existimasti donum Dei pecunia possideri.* Mirum certe quomodo quis potest ad tantam impietatem proficere, ad tantam venire insaniam, ad tantam prorumpere fatuitatem, ut cum Christus viris perfectis suadeat omnia vendere et dare pauperibus, præcipiatque apostolis, ut nec peram, nec pecuniam tollant in via, nec aurum, nec argentum possideant, e contrario audeat dicere præceptum esse a Deo viris perfectis temporalia possidere. Quam vero absurda dogmata conclusio præfata contineat, ex ipsius verbis elicitur, ex quibus affirmat omne quod infra perfectionis apicem est, esse imperfectum. Si *apex* dicit summam rei alicujus extremam et excelsam, et apicem perfectio habet, aliquid est perfectionis citra apicem ejus : duo ergo contraria simul dicit, cum asserit perfectionem

[1] *Psal.* CXLIII, 15. — [2] *Act.*, VIII, 20. — (*a*) *Leg.* propter.

habere apicem, et nihil citra perfectionis apicem esse perfectum. Est etiam hæc universalis negativa pene in toto falsa, scilicet cum non solum perfectio vitæ, sed etiam perfectio patriæ gradus habeat, et sicut perfectio castitatis et obedientiæ potest esse major et minor, sic et paupertatis, quemadmodum ex primæ responsionis tertia parte patescit. Denique quam periculosum sit possessionum affluentiam magnis laudatam præconiis desiderabilem reddere, ex hoc patenter advertitur, quod omnium fere mortalium appetitus et sensus proni sunt ad concupiscentiam oculorum, et admirationem divitiarum, et sicut dicit Apostolus ad Timotheum [1]: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et laqueum diaboli.* Quod si dixerit non se laudare possessiones quascumque, sed tantum communes et ecclesiasticas, et Domino dedicatas, attendat quod non parvum latet in ipsarum cumulatione periculum. Unde Bernardus [2], *de colloquio Simonis et Jesu*: « Dotatas et dedicatas cernimus ecclesias a potentibus et divitibus hujus sæculi, qui in operibus bonis divites, juxta Domini admonitionem, amicos sibi facere studuerunt de mammona iniquitatis, a quibus in æterna tabernacula reciperentur. Quidni sperarent ab his se recipi, qui claves videntur habere? Sed, heu! data est ipsa providentia eorum in occasionem carnis, et qui sibi atque aliis in cœlo tabernacula parare debuerant, in terra conjungunt domum ad domum, et copulant agrum agro. Quis rapuit ab ore apostolorum hujusmodi temporis verbum gratiæ, verbum fiduciæ : *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te?* Ecce enim ut populus, sic sacerdotes divites fieri volunt: similiter hic suam, et abundantius suam recipiunt consolationem: similiter amicis egent et ipsi, ut in aliena tabernacula recipiantur, ut propria non habentes. *Beati* enim *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* » Hæc Bernardus [3]. Idem quoque, quibusdam interpositis, subdit [3]: « Utinam in duodecim unus hodie Petrus, unus qui reliquerit, unus qui loculis careat, inveniatur! Utinam saperes, miser, et intelligeres, cum thesauro pecuniæ, et thesaurum iræ pariter cumulari! utinam novissima provideres, animadverteres facile per foramen acus transituros non divitiarum cumulos, sed delictorum. *Nihil enim* [4] *tulimus in hunc mundum, haud dubium, quia nec auferre possumus quicquam.*» Hucusque Bernardus [3]. Cui Gregorius Nazianzenus concordat in quodam sermone, contra persecutores Ecclesiæ loquens [5]: « Sed facultatibus, » inquit, « defraudabunt. Quibus? meis? Sed facilius mihi alas abscindent, quas non habeo. Si autem ecclesiasticis, hoc utique pro quo omnis pugna et omne certamen. An ignoramus, quod per pecuniæ cupiditatem et loculorum fraudem, ad proditionem proficitur Christi? » Hæc Gregorius Nazianzenus. Ad hoc etiam facit quod dicit Ambrosius in libris *de Officiis* [6]: « Qui apostolos sine auro misit, ecclesias sine auro congregavit. » Et iterum [7]: « Qui plurimum auri possidet, non abundat, quia nihil est, quidquid in sæculo est. Qui exiguum habet, non minuit, quia nihil est quod amittit: res sine dispendio est, quæ tota dispendium est. » Ex his clare patet sanctorum curam fuisse præcipuam, non ad quarumcumque possessionum amorem allicere, sed potius, exemplo Apostolorum, ad earum contemptum provocare. Nec tamen ex his intelligat aliquis, quod ecclesiastica bona per modum dilapidationis sint habenda contemptui, quoniam hoc sacri canones inhibent; sed a personis non alligatis curæ pastorali, ratione majoris securitatis, sive perfectionis, valeant pro Christi amore dimitti, et quod hi quibus dispensatio eorum committitur, eis, quæ dispensant, nullatenus alligentur affectu. Hic autem ut affluentiam opum reddat amabilem, tanquam rem sanctitatis eximiæ in ra-

[1] I *Tim.*, VI, 9. — [2] Imo Gaufrid., *de colloq. Simon. cum Jesu*, n. 9. — [3] Ibid., XIV, 16. — [4] I *Tim.*, VI, 7. — [5] Gregor. Naz. — [6] Ambros., *de Offic.*, lib. II, c. XXVIII, n. 137. — [7] Id.

tionali [1] Ecclesiæ collocat, ex quo judicium cum veritate responderi solebat, cum tamen hæc sua doctrina omni careat ratione judicii, et rectitudine veritatis. Fingit etiam superhumerale quoddam, quod huic irrationali, sive phantasiæ coaptat, adducens in medio duodecim viros sanctos atque approbatos, qui de statu paupertatis ad dispensandas divitias assumpti fuerunt, Clementem, Silvestrum, Gregorium, Cyprianum, Hilarium, Basilium, Chrysostomum, Martinum, Nicolaum, Paulum, Augustinum, Anselmum, quorum exempla suo adaptans errori, in sequentibus subdit : « Isti sunt duodecim filiorum Israel nomina, isti sunt vittæ hyacinthinæ, et catenulæ aureæ. » Post quæ addit : « Ista est doctrina dominica, statuto apostolorum Hierosolymis solidata, a sanctis doctoribus exposita, a perfectis Christi imitatoribus observata, non ut nihil in communi, aut proprio haberetur, sed ut, spreta proprietate, bonorum Ecclesiæ communitas servaretur. Si aliter docueris, cave ne fias, secundum Apostolum, anathema, quod a viro absit catholico, qui puniri recusat cum apostata Juliano. » Hæc verba ipsius. In quibus et ignorantem se esse demonstrat, et impium. Nisi enim impius esset, nunquam de professoribus paupertatis, in qua nihil habetur in proprio, vel communi, sensisset tam impie, ut eos, tanquam hæreticos, judicasset anathema esse a Christo. Qua quidem blasphemia non solum hos Christi pauperes, sed et Romanam Ecclesiam impetit, quæ hunc vivendi modum approbavit. Insuper et bonos viros catalogo Sanctorum adscriptos, et quod majus est, ipsos Apostolos, qui, ut ex superioribus claret, in extrema paupertate vixerunt, quibus etiam tanquam duodecim filiis Israel in superhumerali summi Pontificis Christi conscriptis, et per propria nomina designatis, summa paupertas indicitur. Sic enim scribitur in Matthæo (*a*): *Apostolorum nomina sunt hæc, Simon primus, qui dicitur Petrus.* Et dehinc cæteris nominatis subjungit : *Hos duodecim misit Jesus, præcipiens eis : Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris*, etc. In quibus superhumerale vitæ apostolicæ cum rationali perfectionis et paupertatis altissimæ, per charitatem regni cœlestis, tanquam vitta hyacinthina, indissolubili junctura constringit, cum interponit ; *Gratis accepistis, gratis date.* Hoc autem superhumerali et rationali verus Pontifex Christus adornatus fuit, dum sanctæ paupertatis perfectionem et verbo docuit, et exemplo monstravit, et tunc potissimum, quando ut verus Pontifex per sanguinem proprium ingressus in sancta, pauper et nudus in cruce pependit. Hoc ornamento nobili et spirituali, quo a corporalibus crucifixoribus Christus spoliari non potuit, hic velut atrocissimus prædo eum nudare contendit, et aliud quoddam confingere nititur, non vitta hyacinthina, et catenulis aureis, sed terrenarum possessionum affluentiis, tanquam junctura lutea et viscosa constrictum, quasi Christus cum Apostolis terrena possederit, ipsaque communis possessio altius provehat, magisque ad cœlestia elevet, quam extrema et altissima paupertas. Quod nemo dubitat falsum, nisi qui modos prorsus ignorat mentalis elevationis in Deum. Unde Hieronymus ait [3] : « Joseph cum tunica Ægyptiam effugere non potuit. Adolescens qui opertus sindone sequebatur Jesum, quia tentus fuerat a ministris, terrenum abjiciens operimentum, nudus evasit. Elias igneo curru raptus in cœlum, melotam reliquit in terris. Eliseus boves et juga prioris operis vertit in vota. Loquitur sapientissimus vir [4] : *Qui tangit picem, inquinabitur ab ea.* Quamdiu versamur in sæculi rebus, et anima nostra possessionum et reddituum procuratione devincta est, de Deo libere cogitare non possumus. » Cui et Glossa consonat super

[1] Alludit ad rationale pontificis Hebræorum. — [3] *Matth.*, x, 2, 5, 9. — [3] Hieron., *ad Lucinium*, epist. xxviii, col. m. 246. — [4] *Eccli.*, xiii, 1.

(*a*) *Cæt. edit.* Matthæum.

illud Canticorum [1] : *Spoliavi me tunica mea*, etc. [2] « Deceptus sollicitudine temporalium subsidiorum, quantumlibet eximius doctor difficile vitat peccatum. » Hæc autem idcirco non dicimus, quod dispensatio facultatum Ecclesiæ a viris sanctis administrari non possit absque detrimento perfectionis ; sed ut discernamus pretiosum a vili, quia perfectionem eis non contulit temporalium bonorum administratio, sed contemptus ; non temporalis affluentia, sed spiritus paupertatis, quo inter rerum affluentium copias sic vivebant, *sicut egentes, multos autem locupletantes, tanquam nihil habentes, et omnia possidentes* [3] ; quemadmodum nobilis ille prælatus, de quo ait Hieronymus scribens ad Rusticum [4] : « Sanctus Exuperius Tolosæ episcopus, viduæ Sareptanæ imitator, esuriens pascit alios, et ore pallente jejunis, fame torquetur aliena, omnemque substantiam Christi visceribus erogavit. Nihil eo ditius, qui corpus Christi canistro vimineo, sanguinem portat in vitro, qui avaritiam projecit de templo, qui cathedras vendentium columbas mensasque subvertit, mammonæ et nummulariorum æra dispersit, ut domus Dei domus orationis sit, non spelunca latronum. Hujusmodi tu sectare vestigia, et cæterorum qui virtutum illius similes sunt, quos sacerdotium et humiliores facit, et pauperiores. Aut si perfecta desideras, exi cum Abraham de patria et cognatione tua, si habes substantiam, vende, et da pauperibus ; si non habes, grandi onere liberatus es. Nudum Christum nudus sequere. Durum, grande, difficile ; sed magna sunt præmia. » In his sacer Hieronymus distinguit pretiosum a vili, simulque ostendit, quod aliud competit perfectioni prælati, qui est persona communis, aliud perfectioni personæ privatæ. Et ideo, quanquam, ratione prælationis, quisquis religiosus a statu paupertatis ad dispensationem temporalium possit assumi, impium tamen est hoc ad consequentiam trahere. Sicut enim prælatis, ratione curæ pastoralis, competit extrinsecis interdum implicari negotiis, salva perfectione, nec tamen inferri potest, quod in persona privata æque perfectum sit per extrinsecas occupationes erga plurima turbari cum Martha, velut per intimas, fervidas et jucundas sursum actiones secus pedes Domini quiescere cum Maria ; sic et in proposito intelligendum. Licet igitur pontifices, sive summi sacerdotes, quia curam habent, non solum quantum ad perfectos et validos, verum etiam infirmos et imperfectos, quos pascere debent exemplo et verbo, et, pro loco et tempore, corporali subsidio, salva perfectione possessiones susceperint ad sustentationem pauperum et Ecclesiæ ministrorum, non tamen ex his quibuslibet privatis personis, in quolibet Ecclesiæ statu ascribi potest nec debet, quod in tanto sint perfectionis culmine cum amplitudine possessionis, sicut cum altitudine paupertatis. In hoc autem quod laudatores paupertatis extremæ, imitatores existimat Juliani apostatæ, non solum nequitia plenum, sed etiam veritatis notitia vacuum esse se demonstrat : dum professoribus veritatis malitiose crimen impingit erroris, et ipsam perfidiam Juliani apostatæ, tanquam ignorans, a laude paupertatis insinuat traxisse originem, cum tamen ipse Julianus non in hoc erraverit, quod assereret omnia temporalia relinquenda fore secundum dictamen divini consilii, ad quod nemo astringitur, nisi velit ; sed potius ad suæ avaritiæ rapacitatem colorandam, et conculcandam Ecclesiam, hoc dicebat esse de necessitate divini mandati, allegans illud Christi verbum, quod scribitur in Luca [5] : *Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*. Ex quo ipse universaliter calumniabatur Ecclesiam, quasi nulla esset differentia inter renuntiare omnibus, et relinquere omnia. Verum, sicut Glossa dicit ibidem [6], « hoc distat inter re-

[1] *Cant*, v, 3. — [2] Gloss. ex Bed., quoad sensum. — [3] II *Cor.*, vi, 10. — [4] Hieron., *ad Rustic.*, epist. iv, col. m. 49. — [5] *Luc.*, xiv, 33. — [6] Gloss., ex Bed. in hunc loc.

nuntiare omnibus, et relinquere omnia, quia renuntiare convenit omnibus, qui ita licite utuntur mundanis quæ possident, ut tamen mente tendant ad superna; relinquere vero est solummodo perfectorum, qui omnia temporalia postponunt, et solis æternis inhiant. » Hæc Glossa. Ex qua manifeste colligitur, quod quisquis hoc sentit, quod perfectorum sit omnia relinquere, et solis æternis inhiare, doctrinam sequitur Jesu Christi, non perfidiam Juliani. Nam quamvis dicat omnia pro perfectionis amore debere relinqui, non tamen asserit bona Ecclesiæ dirui, quia licitum est dimittere propria, sed illicitum rapere aliena.

CAPUT III

In quo abrenuntiationis ratio falsa eliditur, et penuriosæ paupertatis duodenaria prærogativa monstratur.

Mos perversarum mentium esse dignoscitur, si qua sententiæ suæ contraria propter istorum certitudinem inficiari non possunt, fraudulenta calliditate pervertere, et ad sensum trahere repugnantem, juxta illud Bernardi [1] *ad fratres de monte Dei:* « Si in lectione Deum quærit qui legit, omnia cooperantur ei in hoc ipsum; si autem in aliud declinat sensus legentis, omnia trahit post seipsum, nihilque tam sanum, tam pium in Scripturis invenit, quod seu per vanam gloriam, seu per distortum sensum, seu per pravum intellectum non applicet suæ malitiæ vel vanitati. » Quod manifeste in adversario pauperum nunc cernimus esse completum. Cum enim certum sit, paupertatem, quæ consistit in abdicatione rerum temporalium propter Deum, esse laudabilem, magistrumque Christum perfectionis in paupertate vixisse usque ad mortem, hic in comparatione possessionum et opulentiarum sic perventendo attenuat, ut nil sanctæ paupertati de perfectionis sublimitate relinquat. Investigans enim primo causam abdicationis temporalium, hanc dicit esse ipsorum appropriationem, seu proprietatem, quæ quoniam ex radice descendit avaritiæ, ut verbis ejus utamur, non stat cum perfecta charitate, quæ [2] *non quærit quæ sua sunt.* Et ideo dicit consultam esse abdicationem proprietatis ad excludendam cupiditatem, qua extirpata, his qui ejusmodi sunt, recte committitur dispensatio bonorum temporalium, tanquam scientibus uti, et non quærentibus quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi. Quod per Abrahæ, Jacob, Joseph, David, Daniel, patrum scilicet Veteris Testamenti, exempla confirmat. In his autem verbis et exemplis superficialiter consideratis nihil apparet erroneum; si tamen diligenter discutiantur, magnum invenitur latere venenun. Si enim proprietas sola causa est abdicationis temporalium, ut extirpetur cupiditas, et perficiatur charitas ad bona hujusmodi temporalia dispensanda, tunc igitur paupertas non est nisi sicut via ad abundantiam, et dispositio quædam præambula, ac per hoc nulla perfectio consistit in ea. Imperfecta igitur fuit vita Christi, et falsa doctrina qua dixit [3]: *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes, et da pauperibus.* Amplius, si unum aliquod collegium, non dicam unius regni, sed totius mundi bona in communi possideat, altissimum illud de paupertate consilium integerrime servat: imo, quod est absurdius, multo perfectiori modo, quam hi, qui in extrema rerum penuria, in fame scilicet, siti, frigore et nuditate Domino serviunt, cujusmodi fuerunt Apostoli, et hi, qui exempla eorum sequuntur. Quod cum evidenter sit falsum, restat quod hæc non sit causa præcisa et principalis abdicandi divitias, quia propriæ, sed quia illecebrosæ, ut ostensum est. Verum est quidem, quod propriæ divitiæ magis solent esse illecebrosæ, quam communes; et ideo magis est de essentia perfectionis contemptus ipsarum : non quia appropriatio sit culpa, vel semper habeat culpam annexam; sed quia, ut frequentius,

[1] Imo Gulielm. a S. Theodor., c. x, n. 31, inter spuria Bern., *Oper.*, tom. II. — [2] 1 *Cor.*, XIII, 5. — [3] *Matth.*, XIX, 21.

solet esse occasio culpæ. Unde et ipsemet in consequentibus exemplis sibiipsi contradicit, cum asserit illos sanctos patres non solum sine culpa, sed etiam cum perfectione, bona hæc temporalia possedisse. Ipsi etiam Levitæ, qui uxores habebant, et filios, constat quod aliqua propria possidebant, quod tamen superius de perfectione laudaverat. Ipse etiam populus Israeliticus terram patribus repromissam adeptus, absque peccato distinctas et proprias portiones accepit. Insuper nunc revelatæ gratiæ tempore, secundum scita legum et canonum, juste et sancte aditur et possidetur hæreditas, non solum in partialibus patrimoniis, sed etiam in principatibus et regnis, sicut ipse inferius de Constantino, Raymundo, et similibus fatetur. Non ergo proprietas est ratio abdicationis, sicut falso insinuat, quasi semper sibi sit peccatum annexum. Sane quod dicit Clementina, quod pro iniquitate alius dicit hoc esse suum, alius illud, non est intelligendum generaliter, sed ut in pluribus; vel intelligendum est, quod hujusmodi appropriatio descendit ex iniquitate primorum parentum, quod nisi illi peccassent, hujusmodi appropriatio non fuisset. Non tamen ex hoc sequitur, quod omnis appropriatio sit cum peccato, quia ex prævaricatione primorum parentum, non solum peccata descendunt, sed etiam pœnæ peccatorum. Licet autem divitiæ, tam communes, quam propriæ, haberi et possideri valeant absque peccato, tamen eas relinquere perfectionis est, quia sicut imperfectio de se non dicit culpam, ut ex supra dictis apparet, sic et perfectio non tantum dicit justitiæ rectitudinem, verum etiam expeditionem : quam quidem expeditionem divitiæ, quia illecebrosæ et periculosæ, præpediunt. Unde Gregorius, libro quarto *Moralium*[1] : « Rarum valde est, ut qui possident aurum, ad requiem tendant, cum per semetipsam Veritas dicat[2] : *Quam difficile, qui pecunias habent, intrabunt in regnum cœlorum!* » Idem etiam in quarto *Dialogorum*[3] : « Cura rei familiaris non sine culpa agitur, etiam ab his, qui qualiter culpas declinare debeant sciunt. » Et Rabanus super Matthæum : « Difficile, hoc est, maximi laboris est, pecunias habentes, vel in pecuniis confidentes, exutis philargyriæ retinaculis, aulam regni cœlestis intrare. Propter quod securum est divitias fugere, et eas abdicare perfectum. Unde Hieronymus ait[4] : « Apostolici fastigii est, perfectæque virtutis vendere omnia, et pauperibus distribuere, et sic levem et expeditum cum Christo ad cœlestia subvolare. »

Porro exempla, quæ subjungit de patribus, inconvenientia sunt ad propositum. Primum quidem, quia non se expropriaverunt, ut hic falso confingit, dicens, quod Dominus sanctum Abraham, propria hæreditate derelicta, nudum de terra sua exire coegit, et præcepit. Nam et textus Geneseos aperte contradicit, ubi dicit[5] : *Egressus est Abraham, sicut præcepit ei Dominus, tulitque Saram uxorem suam, et Loth filium fratris sui, universamque substantiam quam possederant, et ingressi sunt ut irent in terram Chanaam.* Quod autem Jacob, Joseph, David aliquando in paupertate fuerunt, hoc magis fuit urgentis necessitatis, quam voluntariæ expropriationis. Quod vero Daniel omnia sua vendiderat, quia de Scripturis auctoritatem non habet, si sapientia Danielis fuisset imbutus, nequaquam adduxisset in medium, quia prudentius silentio tegitur quod Scripturarum testimonio non probatur. Secunda ratio est, quare dictorum patrum exempla non congruunt, quia cum perfectione virtutis aliquos habuerunt actus extrinsecos, secundum exigentiam temporis, qui trahi non possunt in exemplum perfectionis, sicut in Patriarchis pluralitas uxorum, in David strenuitas ad bellandum, et in Elia occisio prophetarum Baal; et si cum istis perfectionem servaverunt, magis admirabiles,

[1] Greg., *Moral.*, lib. IV, præf., c. III. — [2] *Marc.*, X, 23. — [3] Gregor., *Dialog.*, lib. IV, c. XXXIX. — [4] Hieronym., *ad Demetriad.*, epist. VIII, col. 73. — [5] *Gen.*, XII, 5.

quam imitabiles viris perfectis proponuntur. Unde Augustinus, *de moribus Ecclesiæ* [1] : « Amisit Job omnes divitias, et factus est repente pauperrimus; sed inconcussum tenuit animum, quo animo si (*a*) esse possent nostri temporis homines, non (*b*) magnopere in Novo Testamento ab istorum possessione prohiberemur, ut perfecti esse possemus. » Hæc Augustinus. Cui consonat Gregorius in *Moralibus* [2] : « Necdum virtus præcepti emicuerat, quæ omnia relinqui præciperet; sed tamen eamdem (*c*) præceptionis vim in corde servabat, quia nimirum substantiam suam jam mente reliquerat, quam sine amore possidebat. » Ex quibus evidenter apparet, quod Job terrena possidendo, perfectus fuit solo contemptu mentis, quia nondum emicuerat consilium paupertatis : ac per hoc, sicut conjugium Abrahæ, cui non præfertur cælibatus Joannis, non est trahendum tempore gratiæ in exemplum perfectionis, sic nec patrum sanctorum possessio temporalis. Tertia quoque ratio ad hoc ipsum est, quia multa patribus in figura contingebant et umbra, quæ tempore revelatæ gratiæ et veritatis, perfectioni non consonant; et ideo illa nunc in exemplum trahere, non modicam generat absurditatem. Unde Bernardus [3], *de colloquio Simonis et Jesu :* « Excusant se aliqui fortassis, dicentes : Abraham, Isaac et Jacob, cæteriquesancti, numquid non terrenas divitias habuisse leguntur? Sufficit nobis esse sicut illi fuerunt; neque enim sumus nos patribus meliores. Si culpabilis possessio esset divitiarum, nunquam illi in divitiis tantam a Domino gratiam obtinerent. Quid respondebimus novis imitatoribus veterum sanctorum? Imponant certe vitulos super altare Domini, mactent arietes, hircos immolent, quia et hoc Abraham fecit. Sed hæc, inquiunt, statum ultra non habent : ubi revelata est veritas, transiere. Quid, si ipsas quoque sanctorum divitias temporales umbram fuisse dixerimus futurorum? In figura siquidem eis omnia legimus contigisse. Denique quidni terrenas palam divitias possiderent sancti et perfecti viri, cum sola terrena palam promitterentur a Domino? Ubi sane cœlestis promissio sonuit (*d*), necesse est spiritualibus spiritualia comparari, et mutari sacrificium, spe (*e*) mutata. » Non sunt igitur hujusmodi exempla, nec etiam prælatorum, quæ consequenter annectit, cum de paupertatis perfectione agitur, adducendá in medium, ne sub specie sanctitatis pontificalis officii, quod opulentia commutatur (*f*), et bonorum parvipendatur paupertas, vilificetur humilitas, excitetur cupiditas, et ambitio foveatur, quæ omnia is, cui respondemus, pauperum hostis omni, qua potest, virtute conatur. Nam verum justitiæ Solem, qui paupertatis et humilitatis exempla in universum orbem radios suæ lucis emisit, phantasticæ cujusdam nebulositatis objectu obscurare contendit. Quærit enim : Ut quid Christus pauper esse voluit? Ut quid rex fieri recusavit? Et respondet, ut verbis ejus utamur : « Ideo pauper esse debuit, ut animi statum teneret, qui ab omnibus imitari valeret : neque enim omnes divites esse possunt; sed si voluerint, omnes pauperes fient. » Postque subjungit : « Quod autem, ne rex fieret, fugit, mundanas dignitates fugere docuit. Alius est enim honor regis, alius prælati, sive sacerdotis. » Hæc sunt verba illius, in quibus tam viliter et indocte sentit et loquitur de alta et tam nobili materia, ut nos etiam pudeat ipsius ineptias replicare. Quis enim in sacris litteris eruditus vel modicum, quis quantulamcumque ad Christum reverentiam habens, altissimi Dei benignissimam condescensionem usque ad extremæ paupertatis inopiam sic audeat parvipendere, ut putet eum hoc egisse absque ratione et causa permaxima? Quam tamen is paupertatis hostis adeo fri-

[1] Aug., *de Morib. Eccl. cath.*, XXIII, 42. — [2] Greg., *Moral.*, lib. I, c. V, al. III, n. 7. — [3] Imo Gaufrid., *de colloq.*, etc., n. 6, inter spuria Bern.

(*a*) *Ita apud Aug. Cæt. edit.* animosi. — (*b*) *Item* cum. — (*c*) *Apud Greg.* ejusdem. — (*d*) *Ita apud Bern. Cæt. edit.* innuit. — (*e*) *Item* specie. — (*f*) *Forte leg.* commendatur.

volam arbitratur, ut ne vereatur dicere, ideo Christum pauperem factum, quia non omnes possunt divites fieri. Si igitur possent omnes adipisci divitias, sicut et paupertatem assumere, æque bene vel magis, secundum hanc profanam doctrinam, Christus debuisset temporalibus bonis dives esse, quam pauper. Quod si verum est, paupertas in nullo præfertur divitiis ; nec magis est meritorium pro Christo pauperem fieri, quam possidere divitias. Quapropter, sicut Christus dixit adolescenti diviti [1] : *Vade et vende*, ita secundum hoc antichristianum dogma, dici potest et pauperi : Si vis perfectus esse, vade et posside. Insuper cum dicit, quod omnes possunt pauperes esse, aut intelligit de paupertate quæ habet aliquid in communi, cujusmodi est in collegiatis ecclesiis, et tunc est falsum, quia non omnes, etiam si velint, admittuntur ad collegia talia; aut intelligit de paupertate in qua nihil habetur, et tunc etiam falsum est, quia non omnes, salvis statibus, quos in Ecclesia universali Deus esse instituit, hanc possunt paupertatem eligere, sicut patet in regibus et principibus, militibus, popularibus, cæterisque habentibus uxores et filios. Et quoniam qui a recta veritatis via discedit, per devia vagatur errorum, hinc provenit, quod de Christi fuga in consequentibus loquens, in multa incidit falsa. Dicens quod Christus docuit honores esse fugiendos, non ecclesiasticos, sed mundanos, quia acceptavit honorem in Hierusalem sibi exhibitum ut prophetæ, qui prius fugerat honorem sibi oblatum ut regi, expresse textui contradicit evangelico. Nam in *Joanne* dicitur [2] *Benedictus qui venit in nomine Domini Rex Israel.* Et in *Marco* [3], quod turbæ clamabant dicentes : *Benedictum quod venit regnum patris nostri David.* Super quod Beda : « Non reprimit voces eorum, qui regnum patriarchæ David in eo restaurandum, et priscæ (*a*) benedictionis dona recuperanda concinunt. Ut quid igitur quod prius fugiendo declinavit, modo libens amplectitur, nisi ut aperte doceret, quod non temporalis et terreni, sed æterni in cœlis Rex esset imperii, ad quod profecto regnum, per contemptum mortis et gloriam resurrectionis perveniret (*b*)? » Ex his clarum est, quod Christo exhibitus fuit honor regalis, non prophetalis, seu sacerdotalis, ut dicit, quem tamen acceptavit propter mysterium nostræ salutis, et propter exemplum humilitatis, ut etiam ab his oblati honoris non recusaret obsequium, a quibus paulo post crucifigendum se esse sciebat. Tunc siquidem, inter laudantium et applaudentium voces, humilitatis et pietatis non immemor, super aselli tergum sedere non erubuit ; sed etiam copiosos lacrymarum imbres effudit. Per hunc etiam modum, quando discipulorum pedes humiliter abluit, se magistrum et Dominum esse, et dici debere monstravit : ut per declarationem regiæ celsitudinis, discipulos duceret ad imitationem ostensæ humilitatis. Mira igitur perversitas est, ea quæ Scriptura introducit in exemplum abjectionis, ad fomentum ambitionis intorquere, quasi non sit humilitatis virtus honores ecclesiasticos fugere, nec superbiæ vitium ad illos aspirare. Cujus contrarium dicit Gregorius in registro [4] : « Ego, » inquit, « viam capitis mei sequens, summopere decreveram esse opprobrium hominum, et abjectio plebis. » In quo manifeste ostendit quod in fuga ecclesiastici honoris est imitatio Christi. Idemque quoque in *Pastorali* [5] : « *Nolite plures magistri fieri* [6]. Hinc ipse Dei et hominum mediator regnum percipere vitavit in terris, qui supernorum spirituum scientiam sensumque transcendens, ante secula regnat in cœlis. Qui enim idcirco in carne venerat, ut non solum nos per passionem redimeret, verumetiam per suam conversationem doceret, exemplum se sequentibus præbens, rex fieri noluit, ad crucis vero pa-

[1] *Matth.*, XIX, 21. — [2] *Joan.*, XII, 13. — [3] *Marc.*, XI, 10. — [4] Greg., *ad Leand. Hispal.*, lib. IX, epist. CXXI. — [5] Id., *Pastor. cur.* part. I, c. III. — [6] *Jac.*, III, 1.

(*a*) *Ita apud Bed. Cæt. edit.* prece. — (*b*) *Cæt. edit.* perveniretur.

tibulum sponte pervenit, oblatam gloriam luminis fugit, pœnam probrosæ mortis expetiit, ut membra ejus discerent favores fugere, terrores minime timere, pro veritate adversa diligere, prospera formidando declinare. » Hucusque Gregorius. Si igitur Christus, in fugiendo regnum, se sequentibus exemplum dedit fugiendi gloriam, favorem et prosperitatem, et hæc non tantum inveniuntur in dignitatibus mundanis, sed etiam ecclesiasticis, constat, quod humilitatis est hæc refugere, ad perfectam humilitatis Christi imitationem, quantum fieri potest salvo zelo animarum salutis, et obedientia respectu superiorum, cum ipse Christus discipulis contendentibus, quis eorum videretur esse major, in *Matthæo* respondeat : [1] *Quicumque humiliaverit se sicut parvulus iste, hic major est in regno cœlorum.* Quod si forte quis dicat (sicut in consequentibus conatur astruere) hoc ad humilitatem spiritualem et interiorem, non ad corporalem et exteriorem debere referri; non modicum desipit, cum universorum Magister et Dominus, non solum spiritualis, sed etiam corporalis humiliationis exempla præbuit, quando discipulorum pedes lavit, et tersit, ubi et dixit [2] : *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis.* De quo Augustinus [3] : « Passurus Christus exitia, præmisit obsequia, non solum eis pro quibus erat subiturus mortem, sed etiam illi qui eum fuerat traditurus ad mortem. Tanta quippe est humanæ humilitatis utilitas, ut eam suo commendaret exemplo etiam divina sublimitas : quia homo superbus in æternum periret, nisi eum Deus humilis inveniret. Perierat autem superbiam deceptoris secutus; ergo humilitatem Redemptoris sequatur inventus. [4] Discamus (*a*), fratres, humilitatem ab Excelso; faciamus invicem humiles, quod humiliter fecit Excelsus. Magna est hæc commendatio humilitatis. Faciant (*b*) hæc sibi invicem fratres, etiam opere ipso visibili, cum se invicem hospitio recipiunt. Unde et Apostolus, cum benemeritam viduam commendaret [5] : *Si hospitio,* inquit, *recepit, si sanctorum pedes lavit.* Et apud sanctos ubicumque hæc consuetudo non est, quod manu non faciunt, corde faciunt : multo autem est melius, et sine controversia, ut etiam manibus fiat, ne dedignetur, quod fecit Christus, facere Christianus. Cum enim ad pedes fratris inclinatur corpus, etiam corde ipso vel excitatur, vel, si jam inerat, confirmatur ipsius humilitatis affectus. » His autem verbis ostenditur, quod humiliatio exterius facta in corpore, plurimum confert ad perfectionem veræ humilitatis in corde. Per hunc etiam modum, exterior rerum penuria, quanquam de se videatur inutilis, paupertati tamen spiritus juncta, non solum ipsius auget meritum, sed etiam valet ad plurima : propter quod recte designatur per evangelicam [6] illam margaritam, quæ tantæ pretiositatis est, ut pro illa emenda, distrahenda sint omnia.

Valet enim inter alia ad quatuor, scilicet ad exterminium iniquitatis, ad exercitium perfectæ virtutis, ad possessionem internæ jucunditatis, et ad publicationem evangelicæ prædicationis. Valet primo ad exterminium iniquitatis. Primum quidem, propter expiationem perpetratarum culparum. Est enim caminus quidem purgans, et eliminans sordes peccatorum, juxta illud Isaiæ [7] : *Elegi te in camino paupertatis.* Quod maxime de illa intelligi habet paupertate, quæ non tantum voluntatem interius per rerum contemptum afficit, verum etiam corpus per penuriam affligit. De qua Gregorius in homilia *de Lazaro et divite* [8] : « Mala, » inquit, « Lazari purgavit ignis inopiæ, et bona divitis remuneravit felicitas vitæ transeuntis. Illum paupertas afflixit, et tersit; istum abundantia remuneravit, et repulit. Quicumque ergo in hac vita bene habetis,

[1] *Matth.*, XVIII, 4. — [2] *Joan.* XIII, 15. — [3] Aug., *in Joan.*, hom. LV, n. 7. — [4] Ibid., hom. LVIII, n. 4. — [5] I *Tim.*, V, 10. — [6] *Matth.*, XIII, 46. — [7] *Isa.*, XLVIII, 10. — [8] Greg., *in Evang.*, hom. XL, n. 6.

(*a*) *Apud Aug.* didicimus. — (*b*) *Item* Faciunt.

cum vos bona egisse recolitis, valde de his pertimescite, ne concessa vobis prosperitas, eorumdem remuneratio sit bonorum. Et cum quoslibet pauperes nonnulla reprehensibilia perpetrare conspicitis, nolite despicere, nolite desperare : quia fortassis quod superfluitas tenuissimæ pravitatis inquinat, caminus paupertatis purgat. De vobis omnino pertimescite, quia nonnulla etiam male acta prospera vita secuta est. De illis vero sollicite pensate, quia eorum vitam magistra paupertas cruciat, quousque ad rectitudinem perducat. » Secundo, propter subtractionem occasionum peccandi, quæ sicut divitiarum affluentia crescunt, sic voluntaria paupertate minuuntur. Unde Chrysostomus dicit [1] : « Christianus in pauperie constitutus, quam cum divitiis, magis irradiat. Quomodo ? quia excludit a se superbiæ typhum; non erit arrogans, sed patiens, obtemperans, pudicus, mitis et sapiens. Qui vero in divitiis constitutus est, multa illum ad bona præpediunt. Inspiciamus ergo, quæ sunt quæ dives operatur : rapit aliena, æstuat cupiditate, nefandos non desinit pertractare concubitus, maleficia cuncta committit. Nonne universa hæc ex divitiis conspicis generari? Intueris quomodo in pauperie, magis quam in divitiis, virtutes facilius possidemus. Nec mihi dicas, quia in hac vita divites nullam vindictam suscipunt. Nam, cum omnibus malis suis, etiam hoc malum habent divitiæ, quia malignitate peccantes ab ultionibus tuentur, et qui divitias possidet, semper peccans, nulla pœna revocatur; sed sine ullis remediis munera suscipit peccatorum, et frænum illi nullus imponit. » Hucusque Chrysostomus. Quod si forte quis dicat, quod de pauperie occasionaliter multa mala oriuntur, respondet inferius, octavo decimo sermone : « Nemo causetur, » inquit [2], « de paupertate, quasi causa sit multorum malorum, neque obloquatur de Christo, qui perfectionem illam dixit : *Si vis perfectus esse*, etc. Hoc enim in verbis dixit, et operibus ostendit, et per discipulos suos docuit. Sectemur igitur paupertatem, maximum quippe bonum est. Nihil enim opulentius eo, qui paupertatem sponte diligit, et cum alacritatem suscipit. » Valetetiam tertio propter abscissionem vitiosarum radicum. Unde et Chrysostomus sermone eodem [3] : « Abjiciamus quæcumque corpus florere faciunt, vitiant autem animam, utpote sunt divitiæ, gloria (cuncta hæc carnis sunt), et amor corporum. Itaque non amemus ampliora, sed paupertatem semper consectemur, ista enim magnum bonum est. *Sed sapientia*, inquit [4], *pauperis pro nihilo habetur.* Et iterum [5] : *Divitias et paupertatem ne dederis mihi.* Et [6] : *Ex camino paupertatis libera me.* Quare ergo hæc dicta sunt? Hæc in Veteri Testamento dicebantur, ubi multa ratio divitiarum, ubi paupertatis plurimus erat contemptus, ubi hæc quidem maledictio erat, illud benedictio; sed nunc nequaquam ita est. Si vis audire paupertatis prædicamenta, ipsam professus est Christus, et dixit [7] : *Filius hominis non habet ubi caput suum reclinet.* Et iterum discipulis dicebat [8] : *Nolite possidere aurum, neque argentum.* Et Petrus dicebat ei, qui ex nativitate sua claudus erat [9] : *Argentum et aurum non est mihi.* Et in ipso quidem Veteri Testamento, nonne Elias præter melotam nihil habebat? nonne Elisæus? nonne Joannes?» Hucusque Chrysostomus paupertatis tolerantiam laudat, quia corporalium per eam rerum amor abscinditur, qui est prima radix vitiorum : laudat etiam, quia per ipsam abscinditur radix secunda, quæ est timor male humilians. Unde et consequenter adjungit [10] : « Vides quia quod maxime facit fiduciam, hoc est paupertas. Dives servus est, obnoxius est istis damnis, et tribuens omni volenti eum nocere; ille autem nihil habens, proscriptionem non timet, neque condemnationem :

[1] Chrysost., in Epist. *ad Hebr.*, hom. II, n. 5. — [2] Ibid., hom. XVIII, n. 3. — [3] Ibid., n. 2. — [4] *Eccle.*, IX, 16. — [5] *Prov.*, XXX, 8. — [6] *Psal.* XXIV, 17, quoad sensum. — [7] *Matth.*, VIII, 20. — [8] Ibid., X, 9. — [9] *Act.*, III, 6. — [10] Chrysost., ubi sup. prox.

Nequaquam ergo paupertas facit sine fiducia esse. Christus cum paupertate mittebat apostolos in causam opus habentem fiducia multa. Valde enim fortis est pauper, non habet unde injuriam patiatur. » Hæc verba Chrysostomi intelligi non possunt nisi de paupere, qui nihil penitus habet. Ex his igitur patet, quod voluntaria paupertas non modicum valet ad exterminium iniquitatis.

Valet etiam ad exercitium virtutis perfectæ. Primum quidem, quia per eam virtus acquisita probatur. Unde Ambrosius primo libro *de Officiis* [1] : « Non potest quis præmium accipere, nisi legitime certaverit, neque est gloriosa victoria, ubi non fuerint laboriosa certamina. [2] Ideoque Dominus in Evangelio [3] : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Non dicit : Beati divites, sed pauperes. Inde enim incipit beatitudo divino judicio, ubi ærumna æstimatur. » Hæc Ambrosius. Constat autem quod ærumna non est in paupertate ratione contemptus rerum in mente, sed ratione penuriæ temporalis, quam sustinemus in corpore. Secundo etiam valet, quia per eam virtus probata custoditur. Unde Hieronymus [4] : « Crates ille Thebanus, homo quondam ditissimus, cum ad philosophandum Athenas pergeret, magnum auri pondus abjecit, nec putavit se virtutes posse simul, et divitias possidere. [5] Denique et tu, audita sententia Salvatoris [6] : *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et veni, sequere me* : verba verte (*a*) in opera, et nudam crucem nudus sequens, expeditior et levior ascendis scalam Jacob, purisque manibus et candido pectore, pauperem te spiritu et operibus gloriaris. » Valet etiam tertio, quia per eam virtus custodita expeditius in finem perducitur, juxta quod dicit Chrysostomus super Epistolam ad Hebræos sermone secundo [7] : « Non habentes divitias, non propterea doleamus; sed gratias magis universorum Deo et Domino referamus, quia nos parvo labore eamdem mercedem poterimus, quam divites, promereri, et si voluerimus, etiam ampliorem. Nam ex parvis magna lucramur. » Huic etiam Gregorius consonans in homilia [8] : « Regnum, » inquit, « cœlorum tantum valet, quantum habes. » Et iterum [9] : « Ante Dei oculos nunquam est vacua manus a munere, cum arca cordis repleta fuerit bona voluntate. » Quapropter cum voluntas, ubi deest possibilitas, pro facto reputetur, et facilius sit sanctis pauperibus velle quam divitibus bonis velle vel facere, multum igitur facit paupertatis inopia ad virtutis expeditionem. Si ergo, voluntaria temporalium rerum penuria, virtus probatur, conservatur et expeditur, manifeste convincitur, quod eminentia paupertatis plurimum confert ad exercitium perfectæ virtutis.

Consequenter etiam valet ad fruitionem jucunditatis internæ. Primo ratione extrinsecæ securitatis. Unde Chrysostomus, homilia ultima *super Matthæum* [10] : « Divitem necesse est multis indigere, et turpiter servire, formidare et suspicari, et timere eorum qui suspicantur oculos, et calumniatorum ora, et avarorum concupiscentias; sed non paupertas est aliquid tale, sed contrarium universum : regio (*b*) est non subjecta furibus, sed munita, portus tranquillus, palæstra, et gymnasium philosophiæ. » Constat autem quod paupertas furibus non subjacens ea potissimum est, in qua nihil habetur; de qua et subdit ibidem : « Audite, quicumqne pauperes estis, magis autem qui ditari cupitis. Non pauperem esse malum est, sed non velle pauperem esse; et neque malum existimes paupertatem, et non erit tibi malum : et si philosopharis, decem millium erit bonorum fons et origo. » Nec tantum securitatem dat penuriosa paupertas in hoc

[1] Ambros., *de Offic.*, lib. I, xv, 58. — [2] Ibid., xvi, 59. — [3] *Matth.*, v, 3. — [4] Hieronym., *ad Paulin.*, epist. xiii, col. m 120. — [5] Ibid., col. 119. — [6] *Matth.*, xix, 21. — [7] Chrysost., in Epist. *ad Hebr.*, hom. ii, n. 5. — [8] Greg., *in Evang.*, hom. v, n. 2. — [9] Ibid., n. 3. — [10] Chrysost., *in Matth.*, hom. xc, al. xci, n. 3.

(*a*) *Apud Hieron.* vertis. — (*b*) *Cæt. edit.* regia. Gr. χωρίον.

sæculo, verumetiam in futuro judicio. Unde Bernardus, super Psalmum *Qui habitat*[1]: « Felix paupertas voluntarie relinquentium omnia, et sequentium te, Domine Jesu. Felix plane, quæ tam securos, imo et tam gloriosos faciat in illo singulari fragore elementorum, in illo tremendo examine meritorum, in illo tanto discrimine judiciorum. » Secundo ratione expectatæ mercedis. Unde super illud Job[2] : *Deridetur justi simplicitas, lampas contempta apud cogitationes divitum, parata ad tempus statutum*, dicit Gregorius[3] : « Statutum quippe contemptæ lampadis tempus est, extremi judicii prædestinatus dies. Tunc reproborum oculis patescet, quod cœlesti potestate subnixi sunt, qui terrena omnia reliquerunt. Quisquis enim divini amoris stimulo excitatus, hic possessa reliquerit, illic procul dubio culmen judiciariæ potestatis obtinebit, ut simul tunc cum judice judex veniat, qui nunc, consideratione judicii, sese spontanea paupertate castigat. » Liquet autem, quod paupertas pro qua quis deridetur et contemnitur, ea potissimum est, quæ annexam habet exteriorem penuriam, et vilificationem. Unde Bernardus[4] : « Duo habet paupertas sequentium Dominum, afflictionem scilicet, et vilitatem, de quibus Propheta : *Vide*, inquit[5], *humilitatem meam et laborem meum;* et propterea *in terra sua duplicia possidebunt*[6], ut pro pudore sit honor judiciariæ potestatis, pro labore refrigerium placidissimæ sessionis. Hæc enim est, quæ castigat, purgat, probat, humiliat et exaltat. » Hanc igitur rationem mercedis concomitatur lætitia mentis. Unde super illud Psalmi[7] : *Ego sum pauper et dolens, salus tua, Deus, suscepit me ;* Glossa : « Laudabo in me, et in membris meis, nomen Dei cum cantico, id est, cum delectatione, quia si omnia desunt, nec tamen illi deest mentalis juncunditas, propter quod subditur[8] : *Videant pauperes, et lætentur : quærite Deum, et vivet anima vestra.* » Tertio quoque ad hoc ipsum valet ratione superinfusæ consolationis. Unde Chrysostomus *super Matthæum*[9] : « Descendamus, » inquit, « ad paupertatis caminum, videamus qui ambulant in eo, et elatorum colla conculcant, videamus miraculum et paradoxum, hominem in camino psallentem, in igne gratias agentem, paupertati ultimæ alligatum, et multam ferentem Deo laudationem. Etenim pueris illis tribus similes sunt, qui paupertatem cum gratiarum actione ferunt : nam et igne (*a*) terribilius paupertas incendere consuevit ; sed pueros illos nequaquam incendit. Ita et nunc si in paupertate gratias egeris, vincula dissolvuntur, et flamma extinguitur ; et si non extincta fuerit, quod multo mirabilius est, pro flamma ros oritur. Quod et in philosophantibus est videre, quoniam in paupertate divitibus copiosius disponuntur, et in medio camino rore puro potiuntur. Etenim maximus est ros, non detineri concupiscentia divitiarum. Et illi tunc contemnentes regem, facti sunt rege clariores, et tu utique, si despexeris mundana negotia, omni mundo eris honorabilior secundum sanctos illos, quibus dignus non erat mundus. Ut igitur dignus cœlis efficiaris, deride præsentia ; ita enim et hic clarior, et futuris potieris bonis. » Hucusque Chrysostomus, evidenter ostendens, quod voluntaria paupertas et rerum penuria est quam maxime utilis ad fruitionem internæ jucunditatis.

Valet quarto ad publicationem evangelicæ prædicationis. Primum, quia facit eam magis credibilem. Unde Chrysostomus, ubi supra[10] : « Talis est luminis virtus, ut non solum luceat, sed et illuc ducat illos, qui sequuntur. Cum enim viderint omnia præsentia nos contemnentes, et ad futura præparatos, ante omnem sermonem operibus nostris credent. Quis enim ita est amens, ut videns

[1] Bern., in Psal. *Qui habitat*, serm. VIII, n. 12. — [2] *Job*, XII, 4-5. — [3] Greg., *Moral.*, lib. X, c. XXXI, al. XVII, n. 52. — [4] Bern., serm. CLI. — [5] *Psal.* XXIV, 18. — [6] *Isa.*, LXI, 7. — [7] *Psal.* LXVIII, 30. — [8] Ibid., 33. — [9] Chrysost., *in Matth.*, hom. IV, n. 12. — [10] Chrysost.

(*a*) *Cæt. edit.* ignem.

eum qui et ante lasciviebat, et ditabatur, omnia exutum, et ad famem, et inopiam, et duram vitam, sanguinem, occisionem et omnia quæ videntur periculosa, præparatum, non manifestam accipiat hinc futurorum demonstrationem? Si autem nos præsentibus implicaverimus, et immiscuerimus, qualiter poterunt credere, quod ad possessionem aliam festinemus? » Hucusque Chrysostomus. In his clare demonstrat, quod voluntariæ paupertatis exemplum in prædicante, magis credibilem facit evangelicam prædicationem. Secundo etiam valet, quia magis reddit efficacem, juxta quod Damascenus, libro IV, dicit[1] : « Evangelium agnitionis Dei prædicatum est non bellis et armatis exercitibus adversarios devincens, sed pauci, nudi, pauperes, persecuti, verberati, mortificati, crucifixum in carne et mortuum, et dominantem prædicantes, sapientibus et insipientibus prævaluerunt. » Hæc Damascenus. Horum imitatores illi fuerunt, de quibus Eusebius in *Ecclesiastica historia*, libro tertio, dicit : « Quidam ardentiore divinæ sapientiæ cupiditate succensi, animas suas verbo Dei consecrabant, explentes perfectionis salutare præceptum, ut facultates suas primo pauperibus dividentes, expediti ad prædicandum Evangelium fierent. » Tertio, quia efficit eam magis acceptabilem. Unde Chrysostomus, super illud Matthæi[2] : *Dignus est operarius cibo suo,* dicit[3] : « Manifestum quoniam a discipulis eos cibari oportebat, neque ipsi magna sapiant adversus eos, qui dicebantur omnia præbentes, et nihil accipientes ab ipsis, nec illi rursus abscindantur tanquam despecti ab ipsis. » Cum igitur voluntaria rerum penuria Evangelii prædicationem magis reddat credibilem, efficacem, acceptabilem, ac per hoc auditores inducat ad fidem, erigat ad spem, alliciat ad charitatem, manifestum est, quod maxime valet ad evangelicæ veritatis publicationem. Cujus etiam evidens indicium est, quod per Apostolos pauperes rebus et spiritu, quanquam numero paucos, diffusa est evangelica veritas in orbem universum, ut de ipsis vere dictum sit[4] : *In omnem terram exivit sonus eorum.* Unde Chrysostomus *super Matthæum*[5] *:* « Si autem homines duodecim orbem terrarum converterunt, excogita quanta est nostra malitia, cum tanti existentes, eos qui reguntur non possumus corrigere, quos decem millibus mundis oportebat sufficere, et esse fermentum. [6] Sed signa, ait (*a*), habebant. Sed non signa eos mirabiles fecerunt. Multi enim et dæmones projicientes, quia iniquitatem operati sunt, facti mirabiles, sed puniti. Sed quid, inquam, est quod eos ostendit magnos? Pecuniarum contemptus, gloriæ despectus, ab omnibus vitæ hujus negotii ereptio; quæ si non habuissent, et si decem millia mortuos suscitassent, non solum nulli professissent, sed et seductores æstimati essent. » Hucusque Chrysostomus, qui et his patenter ostendit, quod nihil tantum valuit ad dilatandum Christi Evangelium, quam perfectus contemptus rerum mundanarum. Cum igitur voluntaria et penuriosa paupertas, sicut ex prædictis elucet, valores incomparabiles quatuor habeat triplicatos, recte designantur non solum per unam evangelicam margaritam, verum etiam per duodecim præfulgidas in portis novæ Hierusalem descendentis de cœlo, pro magno sui valore, miraque pulchritudine positas, quibus et nomina duodecim pauperum spiritu, Apostolorum scilicet, in fundamentis collocata respondent, seu per duodecim lapides in typico rationali quadruplici ordinatione distinctos, quo summus noster Pontifex adornatus apparuit, quando, ut nos reconciliaret Patri, nudus in cruce pependit. Cui etiam rationali et superhumerale, exemplum scilicet duodecim Apostolorum, tanquam vitta hiacynthina, charitatis affectu copulatur. Est enim

[1] Damasc., *de Fid. Orth.*, lib. IV, c. IV. — [2] *Matth.*, X, 10. — [3] Chrysost., *in Matth.*, hom. XXXII, al. XXVIII, n. 5. — [4] *Psal.* XVIII, 5. — [5] Chrysost., *in Matth.*, hom. XLVI, al. XLVII, n. 2. — [6] Ibid., n. 3.

(*a*) *Suppl.* aliquis.

hujusmodi paupertatis pretiositas non tantum multiplex, sed et magna, et incomparabilis omni pretiositati terrenæ ut ait Chrysostomus [1] : « Quid autem, si quis tibi proponeret facere fœnum aurum, et posse omnes pecunias ut fœnum contemnere? non utique hoc susciperes magis? et valde decenter, etenim hoc homines utique attraxisset : si enim viderent fœnum aurum effici, concupiscerent et ipsi hanc virtutem, ut sic moveretur et augeretur utique eis pecuniarum cupido. Si autem viderent omnes, ut fœnum, aurum despicientes, olim utique ab hac ægritudine eruti essent. » Idem quoque, homilia ultima [2] : « Si quis tibi principatus, et civiles potestates, et divitias, et lasciviam proponeret, deinde paupertatem ponens, electionem daret accipere quodcumque velles, hanc confestim raperes, si tamen cognosceres ejus pulchritudinem. [3] Mihi autem paupertas puellæ cujusdam pulchræ et speciosæ similis esse videtur. Cum hac Elias educatus est, beata illa raptura (*a*); cum hac Elisæus claruit, cum hac Joannes, cum hac Apostoli omnes. Sed et ipsam puellæ hujus pulchritudinem intueamur. Etenim oculus ejus est purus et præclarus, nihil habens turbulentum, sed mansuetum, tranquillus, delectabilis, ad omnes respiciens, mitis, humilis, nullum odio habens, nullum avertens : os illi et lingua sana est, continua gratiarum actione plena, et benedictione, et nutibus, verbis amicabilibus. Si autem vis et proportionem membrorum ejus videre, longa est, et multum excelsior quam superabundantia. Si autem fugiunt eam multi, ne mireris : etenim virtutes alias fugiunt insipientes. Sed contumeliis afficitur, ais, pauper a divitibus? Rursus mihi inopiæ laudem dicis, quoniam beatus est, qui convitium patitur. Sed hoc ferre admonet inopia. Si esurit pauper, et Paulus esuriebat, et in fame erat. Sed non habet, inquis, requiem? Neque Filius hominis habebat ubi caput reclinaret. » In his expresse declarat Os aureum, quod voluntaria rerum inopia non solum est magnæ pretiositatis ; sed etiam pulchritudinis miræ. Est etiam, et quod plus est, magni honoris, sicut idem vir sanctus ait *super Joannem* [4] : « Anima inopis quidem voluntarii fulget velut aurum, splendet ut margarita fulgens, florescit autem ut rosa. Non enim est illic tinea, non fur, non sollicitudo vitæ hujus negotiorum ; sed sicut angelus, ita conversatur. Vis hujusmodi animæ pulchritudinem videre? vis ipsius divitias addiscere? Non subjacet dæmonibus, sed assistit Deo : non militat cum hominibus, sed cum angelis : non habet arcas duas, vel tres, vel viginti, sed talem abundantiam, ut hunc mundum universum nihil esse æstimet : non habet thesaurum, sed cœlum : non indiget servis, magis autem habet servos passiones et cogitationes, quæ regum dominantur ; regnum autem, et aurum, et omnia talia, quemadmodum puerorum ludibria deridet, et sicut rotas ad pilam, hæc omnia æstimat esse contemptibilia. Habet enim mundum, quem neque videre, qui in his ludunt, possunt. Quid igitur hoc paupere melius est unquam? Pavimentum denique habet cœlum. Si autem pavimentum tale est, excogita tectum. Sed non habet, inquis, equos et currus. Quid autem ei his opus est, qui supra nubes vehi debet, et esse cum Christo? » Hucusque Joannes Os aureum, ignitis, fulgidis, ponderosis et pretiosis eloquiis, voluntariæ paupertatis, quæ penuriam rerum habet annexam, admirabilem celsitudinem, pulchritudinem pretiositatemque commendat. Quia tamen hæc non revelantur mundi sapientibus, juxta illud Domini in Matthæo [5] : *Abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis :* non proponuntur carnalibus, sed spiritualibus, juxta illud [6] : *Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas ante*

[1] Chrysost., *in Matth.*, hom. XLVI, al. XLVII, n. 4. — [2] Ibid., hom. XC, al. XCI, n. 3. — [3] Ibid., n. 4. — [4] Id., *in Joan.*, hom. — [5] *Matth.*, XI, 25. — [6] Ibid., VII, 6.

(*a*) *Suppl.* raptus est.

porcos, non innotescunt amatoribus divitiarum, sed paupertatem amantibus et expertis qui jam vicerunt mundum, juxta illud Apocalypsis[1] : *Vincenti dabo manna absconditum, et dabo ei calculum candidum, et in calculo nomen meum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit.* Ideo paupertas hujusmodi per *thesaurum absconditum* designatur *in agro, quem qui invenit homo, abscondit, et præ gaudio illius vadit, et vendit universa quæ habet, et emit agrum illum* [2]. Si quis igitur sanctæ paupertatis vult nosse valorem, aut ipse in se experiri studeat, aut expertorum sententiæ acquiescat, juxta quod Bernardus in epistola quam scribit ad Thomam, qui amore scientiæ retardabat propositum veniendi ad religionem, ait [3] : « Quam salubrius disceres Christum Jesum, et hunc crucifixum, quam utique scientiam haud facile, nisi qui mundo crucifixus fuerit, apprehendit. Falleris, fili, falleris, si te putas invenire apud mundi magistros, quam soli Christi discipuli, id est mundi contemptores, Dei munere assequuntur. Nec enim hanc lectio docet, sed unctio; non eruditio, sed exercitatio in mandatis Domini. » His sacris eloquiis Chrysostomus consonat *super Matthæum*, sic dicens [4] : « Verumtamen quæcumque dixero, nihil repræsentabit tale sermo, quale rerum experientia; ideo vellem quemdam illorum, qui in illum jam devenerunt philosophiæ verticem, nobis adesse, et tunc manifeste videremus hujus rei delectationem, et qualiter nulli eorum, qui diligunt paupertatem, acceptarent ditari decem millibus præbendis, [5] tanquam qui non lamentantur (*a*) in sollicitudinibus, sed rident, et saltant, et his qui diadema sibi circumponunt, magis in paupertate decorantur. » Si igitur hæc rerum experientia docet, et qui divitias et honores sæculi complectuntur, nec experti sunt, nec experiri volunt, necesse habent, qui ejusmodi sunt, super hac materia indicere sibi silentium, ne tanquam cæci de coloribus syllogizare videantur. Talium etenim temeritatem Hieronymus, ad Demetriadem scribens, redarguit : « Quidam, inquit [6], cum loqui nesciant, tacere non possunt, docentque scripturas quas non intelligunt, et cum aliis persuaserint, eruditorum sibi assumunt supercilium, prius imperitorum magistri, quam doctorum discipuli. Bonum est enim obedire majoribus, et parere perfectis, et post regulas scripturarum, vitæ suæ tramitem ab aliis discere, nec præceptore uti pessimo, præsumptione sua. » Hoc præceptore pessimo si is, cui respondemus, usus non esset, nequaquam in suggillationem paupertatis, commendationem temporalium possessionum, improba temeritate dogmatizare præsumpsisset. Quanquam enim interdum ex rerum inopia proveniant mala, et ex affluentia bona; nunquam tamen mala ex paupertate dilecta proveniunt, sed odita; nec bona ex amatis divitiis, sed contemptis, Salomone testante [7] : *Qui amat divitias, fructum non capiet ex eis.* Constat autem, quod sicut laus alicujus rei excitat ad illius amorem, sic et vituperium ad contemptum. Cum igitur contemnere divitias, et amare pauperiem, sit extirpatio vitiorum, et insertio virtutum, et e contrario contemnere pauperiem, et amare divitias, sit eradicatio virtutum, et insertio vitiorum; manifesta ratione concluditur, quod quemadmodum commendatio paupertatis spiritualium pauperum, et vilificatio divitiarum et divitum, doctrinæ competit Christi, sic et hujus contrarium asserere ad dogma profanum pertinet Antichristi. Unde Hieronymus, *De vita Paulæ* [8] : « Non laudis est possidere divitias, sed eas pro Christo contemnere; non inhiare ad honores, sed eos parvipendere. Propter quod et Paula fugiendo gloriam, gloriam merebatur, quæ virtutes quasi umbra sequitur, et appetitores sui deserens,

[1] *Apoc.*, II, 17. — [2] *Matth.*, XIII, 44. — [3] Bern., *ad Thom.*, epist. CVIII, 2. — [4] Chrysost., *in Matth.*, hom. XXXVIII, al. XXXIX, n. 3. — [5] Ibid., n. 4. — [6] Hieron., *ad Demetriad.*, epist. VIII, col. m. 76. — [7] *Eccle.*, V, 9. — [8] Hieron., *ad Eustoch.*, epist. XXVII, col. m. 220, 221.

(*a*) *Cæt. edit.* lamentabantur.

appetit contemptores. Sæculi homines suscipiunt eos, qui his pollent privilegiis; nos laudamus eos, qui pro Salvatore ista despexerint, et mirum in modum quos habentes parvipendimus, si habere noluerint, prædicamus. » Hucusque Hieronymus. Quod si forte hostis pauperum dicat, non se laudare honores et divitias sæculi, sed ecclesiasticos tantum; requiremus ab eo, si credat in horum appetitu esse periculum, an indifferentiam quamdam, an meritum? Si appetere ecclesiasticas divitias et honores, periculum credit, et tamen, dum laudat, appetibiles efficit, aut auditores suos decipit, aut insanit; si vero hæc appetere indifferens æstimat, nec istas laudando persuadere conatur, quod aliquis appetat, in vanum loquitur, et frustra laborat; si autem desiderare opes, et honores Ecclesiæ meritorium credit et sanctum, cum nullum vitium sit abominabilius cupiditate et ambitione personarum ecclesiasticarum, cum per hæc duo emi vel vendi soleat Spiritus sanctus, ut de domo Dei fiat spelunca latronum, non minus impugnat fundamentum christianæ religionis, quam evangelicæ paupertatis. In hoc igitur finis sit hujus tertiæ responsionis, quanquam non sit ejus, cui respondemus, partialis intercisio libri. Quia enim ex nunc ad ordinem spiritualem impugnandum se præparat, novam egreditur pugnam, novæ responsionis cum adjutorio Christi assumemus armaturam.

RESPONSIONIS QUARTÆ

CAPUT PRIMUM

In quo religio carentium loculis ab errore defenditur, et verum jus possessionis ecclesiasticæ declaratur.

Omnium malorum radicalis origo cupiditas, cum humanæ mentis arcem invaserit, tam dura tyrannide premit, ut ad idolorum redigat servitutem, et in bestialem transformet crudelitatem. Hujus testimonium evidens esse constat Judæ proditoris nequitiam, qui cum loculos haberet, de quibus cupiditatis suæ voracitatem famelicam mitigare volebat, modicæ tamen sibi repromissæ pecuniæ tanto est illectus amore, ut sitiret Salvatoris omnium sanguinem, et Auctorem vitæ venaretur ad mortem. Hac peste laborans et hic pauperum calumniator, tanquam Judæ discipulus, primo eis pacis osculum tribuit, ipsorum simulatorie commendando pauperiem; dehinc lethaliter percutit, dum loculis carentium pauperum professionem conatur arguere, non ut imperfectam, verum etiam ut erroneam, simulatoriam et iniquam. Ex quibus non solum Prælatorum, sed etiam clericorum, et religiosorum possessiones habentium, nititur animos ad ipsorum exterminium concitare. Primo igitur, quasi osculum præbens, quæstionem sibi proponit : « Sed dices : Condemnasne eos, qui loculos non habent, nec laborant? » Et postea subdit : « Non condemno, sed laudo, nec tamen habentibus præfero, quia non est discipulus super magistrum. » Et paulo post : « Etsi enim homo solus absque loculis possit vivere, tamen de congregatione, cui tanta competunt, credibile non est. » Dehinc subdit : « Respublica sunt loculi Christi. Si ergo Christi membrum es, cum Christo loculos habes. » Hæc enim sunt verba illius, in quibus, more Judæ, primo deosculatur, cum loculis carentes laudare se asserit; sed statim vulnus infligit, cum immediate subnectit, quod hoc Christus exemplo non docuit; ac per hæc demonstrat, quod loculis carere non sit perfectum, quia non est discipulus super magistrum. Certum est autem, quod nullus vir prudens abrenuntiat loculis, nisi ut Christo configuretur perfectius : omnis ergo talis, secundum hoc dogma profanum, est errore deceptus. Amplius, si non est credibile, quod congregatio aliqua sine loculis vivat, ut dicit, aut asserit hoc incredibile, quia difficile, aut quia impossibile; si quia difficile, tunc pari ratione non est credibile, quod aliqua congregatio sancte vivat et caste; si quia

impossibile, sed congregatio impossibile profitens, et se ad impossibile ligans, est superstitiosa, et vana, et fatua, ac per hoc reprobanda, quia erronea. Igitur loculos non habentes, secundum hujusmodi dogmatis assertionem, non sunt digni laude, sed reprobatione. Insuper, si quicumque membrum Christi est, cum Christo loculos habet, ut asserit, a destructione consequentis, qui loculos non habet, non est membrum Christi. Ex quo etiam sequitur, quod omnes pauperes nihil habentes, et prorsus omnia relinquentes, alieni sunt ab unitate corporis mystici, tanquam si is qui habere pecuniam noluerit, gratiam Christi habere non possit, ac per hoc beatior fuerit Judas qui loculos habuit, quam Petrus qui dixit [1] : *Argentum et aurum non est mihi.* Dum etiam, secundum hanc profanam sententiam, ipse Dominus Jesus non nisi in loculis inveniat locum, qui tamen, per Isaiam prophetam, locum suæ requietionis asserit [2] *super pauperculum et contritum.* Ecce qualis pauperum collaudator, qui etiam, ut sui pectoris virus abundantius evomat, eosdem nititur de hæresi duplici in consequentibus notabiles reddere, cum subjungit, allegans auctoritatem Augustini [3] *de Hæresibus*, et etiam *contra Faustum*, quod « quædam est hæresis nudis pedibus ambulantium, non quia propter corporis afflictionem sic ambulant, sed quia divina testimonia taliter intelligunt. Sic et Manichæi judicantur hæretici, non quia pecunias aut loculos non habeant, sed quia testimonia divina etiam ad hoc referre nituntur. » Hæc verba illius, in quibus foveam erroris aperit, quam non claudit. Nam ex his manifeste relinquit, quia si qui nudis pedibus incedunt et loculis carent, et ad hoc divina testimonia referunt, in duplicem hæresim incidunt, scilicet nudis pedibus ambulantium, et Manichæorum. Constat autem, quod hujusmodi pauperes ideo nudis pedibus incedunt, et loculis carent, ut illud Evangelii verbum ad litteram impleant, quod Dominus dixit [4] discipulis, ut non ferrent æs in zonis, nec calceamenta in pedibus. Ideo, secundum assertionem hujusmodi dogmatis impii, in duplicem hæresim sunt lapsi. Quod si verum est, per omnem modum apostolica erravit Ecclesia, quæ statum talium approbavit, et auctores hujusmodi hæresum catalogo Sanctorum ascripsit. Erraverunt nihilominus Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, Chrysostomus, Beda, Rabanus et Bernardus, qui omnes affirmant, quod documentum Christi ad Apostolos de non ferenda pecunia, sit intelligendum ad litteram, sicut manifestum est ex præallegatis auctoritatibus ipsorum, in præcedentis responsionis particula prima. Quod quia profanum est sentire de sanctis, necesse habet hic impositor errorum ad piam redire intelligentiam veritatis, si justa non vult feriri sententia damnationis. Attendat igitur insensatus et perfidus, quod divina testimonia dupliciter his aptari possunt, per modum videlicet consilii, vel præcepti. Si quis igitur ad nuditatem pedum et carentiam loculorum sic divina coaptat eloquia, ut ea per Scripturam astruat esse præcepta, et necessaria ad salutem, tanquam nullus salvari possit, nisi pedibus nudis incedat et loculis careat, dupliciter errat. Si quis vero ad hoc aptare nititur divina testimonia tanquam sint consulta, et supererogatoria, et ad salutem expedientia, non est censendus hæreticus, sed verus Christi discipulus; non Manichæus, sed verus Christianus. Et quod hic fuerit intellectus pii doctoris Augustini, manifeste colligitur ex verbis ipsius quinto libro contra Faustum [5]. Nam præmittens verba Fausti, in quibus se gloriatur Evangelium accipere, quia argentum et aurum dejecit, et æs in zonis habere destitit, et cætera his similia, postmodum respondet hoc ordine : primo ipsum ostendens hypocritam et mendacem, et tandem hæreticum, in hoc videlicet, quod Ecclesia distinguit in modo acci-

[1] *Act.*, III, 6. — [2] *Isa.*, LXVI, 3. — [3] August., *de Hæresib.*, hær. 68. — [4] *Matth.*, X, 10. — [5] Aug., *cont. Faust.*, lib. V, c. I.

piendi Evangelium, quantum ad perfectos et imperfectos, sed Manichæi nequaquam. Ait enim sic [1] : « Quam multi in nostra communione veraciter faciunt sublimia illa præcepta, de quorum specie fallitis imperitos! » Et assignatis paulo post in Ecclesia differentiis, subdit : « Neque enim illi soli, qui, ut sint perfecti, vendunt et dimittunt omnia sua, et sequuntur Dominum, pertinent ad regnum cœlorum ; sed huic militiæ christianæ propter quoddam commercium charitatis subjungitur etiam quædam stipendiaria multitudo, cui dicetur in fine [2] : *Esurivi, et dedistis mihi manducare ; sitivi, et dedistis mihi bibere.* Alioquin damnandi erunt illi, quorum domos tam diligenti cura componit Apostolus [3], monens mulieres subditas esse viris suis, viros diligere uxores, filios obtemperare parentibus. Sed absit ut istos a mandatis evangelicis alienos, et a vita æterna separandos judicet, quia ubi Dominus ait [4] : *Si quis non tulerit crucem suam, et secutus me non fuerit, non potest meus esse discipulus*, exhortans firmiores ad perfectionem, ibi statim et istos consolatus est, dicens [5] : *Qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet.* [6] Quid autem fallitis auditores vestros, qui cum suis uxoribus et filiis et familiis, domibus, et agris, vobis serviunt, si quisquis omnia ista non dimiserit, non accipiat Evangelium? Sed quia eis non resurrectionem, sed revolutionem ad istam mortalitatem promittitis, ut vita electorum vestrorum vivant, tam vana, inepta et sacrilega, qua et vos vivitis, quando valde laudamini, merito eos a mandatis evangelicis alienatis. » Hæc Augustinus : in quibus aperte demonstrat, quod aliqua Evangelii documenta perfectis conveniunt, sine quorum observantia imperfecti salvari possunt, et quod sententia Manichæorum fuit ad hoc omnes indifferenter astringi. Non ergo dicit Faustum errasse, quia diceret hæc intelligenda ad litteram, sed quia discernere noluit inter consilia et præcepta. Per hunc etiam modum, quod testimonium illud de non portandis calceamentis sit ad litteram intelligendum, multiplici patet attestatione sanctorum. Nam sacer Ambrosius, in libro *de Fuga sæculi*, sic ait [7] : « Jesus discipulos sine calceamentis et pecunia misit, ne secum terrena portarent. » Hieronymus etiam, ad Eustochium scribens [8] : « Moyses et Jesu Nave nudis in terra pedibus jubentur incedere, et discipuli sine calceamentorum onere et vinculis pellium, nudi ad prædicandum destinantur : et milites, vestimentis Jesu sorte divisis, caligas non habebant, quas tollerent. Nec enim habere poterat Dominus, quod prohibuerat in servis. » In his ostendit Hieronymus, quod non solum discipuli, sed etiam ipse Christus nudis pedibus incessit. Et quod ad litteram debet intelligi, idem quoque ad Ageruchiam *de Monogamia* [9] : « Discipuli toto orbe peregrini, non æs in zona, non virgam in manu, non caligas habuere in pedibus. » Joannes Chrysostomus, *super Matthæum* [10] : « Apostoli una tunica induti, et discalceati circumierunt, et omnes superaverunt. » Idem quoque dixit Jesus discipulis [11] : *Numquid aliquid defuit vobis, quando misi vos nudos et discalceatos?* Eusebius etiam *Ecclesiasticæ historiæ* libro sexto [12], in laudem Origenis pro eo tempore quo catholicus erat, sic ait : « Ante omnia vero præcepta evangelica, et voces Salvatoris summo amore et studio implendas esse dicebat, quibus præcipitur duas tunicas non habendum, neque calceamentis utendum, neque de crastino cogitandum. » Et paulo post : « Denique per multos annos traditur absque omni calceamento nudis pedibus incessisse. » Ex quibus, et antedictis, luce clarius constat, quod Christus nudis pedibus incessit, et Apostoli ad mandatum ipsius. Quod si quem forte movet verbum Baptistæ

[1] Aug., *Cont. Faust.*, lib. V, c. IX. — [2] *Matth.*, XXV, 35 — [3] *Coloss.*, III, 18-20. — [4] *Matth.*, X, 38. — [5] Ibid., 41. — [6] August., ubi sup., c. X. — [7] Ambros., *de Fug. Sæc.*, c. V, n. 25. — [8] Hieron., *ad Eustoch.*, epist. XXII, col. III. 178.— [9] Id., *ad Ageruch.*, epist. XI, col. 109. — [10] Chrysost., *in Matth.*, hom. XC, al. XCI, n. 3. — [11] *Luc.*, XXII, 35. — [12] Euseb., *Hist. Eccl.*, lib. VI, c. III, in fine.

dicentis [1] : *Cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamenti*, consideret textum et glossam. Nam Joannes ibi verbis mysticis et parabola utitur, cum Christum dicit [2] habere in manu ventilabrum et securim : propterea sicut per hoc intelligi debet districtio futuri examinis, sic per calceamenti corrigiam mysterium incarnationis. Unde Glossa [3] : « Calceamentum, incarnationis mysterium ; corrigia, mysterii ligatura. Non ergo valet Joannes corrigiam calceamenti solvere, quia mysterium incarnationis non sufficit explicare. » Et alia Glossa [4] : « *Non sum dignus corrigiam calceamenti solvere,* id est, nomen sponsi mihi non usurpo. » Est autem præfatum verbum, tanquam mysticum, spiritualiter intelligendum. Si quis vero contendat intelligendum hoc esse ad litteram secundum usitatum modum loquendi, attendat, quod conditionalis est hujusmodi sermo, quo quis eum, quem vult excellentem ostendere, dicit quod non sit dignus eum discalceare, etiam si calceamentis non utatur, quia hoc intelligitur, si uteretur. Verum si quis urgeat, quod Angelus dixit ad Petrum [5] : *Calcea te caligas tuas*, ac per hoc, quod Petrus non fuerit discalceatus, nec apostoli alii; audiat Bedam super hunc locum in originali dicentem : « Pro caligulis vel caligis, ut quidam habent, Græcus habet *sandalia*, hoc enim genus calceamentorum in Evangelio legitur Apostolis fuisse permissum. » Hæc Beda. Cui etiam consonat et Papias grammaticus dicens : « Caligæ vel caligulæ, id est, sandalia, dicta sunt a callo pedum, vel quasi a colligando, quia ad pedes ligantur. » Porro si quis, sensu carnis inflatus, asserat non esse conveniens Dominum ad litteram indixisse apostolis nuditatem pedum, tanquam vile aliquid et apostolicæ dignitati dissonum, et a tramite discretionis alienum, intelligat quod multiplex est ratio hujus informationis. Prima est ad indicium paupertatis extremæ. Unde in Luca [6] : *Quando misi vos sine sacculo, et pera, et calceamentis, numquid aliquid defuit vobis?* Quod pertractans Chrysostomus ait [7] : « Fortasse dicet aliquis, quoniam alia Christi præcepta rationem quidem habebant; non habere autem peram in via, neque calceamenta, neque duas tunicas, qua de causa jussit ? » Et respondet : « In omnem indigentiam exercitare eos volens, qui et superius nec de supervenienti die sollicitos esse concessit. » Secundo vero hoc persuasit in incitamentum humilitatis pœnitentiæ, secundum illud [8] : *Porro David ascendebat clivum Olivarum, scandens et flens, et operto capite, et nudis pedibus incedens.* In quo rex ille nobilis, totius pœnitentiæ et humilitatis exemplar, vere pœnitentibus præbebat exemplum. Cui etiam consuetudo ecclesiastica consonat, quæ ad iram Dei placandam in processionibus pedes nudat. Tertio, ad testimonium obedientiæ. Unde super illud Isaiæ [9] : *Sicut ambulavit servus meus Isaias nudus et discalceatus,* Glossa : « Ecce obedientia. Iste de regio semine fuit, et tamen per civitatem Hierusalem nudus pedes incessit. » Quarto, ad exercitium vitæ austeræ. Unde super illud Matthæi [10] : *Neque calceamenta in pedibus*, Glossa : « Et Plato dicit duas corporis summitates non esse velandas, nec assuetam fieri debere mollitiem capitis et pedum. Cum enim hæc habuerint firmitatem, cætera robustiora sunt. » Quinto, in signum elongationis ab omni carnalitate. Unde super illud Exodi [11] : *Solve calceamentum de pedibus tuis,* etc., Glossa : « Quia nullus Deo assistere, vel Deum videre potest, nisi cuncta desideria carnalia deponat. » Sexto ad perfectæ virtutis insigne. Unde Gregorius Nazianzenus, in laude religiosorum quorumdam sui temporis, post ipsorum dispersionem lugens et flens [12] : « Desiderabam, » inquit, « et intentis ac pen-

[1] *Luc.*, III, 16. — [2] Ibid., 17. — [3] Gloss. ex Bed., in hunc loc. — [4] Item ex eodem. — [5] *Act.*, XII, 8. — [6] *Luc.*, XXII,35. — [7] Chrysost., *in Matth.*, hom. XXXII, al. XXXI, 4. — [8] II *Reg.*, XV, 30. — [9] *Isa.*, XX, 3. — [10] *Matth.*, X, 10. — [11] *Exod.*, III, 5. — [12] Greg. Naz., Orat. XII, al. VI, n. 2.

dentibus oculis requirebam sanctum illum canentem chorum, laudem et gloriam offerentium Deo, qui in lege Domini meditantur die ac nocte, qui ad exemplum et commotionem (*a*) melioris vitæ omnibus vivunt, legis Dei atque Evangelii Christi taciti prædicatores. In quibus ipse quoque habitus præfert virtutis insignia, hirsutum caput, incultis et horrentibus comis, pedes nudi, et apostolis similes, indumenti vilitas, arrogantiam sæculi superbiamque condemnans, zona ipso suo neglectu pretiosior, parum quid cohibens necessitati (*b*). » Ne igitur nuditas pedum, quæ de se afflictiva et despicabilis est, tanquam inutilis et erronea, detestabilis habita tollatur de medio; idcirco in medium has Patrum auctoritates adduximus, non quia calceamenta reprobanda censeamus, nec quia calceatos de imperfectione notemus, cum et calceatorum et discalceatorum habitus, et loculos habentium et non habentium professiones, considerationibus et causis diversis Domino placeant, et multiformi quadam varietate sponsam Christi circumdatam, decoram, perfectam et admirabilem reddant.

Frustra igitur ad contumeliam nil habentium pauperum, quos supra de hæresi ac simulatione notaverat, sanctam matrem Ecclesiam vanis et falsis quibusdam laudibus, quasi mendacio suo indigeat, a vitio simulationis excusat, cum subsequenter annectit : « Sancta vero mater Ecclesia, supra montem posita, hæc se non habere non simulat, non quia harum rerum dominium habeatur; sed pro capite suo legatione fungens, eas fidelissime dispensat. » Hæc verba ipsius, in quibus duo contraria simul implicat, cum dicit, quod Ecclesia hæc se non habere non simulat, et postea subdit, quod nequaquam harum dominium habeat. Si enim ostendit Ecclesia se habere et sine simulatione, veraciter igitur habet, quia possidet jure, ac per hoc rerum dominium sibi veraciter vendicat. Qualiter igitur dicit, *non quia rerum dominium habeat, sed quia dispensat?* Non enim dicimur veraciter habere, quæ dispensamus tanquam aliena, sed quæ possidemus tanquam nostro jure mancipata. Porro si Ecclesia ostendit res temporales habere, et tamen non habet, contraria Manichæis simulatione laborat, dum illi simulant se non habere quod habent; hæc autem simulat habere in specie, quæ tamen non habet in veritate. Si autem Ecclesia non se habere asserit, non secundum veritatem, ut dicit, aliquid habet, non habere temporalia bona, ac per hoc nec etiam loculos, sanctæ matri Ecclesiæ veraciter competit. Ut quid igitur non habentes loculos, et se non habere profitentes, ut simulatores et hæreticos criminatur et damnat? Si vero, ut diximus, et vere habet, et veraciter habere se asserit, falso igitur bonorum Ecclesiæ dominium ab Ecclesia tollit, et sibimet etiam contradicit. Amplius, si rerum dominium non competit sanctæ Ecclesiæ, ut dicit, quicumque rei alicujus dominium habent, exclusi sunt ab ecclesiastica unitate, quod absque dubio spectat ad impietatem Manichæorum, sicut evidenter patet per allegatam superius auctoritatem Augustini *contra Faustum*. Dum igitur Christi pauperibus Manichæorum impietatem impingit, in eam, quam facit, foveam incidit, et in lacum demergitur, quem effodit. Quod si dicat se non intelligere de universali Ecclesia, sed particulari, utpote Ecclesia clericorum, adhuc false et impie sentit, dum omnes clericos habentes proprium, ab Ecclesiæ unitate secludit. Nequaquam igitur asseri potest Ecclesiam temporalia hujusmodi universaliter non habere, nec ejus contrarium, scilicet universaliter habere, cum quidam, salva veritate Evangelii et statu salutis, veraciter habeant, sicut propria, quidam sicut communia, quidam etiam utrisque careant, secundum quamdam perfectionis evangelicæ formam superius jam expressam. Verum quidem est, quod decimæ et oblationes Domino debentur, et jure divino deputantur

(*a*) *Leg.* commonitionem. — (*b*) *Item* tunicam.

Ecclesiæ: verum etiam nihilominus est, quod possessiones immobiles, ut agri, villæ, castra, civitates, comitatus, non tantum in jure divino, sed etiam humano in possessionem transeunt Ecclesiarum. Quod quanquam prudentibus omnibus virisque peritis luce clarius constat, tamen ad imperiti et procacis hominis revellendam proterviam, sacris Canonibus ostendendum est. Nam [1] : « Si quis de clericis documenta, quibus possessio Ecclesiæ firma tenetur, aut supprimere, aut negare, avertere, aut (*a*) fortasse tradere damnabili et punienda obstinatione præsumpserit, quidquid pro absentia documentorum damni Ecclesiæ illatum est, de propriis facultatibus reddat. » Item ait Gregorius dicens [2] : « Sicut Ecclesia proprias res amittere non debet, ita eam, rapacitatis ardore, alienas invadere non oportet. » Amplius ex concilio Agathensi [3] : « Si servos Ecclesiæ libertate episcopus donaverit, ea quæ in manumissione data illis fuerant, perpetua firmitate tenebunt. » Hæc Canon. Habet igitur Ecclesia servos. Sed ubi vera servitus, ibi verum dominium. Si igitur Ecclesia habere potest servos originarios, et ascriptitios, veram concluditur habere proprietatem, veramqne possessionem. Insuper, quod distinctis ecclesiis distincta dominia competant, aperte probatur per jura. Nam causa XVI, q. 2 [4], Nicolaus Papa : « Si quis Episcoporum in alienæ civitatis territorio, pro quacumque suorum infirmitate, ecclesiam ædificare disponit, non præsumat dedicationem facere, quæ illius est, in cujus territorio ecclesia surget. » Item eadem causa, q. 3, Gelasius [5] : « Istud annecti placuit, ut si, quod absit, facultates Ecclesiæ, necnon diœceses ab aliquibus possidentur episcopis, jure sibi vendicent, quod lex decimalis (*b*) conclusit, quia et filiorum nostrorum principum ita mandavit auctoritas. » Amplius, quæstione eadem, c. *Inter Memoratos* [6], ubi dirimitur quæstio limitum, ait Innocentius : « Si limes legitimus eamdem basilicam non concludit (*c*), et tamen (*d*) longi temporis probatur objecta præscriptio, appellatio præsentis (*e*) episcopi non valebit, quoniam illis (*f*) tricennalis objectio ponit (*g*) silentium. Hæc etiam sæcularium edicta Principum præcipiunt, et Præsulum Romanorum decrevit auctoritas. » Hæc Canon. In quibus non solum astruitur quod Ecclesiæ verum dominium habeant atque distinctum, quia mutuo inter se præscribunt, verum etiam quod id habeant secundum jus divinum pariter et humanum, pro eo quod præscriptio, sicut ex præallegato canone patet, ab edicto Principum trahit originem, approbato nihilominus per summi Pontificis auctoritatem. Hoc autem probatur patentius causa XI, quæst. 1 [7], ex verbis Ambrosii contra Auxentium : « Si tributum Imperator petat, non negamus, agri Ecclesiæ solvant tributum. » Sed qui ad tributum Cæsaris tenetur ratione prædiorum, prædia illa non tam divino jure possidet, quam humano, Salvatore teste, qui ait [8] : *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, et quæ sunt Dei, Deo.* Amplius, distinctione VIII, 8, ex verbis Augustini super Joannem [9] : « Quo jure defendis villas Ecclesiæ? divino aut humano? Divinum jus in divinis Scripturis habetur, humanum in legibus regum. Unde quisquis possidet quod possidet? nonne jure humano? Nam jure divino [10], *Domini est terra, et plenitudo ejus.* » Hæc Augustinus. Idem quoque, *super Joannem* [11] : « Noli dicere : Quid mihi et regi? Quid ergo tibi et possessioni? Per jura enim regum possidentur possessiones. Dixisti : Quid mihi et regi? Noli di-

[1] Decret. part. II, caus. XII, q. 2, c. XXXIII, ex conc. Agath., c. 26. — [2] Gregor., *ad Bonif. Regiens.*, lib. III, al. II, epist. XLIV, al. XLIII, et refertur in Decr., caus. XII, q. 2, c. 49. — [3] Conc. Agath., c. 7, et refertur, caus. XII, q. 2, c. 57. — [4] Scilicet n. 2, al. V, c. 1. — [5] Gelas., *ad Siculos*, epist. II, al. V. — [6] Scilicet, c. 6. — [7] Scilicet, c.27. — [8] *Matth.*, XXII, 21. — [9] Scilicet, c. 1, ex Aug., *in Joan.*, tract. VI, n. 25. — [10] *Psal.* XXIII, 1. — [11] August., ubi prox., n. 26.

(*a*) *Suppl.* adversariis, ut in canone. — (*b*) *Leg.* tricennalis, *ut in Decreto et apud Labb., al.* tricennaria. — (*c*) *Al.* conclusit. — (*d*) *Leg.* tam, *ut in Decreto.* — (*e*) *Al.* repetentis — (*f*) *Leg.* illi, *ut in Decreto.* — (*g*) *Item* imponit.

cere possessiones tuas, quia ipsa jura humana renuntiasti, quibus possidentur possessiones. » Quid his clarius dici potest ad ostendendum, quod Ecclesia temporalia bona veraciter possidet, jure divino pariter et humano? Verum, quia sacri Canones asserunt, quod ea quæ offeruntur ecclesiis Domino consecrantur, et quod earum dominium non habent, igitur ministri earum ea proprietate damnabili vendicant, et quod bona hujusmodi magis sunt cœlestia quam humana, magis communia quam privata; ideo, ut omnis contradictionis et dubietatis caligo tollatur de medio, intelligendum est, quod quadruplex est temporalium rerum communitas, ex quadruplici jure manans. Prima namque communitas, quæ manat ex jure necessitatis naturæ, qua fit ut omnis res ad naturæ sustentationem idonea, quantumcumque sit alicui personæ appropriata, illius fiat qui ea indiget necessitate extrema. Et huic communitati renuntiare non est possibile, pro eo quod manat ex jure naturaliter inserto homini, quia Dei est imago et creatura dignissima, propter quem sunt omnia mundana creata. Secunda communitas est, quæ manat ex jure charitatis fraternæ, qua fit ut omnia sint justorum, et communione quadam charitatis, quæ sunt propria singulorum, fiant universorum communia, secundum illud Apostoli [1] : *Omnia vestra sunt.* De qua Augustinus, ubi supra, loquens contra hæreticos Donatistas [2] : « Veniant, » inquit, « ad catholicam fidem, et nobiscum habeant non solum terram, sed eum qui fecit cœlum et terram. » Et huic communitati renuntiare est omnino illicitum, quia manat ex jure divinitus infuso, per quod est unitas in columba, id est in universali Ecclesia, a qua unitate et communione nullus potest discedere, servata divina lege, quæ tota completur charitate. Tertia est communitas, quæ manat ex jure civitatis mundanæ, qua fit ut unius imperii, regni vel civitatis, una fiat respublica, vel unius societatis mercatorum, vel pugnatorum, commune fiat lucrum vel damnum, vel unius indivisæ familiæ una sit communis hæreditas. Et huic communitati renuntiare est de perfectionis evangelicæ necessitate, quia talis communitas personalem includit proprietatem, quæ manat ex jure humanitus instituto, cui etiam annexa sunt quæ occasionaliter inducunt difficultatem ad bonum, et pronitatem ad malum, ac per hoc perfectioni evangelicæ adversantur. Et ideo animæ sanctæ hujusmodi suadetur dimissio, ut in Psalmis [3] : *Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui.* Quarta communitas est, quæ manat ex jure dotationis Ecclesiæ, qua fit, ut omnia bona, quæ conferuntur ecclesiis, Domino dedicentur, ad communem sustentationem ministrorum suorum, et pauperum. Et hæc communitas est in omnibus ecclesiis collegiatis habentibus possessiones. Et huic communitati renuntiare non est perfectioni necessarium, quia teneri potest salva perfectione, sicut apparet in Prælatis, et in Religiosis perfectis et sanctis : quia talis communitas manat ex jure divinitus ordinato, ut de altari vivat, qui altari servit, et illis sunt (*a*) omnia communia, quibus cor unum et anima una, unus pater spiritualis, et una norma vivendi. Huic tamen communitati renuntiare non est perfectioni contrarium, quin potius faciat ad evangelicæ perfectionis cumulum, pro eo scilicet quod talis communitas, quanquam manat ex jure divino, manat etiam ex humano, et (*a*) quia non solum spiritualis, verum etiam temporalis, et quia licet in ea non concludatur personalis proprietas, includitur tamen proprietas collegialis, cujus etiam quælibet persona de collegio particeps esse dignoscitur non solum quantum ad usum, verum etiam quantum ad dominium, dum unusquisque ipso jure actionem habet

[1] I *Cor.*, III, 22. — [2] August., *de correct. Donatist.*, epist. CLXXXV, al. L, n. 35, quoad sensum. — [3] *Psal.* XLIV, 11.

(*a*) *Leg.* sint. — (*b*) *Cæt. edit.* ut.

ad res ecclesiæ suæ recuperandas, et exceptionem ad defendendas, quod vere declarat dominii rerum ipsarum agentem, vel excipientem aliqualiter esse participem. Quoniam igitur valde difficile est, omnibus abdicatis, in sola paupertate gaudere; difficile nihilominus, omni proprietate exclusa, sola ecclesiastica esse contentum; ideo utrumque perfectum, non secundum humanam traditionem, ut adversarius pauperum asserit, sed secundum jus divinitus institutum : maxime cum hoc comitetur castitatis votum cum propriæ voluntatis abnegatione. Si quis vero pro sola abdicatione mundialium (*a*) facultatum, cum retentione quantalibet ecclesiasticorum reddituum, clericos asserat esse perfectos, eos vero solos imperfectos et claudos, qui quantumcumque exiliter de patrimonio vivunt, sicut hic calumniator pauperum dogmatizat, ecclesiasticæ perfectioni non modicum derogat. Quis enim quantumcumque parum intelligens non advertat, hoc esse insanum dicere, quod aliquis clericus de patrimonio victitans, vix habens victum et vestitum, sit imperfectus et claudus; qui autem quantoscumque redditus habet Ecclesiæ, si paternis bonis renuntiet, sit rectus atque perfectus? Quis ita claudus mentalibus pedibus, qui non libenter statum hunc mutaret in illum? Numquid talis est evangelicæ veritatis perfectio, quam velut sublimem et arduam Christus commendat et prædicat, ad qualem quis infirmus, imperfectus, claudus, cupidus, superbus, carnalis aspirat? Mirum certe, si via hæc nova, per quam aut nullus, aut rarus, perfectus sive imperfectus, incessit, antiquis præferenda est semitis, ut clericus, sumptus ad ecclesiasticos redditus, omni se denudet proprietate. Quis enim sæcularium clericorum nostris temporibus hoc perfecit? quis proposuit, quis etiam somniavit ut in susceptione ecclesiastici beneficii, paterna bona, cum his quæ habere posset, distraheret et erogaret pauperibus, et ipse deinceps voveret nihil habere proprium, soloque foret victu atque vestitu contentus? Hujusmodi propterea statum, qui vix aut nunquam in aliquo reperitur, extollere, nihil aliud est, quam corvinam albedinem prædicare; nil certe aliud quam proprii capitis sententiam veritati jam notæ præponere, ut sic filii hominum gravi corde, diligentes vanitatem, et quærentes mendacium, a Christi vestigiis avertantur, suaque sequantur phantasmata, errantes in invio, et non in via. Nec tamen negamus, eos qui bonis ecclesiasticis contenti sola necessaria retinent, et reliqua omnia pauperibus conferunt, ad quamdam perfectionem pertingere; perfectioni tamen religiosorum pauperum nullatenus coæquandam, sicut supra monstratum est tertia parte responsionis primæ. Huic ergo suisque complicibus a Salvatore veraciter dicitur [1] : *Væ vobis hypocritæ, qui clauditis regnum cœlorum ante homines, vos enim non intratis, neque introeuntes sinitis intrare.* Si enim per hanc venenatam doctrinam nonnulli credentes in sæculo se esse perfectos, retrahantur a religionis ingressu, nulli dubium est, quin sanguinem animarum illarum, quæ propter hoc in suorum peccatorum fæcibus remanserint, justus judex de ipsorum manibus in examine districto requirat, nisi per suam clementiam, ut oramus, eosdem veritatis suæ luce perfusos dignatus fuerit ab erroris devio revocare.

[1] *Matth.*, XXIII, 13. — (*a*) *Cæt. edit.* mundalium. — (*b*) *Item* visi. — (*c*) *Suppl.* velut.

CAPUT II

In quo professio fratrum Minorum veraciter carere ostenditur et appropriatione rerum, immobilium sive mobilium, et proprietate pecuniarum, tam in proprio, quam in communi.

Arrogantium hominum tumidæ mentes, qui mundi hujus vanitate pascuntur, gloriam sibi videntur conquisivisse non modicam, si veram simplicium sanctitatem nisi (*b*) fuerint (*c*) simulationem dolosam arguere, eorumque prudentiam spiritus ut insaniam reprobare. Quod ut efficacius perficere queant,

bona frequenter in mala convertunt, et in electis maculam ponunt. Verum est quidem, quod propter humanæ infirmitatis corruptelam, vix reperiri potest aliqua persona, vel status, ab omni macula reprehensionis immunis; sed et nos veraciter inficiari non possumus, quin inter perfectionis evangelicæ professores perversi sint aliqui, et imperfecti quamplurimi. Si igitur is, cui respondemus, insolentium vitia reprehenderet, præconia laudum reportare deberet; si etiam generaliter in personas maledicta congereret, deceret evangelicos viros ori suo silentium imponere, præsertim si divino motu id ageret, et per patientiam dissimulando convitia, pro maledicente rogare. Nunc autem, quia in totam Christi pauperum religionem venenatorum eloquiorum tela convertit, eorumque professioni erroris et simulationis crimen impingit, necesse habemus procacitati ipsius resistere, non quia velimus maledictiones pro maledictionibus reddere, sed quia sacram religionem intendimus ab objectis criminibus excusare. Assumens ergo personam Ecclesiæ, adversus pauperes præfatos invehitur, velut contra hostes ipsius. «Num,» inquit [1], «derident me juniores tempore, quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei? » aperte insinuans per hoc religiosos, contra quos loquitur, objurgandos ut Ecclesiæ inimicos, et adversus Ecclesiam insurgentes, ipsamque ut irrisores habentes contemptui, cum tamen, ut dicit vita ipsa, putentur indigni, steriles egestate ac fame, et in terra penitus non parentes. Quod quidem nihil aliud est, quam patrem suum Christi Vicarium, a quo status hujusmodi approbatus est, subsannando despicere, et partum sacræ Matris Sponsæ Christi Ecclesiæ irridere. Et ideo, juxta Salomonis sententiam [2], ipsius est oculus a corvis et aquilis, veritatis scilicet æmulatoribus, eruendus, ac per hoc veraciter contra hunc et complices ejus, novorum dogmatum inventores, dicere potest Ecclesia [1]: *Nunc derident me juniores tempore,* ut sic ictu proprio iniquus oculus eruatur; dum sagitta ferire nititur, ipse feritur (*a*). Dehinc zelum et verbum apostolicum sibi usurpans, cum tamen apostolicæ perfectionis impugnator magis sit quam imitator, subsequenter annectit: « *Utinam sustineretis me modicum: æmulor enim vos Dei æmulatione* [3]. Quid vos præ cæteris jactatis de perfectione? » Hæc verba ipsius. In quibus apostolicæ humilitatis oblitus, illud omittit quod potissime potuit dicere, *modicum quid insipientiæ meæ* [3]; dumque non insipienter, sed sapienter loqui se reputat, justo Dei judicio stultus effectus, in multas et magnas prorumpit insanias. Omnia enim fere, quæ subsequenter allegat, non solum insipientiam, sed et nequitiam sonant. Nequaquam enim, ut dicit, nos præ cæteris de perfectione jactamus, quanquam paupertatis celsitudinem, tanquam veræ perfectioni consonam commendemus. Nam sicut veraciter præfertur virginitas cuilibet gradui pudicitiæ, nec tamen ex hoc sequitur, quod status sacrarum virginum præferatur statui prælatorum vel virorum quorumlibet, qui ad hanc minime stringuntur, sic et circa differentias et gradus paupertatis oportet intelligi. Unde nec ille ait, ut asserit, quod hic status pauperum sit perfectior aliis, qui sibi aliquid retinent, nisi cum hac conditione, paribus conditionibus aliis ad perfectionem requisitis; sed nullus est omnino status, in quo conditiones omnes cum statu præfato per omnia parificentur. Non ergo potest ex hoc argui, quod omnibus statibus, vel alicui omnium, præferat statum suum. Magnæ ergo fuit malignitatis, occasione unius sermonis veracis et humilis, librum plenum invectionibus, et criminationibus falsis componere adversus totum ordinem pauperum, quasi parum superbo visum fuerit in unum Mardochæum mittere linguæ manum. Propter quod et detractiones in libello conscriptæ manifeste declarant auctorem non æmulatone Dei fuisse

[1] Verba sunt mutuata ex libro *Job*, XXX, 1. — [2] *Prov.*, XXX, 17. — [3] II *Cor.*, XI, 1, 2. — (*a*) *Leg.* feriatur.

succensum, sed potius stimulatione illius, cujus *invidia mors introivit in orbem terrarum* [1]. Cæterum confusionis babylonicæ filius, ut universos confundat Ecclesiæ status, pro viribus conatur astruere, quod nullus sit gradus, nullaque differentia in paupertatis professione. Nam, quibusdam frivolis interpositis, subsequenter subjungit : « In quo ergo gloriamini contra ministros Ecclesiæ, quia sicut nec vos, ita nec ipsi sunt possessores, quibus dominicarum possessionum tantum usus conceditur, non dominium, in tantum beatiores ac præferendi, quod res quibus utuntur æternum habent dominium, sed vestræ res sub potestate sunt terrestrium dominorum? » Hæc verba ipsius. In quibus omnia confundit, atque in tantum pervertit, ut in paupertate gradus non sit, aut si est, præferendus sit status clericorum, ecclesiasticis reditibus affluentium, statui quantumlibet pauperum, et pro Christi amore nihil habere volentium, quia illi utuntur rebus cœlestis et sempiterni dominii, hi terreni, quasi Christus exclusus sit a dominio rerum, quas laici possident, cum tamen sit Dominus universorum, et quasi Ecclesia non habeat rerum temporalium verum dominium, cujus contrarium evidenter monstratum est supra; et in hoc ipsius matris paupertatem fallaciter insinuat, ut potestatem veraciter impugnet. Denique, si verum est quod Ecclesia non habet cum suis ministris rerum dominium, sed tantum usum, ut quid consequenter professionem calumniatur pauperum, dicentium se nullarum rerum habere dominium, quamvis habeant usum, dicens, quod omnibus videatur hoc esse ridiculum, cum eorum, quæ per ipsum usum penitus consumuntur, ab usu dominium inter homines nullatenus distinguatur? Et dehinc irridendo subjungit : « Cæterum, quorum sunt pecuniæ quas per provincias non cessatis a divitibus petere, et in unum congregare, nisi aliquid habeatis commune? » Ut igitur præfatis, et his similibus, cavillationibus malignis et subdolis imponatur silentium, intelligendum est, quod cum circa res temporales quatuor sit considerare, scilicet proprietatem, possessionem, usumfructum, et simplicem usum, et primis quidem tribus vita mortalium possit carere, ultimo vero tanquam necessario egeat : nulla prorsus professio potest esse omnino temporalium rerum abdicans usum. Verum ei professioni, quæ sponte devovit Christum in extrema paupertate sectari, condecens fuit universaliter rerum abdicare dominium, arctoque rerum alienarum, et sibi concessarum, usu esse contentam. Unde et in ipsorum regula continetur : « Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem. » Porro ne quis forte proprietatem interdictam in his verbis credat non collegio, sed privatis personis, audiat quid super hoc Gregorius IX, fratrum consultationi respondet: « Dicimus,» inquit, « quod nec in communi, nec in speciali, debent proprietatem habere, sed ustensilium, et librorum, et eorum quæ licet habere, ordo usum habeat, et fratres, secundum quod Generalis, vel Provinciales ministri disponendo (*a*) duxerint, his utantur. Nec debent vendi mobilia, vel extra ordinem commutari, aut alienari quoquo modo, nisi Ecclesiæ Romanæ Cardinalis, qui fuerit ordinis gubernator, Generali, vel Provincialibus ministris, auctoritatem super hoc præbuerit, vel assensum. » Hæc verba rescripti papalis, in quibus sapiens et pius antistes proprietatem separavit ab usu, illam sibi vel Ecclesiæ retinens, hunc autem fratrum necessitati concedens, sancte quidem, sapienter et pie. Si enim temporalia bona pro aliis possidere ac dispensare, ubi etiam temporale recipitur emolumentum atque solatium, nihil de ratione perfectionis in prælatis diminuit, sicut ex tertia responsione clarescit; quanto magis, cum solum præsidium impenditur, et nullum temporale commodum expectatur, ipsius summi Pontificis salvatur perfectio, et ei accrescit meritum ante Deum? Quod si forte his quisquam conetur obsistere, ex

[1] *Sap.*, II, 24. — (*a*) *Leg.* disponendum.

eo quod jure cautum est, usum non posse perpetuo a dominio separari, respondebimus quod lex ista civilis non habet hic locum, quia hoc ideo jus civile decrevit, ne dominium inutile videatur, ac per hoc inane sit omnino. Nam retentio dominii hujusmodi rerum, cum concessione usus facta pauperibus, non est infructuosa, cum sit patri pauperum meritoria, et professioni filiorum Christo famulantium opportuna. Nec obstat quod adversarius objicit de rebus quæ usu consumuntur, quod in eis proprietas non separatur ab usu. Hoc enim fallit in peculio profectitio filii familias, ubi filius familias usum habet, et tamen proprietas nec ad momentum residet penes ipsum. Sic et de ordine hujusmodi pauperum, respectu Romanæ Ecclesiæ, intelligi debet. Sunt quippe de jure communi omnes Christi fideles summi Pontificis filii; peculiari tamen quodam jure hi sunt ejus obedientiæ subditi et curæ commissi; et ideo cum alii sint tanquam filii emancipati, quibus licet, auctoritate juris eis indulta, de bonis ecclesiarum suarum sine dilapidatione disponere, hi sunt tanquam parvuli et filii familias totaliter ipsius regimini deputati. Propterea sicut lege cavetur quod filius familias nec retinere, nec recuperare possessionem rei peculiaris potest, sed patri per eum quæritur, sic et in his pauperibus intelligendum est, quia rerum, eisdem collatarum ad sustentamentum ipsorum, patri pauperum deputetur dominium, illis vero usus. Sane quemadmodum essentiale cujuslibet religionis statui esse dignoscitur, quod nulla persona privata possideat aliquid proprium, sic nec hujusmodi pauperum religio tota, quæ quidem ad abdicationem proprietatis censetur sicut una persona. Quemadmodum igitur monachus, vel quivis religiosus utitur vestibus, calceamentis, cibis, ac cæteris quæ usu consumuntur, ita tamen quod nihil sibi appropriat quoad privatum dominium, nec propter talem usum efficitur proprietarius, quia proprietas semper collegio reservatur, sic et de collegio istiusmodi pauperum, summoque Pontifice intelligere debet, quicumque de professione ipsorum sentire vult tam vere, quam pie. Et propterea, sicut illud quod datur monacho, qualiscumque sit intentio dantis, non in ipsius transit dominium, sed totius collegii, et subjacet dispositioni abbatis, etiamsi dans nihil de collegio cogitet, sic quidquid datur congregationi Minorum fratrum, in jus, dominium et proprietatem summi Pontificis et Romanæ Ecclesiæ transit: præcipue cum ipsi fratres jus, seu proprietatem alicujus rei sibi acquirere nulla ratione intendant. His autem, quæ dicta sunt, suffragatur legis naturalis dictamen, evidenter explicatum per jura civilia. Nam lege cavetur, quod non potest libertas nolenti acquiri, et quod beneficium invito non datur, et quod nemo donatum assequi, et damnosam seu lucrosam hæreditatem nemo adire compellitur. Insuper, sicut rerum universitas, puta hæreditas, solo animo acquiritur, ita solo animo contrario repudiatur; et sicut nuda voluntate extraneus hæres fit, ita ex contraria destinatione statim ab hæreditate repellitur. Propter quod et Jurisconsultus Julianus ait: « Pro hærede gerere, non tam facti, quam animi est. » Cui et alius, scilicet Jurisconsultus, consonat dicens: « Furiosus et pupillus sine tutoris auctoritate non possunt incipere possidere, quia affectionem tenendi non habent, licet res suo corpore contingant, sicut si dormienti aliquid in manu ponatur. » Patet igitur per hæc verba legis expressa, neminem posse proprietatem, sive dominium, imo nec possessionem acquirere, nisi vere vel interpretative animum habeat (*a*) acquirendi. Cum igitur fratres Minores animum acquirendi non habeant, quin potius voluntatem contrariam, etsi res corpore contingant, nec dominium, nec possessionem acquirunt, nec rerum hujusmodi possessores, vel domini, dici possunt. His autem robur præbet pontificalis auctoritas, quæ tam eminens est, ut omnia jura humana transcen-

(*a*) *Cæt. edit.* habet.

dat, ut Extra, *de Majoritate et obedientia*, cap. *Solitæ*[1] : « Ad firmamentum cœli, id est universalis Ecclesiæ, fecit Deus duo luminaria magna, id est, duas instituit dignitates, quæ sunt pontificalis auctoritas, regalisque potestas. Sed illa quæ præest diebus, id est spiritualibus, major est; quæ autem noctibus, id est carnalibus, minor : ut quanta est inter lunam et solem, tanta et inter reges et pontifices differentia cognoscatur. » Cum igitur tantæ sit auctoritatis potestas imperialis, ut non arctetur legibus, sed ipsa sit legis origo, et in tantum possit, ut ea quæ fuerunt, pro non factis habenda statuerit, ut patet in lege postliminii, qua bello captus et servus effectus decernitur semper fuisse liber et præsens, et ea quæ non fuerint pro factis habenda decernit, sicut patet c. *de inofficioso testamento*, in quo de postliminio nulla fit mentio, et tamen judicatur mentio facta : si, inquam, tantum potest regalis potestas, multo fortius pontificalis auctoritas, quantumcumque usus et dominium in aliquibus rebus secundum jus civile censeantur esse conjuncta, decernere poterit in personis aliquibus esse separata. Quod circa Ordinem prædictorum fratrum Minorum Christi Vicarius sua auctoritate confirmans, sic esse decrevit, cujus diffinitioni contraire nullatenus licet. Nam Gregorius ait : « Nulli fas, vel velle, vel posse transgredi Apostolicæ Sedis præcepta. Sit ergo ruinæ suæ dolore prostratus, quisquis voluerit Apostolicæ Sedis contraire decretis. » Nulla igitur possunt ad hujus status impugnationem allegari jura civilia, nulla etiam jura canonica. Nam Extra, *de electione*, can. (*a*)[2] : « Romanæ Ecclesiæ legem nulla concilia præfigunt, cum omnia concilia per Romanæ Ecclesiæ auctoritatem et facta sint, et robur acceperint, et eorum statutis Romanæ Ecclesiæ patenter excipiatur auctoritas. » Nulla etiam præcedentinm Pontificum statuta obsistunt, ut Extra, *de electione*, cap. *Innotuit*[3], ubi dicit Innocentius tertius : « Per prædecessorem nostrum non fuit nobis adempta facultas, cum ea non fuerit prohibentis intentio, qui successoribus suis nullum potuit in hac parte præjudicium generare, pari post eum (imo eadem) potestate functuris, cum non habeat imperium par in parem. » Et hæc quidem dicta sufficiant ad cavillationes malignantium hominum revellendas. Nam quantum ad testimonium veritatis, summi legislatoris Christi Solisque justitiæ exemplum sufficit, atque consilium : qui cum sit juris naturalis, civilis, canonici ac divini principalis origo, sacro suo sanxit eloquio temporalium rerum dominium abjiciendum esse perfectis, cum tamen sufficientiam quantum ad usum eisdem concesserit, promiserit atque persolverit. Insuper ut, quod docebat verbo, confirmaret exemplo, alieno cibo voluit sustentari, sicut evangelica narrat historia, et Hieronymus *ad Nepotianum* dicit[4], et evidentius patet ex præcedenti responsione.

Porro de dominio pecuniarum, quæ ad sustentationem præfatis fratribus conferuntur, indubitanter tenendum est, quod nullatenus ad ipsorum collegium spectat, cum in ipsorum regula sit præceptum, quod fratres nullo modo denarios vel pecuniam recipiant, per se, vel per interpositam personam. Et ut omnis tollatur de medio calumniandi materia, intelligendum est, quod persona interposita, cui pecunia dispensanda committitur, intelligi potest recipere ac tenere ipsam auctoritate dantis, vel auctoritate illorum, pro quorum necessitate relevanda donatur. Si auctoritate dantis retinet et dispensat, sic ipsius est procurator, seu nuntius, et dans potest repetere, recipere, et agere contra eum in causa, ad recuperationem pecuniæ ; non autem ille, pro quo dispensanda committitur. Et hoc non debuit nec potuit inhiberi pauperibus mendicantibus, quin per

[1] Decretal., lib. I, tit. XXXIII, c. 6. — [2] Decretal., lib. I, tit. VI, c. 4, Paschalis Panormit. Archiep. — [3] Scilicet c. 20. — [4] Hieron., *ad Nepotian.*, epist. II, col. III. 17.

(*a*) Suppl. *Significasti*.

interpositam personam ipsorum valeat relevari necessitas, quia valde absurdum est intelligere, quod cuivis diviti non liceat eleemosynam per seipsum, aut per alterum, pro sua voluntate conferre. Quod si reservet auctoritate illius pro quo dispensanda est, ei competit et in causam trahere, et cætera agere, quæ potest quisquis verum rei sibi vendicavit dominium. Et hoc, quia professioni fratrum nullatenus convenit, beatus Franciscus expresse inhibuit, quia secundum veritatem quantum ad proprietatem rei non refert, utrum quis hoc modo recipiat per propriam manum, vel alienam. Hanc autem differentiam, et naturalis ratio docet, et jus scriptum papale declarat. Sicut enim multum refert, utrum qui ministrat alicui, sit ipsius servus, vel alicujus excellentioris personæ minister, pro cujus voluntate et imperio ministerium illud impendit, quemadmodum differunt ministerium servile et liberale, ministerium humanum et angelicum; sic multum differt utrum ille intermedius nuntius personam teneat dantis, vel accipientis. Secundum etiam jus civile multum differt, cum creditori debitor pecuniam soluturus, aliqui intermediæ personæ committit, utrum ille medius sit procurator debitoris, an creditoris. Si enim procurator est creditoris, et pecunia perdatur ante solutionem, ipsi creditori perditur, et jam pro soluta habetur; si autem procurator sit debitoris, ipsi perditur, et adhuc solvenda est, non pro soluta habenda. Juxta hunc modum Dominus Gregorius IX, vir utique tam divino, quam humano jure peritus, qui mentem beati Francisci plenius noverat, sic diffinitive respondet : « Quod si rem sibi necessariam velint fratres emere, vel solutionem facere pro jam empta, possunt vel nuntium ejus a quo res emitur, vel aliquem alium volentibus sibi eleemosynam facere, præsentare, qui taliter præsentatus a fratribus, non est eorum nuntius, sed illius potius, cujus mandato solutionem facit, seu recipientis eamdem, qui elemosynam sibi commissam potest, sicut et dominus, apud specialem vel familiarem fratrum amicum deponere per ipsum, loco et tempore pro ipsorum necessitatibus, sicut expedire viderit, dispensandam. » Hæc verba rescripti papalis; ex quibus patenter elucet, quod fratrum Minorum regula non discordat a vita, nec communis ipsorum modus vivendi discordat a regula. Nequaquam igitur profitentur, quod nullus eis provideat, et eleemosynam faciat per se, vel per interpositam personam, quia hoc collegio mendicantium pauperum, et impossibile foret, et stultum; sed quod ipsi, juxta formam in Evangelio traditam evangelicis viris, pecuniam nullo modo possideant. Si forte quis dicat in carentia pecuniæ nullam prorsus esse sanctitatem, non tam infert calumniam regulæ pauperum, quam Evangelio Christi, in quo apostolis inhibitam fuisse constat pecuniam, sicut et textus expresse dicit, et sanctorum testimonia astruunt. Quod quidem nullatenus a magistro veritatis credendum est perfectissimis viris fuisse propositum, nisi scivisset per hoc meritum eis accrescere perfectæ virtutis, et præcipuæ sanctitatis. Cum enim magnæ sit difficultatis ignotas regiones, et aridas terras, sine sufficientia stipendiorum peragrare, quia tales necesse habent vitam istam transigere in fame, siti, frigore et nuditate, omniumque rerum penuria, si nullum hoc modo viventibus meritum sanctitatis accresceret, hoc dicere, hoc profiteri, sic vivere, nihil aliud esset, quam insanire. Verum, sicut ex ultima præcedentis responsionis particula patet, penuriosæ paupertatis duodenario apostolorum primo impositæ, duodecim sunt utilitates eximiæ, mirique valoris, quas typici rationalis duodecim lapides pretiosi designant. Et quia illos hostis hic pauperum ignoraverat, ideo margaritas has porcorum more conculcans, ore polluto in hæc blasphemiæ verba prorumpit : « Si, » inquit, « in pecuniæ carentia, sive ut non tangeretur, S. Franciscus sanctitatem credidit, vel perfectis a Domino inhibitam san-

civit, audacter loquor coram Domino, quod erravit. » Sed constans est quod beatus Franciscus non ob aliud possessionem, seu contrectationem pecuniæ, imitatoribus suis inhibuit, nisi quia in hoc esse aliquam sanctitatem, et pia fide credidit, et certa veritate cognovit : non quia mala sit pecunia, vel quia census formaliter sive causaliter sit in culpa, vel quia pecunia et contrectari possit, et non possit absque peccato; sed quia, inter cætera quæ possidentur, pecunia maxime est illecebrosa, et de facili est illectiva, et distractiva non solum imperfectorum, sed etiam perfectorum, et quia Spiritu sancto dictante percepit, quod sanctitatis est non tantum peccata cavere, verum etiam occasiones peccatorum refugere : ideo veraciter in hoc sanctitatem credidit, et non erravit. Quod igitur hunc Christi imitatorem præcipuum, ipsius insignitum stigmatibus, ascriptum catalogo sanctorum, et ab universa Ecclesia in veneratione susceptum, asserit errore deceptum fuisse, maxime in professione et observantia evangelicæ vitæ, non solum ipsum impugnat, et universalem Ecclesiam, sed quod plus est, Magistri veritatis, et apostolorum ejus doctrinam blasphemat, et vitam. Insuper et professores hujus regulæ, tanquam approbatores erroris, ut alter Aman superbissimus, dignos esse judicat sententia temporalis mortis, et æternæ damnationis. Super qua quidem absurditate, quam aures piæ audire vehementer abhorrent, ipsis zelatoribus paupertatis sanctæ, magis lugendum credimus, quam loquendum, magis spiritualis Esther implorandum præsidium, quam versandum in pugna verborum. Te igitur, sacrosancta Romana Ecclesia, tanquam alteram Esther elevatam in populis, ut Ecclesiarum omnium matrem, reginam atque magistram, ad defensandam et docendam, tam morum, quam fidei veritatem, fiducialiter interpellat tuorum pauperum cœtus, ut quos genuisti ut mater, educasti ut nutrix, nunc etiam ut regina patenter (*a*) ac juste defendas : cum idcirco, dispositione faciente divina, pontificalis ac regiæ potestatis verticem supremum adipisci merueris, ut in arduis necessitatis articulis, ad defensandum Christi populum parareris. Exurge igitur, sancta mater, et judica causam tuam, quia si pauperum hic ordo Minorum recte profitetur veritatem Evangelii, tuum est : si a veritate in professione a te sancita deviat, tuum est : ac per hoc si professioni hujusmodi sanctæ error impingitur, tu quæ illam sanxisti, errasse assereris, et quæ magistra veritatis hactenus extitisti, nunc de approbatione erroris argueris, et a quibusdam modernis præsumptoribus velut juris divini et humani nescia derideris. Sed et tu, Regina mundi dignissima, defensatrix pauperum, et humilium advocata, longe sublimius quam Esther exaltata in populis, et præparata in tempore Mardochæi, tui Francisci videlicet excitare clamoribus, ut interpellare digneris ad Regem, quatenus pauperum statum, quem tibi voluit esse consimilem, et speciali quadam germanitate conjunctum, sacris tuis meritis clarificet et conservet. Quid enim magis dat paupertatis amori fomentum, magisque declarat prærogativam et gloriam, quam tua forma vivendi, beatissima Virgo, et Mater Domini nostri Jesu Christi, quod adeo fuisti paupercula, ut, sicut Evangelii historia sacra testatur, in ipso sacratissimo partu non haberes ubi reclinares Deum cœli, et Dominum exercituum, nisi in via publica itinerantium, et præsepio jumentorum? Porro si tu, Virgo sanctissima, omnis es perfectionis exemplar, sicut perfectis imitanda est tua cum virginitate humilitas, sic etiam penuriosa paupertas. Constat autem tam per Evangelii textum, quam per assertionem Doctorum, quod tu in extrema vixisti temporalium facultatum inopia, cum Chrysostomus dicat, quod tu vix habuisti unam tuniculam, non ad decoris ornatum, sed ad nuditatis tegumentum ; et Beda [1], quod in oblatione et

[1] Bed., *in Luc.*, lib. I, c. 8.

(*a*) *Forte leg.* potenter.

præsentatione Regis regum in templo, nec unum valuisti agniculum offerre, ideo more pauperum obtulisti par turturum, aut duos pullos columbarum. Qui igitur desiderio, professione, signaculo habitus, et observantiæ veritate (*a*) in hac tibi pauperie configurari studiosius satagunt, vere sunt de tuorum numero spiritualium Judæorum, quorum circumcisio non est in carne, sed in spiritu, per hilarem supportationen multiformium penuriarum, et universalem abdicationem omnium temporalium facultatum. Hos igitur vere ac peculiariter tuos pio digneris, misericordiæ Regina, favore ab hostili incursu potenter eripere, et adversus hunc hostem ipsorum pessimum triumphaliter dimicare, non ut cum Aman suspensus intereat, sed ut ejus humilietur superbia, damnetur protervia, illustretur intelligentia, rectificetur voluntas, ut spiritus salvus fiat.

CAPUT III

In quo evangelizantium pauperum fructificatio multiformis ostenditur, eorumque status a multiplicibus cavillationum versutiis defensatur.

Multiformis calliditatis nequitia serpens antiquus, sanctæ matris Ecclesiæ partui semper insidias parans, vetustam Pharaonis impietatem novissimis his diebus renovare conatur, dum per hominem quemdam ægyptiacæ fraudis malignitate repletum, adversus ecclesiasticam prolem suggerere satagit, quidquid masculini sexus natum fuerit, in flumen projici, quidquid fœminei, reservari. Quid enim est aliud rationes ad virilem sanctæ paupertatis spiritum inducentes calumniando revellere, quam effœminatorum cordium phantasias, quibus (*b*) emollientium divitiarum affluentia commendatur, approbando roborare? Ad quæ duo calumniator hic pauperum in hac extrema operis sui parte omnes sui vires conflat ingenii, quosdam cavillationum modos, jam pro maxima parte in præcedentibus dissolutos, frequentius replicans ad oppressionem pauperum Christi, quatenus, spiritu paupertatis extincto, spirituales israelitæ multiplicari non possint, frustra tamen, quia divina opitulante clementia, ut veritas a figura non discrepet, quanto magis oppressi fuerint, tanto magis accrescent. Et ne quis hæc velut nostram adinventionnem parvi pendat, audiat Bernardum in sermone tertio[1] sic dicentem : « Si quid ad salutem pertinens, si quid religionis oritur, quicumque resistit, quicumque repugnat, plane cum Ægyptiis parvulos Israelitici generis (*c*) necare conatur, imo cum Herode, nascentem persequitur Salvatorem. » Nequaquam ergo casu, sed providentia Dei gestum esse credendum est, quod instar Joseph descendentis in Ægyptum ad custodiendas et distribuendas alimonias corporum, quem ut vere filium accrescentem crescere fecit Deus in terra paupertatis suæ, status evangelizantium pauperum mitteretur in mundum, ad conservanda et dispensanda documenta Scripturarum, tanquam alimenta spirituum, qui etiam et sacerdotum Christi, curam gregis habentium, cooperatores existerent in his, quæ spectant ad salutem animarum. Est autem sacerdotalis officii opus præcipuum reductio plebium subjectarum in Deum, per septiformem influxum hierarchicum, scilicet per eruditionem credibilium, per instaurationem virtutum, per exhibitionem exemplorum, interventionem precum, curationem plagarum hostilium, prænuntiationem insidiarum, et repulsationem hostilitatum. Et hoc quidem septiforme opus sacerdotale Scriptura sacra declarat sub septemplici metaphora, scilicet architecti, agricolæ, pastoris, fidejussoris, medici, speculatoris, et ducis. Describitur igitur primo sub metaphora architecti pontificale officium propter eruditionem credibilium, secundum illud ad Corinthios[2] : *Ut sapiens architectus fundamen-*

[1] Bernard., *in Epiph.*, serm. III, n. 3. — [2] I *Cor.*, III, 16.

(*a*) *Cæt. edit.* veritatem. — (*b*) *Item* qui. — (*c*) *In originali* germinis.

tum posui : quod (*a*) enim sunt lapides in ædificio, sunt articuli fidei in animo, in quo habitat Christus tanquam in templo suo, secundum illud Apostoli ad Ephesios [1] : *Superædificati super fundamentum apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu, in quo omnis ædificatio instructa crescit in templum sanctum in Domino.* Et paulo post [2] : *Christum habitare per fidem in cordibus vestris.* Ac per hoc, sicut se habet ædificator ad ædificium , sic et sacerdos ad populum in fidei veritate fundandum et promovendum. Secundo , sub metaphora agricolæ, propter instaurationem virtutum, quas irrigare debet per documenta Scripturarum , secundum illud Apostoli ad Corinthios [3] : *Ego plantavi, Apollo rigavit.* Si enim ecclesiasticus populus hortus est, et paradisus plantatus, et virens multiformitate virtutum, recte informator plebium in doctrina morum, dicitur agricultor, designatus per primum hominem, quem [4] *posuit Deus in paradiso, ut operaretur, et custodiret illum.* Tertio sub metaphora pastoris, propter exhibitionem exemplorum, secundum illud Domini in Joanne [5] : *Qui intrat per ostium, pastor est ovium, et cum proprias oves emiserit, ante eas vadit.* Quod quidem facit, cum eas per sanctitatis exemplum præcedit. Ideo Petrus, cui Dominus dixit [6] : *Pasce oves meas,* hortatur seniores, sive presbyteros, ut populos sibi commissos *pascant, tanquam facti forma gregis ex animo* [7]. Hæc autem est forma, secundum documenta sanctorum , ut quantum pastor est præcellens respectu gregis, tantum vita sacerdotalis sit sanctior et sublimior vita plebis. Quarto sub metaphora fidejussoris , propter precum interventionem ad Deum , secundum illud Apostoli ad Hebræos [8] : *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.* Agit igitur Pontifex causas hominum apud Deum ; agere etiam debet causam Dei apud hominem suæ curæ commissum, secundum illud [9] : *Custodi virum istum, qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima illius.* Propter quod Sapiens in *Proverbiis* ait [10] : *Fili, si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum animam tuam.* Quinto sub metaphora medici, propter curationem plagarum hostilium , secundum illud quod insinuat Lucas [11], in parabola illius qui incidit in latrones, quod Samaritanus *alligavit vulnera ejus, infundens oleum et vinum :* designans per Samaritanum ipsum medicum Christum, et eos qui tenent locum ejus in expurgatione (*b*) vitiorum. Propter quod et Jacobus dicit [12] : *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo sancto, et oratio fidei salvabit infirmum, et si in peccatis sit, dimittentur* (*c*) *ei.* Sexto sub metaphora speculatoris, propter prænuntiationem imminentium periculorum, secundum illud Ezechielis [13] : *Fili hominis , speculatorem dedi te domui Israel.* De quo et consequenter adjungit [14] : *Quod si gladium superveniens,* hoc est imminentia discrimina tentationum suæ curæ commissis, *annuntiare neglexerit, sanguis illarum animarum de suis manibus requiretur.* Septimo sub metaphora ducis ferentis vexillum ad repulsionem hostilitatum, instar illius nobilis Machabæi, qui [15] *induit se loricam sicut gigas, et succinxit se arma bellica, et protegebat castra gladio.* Præst enim Ecclesiæ, quæ est *terribilis sicut castrorum acies ordinata* [16], et deputatur ad Salomonis lectulum custodiendum, quem [17] *sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi.* Est itaque opus sacerdotalis officii septiforme, sicut dictum est. Si igitur propter multitudinem errantium a

[1] *Ephes.*, II, 20-21. — [2] Ibid., III, 17. — [3] I *Cor.*, III, 6. — [4] *Gen.*, II, 15. — [5] *Joan.*, X, 2, 4. — [6] Ibid., XXI, 17. — [7] I *Petr.*, V, 3. — [8] *Hebr.*, V, 1. — [9] III *Reg.*, XX, 39. — [10] *Prov.*, VI, 1. — [11] *Luc.*, X, 34. — [12] *Jac.*, V, 14-15. — [13] *Ezech.*, III, 17. — [14] Ibid., XXXIII, 6, quoad sensum. — [15] I *Mach.*, III, 3. — [16] *Cant.*, VI, 1. — [17] Ibid., III, 8.

(*a*) *Cæt. edit.* quot. — (*b*) *Item* expurgationem. — (*c*) Vulg. *remittentur.*

fide christianus populus factus est jam similis ædificio ruinoso, quis providus architectus coædificantes et consustentantes repellit, nisi adeo sibi sapiens videatur, quod solus sibi sufficiat, vel adeo stultus sit, quod velit ut sub manu sua domus ecclesiastica ruat? Iterum si propter defectum sapientiæ et virtutum in plebeiis hominibus, comparatur ipsa plebs horto inculto, et spinoso, et arido, quis diligens et laboriosus agricola servos collaborantes repellit, maxime qui laborant (*a*) in opere et doctrina, nisi in tantum desipiat, ut velit quod super humum suam spinæ et vepres ascendant? Propterea si propter deviationem a semitis divinarum legum, multitudo populi christiani similis est gregi errabundo et perdito, et in medio luporum constituto, quis clemens pastor fugabit a se harum ovium reductores ad viam, et non potius gaudebit cum angelis, exemplo boni pastoris, qui dicit [1] : *Congratulamini mihi, quia inveni ovem quæ perierat?* Amplius si, propter multitudinem reatuum plebis transgredientis mandata Dei, populus christianus similis est viris alieno ære oppressis, quis fidejussor sensatus abhorrebit hujus oneris alleviationem per multiplicationem intercessorum ad Deum, partim impetrantium remissionem, partim inducentium et adjuvantium ad solutionem spiritualium debitorum? Insuper si, propter varietatem perversitatum in populo, tanta est tabes, tanta pestilentia spiritualis, ut quasi *omne caput sit languidum, et omne cor mœrens* [2], ita quod *a planta pedis usque ad verticem vix est in eo sanitas*, quis fidelis medicus, non dico peritos homines in arte spiritualis medicinæ, sed vel canes ulcera lambentes audebit effugare, nisi vulneratorum, atque languentium vitam velit extinguere? Adhuc si, propter multiformitatem tentationum undique circumstant insidiæ crudelium hostium, et quasi super capita civium gladii jam vibrantur, quis providus speculator in profundæ et horrendæ noctis teterrimis tenebris habere secum vigiles recusabit, qui castra custodiant? Postremo si, propter scandalorum frequentias, adinventiones scelerum, et inimicorum tyrannides, innumerabilis multitudinis strages quasi continue fit in castris fidelium, et draco cum bestia multiformium capitum ecclesiasticam aciem nititur oppugnare, ut truculenter discerpat, occidat et devoret, quis prudens dux exercitus Domini recusabit commilitones secum dimicantes habere, qui ultro se discrimini offerant, et murum pro domo Israel seipsos opponant? Porro, quia affectus pontificis, sive sacerdotis, ad plebem debet esse consimilis affectui patris ad filium, matris ad prolem, nutricis ad infantem, sicut Apostolus manifeste declarat, qui fideles per ipsum conversos modo se dicit [3] in Christo genuisse, modo ut filios parturire [4], modo sicut parvulos in Christo lactare [5] : quemadmodum filium pauperculum sustentari, invalidam prolem foveri, et gementem infantem lactari, nequaquam est patri, vel matri, vel nutrici molestum, sed desiderabile, charum et placitum ; sic etiam omnibus sacerdotibus sanctis et piis magnum debet esse solatium, quoties salus procuratur plebium subjectarum. Propter quod Dominus in *Matthæo*, apostolos alloquens et successores eorum [6] : *Messis*, ait, *multa*, *operarii autem pauci ; rogate Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam :* insinuans, quod bonorum pontificum non tam est patienter ferre, quam desideranter appetere cooperatores evangelistas ad multitudines divinarum messium colligendas. Quod attendens Christi vicarius Petrique successor, ut pote sancti Spiritus illustratione præventus, statum hunc evangelizantium pauperum, qui saluti animarum intenderent, tanquam cœlitus sibi missum, cum hilaritate suscepit, pietate confovit, auctoritate roboravit, et potestate defendit, et ut patriarcha Jacob, tan-

[1] *Luc.*, XV, 6. — [2] *Isa.*, I, 5. — [3] I *Cor.*, IV, 15. — [4] *Gal.*, IV, 19. — [5] I *Cor.*, III, 2. — [6] *Matth.*, IX, 37-38.

(*a*) *Cæt. edit.* laborat.

quam filios accrescentis Joseph, multipliciter benedixit : pie in hoc providens saluti animarum, et in nullo præjudicans auctoritati pontificum, tanquam ornans, non deornans ecclesiasticam hierarchiam. Tanta enim erat, in adventu hujusmodi pauperum, prædicantium raritas, ut illud evangelicum videretur impleri : *Messis quidem multa, operarii autem pauci.* Quod pertractans Gregorius ait [1] : « Ecce mundus sacerdotibus plenus est, et tamen in messe Dei rarus invenitur operarius. Nam etsi sunt qui bona audiant, desunt qui dicant, quia officium quidem sacerdotale suscipimus (*a*), sed opus officii non implemus. » Quantum vero prædicationis opus sit Ecclesiæ necessarium in se, pium, et Deo acceptum, manifeste Chrysostomus ostendit *super Matthæum*, illud tractans verbum Dominicum, quod discipulo dixit patrem sepelire volenti [2] : *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos, tu autem vade, et annuntia regnum Dei.* Ait enim [3] : « Numquid non erat ingratitudinis naturæ (*b*), non adire, cum sepeliretur pater? Prohibuit ergo eum, monstrans, quod nihil cœlestibus negotiis magis necessarium esse oporteret, et neque parum tardare, etsi valde inevitabilia et incitantia fuerint quæ retrahunt. » Cum igitur sepelire patrem sit magnæ pietatis opus, et secundum sapientiæ dictamen divinæ majori bono minus præferri non debeat; relinquitur quod majoris pietatis est prædicare verbum salutis, quam facere opus quantumcumque misericordiæ corporalis. Digne quidem, pro eo quod spiritualiter per ipsum cibatur et potatur, vestitur et hospitio colligitur, ab infirmitate relevatur, et a vinculis et a morte redimitur spiritus ad imaginem Dei factus : et ideo cum gravis sit sceleris prohibere quemquam ab operibus pietatis et misericordiæ corporalis, longe majoris impietatis erit atque perfidiæ, divini verbi ministris idoneis impedimenta præbere. Pensatis igitur multiformi utilitate ac necessitate salutis animarum, numerositate indigentium plebium, et raritate sufficientium ministrorum, nulli debet videri injuriosum et superfluum, si cœlesti hierarchiæ complacuit aliquos ad hoc opus, et si non necessitate constrictos, sed charitate inductos eligere, quos et subcœlestis hierachia voluit et debuit approbare. Quod si cui forte videtur ordini dispositionis hierarchiæ nequaquam esse conveniens monasticam vitam professos ad opus prædicationis assumi, pro eo quod Dionysius dicit [4] monachos in ecclesiastica hierarchia non habere statum perficientium, sed perficiendorum, et Hieronymus asserit [5], quod « monachus non docentis, sed plangentis habet officium; » et sacri canones decernunt [6], quod « monachi juxta sui nominis interpretationem solitariæ vitæ deputati, intendere debent saluti propriæ, non alienæ : » intelligant hujusmodi dicta patrum et canonum de ordine monastico pro eo tempore fuisse pronuntiata, quo erant inter eos personæ laicales et imperitæ, non sacerdotales et litteratæ. Nam, sicut idem vir hierarchicus docet, quod monachorum est purgari, illuminari, et perfici, sic etiam illud non reticet, quod purgare, illuminare, et perficere ad ordinem spectet sacerdotalem. Insuper et professio hujusmodi pauperum non parum distat a professione monachorum; et quod majus est, hujusmodi hierarchica opera non peragunt auctoritate sua, sed Ordinariorum, et potissime summi Pontificis, cujus dispositionis auctoritas omnia jura positiva transcendit. Nec ad hoc feruntur secundum propriæ voluntatis arbitrium, sed juxta mandatum superiorum, a quibus instituuntur, regulantur, castigantur, et transmittuntur, ut veri filii obedientiæ, non ut gyrovagi vel sarabitæ, non secundum numerum vagum et

[1] Gregor., *in Evang.*, hom. XVII, n. 3. — [2] *Matth.*, VIII, 22. — [3] Chrysost., *in Matth.*, hom. XXVII, al. XXVIII, n. 3. — [4] Dion. Areop., *de Eccl. Hier.*, c. VI, § 3. — [5] Hieron., *adv. Vigilant.*, col. m. 166. — [6] Caus., XVI, c. 8, quoad sensum.

(*a*) *Apud Greg.* suscepimus. — (*b*) *Leg.* extremæ.

infinitum, sed secundum certum et determinatum. Atque utinam plures essent idonei, qui possent assumi non in uno angulo terræ, sed potius in universalis Ecclesiæ latitudine! Nimirum hoc desiderare deberet cœtus pontificum, ac cuilibet illos prohibere volenti id respondere, quod dixit Moyses ad Josue [1] : *Quid*, inquit, *æmularis pro me? Quis det ut omnis populus prophetet, et det eis Deus spiritum suum?* Quamdiu ergo hujusmodi pauperes leges divinas custodiunt, et evangelica consilia servant, quæ promiserunt, et saluti animarum intendunt, et sanctæ matri Ecclesiæ humiliter subsunt, si quis eos repudiandos censeat velut pseudo-prædicatores et seductores, et gyrovagos, et penetrantes domos; subjacere debet justæ damnationis judicio, tanquam ecclesiasticæ auctoritatis contemptor, fraternæ gratiæ invidus, et evangelicæ veritatis impugnator.

Demum ut via præcludatur erroribus, respondendum est cavillationibus quibusdam magis apparentibus, quibus calumniator hic pauperum vitam ipsorum in hac extrema sui operis parte depravare molitur, videlicet propter defectum laboris manuum, abdicationem bonorum communium, et mendicationem eleemosynarum. Nam ex eo quod Apostolus *ad Thessalonicenses* quibusdam præcepit [2], ut *cum silentio panem suum manibus operando manducent*, et hujusmodi pauperes manualiter non laborant, ideo ipsos nititur redarguere et de otiositate vitæ, et de mandati Apostoli transgressione. Ad quod nos e contrario respondemus, quod, sicut patet ex textu, non præcipit Apostolus laborem manualem omnibus generaliter, quia tunc omnes qui non vacant laboritiis hujusmodi, essent in statu damnationis, inter quos et ipse calumniator seipsum involvit; sed quibusdam dumtaxat otiose, curiose et inquiete viventibus, opus manuum imponit et imperat, ne blanditiis adulationum et turpi quæstu victum sibi conquirant, cum dispendio salutis alienæ. Verum quia hujusmodi pauperes, qui suis et proximorum animabus salvandis intendunt, secundum septiformem operationem hierarchicam, in antedictis expressam, id perficere nequeunt sine adminiculo Scripturarum, ad quarum præclaram intelligentiam pervenire non possunt nisi per studium sapientiale, quod consistit in legendo, meditando, orando, contemplando, audiendo, referendo, prædicando, ideo recte competit ejusmodi studii spiritualis operatio septiformis. Et quia difficultas hujus studii totum hominem requirit, juxta quod designatum est in Exodo, ubi præcepit Dominus [3], quod vectes quibus ferenda esset arca semper essent in circulis : quod exponens Gregorius ait [4] : « Qui ad officium prædicationis excubant, a lectionis studio nunquam recedant; ignominiosum est enim, si tunc quis quærit discere, cum debet quæstiones enodare : » ideo qui huic studio septiformi sollicite intendunt, quia magis est sublime in se, difficile menti, expediens Ecclesiæ, et necessarium plebi, etiamsi non laborent operibus manuum, digni tamen sunt ab Ecclesia ut sustententur, secundum illud Deuteronomii [5] : *Non ligabis os bovis triturantis in area fruges tuas*. Glossa : « Victum non subtrahes prædicatori, ut vacet orationi et prædicationi. » Et alia Glossa ibidem : « Occupati in doctrina, non possunt sibi providere necessaria. » Ex quibus breviter constat, quod studium sapientiæ, cum vigilantia prædicationis, manualem laborem plene recompensat. Huic et sacer Ambrosius consonat super illud Lucæ [6] : *Maria optimam partem elegit*, dicens [7] : « Nec arguas eos otiosos, et judices, quos videas studere sapientiæ : hanc enim (*a*) cohabitantem Salomon (*b*) pacificus acquisivit. » Denique Apostoli non putaverunt optimum [8] *relinquere verbum Dei, et ministrare mensis*. Huic etiam concordat Hiero-

[1] *Num.*, XI, 29. — [2] II *Thess.*, III, 12. — [3] *Exod.*, XXV, 15. — [4] Greg., *Pastor.*, part. II, c. XI. — [5] *Deut.*, XXV, 4. — [6] *Luc.*, X, 42. — [7] Ambros., *in Luc.*, lib. VII, n. 85. — [8] *Act.*, VI, 2.

(*a*) *Suppl.* sibi, *ut apud Ambros.* — (*b*) *Item* ille.

nymus [1] : « Si autem fiscellam junco texerem, aut palmarum folia complicarem, ut in sudore vultus mei comederem panem, et ventris opus sollicita mente tractarem, nullus morderet, nemo reprehenderet : nunc autem quia, juxta Salvatoris sententiam, operari volo cibum qui non perit, falsarius vocor. » Ad idem quoque facit quod super illud Psalmi [2] : *Defecerunt oculi mei*, dicit Augustinus [3] : « Non est otiosus, qui tantum verbo Dei studet, nec pluris est qui extra operatur, quam qui studium cognoscendæ veritatis exercet. Ipsa etiam sapientia maximum habet opus, et antefertur Maria, quæ audiebat, Marthæ quæ ministrabat. » Hæc Augustinus. Cui etiam concordat Anselmus [4] in libro *de Similitudinibus*, ita dicens : « Tres sunt hominum ordines, orantes, agricultores et defensores, quos ad diversa officia Deus in hoc mundo disposuit : » monachos, ut pro aliis orent, et lacte prædicationis enutriant; agricultores, ut de suo labore ipsi et alii vivant; milites, ut utrosque defendant. Si igitur nobilius est opus monachorum, quam agricultorum, seu militum, et illi officiis suis intendentes stipendia sua juste merentur, multo magis et hi qui orando Deo assistunt, et ad proximos prædicando condescendunt. Nec his obstat Augustinus in libro *de Opere monachorum*, cum ibi loquatur contra quosdam hæreticos principaliter, qui vocabantur Euchitæ, asserentes monachis non licere, sustentandæ vitæ causa, aliquid operari, male intelligentes Evangelium Christi, quos sacer Doctor per Apostoli documenta convincit. Simul etiam arguit monachos illos, qui cum pro majori parte essent laici, nec prædicationi, nec saluti animarum intenderent, non tamen volebant corporaliter operari, et quanquam fuissent in sæculo laboriosi et pauperes, jam professi monasticam vitam, ab aliis sumptus accipere non solum licitum sibi, sed etiam debitum esse censebant. Contra quos Augustinus [5] : « Isti, » inquit, « fratres temere sibi arrogant, quantum æstimo, ut hujusmodi habeant potestatem. Si evangelistæ sunt, fateor, habent, si ministri altaris, si dispensatores sacramentorum, si saltem aliquid habebant in sæculo, quo facile sine artificio sustentarent hanc vitam, quod indigentibus dispertiti sunt, credenda est eorum infirmitas et ferenda. » Hæc Augustinus. Ex quibus colligitur quod quatuor generibus hominum digne et juste competit ab aliis pasci, quanquam propriis manibus possint laborare, scilicet qui alios pascunt vel verbo et doctrina, vel altaris viatico, vel divinorum dispensatione sacramentorum, vel suarum distributione facultatum. Secundum hæc igitur illi, quibus aliqua prædictarum conditionum competit, digni sunt ut de Evangelio vivant; illi vero quibus plures, digniores existunt; quibus autem omnes, utpote qui prædicant, celebrant, confessiones audiunt, et temporalium affluentiam contempserunt, maxime digni esse probantur. Quibus vero omnes desunt, et validi sunt, et pauperes, ne otiosi et infructuosi sint sibi, et onerosi Ecclesiæ, juxta sententiam Augustini laborare tenentur, nisi per hoc excusentur, quod eis, qui præfatas conditiones habent, deserviunt et assistunt, et ideo cum eis sustentari merentur, juxta quod mysterialiter designatur in *Job*, ubi dicitur [6] quod boves arabant, et asinæ pascebantur juxta eos, illaque astruitur lege sancitum, qua strenuus pugnator ille, David videlicet, juste decrevit [7], quod *æqua portio* esset *descendentium ad prælium, et remanentium ad sarcinas*. Porro si aliqui, quantumlibet idiotæ ac simplices, tantæ sunt devotionis in prece, tantæ districtionis in vita, et tantæ ædificationis in populo, quod æque fructificent solo exemplo, quantum alii exemplo et verbo, excusant eos merita vitæ, etiamsi desint verba doctrinæ. Hæc autem diximus,

[1] Hieronym., Prolog., *in Job*, col. m. 38. — [2] *Psal.* CXVIII, 82. — [3] August. — [4] Imo Eadmer., *de Anselm. similit.*, c. 127, al. 126. — [5] Aug., *de Opere Monach.*, c. XX, n. 24, 25. — [6] *Job*, I, 14. — [7] I *Reg.*, XXX, 24.

non quia otiosos aut otium approbemus, cum potius castigandos hujusmodi, et ad opera compellendos censeamus; sed quia propter difficultatem studii spiritualis, quod requirit hominem totum, et propter debilitatem corporum, et inexperientiam artium mechanicarum, rarus invenitur, aut nullus, qui more Apostoli Pauli manuali labori, et sapientiæ studio septiformi, efficaciter possit intendere. Et ideo compellere homines huic studio aptos ad opera manualia, non est aliud quam a sapientia revocare, et filiis Israel, instar Philistiim, divinorum eloquiorum arma præripere, vel more Pharaonis operibus duris luti et lateris, jugoque servitutis importabilis violenter oppressos, ab ingressu religionis retrahere, et ad egressum incitare, quemadmodum insinuatur in Exodo per hoc quod Pharao dixit [1]: *Quare, Moyses et Aaron, sollicitatis populum ab operibus suis? Ite ad onera vestra.* Ubi Glossa sacri Ambrosii: « Hodie si Moyses et Aaron, id est, propheticus et sacerdotalis sermo, aliquem sollicitet ad servitium Dei, exire de sæculo, renuntiare omnibus, attendere legi et verbo Dei, continuo audiet unanimes etiam amicos Pharaonis dicentes: Videte quomodo seducunt homines, qualiter pervertunt adolescentes, ne laborent, ne militent, ne agant aliquid quod eis prosit; relictis rebus necessariis, ineptias sectantur et otium, laborare nolunt, et otii occasiones requirunt. » Hæc Glossa, qua hostis pauperum dolus patenter detegitur, quod non, sicut Christi discipulus, ad exercitia virtutum conatur erigere, sed, tanquam amicus Pharaonis, spirituales Israel filios impugnare.

Alio quoque modo calumniator hic pauperum statum ipsorum depravare contendit, pro eo quod nihil sibi retinent in proprio, vel communi, quo non videntur virtutis tenere medium, sed vitiositatis extremum, cum dicat Ambrosius, quod non sunt effundendæ opes, sed dispensandæ. Verum consimili ratione posset sancta virginitas ostendi non laude, sed vituperio digna, quasi extremum, non medium teneat, dum ab omni concubitu, sive illicito, sive concesso, se tam mente, quam carne sequestrat. Quapropter diligens considerator advertat, quod sicut aliud est medium pudicitiæ conjugalis, aliud sanctimoniæ virginalis, sic et aliud largitatis politicæ, aliud paupertatis evangelicæ. Largitas namque politica, quia circa mundana versatur, possessionum terrenarum nequaquam suadet abrenuntiationem a Christo consultam, sed potius bonorum juste possessorum dilectionem moderatam, et dispensationem largam et piam. Propter dilectionis moderantiam dicit Salomon in *Proverbiis*, in persona viri politici [2]: *Duo rogavi te, ne deneges mihi, mendicitatem et divitias ne dederis mihi, sed tantum victui meo tribue necessaria;* volens in hoc ostendere, quod virtus politica tenet medium, et fugit extrema. Propter dispensationis pietatem dicit in *Ecclesiaste* pro persona rectoris Ecclesiæ [3]: *Utilior est sapientia cum divitiis, et magis prodest videntibus solem.* Quod ideo dictum est, quia pastor sapiens etiam absque divitiis utiliter pascit, dum gregem ædificat exemplo et verbo; sed cum pia dispensatione divitiarum pascit utilius, dum verbo, exemplo, et temporali subsidio gregi providet sibi commisso. Et hoc est, quod Canon dicit [4]: « Expedit facultates Ecclesiæ possideri. » Propterea *Ecclesiastes* præfato verbo paulo ante præmittit [5]: *Ne dicas: quid putas causæ est, quod præterita tempora fuerunt meliora quam nunc sunt? stulta est enim hujusmodi interrogatio.* In quo arguit hæreticorum stultitiam, approbantium Ecclesiæ statum antequam a principibus dotaretur, et reprobantium postquam dotata est. Quibus respondet, quod *utilior est sapientia cum divitiis*, hoc est, reipublicæ sanctæ matris Ecclesiæ magis expediens propter varias conditiones, necessitates, infirmitates, et commoditates multiformium Christi fidelium con-

[1] *Exod.*, v, 4. — [2] *Prov.*, xxx, 8. — [3] *Eccle.*, vii, 12. — [4] Caus. xv, q. 1, c. 13, ex lib. *de Vit. contempl.* — [5] *Eccle.*, vii, 11.

gregatorum intra ecclesiasticam unitatem, instar diversitatis animalium intra aream Noe, quibus ipse prælatus sollicitam curam exhibens, de pastu necessario providere debet pro loco et tempore, juxta dictamen largitatis politicæ modum servando in dispensatione. Propter quod et in Agathensi concilio [1] prohibentur hujusmodi, ne res Ecclesiæ sibi creditas alienare præsumant, ibique conceditur dispensationis medium, sed interdicitur dilapidationis extremum. Evangelica vero paupertas, pro eo quod ad æterna spiritum sublevat, tanquam ea, quæ in cœlis totaliter thesaurizat, perfecte ipsam profitenti suadet omnibus temporalibus debere nudari, quoad affectum atque dominium, et arcta sustentatione necessitatis esse contentum, quantum ad usum. Et hic est ipsius modus sive medietas, quod sic relinquat dominium, quod non rejiciat usum : sic recipiat usum, quod non reservet dominium : sic arctitudinem usus reservet, quod sustentationem naturæ non devitet : sic necessitati subveniat, quob ab arctitudine non recedat. Igitur propter universalem abdicationem possessionis, et depositionem affectus terreni, in persona hujusmodi pauperis dicit Sponsa in *Canticis* [2] : *Expoliavi me tunica mea, quomodo induar illa ? Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Ubi Glossa : « Recepta sollicitudine temporalium subsidiorum, quantumlibet eximius Doctor difficile vitat peccatum. » Et de abdicatione hujusmodi, Hieronymus ad Lucinium [3] : « Seipsum Deo offerre, Christianorum et Apostolorum est, qui duo cum vidua paupertatis suæ in gazophylacium æra mittentes, totum censum quem habuerant Domino tradiderunt, et merentur audire [4] : *Sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.* » Propter arctitudinem vero sustentationis, quantum ad usum, in persona hujusmodi pauperum, dicit Apostolus ad Timotheum [5] : *Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus.* Habentes, inquit, non quantum ad proprietatem dominii, sed quantum ad facultatem utendi, per quem modum habere dicimur omne quo utimur, etsi non sit nobis proprium, sed gratis aliunde collatum. Hunc modum paupertatis, tanquam medium virtuosum, mediator Dei et hominum, Deique virtus et sapientia Christus in seipso monstravit, qui, sicut dicit Hieronymus ad Nepotianum [6], « alieno cibo vescebatur. » Hunc et Paulus apostolus, imitator ipsius præcipuus, secutus est, in cujus laudibus dicit Chrysostomus, quod nihil habet (*a*) nisi corpus. Sed etiam in hoc exemplum se aliis præbuit, cum ait [7] : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi.* Igitur hunc vivendi modum tanquam a medio virtutis recedentem arguere, nihil aliud est, quam Magistrum veritatis atque virtutis de excessu vitioso culpare. Propter quod diligenter oportet advertere, quod sicut alio et alio modo tenetur medium a virtute politica, et purgatoria, et animi jam purgati ; sic etiam difformiter medium tenent civiliter largus ex rectitudine virtutis, et Christi formiter egenus in latitudine paupertatis. Et hoc est, quod in auctoritate præmissa Ambrosius Doctor sacer insinuat, quam calumniator consueto more truncatam allegat. « Cæterum, » inquit [8], « non vult Dominus simul effundi opes, sed dispensari ; » in quo explicat modum largitatis politicæ. Sed ne quis ex hoc crederet, quod modum paupertatis evangelicæ non approbaret, immediate subjungit [9] : « Nisi forte, ut Elisæus boves suos occidit, et pavit pauperes, ex eo quidem habuit, ut nulla cura teneretur domestica, sed relictis omnibus, in disciplinam se propheticam daret. » Hæc Ambrosius addidit, quod ut (*b*) evangelicam paupertatem sublimiter extolleret ; quæ iste dolose subticuit, quatenus profitentes subdole impugnaret. Nequaquam igitur hujus-

[1] Conc. Agath., c 7, apud Labb., an. 506. — [2] *Cant.*, v, 3. — [3] Hieron., *ad Lucinium*, epist. XXXIII, col. III. 248. — [4] *Matth.*, XIX, 28. — [5] I *Tim.*, VI, 8. — [6] Hieron., *ad Nepotian.*, epist. II, col. III. 17. — [7] I *Cor.*, IV, 1. — [8] Ambros. — [9] Ibid.

(*a*) *Leg.* haberet. — (*b*) *Item* quibus, *vel* ideo ut.

modi pauperes possunt rationabiliter argui, quod discrimini se committant, ac per hoc, quod homicidæ sint sui, vel tentatores Dei. Si enim sufficientiam victus quantum ad usum opportunum respuerent, utique seipsos necarent; nunc autem sic recusant possessionis dominium, quod sustentationis necessariæ non abjiciunt usum : sic se committunt divinæ providentiæ, ut viam non spernant provisionis humanæ, quominus sustentari valeant, vel de his quæ gratis offeruntur, vel de his quæ mendicantur humiliter, vel de his quæ per laboritium conquiruntur. His enim modis vixerunt hactenus hujusmodi pauperes in magna multitudine sexaginta annis, et amplius, per operis exhibitionem adeo in eis divino impleto promisso, quod nullus eorum, cujus ad nos fama pervenit, ob defectum vestitus, vel victus, mortis periculum incurrit. Abscedat igitur diffidentia a prædicatoribus veritatis, perfectisque Christi discipulis, cum eis repromittatur a Domino sufficientia victus, dicaturque eis [1] : *Nolite solliciti esse animæ vestræ, quid manducetis ;* præcipiaturque eis, *ne quid tollant in via*, *nisi virgam tantum*, ut habetur in Marco [2]. Super quem locum dicit Beda [3] : « Tanta debet esse prædicatori (*a*) fiducia in Deo, ut præsentis vitæ sumptus quamvis non provideat, tamen sibi hos non deesse certissime sciat; ne, dum mens ejus occupatur ad temporalia, minus aliis provideat æterna. » Hoc verbum totius confidentiæ tam expressum calumniator pervertere nititur, ut sic illud exponat, *quamvis non provideat*, id est, tempus providendi non habeat : quasi non debeat de sufficientia victus confidentiam habere, nisi quando non potest aliud agere, ad quod non tantum prædicator veritatis, imo quantumcumque imperfectus christianus astringitur. Propter quod, ut omnis calumniandi occasio tollatur e medio, intelligendum, quod duplex diffidentia est, quædam proveniens ex perversitate, quædam ex pusillanimitate. Ex perversitate venit, quando habet incredulitatem, vel desperationem annexam, utpote cum quis de Deo diffidit, vel quia non credit Deum curare humana, tanquam infidelis, vel quia existimat se derelictum a Deo, propter peccata sua, tanquam desperatus. Et talis diffidentia, et sollicitudo procedens ex ipsa, omnibus prohibetur; et confidentia, illi opposita, cunctis præcipitur. Diffidentia autem ex pusillanimitate proveniens, est, quæ habet annexam remissionem amoris divini, et intensionem timoris humani; et hoc stare potest cum charitate imperfecta, non cum perfecta; et ideo hæc pusillanimitatis diffidentia, et sollicitudo ex ipsa proveniens, evangelicis et perfectis viris inhibetur, et confidentia eidem opposita a perfectionis magistro injungitur, quatenus prædicatores veritatis algorem pusillanimitatis sollicitantis pro cibo refugiant, et ardorem charitatis confidentis de Deo cum promptitudine ad perferendum paupertatis incommoda constanter assumant. Ad hanc quidem confidentiam, in libro *De Eleemosyna*, Augustinus invitat : « Metuis, » inquit [4], « ne patrimonium tuum forte deficiat, si ex eo operari largiter cœperis? Quando enim factum est, ut justo possent deesse subsidia, cum scriptum sit [5] : *Non occidet* (*b*) *Deus fame animam justi ?* Elias in solitudine ministrantibus corvis pascitur; Danieli in lacu, ad leonum prædam, jussu regis incluso, prandium divinitus apportatur : et timemus ne operanti, et Deum timenti, desit alimentum, cum ipse in Evangelio, ad exprobrationem illorum, quorum mens dubia est, et fides parva, contestetur, et dicat [6] : *Aspicite volatilia cœli, quoniam non seminant, neque metunt, nec colligunt in horrea, et Pater vester cœlestis pascit illa?* Volucres Deus pascit, et quibus nullus divinæ rei sensus inest, eis nec cibus, nec potus deest; tu Christiano, tu Dei servo, tu operibus bonis

[1] *Luc.*, XII, 11. — [2] *Marc.*, VI, 8. — [3] Bed., *in Marc.*, lib. 1. c. 24. — [4] Aug. — [5] *Prov.*, X, 3. — [6] *Luc.*, XII, 24.

(*a*) *Ita apud Bed. Cæt. edit.* prædicatoribus. — (*b*) Vulg. *affliget.*

dedito, tu Domino suo charo, aliquid existimas defuturum? An putas, quia qui Christum pascit, a Christo ipse non pascetur? Aut eis terrena deerunt, quibus divina et cœlestia tribuuntur? Unde hæc incredula cogitatio, unde impia et sacrilega ista meditatio? » Hæc Augustinus. « Quid facit in domo Dei tam perfidum pectus? Quid, qui Christo omnino non credit, appellatur et dicitur Christianus? Pharisæi magis tibi congruit nomen. Nam cum in Evangelio de faciendis eleemosynis disputaret, ut et nobis amicos de terrenis lucris provida operatione faceremus, qui nos postmodum in æterna tabernacula susciperent, fideliter et salubriter præmoneret, addit Scriptura post hoc dicens [1] : *Audiebant hæc omnia Pharisæi, qui erant avari, et deridebant eum.* Quales nunc sunt in Ecclesia, quorum quosdam videmus, quorum præclusæ aures, et corda cæcata, nullum de spiritualibus ac salutaribus monitis lumen admittunt; de quibus mirari non debemus, quia contemnant in talibus servos, quando a talibus ipsum Dominum videmus esse derisum et contemptum. » Ad quorum confirmationem exemplum viduæ Sareptanæ, quæ pavit Eliam, consequenter adjungit. Quibus etiam consonat illius pauperculæ viduæ liberalis oblatio [2], quoniam quidquid habuit, misit, divino meruit ore laudari.

Tertium quoque calumniandi modum, non minus malignum aliquo prædictorum, calumniator hic pauperum assumere nititur ex mendicatione eleemosynarum, allegans primo contra eam, quod non sit opus virtutis, eo quod non habet annexum spirituale solatium, sed potius pœnalem cruciatum, ratione cujus Propheta eam imprecatur filiis impiorum, cum in Psalmis dicit [3] : *Nutantes transferantur filii ejus et mendicent.* Et sacri Canones mendicantem clericum asserunt infelicem. Ad cujus cavillationis et consimilium repellendam calumniam, intelligendum est, quod quintuplex est mendicitatis differentia, origine, modo, ac efficacia, a se invicem separata (*a*). Prima est quam parit (*b*) calamitas, et hæc est in personis miserabilibus et egenis, annexum habens pœnalem cruciatum : cum merito, cum fit cum patientia, qualis fuit mendicitas Lazari ulcerosi et pauperis, jacentis ante januam divitis epulonis; vel cum peccato, si fit cum impatientia. Et hanc imprecatur Propheta, et abhorrebat sapiens vir in persona loquens hominis infirmi, et timentis per egestatem involuntariam ad impatientiam compelli. Unde postquam præmisit [4] : *Mendicitatem ne dederis mihi*, subjungit : *ne compulsus egestate furer, et perjurem nomen Dei mei.* Et hæc est proprie dicta mendicitas, juxta quod dicit Isidorus, *Etymologiarum* [5] : « *Mendicus* dictus est quasi *minus* habens unde *degat,* vel quasi *manu dicens* necessitatem suam. » Secunda est, quam parit cupiditas, et hæc est in pauperibus simulatis, habens annexum cruciatum culpabilem, quo torquentur omnes avari et cupidi, non tam fame corporalis inediæ, quam spiritualis nequitiæ per insatiabilem avaritiæ voracitatem, juxta illud Job [6] : *Attenuetur fame robur ejus, et inedia invadat costas illius.* Et hanc dissuadet Apostolus ad Thessalonicenses [7] : *Nullius aliquid desideretis;* Glossa : « Nedum (*c*) rogetis vel tollatis : » in quo desiderium prohibet cupiditatis rei alienæ, et petitionem ex ipsa venientem, juxta illud ad Ephesios [8] : *Qui furabatur, jam non furetur; magis autem laboret manibus suis operando, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti.* Tertia est quam parit (*d*) pigritia, et hæc est in pauperibus mendicantibus validis et otiosis, habens annexum cum cruciatu solatium, vitiosum tamen atque phantasticum. Studiosum enim refugientes laborem, et otiosam appetentes vacationem, fructuosam quietem perdunt, et perniciosam fatigationem incurrunt, secundum

Mendicitatis differentia quintuplex.

[1] *Luc.*, XVI, 14. — [2] *Luc.*, XVIII, 3 et seq. — [3] *Psal.* CVIII, 10. — [4] *Prov.*, XXX, 8, 9. — [5] Isid., *Etymol.*, lib. X, verbo *Mendicus.* — [6] *Job,* XVIII, 22. — [7] I *Thess.*, IV, 11. — [8] *Ephes.*, IV, 28.

(*a*) *Cæt. edit.* desperata. — (*b*) *Item* petit. — (*c*) *Item* Necdum. — (*d*) *Item* petit.

illud Sapientis [1] : *Desideria occidunt pigrum : noluerunt enim quidquam manus ejus operari.* Et iterum [2] : *Propter frigus piger arare noluit; mendicabit ergo egestate* (*a*), *et non dabitur ei.* Et hæc mendicitas non solum lege divina, sed etiam lege civili prohibetur. Et ut ab hac revocet Apostolus, laborem manualem injungit, *ad Thessalonicenses,* cum ait [3] : *Audivimus inter vos quosdam ambulare inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes; his autem, qui ejusmodi sunt, denuntiamus, ut cum silentio operantes manducent panem suum.* Cujus mandati Glossa rationem reddit, dicens : « Qui ad alienam mensam frequenter accedit, otio deditus, necesse est aduletur pascenti se. » Quarta est quam parit industria, et hæc est in pauperibus studiosis, circa disciplinam scholasticam occupatis, habens annexum cum cruciatu penuriæ solatium veritatis inventæ, quæ adeo mentes generosas oblectat, ut multi dies, ærumnis et laboribus pleni, jucundi videantur et pauci præ magnitudine dilectionis, maluntque ea cum rubore mendicando addiscere, quam delicate vivendo ignorare : quod in pluribus vidimus, qui cum mendicando didicerunt, postea magnum locum in Ecclesia Dei tenuerunt. Et de talibus Augustinus, *de opere Monachorum,* dicit [4], quod « eis bona opera fidelium subsidio supplendorum necessariorum deesse non debent, cum ad erudiendum animum ita vacant, ut corporalia hujusmodi opera ab ipsis geri non possint. » Quinta est quam parit justitia, et hæc est in pauperibus voluntariis, immunibus ab amore temporalis lucri, et torpore temporalis quietis, habens annexum cum cruciatu solatium virtuosum et verum, pro eo quod sic mendicantes, solius moventur amore paupertatis extremæ : quam ideo amplectuntur, ut liberius sapientiæ vacent, et efficacius ad culmen virtutis attingant, quatenus in camino paupertatis electi, ipsius penuria purgentur a crimine, ipsius erubescentia humilientur in corde, ipsius parcimonia castificentur in carne, ipsius devota gratitudine concilientur ad proximum, ipsius condescensiva benignitate configurentur ad Christum, ipsius sublimi celsitudine sursum agantur in Deum. Quod autem paupertas penuriosa et voluntaria hujusmodi efficacias habeat, supra declaratum est per sanctorum auctoritates de laude paupertatis, tertiæ responsionis particula postrema. Quanquam nullus sane intelligens dubitare queat, quin penuria purget, erubescentia humiliet, parcimonia castificet, gratitudo accipientis beneficium benefactori conciliet, condescensio benignitati (*b*) configuret ad Christum, qui cum dives esset, amore nostræ salutis effici voluit egenus et pauper, et (*c*) celsitudo paupertatis, qua quis omnia calcat, ipsum (*d*) cum omnibus sursum agat in Deum, non solum propter spiritus libertatem, verum etiam propter experientiam incommodorum, quæ pauperes comitantur, cum dicat Gregorius [5], quod « mala, quæ nos hic premunt, ad Deum ire compellunt. » Licet autem avaris sit molesta penuria, et superbis erubescentia, et lascivis frugalitas, et indevotis actio gratiarum, et infidelibus conformitas ad Christum, et desperatis elevatio mentis in Deum, vere tamen pauperibus solatium est penuriam pati, humilibus despici, continentibus castificari, charitativis conciliari beneficio, credentibus configurari Christo, sperantibus sequestrari a mundo, et jungi Deo æterno. Ad quorum omnium confirmationem hoc sufficit, quod dicit Gregorius primo *Dialogorum* [6] : « Sicut superbi honoribus, sic plerumque humiles sua despectione gratulantur, cumque se in alienis oculis vilescere sentiunt, idcirco gaudent, quia hoc judicium confirmari intelligunt, quod de se et ipsi habuerunt. » Quoniam igitur huic mendicitatis modo in pau-

[1] *Prov.*, XXI, 25. — [2] Ibid., XX, 4. — [3] II *Thess.*, III, 11-12. — [4] Aug., *de Opere Monach.*, XVII, 20. — [5] Greg. — [6] Id., *Dialog.*, lib. I, c. V.

(*a*) *Leg. æstate.* — (*b*) *Leg.* benignitatis. — (*c*) *Cæt. edit. deest* et. — (*d*) *Cæt. edit.* et seipsum.

peribus veris et humilibus annexum est cum extrinseco cruciatu intrinsecum gaudium, ideo secundum Chrysostomum [1] recte designatur per illum caminum in quem pueri descendentes, ne statuam auream adorarent, cœlitus irrorari meruerunt. Hujusmodi spirituale solatium, quod viri carnales ignorant, ejusque laudatores, Pharisæorum more, avari derident, mulier eximiæ virtutis, Paula scilicet, experiri cupiebat, juxta quod Hieronymus sacer in ipsius laudibus [2], ob hoc ejusdem desiderium admirabile prædicans, ipsamque collaudans, dicit, quod « hoc habebat voti, ut mendicans pro Christo moreretur, et unum nummum filiæ non relinqueret, et in funere suo aliena sindone involveretur. » Nequaquam igitur, ut calumniator astruere nititur, ea sola mendicitas approbabilis est, quæ ex mera necessitate, vel calamitate procedit, pro eo, quod multo laudabilior est paupertas voluntaria, quam coacta : nisi quis ita desipiat, ut in operibus supererogationis, necessitatis coactionem præferat promptitudini voluntatis : quod ita absurdum est, quemadmodum si passionibus martyrum præponat quis suspendia (*a*) latronum, dum martyres voluntarie, latrones involuntarie patiuntur. Porro si quis astruere velit mendicitatem non esse de genere honestorum et laudabilium, quoniam ad ipsam ex inopia rerum et exigentia naturæ compellimur, consimili ratione nec martyrium sanctorum fuit perfectum, nec laudabile, quoniam ad illud perferendum compellebantur per violentiam improbam malignitatis alienæ : cum etiam magis teneat rationem voluntariæ paupertatis penuria, quam pœnalitas passionis, pro eo quod illa voluntarie assumitur, et voluntarie perfertur; hæc autem aliunde violenter infligitur (*b*), quanquam voluntarie perferatur. Est et alia cavillatio, qua nobilis et Christo Domino accepta mendicitas calumniose arguitur, quasi annexam habeat non evangelicam beatitudinem, sed mentalem imperfectionem, cum in *Actibus Apostolorum* scribitur [3] : *Beatius est magis dare, quam accipere.* Ex quo sequi videtur, quod beatiores et perfectiores essent hujusmodi pauperes, si essent in statu eleemosynas dantium, quam sint in statu accipientium; beatiores utique, si essent in statu eorum, qui eleemosynas liberaliter offerunt, quam qui petunt; cum dicat Hieronymus ad Nepotianum [4] : « Nunquam petentes, raro accipiamus rogati. » Et Augustinus [5] : « In loculis habendis, et in exigenda quodammodo annona, Christus non petendo, sed præbendo (*c*), indigentias suscepit. » Ex quibus videtur posse inferri, quod status clericorum præbendas habentium Christo sit similior, et perfectior, statu mendicantium pauperum. Verum si hujusmodi ratiocinationis fundamentum vigilantius discussum fuerit, magis potest ex hoc oppositum, quam propositum inferri. Si enim beatius est magis dare, quam accipere, ille minime beatus est, qui bona plurima accipit, et pauca largitur. Cum igitur omnia ecclesiastica, sicut dicit Prosper [6], sint « vota fidelium, pretia peccatorum, et patrimonia pauperum, » sequitur quod quicumque redditus ecclesiasticos habet, cum longe plus accipiat, quam aliis largiatur, magis erit pingui acceptione miser, quam exili donatione beatus. Et e contrario verus pauper, qui omnia propter Christum deserit, et dispergit non solum quæ habuit, sed et quæ concupiscere potuit, et paucis et modicis est ad sustentationem naturæ contentus, erit secundum hanc rationem acceptione parcissima minime miser, et donatione largiflua maxime beatus. Cui etiam concordare videtur evangelicus textus, qui secundum Chrysostomum habet in Græco [7] : *Beati mendici, quoniam ipsorum est regnum cœlorum :* ubi Latinus habet : *Beati pauperes spiritu.* Qui-

[1] Chrysost. — [2] Hieron., *ad Eustoch.*, epist. XXVII, col. m. 229. — [3] *Act.*, XX, 35. — [4] Hieron., *ad Nepotian.*, epist. II, col. m. 19. — [5] Aug., *in Psal.* CIII, conc. III, n. 11. — [6] Prosp., *de Vit. contempl.*, lib. II, c. IX. — [7] Chrysost., *in Matth.*, hom. XV, n. 1.

(*a*) *Cæt. edit.* stipendia. — (*b*) *Item* intelligitur. — (*c*) *Al.* non petenda, sed præbenda.

bus etiam concordat sacer Ambrosius in libro *De officiis* dicens [1] : « Pauper et si non habet unde reddat pecuniam, reddit gratiam. In quo certum est, quod plus reddat, quam acceperit. Pecunia enim nummo solvitur, gratia vero nunquam exinanitur reddendo vacuatur pecunia; gratia vero et habendo solvitur, et solvendo retinetur. » Hæc Ambrosius. Ex quibus est evidens, quod prædictæ (*a*) veritatis auctoritas contra evangelicos pauperes intorqueri non potest. Unde et Glossa Bedæ ibidem [2] : « Non illis qui relictis omnibus secuti sunt Dominum, divites eleemosynarios præponit; sed illos maxime glorificat, qui cunctis quæ possident renuntiantes, laborant nihilominus operando manibus, ut habeant unde tribuant necessitatem patienti. » His Cassianus consonat [3] : « Hæc est, » inquit, « impartientis beatior largitas, quam accipientis pecunia, quæ non de reconditis avaritiæ thesauris impenditur, sed quæ de fructibus operis proprii, et pio sudore profertur. » Ex quibus habetur, quod si quis cum paupertate, et exercitio studii spiritualis, labori manuum intendens, seipsum et alios pascit, imitator effectus apostoli Pauli, opus agit majoris supererogationis, quam qui ab aliis subsidia requirit, et accipit. Et ideo, perfectionis omnis amator Franciscus ad laborem manualem sectatores suos et filios moderate ac prudenter inducit, dum ad hoc idoneos informat, et excitat, quod sic laborent, quod refugiant otium, et spiritum non extinguant. Ad quod, quanquam sit perfectum et sanctum, universali præcepto astringere noluit, pro eo quod hanc celsitudinem supererogantis perfectionis infirmitas corporum, cum tarditate ingeniorum, in hominibus nostri temporis non admittit. Esto igitur, quod hoc modo beatius sit dare, quam accipere, secundum imitationem Apostoli, non tamen ex hoc potest inferri, quod accipientes sint imperfecti, quia nec Apostoli a perfectione exciderunt in hoc, quod sustentabantur ab aliis, nec Christus imperfectionis magister fuit, qui perfectionis evangelicæ doctores ab aliis sustentari ordinavit, et hoc in seipso per exemplum ostendit. Unde Augustinus, super illud Psalmi [4] : *Qui producit in montibus fœnum* [5] : « Quare voluit egere Dominus, nisi ut daret montibus exemplum, ut parerent fœnum, ne contra pluviam steriles redderentur? » Hæc Augustinus, per pluviam dans intelligi doctrinam qua mentes erudiuntur, et per fœnum temporalia quibus corporalia sustentantur. Sane, ut omnis calumniandi materia cesset, intelligendum est, quod quamvis accipere comparatum ad dare de genere operis minus sit beatum atque perfectum, potest tamen ex superadjecta circumstantia esse beatius atque perfectius, videlicet cum quis accipit extremæ paupertatis amore, secundum sex conditiones superius expressas, in quibus simul junctis integra consistit ipsius perfectio, non solum in abdicatione proprietatum, verum etiam in acceptione necessariorum, cum videlicet quis mendicat et accipit, ut acceptione penuriosa purgetur, verecunda humilietur, attenuata restringatur et castigetur, grata concilietur ad proximum, condescensiva configuretur ad Christum, fiduciali et alta sursum agatur in Deum : quod quidem excellentius est, quam præbere alimenta pauperibus. Unde Hieronymus *ad Julianum* [6] : « Extruis monasterium, multus a te sanctorum numerus sustentatur; sed melius faceres, si et ipse sanctus inter sanctos numerareris. » Et Bernardus in quadam Epistola [7] : « Volo te amicum esse pauperum, magis autem imitatorem. Ille gradus est proficientium; hic perfectorum. » Secundum hæc igitur perfectius est cum Christo egere, et eleemosynas cum accipiente accipere, quam sit amicum esse pauperum,

[1] Ambros., *de Offi.*, lib. II, c. XXV, n. 127. — [2] Bed. — [3] Joan. Cassian., *de Instit. Monach.*, lib. X, c. XIX. — [4] *Psal.* CXLVI, 8. — [5] Aug., Enarr *in Psal.* CXLVI, n. 17. — [6] Hieron., *ad Julian.*, epist. XXXIV, col. m. 270. — [7] Bernard., *ad fratrem Willelmi*, epist. CIII, n. 1.

(*a*) *Cæt. edit.* prædicta.

ipsos pauperes sustentare. Quod ergo dicit Hieronymus ad Nepotianum [1], quod nunquam petentes debemus accipere, intelligendum est, quod loquitur Nepotiano clerico, pro his clericis qui sufficientem habent victum de bonis Ecclesiæ, qui etiam nondum conscenderant ad celsitudinem paupertatis extremæ. Et his, cum habeant unde vivant, nec velint egere (*a*), turpe est accipere, turpius petere. Et quia hujusmodi personis, nisi studii causa, turpe est mendicare, ideo statutum fuit in Carthaginensi concilio [2], quod clericus pauper victum et vestitum artificiolo quæreret. Et quia difficile erat eos ad hujusmodi labores compellere, ideo statutum est, sicut patet *de Consecratione*, distinctione 1 [3], quod « nulla ecclesia dedicetur, nisi prius dotata fuerit, » ob hoc videlicet, ut clerici in ea ministrantes habeant unde sustentari possint. Simul etiam per nova jura introductum est, ut clerici sine titulis non debeant ordinari; quod si ordinati fuerint, ab ordinatoribus sustententur. Quæ quidem jura certum est nullatenus eos astringere, qui pro Christi nomine vivere devoverunt in extrema paupertate, concurrentibus in hoc ipsum auctoritate summi Pontificis et attestatione evangelicæ veritatis. Qualiter autem verbum Augustini, quo dixit Christum non petendo, sed præbendo indigentiam suscepisse, intelligi debeat, ipsemet aperit, cum subsequenter adjungit exempla de Christo, Elia, Zachæo, et vidua, dicens [4] : « Cum quisque sanctum suscipit, non suscepto, sed susceptori præstatur ; » quasi dicat, quod Dominus in suscipienda annona, non quærebat proprium commodum, sed meritum alienum ; non requirebat datum, sed fructum, quo fiebat, ut Christum suscipienti plus præstaretur ex merito, quam suscepto conferretur ex dono. Quod non solum habet veritatem in ipso capite, verum etiam pro membris ipsius, pauperibus scilicet, pro quibus benefactoribus eorum *in Matthæo* mercedem repromittit, cum dicit [5] : *Quodcumque fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Et iterum [6] : *Quicumque dederit potum uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum, in nomine discipuli ; amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* Ubi Glossa : « Minimi sunt qui nihil penitus habent in hoc mundo, et judices erunt cum Christo. » Valde igitur sunt pauperes, qui nihil omnino habent in mundo, et calice frigidæ aquæ indigent ; sed nihilominus valde sunt divites, in quorum susceptione Christus se suscipi asserit, quibus etiam judiciariam potestatem se communicaturum esse prædixit. Denique pessima cavillationum omnium ea esse dignoscitur, qua oppressor hic pauperum eos esse viros sanguinum criminatur, pro eo videlicet, quod eleemosynas accipiunt, quibus sustentari deberent invalidi pauperes, qui operari non possunt, et ideo quodammodo homicidium perpetrant, dum eos eleemosynis, ex pietate sibi debitis, impie defraudant, cum Ecclesiasticus dicat [7] : *Panis egentium vita pauperis est ; qui defraudat eum, homo sanguinis est.* Insuper et Christi Ecclesiam, ut dicit, onerant, et multis periculis se exponunt, quæ ex inopia procedunt, cum dicat idem Ecclesiasticus [8] : *Propter inopiam multi deliquerunt.* Ex quibus et illud habet sequi, quod paupertatem hujusmodi profiteri sit impium, cum non habeat annexum meritum, sed peccatum. Et hoc est quod finaliter calumniator egentium persuadere molitur, scilicet quod status hujusmodi pauperum, tanquam perversus, ab universali Ecclesia reprobetur, ut vere videatur illud Psalmi in eo esse completum [9] : *Persecutus est hominem inopem et mendicum, et compunctum corde mortificare.* Dicamus igitur pro causa pauperum defendenda, quod hujusmodi evangelici viri, qui propriis facultatibus renuntiaverunt, et saluti animarum in-

[1] Hieron., *ad Nepotian.*, col. 19. — [2] Conc. Carthag. IV, an. 398, c. 51, 52 et 53. — [3] Decret., part. III, *de Consecr.*, dist. 1. — [4] Aug., ubi sup. — [5] *Matth.*, XXV, 40. — [6] Ibid., X, 42. — [7] *Eccli.*, XXXIV, 25. — [8] Ibid., XXVII, 1. — [9] *Psal.* CVIII, 17.

(*a*) *Cæt. edit.* agere.

tendunt, non sunt viri sanguinum, sed misericordiæ, quorum justitiæ oblivionem non acceperunt : quoniam ex abundante misericordia temporalia bona largiti sunt ad sustentanda corpora pauperum, et spiritualia bona continue largiuntur ad sustentationem animarum : et ideo digni sunt, ut ab Ecclesia sustententur, quia non gravant, sed alleviant multo amplius, quam illi, qui ecclesiasticorum reddituum ubertate pinguescunt, quos cum et plurimi eorum habere potuissent, multo magis pro Christo illis carere voluerunt. Hi ergo, cum eleemosynas petunt et accipiunt, nullum pauperem defraudant; quin potius causas pauperum agunt, cum suis sacris exemplis et monitis impios homines ad opera pietatis inducunt. Nulli prorsus injuriantur, quia hoc petunt et accipiunt, quod eis debetur. Sustentatio enim corporalis debetur ipsis lege misericordiæ, tanquam pauperibus; et eo magis, quo pauperes voluntarii sunt, Christoque devoti. Unde Hieronymus, *contra Vigilantium* [1] : « Non negamus cunctis pauperibus, si tanta sit largitas, stipes esse porrigendas; sed (*a*) Apostolus docet [2] faciendam quidem eleemosynam *ad omnes, maxime ad domesticos fidei.* De quibus Salvator in Evangelio loquebatur [3] : *Facite vobis amicos de iniquo mammona, qui vos recipiant in æterna tabernacula.* Numquid isti pauperes, inter quorum pannos et illuviem corporis flagrans libido dominatur, possunt habere æterna tabernacula, qui nec præsentia possident, nec futura? Non enim simpliciter pauperes, sed pauperes spiritu beati (*b*) appellantur, de quibus scriptum est [4] : *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem.* In vulgi pauperibus sustentandis nequaquam intelligentia, sed eleemosyna opus est; in sanctis vero pauperibus beatitudo est intelligentiæ, ut ei tribuatur qui erubescit accipere, et cum acceperit, dolet metens carnalia, et seminans spiritualia. » Hucusque Hieronymus. Debetur etiam eis lege justitiæ, tanquam prædicatoribus veritatis : quam quidem justitiam exigere possunt, non jure fori, sicut prælati, in quibus acceptio stipendiorum non est mendicitas, sed potestas; sed jure poli eam exigere possunt et debent per modum humilitatis, scilicet pro Christi amore gratis petendo, ut alii mereantur dando, et ipsi humilientur accipiendo, et sic sustententur, ut evangelizent; non evangelizent, ut comedant. Unde Bernardus [5] *ad fratres de monte Dei :* « Cum dives esset, pauper pro nobis factus est : et qui voluntariæ paupertatis dedit exemplum, ipse in semetipso ejusdem formam dignatus est demonstrare. Ut enim sciant evangelici pauperes quid eis faciendum sit, ipse etiam a fidelibus pasci voluit; nonnunquam et ab infidelibus, sed ut fideles faceret, vitæ necessaria accipere non recusavit. » Constans est autem, quod non loquitur hic de prælatis, sed de pauperibus religiosis, quos exemplo Christi dicit de eleemosynis sustentari debere, non quidem potestative requisitis, sed pie et humiliter postulatis. Hujusmodi autem pauperes sustentare pro Christo, non minoris est meriti, quam ædificare basilicas, ut dicit Hieronymus ad Demetriadem [6] : « Alii ædificent ecclesias, vestiant parietes marmorum crustis, non reprehendo, non abnuo. Unusquisque in sensu suo abundet. Melius est hoc facere, quam repositis opibus incubare. Sed tibi illud propositum est, Christum vestire in pauperibus, visitare in languentibus, pascere in esurientibus, suscipere in his qui tecto indigent, maxime in domesticis fidei, virginum alere monasteria, servorum Dei et pauperum spiritu habere curam, qui diebus ac noctibus serviunt Domino tuo, qui in terra positi imitantur angelorum conversationem, nihil loquuntur nisi quod ad laudes

[1] Hieron., *adv. Vigilant.*, col. m. 165. — [2] *Gal.*, VI, 10. — [3] *Luc.*, XVI, 9. — [4] *Psal.* XL, 2. — [5] Imo Gulielm. a S. Theod., c. XIII, n. 39, inter spuria Bern., tom. II, edit. 1690. — [6] Hieronym., *ad Demetriad.*, epist. VIII, col. m. 74.

(*a*) *Ita apud Hieron. Cæt. edit. deest* sed. — (*b*) *Item deest* beati.

Dei pertinet, habentesque victum et vestitum, his gaudent divitiis; qui plus habere nolunt, si tamen servant propositum; alioquin si amplius desiderant, his quæ necessaria sunt, probantur indigni. » Ex his Hieronymi verbis colligitur, quod sustentare hujusmodi evangelicos pauperes, opus est pietatis maximæ, ac per hoc ipsos persequendo calumniari, scelus est non parvæ perfidiæ. Non enim inopia voluntaria, ut is dicit, est causa malorum et multiplicium criminum, sed, ut dicit Chrysostomus, et supra habitum est, infinitorum causa bonorum. Sicut enim radix omnium malorum est cupiditas, quæ est amor divitiarum; sic paupertas cunctorum est origo bonorum spiritualium, quæ est contemptus affluentiæ et amor penuriarum. Non ergo multi deliquerunt propter inopiam quam dilexerunt, sed propter inopiam quam oderunt, vel certe, sicut Glossa dicit, verbum illud intelligitur non de inopia bonorum temporalium, sed spiritualium virtutum atque charismatum. Hæc idcirco diximus, non quia commendemus effrænatam mendicantium multitudinem, aut omnem mendicandi modum, ut perfectum approbare velimus; sed eum dumtaxat, qui annexum habet studium sapientiæ septiforme, vel laborem manualem, cum professione et observantia evangelicæ paupertatis, et exercitatione perfectæ virtutis. Quem quidem modum cum tota Christi vita et doctrina evangelica comprobet, si quis ipsius contrarium evangelizaverit, juxta verbum Apostoli [1] anathema sit. Desinat igitur persecutor hic pauperum a malignis calumniis et verbis maledicis, nec Balaam transcendendo malitiam illis maledicat, quibus Dominus benedixit, ne benedictionem perdens cœlitus repromissam, maledictionem incurrat æternam. Quod si cessare noluerit, verus pauper clamare non cesset [2] : *Adjuva me, Domine Deus, Deus, salvum me fac propter misericordiam tuam.* Et dehinc media prosequens, in fine concludat [3] : *Confitebor Domino nimis in ore meo, et in medio multorum laudabo eum; quia astitit a dextris pauperis, ut salvam faceret a persequentibus animam meam.*

[1] *Gal.*, I, 8. — [2] *Psal.* CVIII, 26. — [3] Ibid., 30-31.

LIBELLUS APOLOGETICUS IN EOS

QUI ORDINI FRATRUM MINORUM ADVERSANTUR [1]

ARGUMENTUM

(*Ex editione Vaticana* an. 1596.)

Objectionibus et quæstionibus variis eorum, qui fratrum Minorum Ordini detrahere nitebantur, respondet Auctor in hoc Opusculo : in quo et calumnias adversariorum detegit, et obloquentium ora obstruit doctrina sua mirabili. Hic autem repetit multa, et uberius pertractat, quæ in tribus proxime præcedentibus [2] Opusculis proposuerat : suntque utilia iis præsertim, qui regimini animarum præsunt.

Quæstio adversariorum prima.

Præter hoc quod surripitis clericis eleemosynas, quæ ipsis darentur, si vos non essetis, conqueruntur, quod detrahatis eis in populo, et confundatis eos in prædicationibus vestris, vitia eorum propalando. Insuper, quod suadeatis hominibus, ne confiteantur eis, et ne dent eis oblationes, et alia quæ deberent, cum ipsi sunt, potius quam vos, qui pro animabus eorum sunt rationem Domino reddituri.

Responsio.

Respondeo ad ista per ordinem : Omnia quæ ipsis jure debentur in oblationibus, decimis, et aliis, vel de approbata eis consuetudine dari solent a populo, non potius suademus eis dari, quam impediamus ; imo hortamur populum eis ista non subtrahere, nec in alios pios usus erogare, et jus suum cuique tribuere, etiam peccatori. Si autem quandoque quærunt consilium, ubi secundum Deum melius sit dare eleemosynam, ad quam non tenentur ex debito, dicimus libere, quod ibi sit melius, ubi major est indigentia, vel major Deo honor exhibetur, et ipsis dantibus exinde efficaciora orationum suffragia provenire creduntur, vel quo ipsorum devotio ad benefaciendum pro Deo ferventius inclinatur. Quod autem plebanis suis confiteantur, ut debent, suademus etiam his, qui nobis confessi fuerint, ut agnoscant eorum conscientias, quos regere debent; ut sciant, quibus exhibere, vel negare debeant ecclesiastica sacramenta, nisi forte tales sint aliqui, a quibus prohibeant canones sacramenta requiri, ut suspensi ab officio, vel irregulares, vel jus ligandi et solvendi non habentes, vel per quos animæ magis irretiuntur peccati laqueis, quam purgentur, de quibus non est nunc ulterius prosequendum.

Quod autem detrahamus eis, et confundamus eos in populo, non oportet quod nobis

[1] *Cf.* Edit. Argentin., an. 1495, 43, pars II; edit. Vatic., an. 1596, tom. VII, pars. IV, pag. 373; edit. Ven., an 1611, 30, tom. II; edit. Ven., an. 1754, tom. V, pag. 700. — [2] Scilicet, quoad editionem Vaticanam, *Expositio in Regulam fratrum Minorum*, *Determinationes quæstionum circa* hanc *Regulam*, et *Quare fratres Minores prædicent, et confessiones audiant.*

hoc imponant singulariter, cum ipsi non abscondant scelera sua, sed per facti evidentiam omnibus ea propalent, et nobis etiam tacentibus, omnibus ingerant inde materiam detrahendi. Utinam nos soli ea sciremus. Utinam ita essent occulta eorum peccata, quod nobis, ea prodere volentibus, non crederetur, et mendacii et detractionis a populo argueremur. Nunc autem tanti et tam aperti sunt multorum excessus, quod laici arguunt nos, cum aliorum vitia in prædicatione tangamus, quare tam enormia, et aperta, et multa, et magis nociva clericorum scelera non reprehendamus, cum non debeat esse personarum acceptio apud veritatis doctorem, nec pro timore, vel favore, debeat apertam veritatem tacere, et hoc gravius redarguere, quod est nocivius, et quo Deus magis offenditur in quocumque. Inde est, quod propter hoc cogimur interdum aliquid de clericorum excessibus tangere, ne putemur ex timore tacere, vel ex privato favore, quasi cum ipsis contra laicos pariter conspiraverimus; et ut laici æquanimius ferant, si eos corripimus, videntes, quod nec clericis parcimus; et maxime ut veritas Evangelii servetur, quæ omnium peccata detestatur; ne aliter putarent simplices, quod peccata non essent Deo odibilia, quæ non audirent in clericis reprehendi, et stultæ mulierculæ putarent non esse illicitum cum ipsis peccare, sicut aliquibus earum notum est ab eis fuisse persuasum.

Quod autem non nitamur eos in prædicatione confundere, nec populos eis odibiles reddere, potest ex hoc patenter agnosci, quod multos eorum defectus scimus, et dissimulamus, nec populo propalamus expresse, parcentes eisdem : cum etsi non in omnibus, tamen in pluribus eorum plures reperiantur, per quos fierent despecti populo, si vellemus eos publice prædicare. Et hoc caute tacemus, his de causis. Una, propter pacem et reverentiam cleri, ne laicos contra clericos provocemus ad discordiam, cum pro pace cleri, et etiam ædificatione populi, a Deo et a Sede Apostolica specialiter missi simus. Secunda, quod non possemus tamen per hoc emendare eos, nec haberemus alios meliores, qui eis mox substituerentur, si isti omnes qui sunt reprehensibiles abjicerentur, et est minus malum aliquo modo habere istos quam nullos, maxime cum episcopi et prælati non intenderent substituere meliores. Tertia, quod deferimus in hoc bonis qui sunt inter eos, etsi pauci sint, qui cum cæteris confunderentur, cum rudis populus sine discretione bonos et malos persequi inciperet, et odire. Quarta, et quasi præcipua, ne, si populus perderet omnino fidem in clericis, hæretici insurgerent, et attraherent sibi populum, quasi oves destitutas pastoribus, et facerent eos hæreticos, gloriantes quod nostro quasi testimonio tam viles essent clerici, quod nullus eis obedire deberet, nec doctrinam eorum curare. Omnis enim hæreticorum intentio ad hoc tendit, quod spreto clero eis credatur : et ad hoc non convenit nos ipsorum esse cooperatores; quin potius debemus contra eos, quasi lupos rapaces, clero et Ecclesiæ esse propugnatores, contra eorum versutias populum præmuniendo, errores ipsorum veritatis testimoniis ex Scripturis authenticis confutando. Quinta, quod lucra animarum, quæ quærimus, melius promovemus cum benevolentia cleri et assensu : quos si indiscrete agendo exacerbaremus, cum non possemus contra eos communiter prævalere, prohiberent nos animabus prodesse prædicando, et confessiones audiendo, et sic salus multarum animarum impediretur, et fieret quasi scissio in Ecclesia, dum clerici nos quasi reprobos persequi inciperent, et laici aut nobis, aut ipsis faventes, alteros despicerent, et eis credere recusarent. Et cum non possemus eos qui nobis faverunt defendere a clero, quin eos nobiscum persequerentur, et excommunicarent, tandem omnes nos desererent, et ex odio nostri doctrinam nostram clerici infamarent, et sic hæreticis, qui modo nos timent, aditus ad subversionem fidelium sine contra-

Perversa hæreticorum omnium intentio.

dictione pateret : sicut lupis, ubi canes non metuunt, et pastores sunt desides, datur audacia oves invadendi. Nisi enim essent isti ordines in Ecclesia, qui ex officio prædicationis fideles illuminant, cito plurimi efficerentur hæretici in his terris, ubi tam pauci inveniuntur clerici in sacra Scriptura periti, cum nescirent hæreticorum versutiis obviare. Imo ipsi clerici cito ab hæreticis subverterentur per callidas expositiones Scripturæ, in quibus nescirent eorum deprehendere fallacias, vel per promissiones seducerent eos, spondentes quod magni fierent inter ipsos. Et cum laicos attraherent clerici, etiam potius adhærerent eis, quam soli relicti perirent inopia, cum nullus curaret eos, nec daret eis oblationes vel decimas; aut certe persecutionibus eorum exterminarentur, cum jam haberent laicos adjutores contra clerum, sicut modo clerici hæreticos persequuntur.

His ergo de causis, et aliis, ut multa mala vitentur, utilius judicamus tacere quædam mala clericorum, quam populo prodere, ubi sine scandalo possumus evitare, ut sunt ista. Quandocumque habet plures ecclesias curam animarum habentes, sine dispensatione apostolica, omnes vacant ipso jure præter ultimam, et nullum jus habet in aliis ligandi vel solvendi, nec ejus vicarius, nec aliquos inde redditus percipiendi. Item illegitime natus nullum jus habet in beneficio curam animarum habente. Item qui recipit ecclesiam per quamcumque simoniam. Item qui recipit ecclesiam ab eo, qui non habet verum jus conferendi eam. Omnis notorius fornicator, cujus criminis testis est populus, jure taxatus, sive in domo sua teneat fornicariam, sive extra, vel unam habeat, vel plures, est ipso jure suspensus ab officio, ita quod subditi non debent ejus missam audire, nec confiteri ei, nec alia ab eo sacramenta recipere, nec potest eos excommunicare, nec absolvere. Item si suspensus celebrat, et officiat ecclesiam, vel quacumque excommunicatione ligatus, seu recipit ordinem clericalem, aut in eo solemniter ministravit, factus est irregularis, et non potest exercere officium clericale, etiam si jam fornicari cessaverit (*a*), vel ab excommunicatione solutus fuerit, nisi cum eo super irregularitate contracta per Sedem Apostolicam dispensetur, maxime si a judice suspensionis sententia fuit lata. Hujusmodi autem sententiæ jam sæpe feruntur in clericos, et ab officialibus, et archidiaconis, et judicibus ordinariis, vel delegatis, et parum curantur a multis. Videmus in terris istis tot esse imperitos jam clericos in his quæ ad regimen pertinent animarum, licet forte in grammatica vel alia scientia sint instructi, quod ubi centum vel plures plebani et vicarii conveniunt, vix pauci sint, qui vere sciant animas suas vel alia, quæ ad salutem sunt necessaria, in his per Scripturarum scientiam expedire. Et talibus imperitis non deberent eorum subditi confiteri propter periculum, ne forte ex ignorantia relinquant eos in statu damnationis, docendo non esse peccatum, quod est mortale peccatum, aut non ostendendo formam debitam satisfactionis de peccato confesso, ubi certa forma satisfactionis est necessaria, ut de restitutionibus rerum illicite acquisitarum, certis locis vel personis, vel hæredibus faciendis, ubi multi seducuntur. Scimus etiam, quod qui scienter in mortali peccato positus celebrat missam, qualibet vice mortaliter et graviter peccat, et quantum in ipso est, rursum Christum crucifigit, quem et pro denariis, quos sibi sperat offerri, et illicite et indigne contrectat. Qui ergo offert ei quem talem esse præsumit vel scit, et rogat eum missam celebrare, facit eum Christo tantam inferre contumeliam, ut eum indigne contrectet, et peccat mortaliter. Sed qui facit aliquem peccare mortaliter, ipse peccat, ubi ignorantia non excusat; et secundum ista, si nullus offerret vel audiret missas eorum, qui illicite celebrant, cessarent a celebratione, vel corrigerent vitam suam, et sic multa pec-

(*a*) *Cæt. edit.* cessavit.

cata omitterentur. Multi etiam inordinate excommunicantes incidunt in pœnam suspensionis, et irregularitatis, et per alios actus plures inobedientiæ merentur suspendi ab officio, et inefficax fit eorum auctoritas in subditos suos. Scimus etiam, quod qui est in peccato mortali, cum sibi Deus iratus sit, non placat eum pro alio peccatore. Ergo oratio clerici in peccato positi inefficax est sibi, et aliis qui offerunt ei eleemosynas, ut oret pro illis. Item clericus lubricus, vanus, et male expendens res Ecclesiæ, quo plura habuerit, plus peccat. Sed qui illi dant oblationes, et alia, promovent eum ad amplius peccandum : expedit ergo ei non dari. Item qui recipit pretium operis alicujus, et non deservit, male recipit : sed clericus habens curam animarum, et non faciens quæ debet eisdem in doctrina salutis, et bono exemplo, et efficaci oratione, et debita correctione, et in aliis, peccat recipiendo stipendia ecclesiastica, quæ non deservit ut debet : ergo non deberent ei dari, ne daretur occasio peccati. Quam paucissimi autem in terris istis jam reperiantur, qui debito modo ministeria præstent animabus sibi commissis, quod nimis est miserabile, et qui aut ex defectu juris, aut scientiæ, aut vitæ, aut diligentiæ circa eas, aut liberæ exsecutionis officii sui nihil habeant reprehensibile, et quod eos tali officio reddat indignos. Quomodo vero tota Ecclesia per mala exempla clericorum et avaritiam corrumpatur, et negligentiam deformetur, et a statu debito elongetur, et quanta ex hoc quotidie peccata increscant, et quot bona negligantur per mundum, vix aliquis sufficit æstimare. Hæc et plura alia cum vera esse scimus (*a*), et tamen ea populo non aperte prædicemus, non debemus a clero judicari, quod confusioni eorum intendamus, et eos populo studeamus odibiles facere, sed magis, si haberent intelligentiam, agnoscerent, quantum eos honoramus, et deferimus talia subticendo, propter causas supra notatas. Ideo tamen securius ista dissimulamus, quod nec clericorum, nec laicorum cura nobis ita commissa est, ut de ipsis teneamur reddere rationem, sicut prælati ipsorum, ad quos spectat eorum correctio, nisi in quantum ex libera charitate consideremus eis prodesse. Unde possumus tacere et loqui, quæ secundum Deum, et nobis et aliis expedire videmus, cum nihil a nobis amplius requiramus (*b*). Vitia autem laicorum liberius arguimus, quia et patientius sustinent, et nesciunt litteras, quibus instruantur, quid debeant cavere vel facere, et minus periculum sequitur, si eorum in publico propalentur excessus, et facilius emendentur. Clericis autem possumus, in Capitulis suis, omnia pericula sua in sermonibus litteralibus seorsim ostendere cum reverentia charitatis, et maturitate benigna, et sic magis proficimus apud eos.

Quæstio secunda.

Cum ergo non sitis judices clericorum, vel laicorum, nec ad vos spectet eos redarguere vel corrigere, sed ad suos tantum rectores ; quid usurpatis vobis juris, etiam si causæ prædictæ non essent, ut alicujus vitia publice reprehendatis, sicut sæpe tangitis in prædicatione vitia quorumlibet laicorum, clericorum, et religiosorum, cum prædicator non debeat arguendo descendere ad species peccatorum, sed in genere solum ostendere vitia et virtutes, et nullum notabiliter confundere coram populo, peccata sua publice objurgando, aliis in scandalum.

Responsio.

Judicis officia.

Intelligentibus constat, quod multum differunt actio judicis, et doctoris. Judex enim, ad quem spectat correctio delinquentium subditorum, debet investigare, excessus delinquentium audire, testes recipere, peccantem citare, crimina contra ipsum proposita ei objicere, negantem convincere, convictum vel confessum punire, contumacem amplius, ut magis terreatur, arctare, et cogere ad satisfactionem, etiam invitum. Cum ergo formam istam omnino non teneamus in prædi-

(*a*) *Leg.* sciamus. — (*b*) *Leg.* requiratur.

cando, non usurpamus nobis judicis officium judicantis super aliquem, sed imitamur tantum formam doctoris. Doctor enim, seu prædicator, qui diversi generis auditores debet instruere, ut virtutes magis reddat commendabiles necessarias ad salutem, vitia his opposita quam sint nociva, et detestabilia ostendit. Et quibusdam generibus hominum quædam vitia sunt magis usitata, ut mercatoribus fraus et mendacia, militibus rapina et incendia, et ita de aliis, necesse est, quod propter generalem instructionem quodlibet genus hominum specialiter arguat, et moneat sibi specialius insidiantia vitia cavere, sicut medicus ægros, diversis infirmitatibus laborantes, docet a sibi magis noxiis cibis et aliis abstinere. Nihil enim prodesset infirmis, si diceret : Cavete ab omnibus cibis nocivis, generaliter, nisi specificaret in qualibet passione, quid illi specialius noxium esset, aut proficuum sanitati. Quod autem dicitur, quod prædicator debeat in genere omnes arguere peccantes, et non descendere ad species, hoc est intelligendum de notabili specificatione personarum, non vitiorum vel statuum, vel officiorum, quæ non possunt proprie describi sine expressione officii vel status illorum, qui in hoc specialiter offendere consueverunt. Potest enim sic congrue generaliter dici : vos, artifices, peccatis frequenter in hoc; et vos, milites, in hoc; et vos, religiosi, in isto; vos clerici, in illo; et sic de aliis, si sunt ibi plures de quolibet genere illorum ad quos loquitur, sive nullus, ut quisque sibi conscius talis peccati compungatur, et in se confundatur, et nullus specialiter notabilis de hoc reddatur, quem facti evidentia alias non facit notabilem, vel qui seipsum non prodit esse reum, sibi ascribendo specialiter cum murmure, quod generaliter dictum constat, juxta illud Poetæ :

Munus doctoris, seu prædicatoris.

Conscius ipse sibi, de se putat omnia dici.

Correctioni enim et ædificationi tantum debet intendere doctor fidelis, non confusioni vel infamationi alicujus præsentis vel absentis. Ubicumque ergo præsumitur, quod aliquis specialiter de peccato prius incognito aliis ex prædicatione reddatur notabilis, unde potest oriri gravamen, vel scandalum, melius est tacere, et alia ædificatoria magis loqui. Qui vero facere consuevit contrarium, aut contentiosum, aut invidum, aut imprudentem se demonstrat, aut vanæ gloriæ cupidum, qui (*a*) non aliunde esset acceptus apud hominem, ex aliorum infamia gloriam sibi quærit. Quem confundendo exasperas, hunc tardius ædificas, et rancoris aculeo vulneras.

Quæstio tertia.

Cum in prædicatione, et confessione audienda, multa sit discretio necessaria, et peritia Scripturarum, quare ad hæc officia tam juvenes, ut videtur, et immaturos promovetis, qui et sibi, et aliis aliquando minus prosunt, et fortasse etiam obsunt, cum in clericis aliis hoc reprehendere soleatis animarum rectoribus?

Responsio.

Licet enim aliquando quod junior litteratior sit, et magis discretus sit quam senior, et facies juvenilis sæpius majorem celet ætatem, et morum maturitas ætatis defectum suppleat : in plerisque tamen etiam propter hoc aliquoties ad hæc officia promovemus juniores, ut interim discant per exercitium, quia cum vident se ad hæc officia assumptos, diligentius student, qui alias forte segniores essent in studendo, et minus proficerent. Minus etiam obest, si minus adhuc perfecti sunt promoti, dum vivunt adhuc seniores, qui eos possunt informare, et corrigere, et defectus illorum in consiliis supplere, quam si illi deficerent penitus, et nemo eos tunc sciret instruere, si tunc primo exercitari deberent. Tot etiam sunt requirentes a nobis prædicationes et confessiones, et consilia, quod seniores non sufficiunt omnibus satis-

(*a*) *Suppl.* quoniam.

facere. Ideo oportet nos de junioribus aliquos, qui sperantur idonei, promovere, qui onus seniorum sublevent, et petentibus satisfaciant, prout sciunt. Quamvis nullum scienter promoveamus, quem non speremus idoneum; tamen aliquando aliquis præter voluntatem nostram minus efficitur utilis, quia multa sunt, quæ ad idoneitatem tanti officii requiruntur, et satis est difficile hæc omnia simul in omnibus reperiri.

Quæstio quarta.

Quæ sunt ergo necessaria illi, qui ad prædicationis et confessionis officium est assumendus?

Responsio.

Qualis debeat esse promovendus.

Ut ad hoc sit idoneus, præter habilitatem illam quam confert gratia, quæ etiam est efficacior omnibus, quæ non in nostra potestate consistunt (*a*), sed in beneplacito Dei, singulis prout vult dona sua dividens, ista considerare in promovendis solemus ad hæc officia. Primo quod sit competentis ætatis, non multum a tricesimo distans anno, quia quæ fiunt a pueris, puerilia reputantur. Secundo, quod non sit etiam facie et moribus puerilis, quia ista multum minuunt auctoritatem apud homines, tam dictorum, quam factorum. Tertio, quod non sit valde notabiliter deformis in corpore, videlicet nimis brevis, vel crassus, vel gibbosus, vel aliter turpiter deformatus, ne per hoc ejus prædicatio despectui, et risui haberetur. Quarto, quod non sit etiam valde debilis corpore, cum ex hoc labores hujus officii exequi viriliter non valeret. Quinto, quod sit competentis facundiæ, ut possit ea, quæ debet, proponere sine fastidio auditorum. Sexto, quod sit saltem in grammatica et sacra Scriptura tam sufficienter instructus, quod sine errore vel confusione sciat coram populo et clero proponere veritatem, et in consiliis competenter satisfacere requirentibus de causis necessariis, et in confessione de pœnitentiis injungendis imponendis. Septimo, quod sit talis in vita et in moribus, quod de ipso et fratres interius, et alii exterius nihil videant vel audiant, per quod doctrina prædicationis ejus apud audientes quoquo modo vilescat. Nam [1] « cujus vita despicitur, restat ut ejus etiam prædicatio contemnatur. » Octavo, quod etiam naturali tantum polleat industria, quod per fatuam simplicitatem non reddat contemptibile quod per acquisitam scientiam apprehendit, ut sciat se honeste gerere inter homines, et prudenter in omnibus se habere. Nono, quod non sit minus ad hoc voluntarius, ut si ad hoc motu proprio non trahitur, saltem propter obedientiæ bonum proximorum saluti intendere prædicando, consulendo, et confessiones audiendo, et alios ædificando non contentiose recuset. Gregorius [2]: « Quod mens voluntarie non recipit, congrue non disponit. » Sic multi Sanctorum officium, quo prodesse debebant proximis, humiliter refugiebant; et tamen ad hoc tracti per obedientiam, sollicite adimplebant, ut Moyses, Hieremias, et alii plures Novi et Veteris Testamenti doctores. His donis ornato, si gratia affuerit, potest et debet imponi officium prædicationis et confessionis, in ordine ubi fuerit necessarium. Qui vero alios non idoneos pro privata societate promovent, Ordini confusionem, et animabus nocumentum, et ipsis promotis detrimentum, et sibimet culpam non parvam procurant, cum negligentiæ inutilium et imperitorum tam in consiliis incautis, quam in absolutionibus inefficacibus, et in aliis nocumentis animarum ab eis, qui tales promovent, merito requirantur. Tales enim in multis sæpe possunt offendere vel scandalizare, dum non dicenda populo prædicant, vel falsa docendo errorem inducunt, vel aliter forte minus composite se habendo. Item in confessione forte nesciunt confitentes debito modo instruere, nec inter peccata gravia et levia distinguere, et aut faciunt ex nimio rigore desperare, aut cum adhuc in statu damnationis sunt, dant

[1] Greg., *in Evang.*, hom. XII, n. 1. — [2] Greg.

(*a*) *Forte leg.* consistit.

eis spem de salvatione, et indulgent eis corpus Domini recipere. Et maxime circa rerum injustarum acquisitionem, vel restitutionem, multi seducuntur, dum non informantur quæ sit injusta conquisitio, vel qualiter pure restituant quibus debent. Ex moribus etiam quorumdam, et vita prædicantium, vilescit sæpe doctrina verborum, dum alta docent verbo prædicationis, sed minus ædificatoria ostendunt exemplo actionis. Unde ut diligenti examinatione indiget, qui debet esse doctor in medicina corporum, ita multa consideratione opus est, si sit idoneus, qui debet esse doctor et medicus animarum, cum sint subtiliores et periculosiores, et incurabiliores morbi peccatorum, quam passiones corporalium infirmitatum. Illi vero, qui se ad hæc officia impudenter ingerunt, indignantes si ad ea tardius promoventur, quam sint imprudentes perpendere nolunt aut nesciunt, et eo ipso se ad hoc ostendunt et reddunt indignos. Nam si digni fuerint et idonei, non debent se ad hoc ingerere, sed modeste expectare, quousque, per inspirationem Dei, a prælatis suis et fratribus ad hoc suo tempore assumantur. Si autem indigni vel nondum idonei, tunc si se ingerunt, primo quidem temerarii sunt, quod, antequam vocentur, ad tantum officium currere præsumunt. Unde Hieremias[1]: *Ipsi currebant, cum ego non mitterem eos*, scilicet prædicare. Et Paulus[2]: *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Idem alibi[3]: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron.* Et Christus dicit in Joanne[4]: *Neque enim a meipso veni, sed ille me misit*, scilicet Pater. Secundo superbi, quia seipsos reputant dignos et idoneos ad quod forte nec Deus, nec fratres, vel prælati sui judicant eos idoneos, sicut Chore[5], qui voluit sibi sacerdotium vendicare. Tertio stulti, quia cum talia officia sint occasio tentationis per inanem gloriam, avaritiam, luxuriam, noxiam libertatem, et internæ devotionis extinctionem, et alia plura pericula, quod ipsimet se talibus incaute ingerunt, nimis stulte se tantis periculis sine necessitate exponunt, cum fugere magis deberent a periculo, quam illud appetere, nescientes quo exitu bellum, quod sibi concitant, finiatur. Quarto, non carent rancore invidiæ, vel contra eos, qui ad hæc officia eos promovere possunt et non faciunt, vel qui forte impediverunt, imputantes illorum malevolentiæ, magis quam suæ insufficientiæ, quod non promoventur, cum ipsi sibi videantur ad hæc digniores, quam illi, quos vident jam promotos esse, quibus in scientia, et aliis se reputant aptiores.

[1] *Jerem.*, XXIII, 21. — [2] *Rom.*, X, 15. — [3] *Hebr.*, V, 3. — [4] *Joan.*, VII, 28. — [5] *Num.*, XVI, per totum.

Quæstio quinta.

Cum prudentum sit non leviter retractare quæ faciunt, sed ante diligenter deliberare facienda, ne postea oporteat revocare, et vos toties mutetis prælatos Ordinis, videmini aut inconsiderate constituere inutiles ad tantum officium, aut sine ratione utiles dejicere, et quod est signum inconstantiæ et impatientiæ, quod non possitis pati rectores idoneos, quos injuriose abjicitis, aut quod in officio ita perversi fiant, quod merito non debeant in eo diutius tolerari, aut quod tam paucos habeatis in Ordine pro officio regiminis idoneos, quod semper quæritis meliores.

Responsio.

In officio regiminis quæ sint spectanda.

Sicut supra de officiis et confessionibus dictum est, plures conditiones ad hæc fore necessarias, ita de officio regiminis animarum est tenendum. Requiritur enim in prælato 1. ætatis maturitas; 2. honesta admodum personalitas; 3. vitæ irreprehensibilitas; quarto, quod non sit idiota in litterarum scientia; quinto, quod sit discretus et providus ex naturali industria; sexto, quod sit zelator justitiæ et Ordinis disciplinæ; septimo, quod sit tractabilis per mansuetudinis lenitatem; octavo, quod sit compassivus pietate fraterna; nono, quod sit devotus, habens orationis usum, et fiducialiter agens

cum Deo; decimo, ex gustu internæ dulcedinis ejus, et experimento crebro exauditionis, qui semper in officio esse se doleat, et tamen cum ad hoc compellitur, æquanimiter illud ferat, nec, propter hoc ut citius absolvatur ab officio, negligentius in eo se gerat; undecimo, quod corporis imbecillitate a communis vitæ observantia non omnino impediatur. Istæ conditiones simul omnes in paucis reperiuntur: ideo paucos stabiles in officio possumus habere prælatos, dum nimis (*a*) sunt corpore debiles pro talibus laboribus et sollicitudinibus sufferendis, aut nimis involuntarii pro timore conscientiæ, dum semper timent minus quam debeant facere, aut in exterioribus provisionibus mitti, aut mores eorum in aliquo fratribus displicent, vel minus placent, aut forte in alio loco vel officio utiliores sunt quidam: propter ista sæpe mutantur prælati. Bonum est etiam propter hoc, ne fiant aliquando insolentes, si scirent se in dominio permansuros diu, ut sic in humilitate serventur, et subditi, quibus forte gravis esset illorum alicujus prælatio, de spe facilis absolutionis ejus consolentur. Sunt etiam quidam boni subditi, sed inutiles pro prælatis: ideo deponentur.

Quæstio sexta.

Cur autem toties mutatis fratres aliquos de loco ad locum? Suspectum enim videtur, quasi aliquod crimen ibi commiserint, unde mutantur, vel quasi ex impatientia sua, vel aliorum, non possint ibi manere, vel ex rancore non permittat eum prælatus ibi stare, ubi diligit et consolatur esse.

Responsio.

Cur fratres de loco ad locum juste mutentur.

Vix aliquid fit tam pure, quin possit ab aliquo sinistre interpretari, quasi male fiat. Sed bonum non ideo malum est, si illud mali, seu stulti, dicunt malum. Sunt autem plures causæ quare fratres de loco ad locum mutantur. Aliquando consolatio ejus, qui mutatur, quia sic petivit. Aliquando consolatio ipsorum ad quos mittitur, quia hoc petiverunt diligentes eum, pro bona conversatione vel utilitate. Aliquando forsitan, quia alibi magis necessarius est et utilis pro prædicatione et confessione, vel alio officio domus illius. Aliquando pro majore spiritus ejus quiete, quia ibi minus a parentibus et aliis requirentibus infestatur. Aliquando pro communi recreatione, quia aer vel victualia plus ibi competunt ei, vel suppetunt pro indigentia sua. Aliquando, quia in uno loco habet aliquis tentationis alicujus materiam, quam non habet in alio. Posset etiam aliquando accidere, quod aliquis deliquisset in uno loco, quod pro sopiendo scandalo, expediret eum mutari in alium locum. Similiter posset aliquis ita esse distortus moribus, vel ex aliqua corporis qualitate onerosus, quod pro partitione oneris aliis transmitteretur ad tempus, ut alii interim ab eo relevarentur, sicut onus ab uno humero in alium commutatur. Valet etiam ad hoc maxime talis mutatio, ut fratres secundum regulam agnoscant se peregrinos et advenas in hoc mundo, non habentes hic manentem civitatem, et semper æternam patriam inquirentes. Si enim in uno loco diu stare deberent, quidam nimias ibi contraherent cum extraneis, cum potentibus, cum fœminis amicitias, corporis commoda procurarent, sumptuosa ædificia construerent, et cum ibi quasi notiores magis viderentur esse necessarii, tanto vellent esse super cæteros potentiores, ita ut nec prælati auderent sine ipsis in domo aliquid ordinare, et veluti quadam diuturnitatis præscriptione stabiliti vix æquo animo ferrent, si vellent eos pro aliqua causa mutare, etiam si omni modo expediret. Ut ergo puritas paupertatis et obedientiæ melius observetur in Ordine, et mala plurima præcaveantur, expedit fratribus aliquando a loco mutari.

Quæstio septima.

Cum potius deberetis diligere si religiosi et boni apud vos essent vicini, quam sæcu-

(*a*) *Cæt. edit.* minus.

lares et insolentes laici, quare impeditis aliquando, etiam per privilegium papale, alios religiosos circa vestram habitationem sibi mansionem construere, nisi quod videtur invidia esse in causa?

Responsio.

Non pro invidia, sed potius pro pace privilegium hoc a Sede Apostolica datum agnoscitur, et ob eamdem causam pacis eo utimur, cum non tam nobis quam etiam aliis possit aliter in posterum turbatio et materia scandali suboriri. Si enim aliquando necesse foret eis vel nobis areas nostras ampliare, non possemus, cum alii priores eas jam occupassent. Si autem aliquæ areæ inter nos et illos essent mediæ, cum utrique eas certatim præoccupare desiderarent, ex avaritia sua venditores earum vix pro triplicato pretio eas darent. Vel si forte pauperes essent possessores earum, aliquis dives avarus eas præemeret, ut nobis eas postea carissime venderet, videns nos ipsis necessario indigere. Item forte conveniret eis, vel nobis, officinas nostras propter situm loci aliquando sic ordinare, quod essent aliis pro magno incommodo, et frequenti cordium turbatione, ut si chorus ipsorum poneretur apud locum infirmorum nostrorum, vel aliter quolibet modo, videlicet latrina, coquina, dormitorium, refectorium, capitulum, domus hospitum, quod (*a*) propter pacem infirmorum cordium, magis expedit nos esse longius segregatos. Posset etiam quandoque divinum officium apud alterutros impediri, si oratoria nimis essent contigua, cantu suo mutuo se impedientibus. Idem posset fieri de prædicatione, cum utrobique forte pro causa aliqua prædicare contingeret. Si etiam aliquis quandoque confiteretur apud illos, et placeret ei etiam alicujus apud nos consilium requirere, aut non auderet facere hoc, timens quod prior confessor indignaretur, quasi non sufficeret ei pro confessore, dum quæreret alium, aut forte putaretur velle explorare, quid ille vel ille consuleret, et inde quærere materiam detrahendi. Si qui etiam magis frequentarent illos, quam istos in officio divino vel in aliis, viderentur alios minus diligere, et fieret materia murmurandi. Infirmis enim cordibus ex levi occasione plus infirmandi materia ministratur: et ideo necesse est, ut præcaveantur talia, quæ ipsis nocent, et alios scandalizant, ne postea emendari non valeat, quod in principio facilius præcavetur. Utilis etiam est hominibus civitatis, ubi fratres morantur, quod in diversis locis a se disjunctis religiosi morentur, quam quod in uno angulo plures manerent, et alia pars inanis remaneat, per quorum vicinitatem possent spiritualiter consolari. Quod si forte tales forent religiosi, qui apud nos habitare vellent, per quos non ædificarentur fideles, sed potius scandalizarentur, tunc omnino expedit, quod non sint nobis vicini, ne forte ipsorum insolentiæ nobis aliquando ascriberentur, aut nesciretur an ad eos, vel ad nos latenter intrarent personæ suspectæ, aut certe ipsorum dissolutio fieret aliquando novitiis nostris tentationis occasio, vel etiam aliis causa inquietudinis, et impedimentum in studio spirituali. Si autem quidam infirmi aliquando dolerent, cum forte viderent aliis religiosis largiores eleemosynas dari quam sibi, et ex hac invidia torquerentur de vicinitate illorum, hoc nec probamus, nec omnino negamus; sed non est nostra intentio propter hoc prædicto uti privilegio, sed potius propter causas ante positas, et si quæ aliæ possunt rationabiles inveniri.

Cur jure cautum est, ne monasterium juxta aliud monasterium ædificetur.

Quæstio octava.

Cum unicuique liberum sit vestem suam formare, prout vult, et de panno seu colore quolibet, videmini valde injuriari quibusdam religiosis viris vel fœminis, prohibendo ne deferant vestes in colore vel forma habitui vestro conformes.

Cur habitum nostrum ab aliis deferri indecens sit, nec sustinendum omnino.

Responsio.

Multis de causis habitum nostrum alios

(*a*) *Leg.* a quibus.

ferre non sustinemus, et per privilegium apostolicum omnibus inhibemus. Una causa, quia cum simus ex professione regulæ mendicantes, si sub nostro habitu diversi hinc inde mendicarent, homines qui jam illis eleemosynam dedissent, et nos vel alii in simili habitu iterum supervenire viderent, putarent, quod idem ex avaritia iterum peteretur, et scandalizarentur de ipsis vel de nobis, quod nimis eos petendo gravaremus. Item cum putarent nobis dedisse, quod aliis nobis similibus dederunt, qui inter habitus nescirent discernere, recusarent nobis iterum dare eleemosynam, et sic nihil acquirere possemus, et periremus. Item cum multi intelligerent, quod homines magis diligerent nos, et libentius nobis subvenirent quam aliis, sub habitu nostro per terras discurrerent, et quod nobis dandum esset, ipsi præriperent fraudulenter, et peccarent, et nos fraudaremur, et homines gravarentur. Alia causa : quia pro ædificatione Ecclesiæ specialiter missi sumus, si sub nostro habitu alius aliquo peccato scandalizaret homines, vel nos taliter infamaret, vel suam sic nequitiam contegeret, cum rejecto habitu nostro non agnosceretur, sed frater noster ordinis nostri putaretur hoc fecisse, Ecclesia non haberet de nobis ædificationem, sed scandalum, et nos frequentes exinde confusiones pateremur, cum multa similia attentarent, sicut comperimus aliquoties esse factum. Item posset hæreticus aliquis sub nostro habitu in locis opportunis docere hæresim, ut sic ei quasi probato fratri ordinis nostri crederetur, et nos similiter infamaret. Item si forte aliquando ex nostris aliqui in via minus honeste se gererent, cum super hoc corriperentur a nobis, possent se excusare, quod sub nostro habitu alii hoc fecissent, cum de personis esset dubium, quæ fuissent. Ne igitur tantus ordo totaliter confundatur, et tot mala inde proveniant, expedit ut ordinis nostri habitum nullus alius permittatur deferre. Quid etiam mali sequeretur, si mulieres eum ferre permitterentur, quisque prudens per se potest perpendere : et ideo est studiosissime prohibendum.

Quæstio nona.

Cum asseratis vos, secundum regulam et professionem vestram, nullos debere recipere proventus reddituum, seu possessiones, exceptis domibus, in quibus habitatis, videmini transgressores regulæ vestræ, in eo quod recipitis domos vel areas non contiguas vestris areis, in quibus habitatis. Eodem enim modo, si hoc licet, poteritis etiam vineas recipere, et agros, et mansos, et similia quæque recipere, imo grangias, et villas, et castra, et terras, et oppida, et quæcumque fuerint vobis data; et sic pristina paupertas, et mendicitas, quam professi estis, paulatim evanesceret, et non eritis discipuli sancti Francisci, cum non sequamini vestigia ejus, nec ejus regulam teneatis. De domibus enim vobis contiguis potest esse excusabile, quod pro dilatanda area vestra illas quandoque recipiatis ; sed de aliis non ita, in quibus homines alios pro censu locatis, quem procurator vester loco vestri exigit, et in usus vestros convertit de voluntate vestra.

Responsio.

Quemadmodum legata possint a fratribus recipi.

Si qui in talibus incaute agunt, dolemus, et contradicimus, et prohibemus. Qualiter autem in hoc licite agere possimus, adverte, et tunc non judicabis nos (si sane intelligis) transgressores. Protestamur nos secundum regulam nostram, nil debere, seu velle possessionis, vel certorum reddituum recipere, vel habere. Quia vero mendici sumus et pauperes, ea quibus pro præsenti necessitate indigemus, ideo recipimus, prout licet, sive pro solvendis debitis, vel aliis necessariis procurandis. Cum ergo aliquis ex devotione vult nobis legare domum suam, vel aream non contiguam nostræ mansioni, nec recipimus eam, nec per nos, nec per interpositam personam ut nostram. Sed si ille eam disponit per alium quemcumque, ut ea vendita, de pretio ejus provideatur nobis ex

parte sui in his, quibus tunc indigemus, procurandis, vel solvendis debitis, accepta-mus. Si autem ille timens ne forte ejus talis dispositio per hæredes suos, vel alios, in posterum impediatur, et propter hoc præoccupat roborare illam sigillo alicujus judicis, vel civium, vel alterius, et committit sic alicui amico suo eam, vel fratrum, qui conservat, quod ipse disposuit de domo tali, vel area, nil ad nos, cum de rebus suis possit ordinare quod volet. Nec domum, nec locum talem dicimus esse nostrum, cum nihil juris nos ad ea protestemur habere. Similiter si aliquis disponeret per amicum, vel alium, quod de pretio vel de proventibus illis, vel illis, darentur fratribus tot panes quotidie, vel tantum eleemosynæ singulis septimanis, aut annis, non essemus propter hoc prædii, vel redituum possessores. Nam si, me petente eleemosynam, aliquis dives promittat, quod singulis annis velit dare fratribus duas tunicas, vel tantum unam, vel singulis hebdomadibus tot panes, et hoc committat officialibus suis, ut vice sui ista dent etiam eo absente, et hoc pro fratribus recipiam, vel etiam, si illi negligant dare, admonendo exigam, numquid propterea certos redditus habere dicendi sumus, cum non ex jure, sed ex gratia solum talem eleemosynam recipiam, vel exigam? Et si, post obitum illius, uxor ejus, vel alii amici pro anima illius adhuc velint aliquo tempore talem nobis eleemosynam per se, vel ex dispositione illius largiri, possumus similiter recipere ex eadem gratia, ita quod quandocumque nollent amplius ista dare, nil peteremus ab eis quasi ex debito, sed more mendicorum recurreremus ad domum clementis domini pro quotidiana eleemosyna, quandiu illi placeret; sed quando plus nollet, abiremus vacui, gratias agentes de dato, et non murmurantes de negato. Hæc est vera, et pura vita mendicorum, quod datur, ex gratia recipere, non ex jure. De censibus vero domorum fratribus legatarum nihil quærimus, sicut nec de aliis redditibus. Si autem, antequam vendantur, aliquem inde censum recipiunt, in quorum tunc potestate sunt illæ domus, nihil juris habere in eo protestamur, sed eleemosynam nobis sponte oblatam simpliciter recipimus, sicut aliunde donatam. Quia vero Dominus docet [1] nos *cavere ab hominibus*, et Apostolus [2] *ab omni specie mala abstinere*, ne putemur ab ignorantibus transgressores regulæ nostræ, debemus aperte protestari, nil nobis juris in talibus donationibus velle habere, sicut tenetur suspectus de fornicatione omnia illa cavere, ex quibus posset ista suspicio probabilis judicari.

Quæstio decima.

Cum nulli deberetis facere injuriam, vel damnum inferre, hoc non servatis, quia sæpe contra voluntatem plebanorum recipitis domos in eorum parochiis, unde eis multum deperit de oblationibus, et aliis proventibus, dum vos occupatis loca in quibus alii habitarent, qui eis ista persolverent. Item sæpe, sine licentia episcoporum, intratis eorum diœceses. Aliquando inconsultis dominis terræ, vel civitatis, domos recipitis in eisdem.

Responsio.

Non omnia quæ fiunt contra voluntatem alicujus, ad injuriam ejus fiunt. Cum ergo cives alicujus oppidi nos vocant, et locant nos apud se in tali loco, ubi etiam possent Judæos locare, vel aream pro ludis facere, vel horrea seu stabula, de quibus nil proveniret plebano loci, etiamsi nos ibi non essemus, non facimus eis injuriam ullo modo. Sumus etiam non deterioris conditionis, quam alii christiani, vel religiosi, quibus conceditur domos recipere et loca, ubicumque dantur ab eis, qui habent jus liberum dandi eis, maxime cum per Sedem Apostolicam sit ordo noster approbatus, et in subsidium animarum in Ecclesia destinatus, et hoc bonum per aliorum malitiam non debeat im-

[1] *Matth.*, x, 17. — [2] I *Thess.*, v, 22.

pediri. Si enim nunquam deberemus morari, nisi de voluntate clericorum, vix unquam in Ecclesia possemus diu morari, dum per se, aut incitati per alios, ejicerent nos de parochiis suis potius, quam hæreticos vel Judæos. Episcopis etiam nullam facimus injuriam, cum non gravemus eos in aliquo, sed juvemus prædicando, et consulendo eorum subditis, ut devotius obediant, et onus regiminis eorum tanto portabilius fiat eis, de quo in judicio extremo oportet eos reddere rationem. Si autem movet eos, quod sumus exempti a jurisdictione ipsorum quoad nosipsos; tunc e converso consolentur, quod liberiores sunt, quod pro nobis non tenentur reddere rationem; ut de nostra gubernatione carent honore, ita sint liberi a sollicitudine et labore, excepta providentia pietatis, et inter nos in suæ pacis unitate servanda. Domino etiam terræ, vel villæ, non facimus injuriam, si eo inconsulto, quandoque vocati a civibus, mansionem recipimus in villa, ubi liberum esset eis, si vellent, theatrum facere, vel locare Judæos, vel locum relinquere vacuum, quia de ipsius fundi possessione nil ei subtrahimus, nec aliquid proprietatis nobis de illo vendicamus, maxime cum cives amore nostræ commorationis ibidem domino refundant aliunde, si quid forte de area nostra deberet annuos census percipere, si nolit pro Deo carere. Nam si etiam contingeret nos post hæc a loco penitus discedere, nec venderemus aream, nec alicui partem traderemus, sed sicut concessum est nobis, eis ad quos pertinet dominium relinqueremus. Ipsum quoque oratorium nostrum non fit parochiali ecclesiæ præjudicium, in quo nec oblationes ejus ad missam percipimus, nec aliquos homines ab ipsa nobis attrahimus, quin omnia jura sua viventes et mortui ecclesiæ parochiali persolvant. De sepultura vero constat ex jure communi, quod si apud nos eligunt sepeliri, possent, et alibi si vellent ubicumque, sine præjudicio parochialis ecclesiæ hoc facere, nec ad hoc possent in aliquo impediri.

[1] I *Cor.*, VI, 7.

Quæstio undecima.

Quid ergo dicitis ad hoc, quod in pluribus locis dicuntur fratres vestri alios religiosos, vel clericos ejecisse violenter de propriis ecclesiis, vel monasteriis, et ibidem eis invitis sibi mansionem fecisse, quomodo potest hoc excusari ab injuria, et violentia?

Responsio.

Ubicumque hoc factum est, non est per fratrum violentiam factum, sed vel per episcopum loci, vel ex jussu Domini Papæ, qui intelligens clericos illos, vel religiosos, ibi minus honeste se gerere, vel ad tantam paupertatem redactos esse quod divinum servitium ibi ita esset delapsum, quod per ipsos non erat spes restaurationis, auctoritate apostolica mandavit illos alibi locari, assignatis sibi certis redditibus, unde possent congrue sustentari, et fratres nostros ibi habitare, et divina officia celebrare, cum ad ipsum spectat de omnibus locis religiosis ordinare, ut sacra ibi religio instauretur, sive per illius ordinis personas, sive per alias alterius ordinis, sicut viderit expedire.

Quæstio duodecima.

Cum deberetis omnia mala vobis illata patienter sustinere, et nullam super his apud judices querimoniam facere vel movere, quid est, quod non solum istud non facitis, sed etiam non contenti episcoporum judiciis, obtinetis a Sede Apostolica judices et conservatores, et ad illos quoslibet molestantes vos etiam leviter citatis, et gravatis laboribus et expensis, donec satisfaciant vobis pro velle vestro, contra Apostolum qui ait[1]: *Delictum est in vobis, quod judicia habetis.*

Responsio.

Injurias et molestias ex quibus aliud malum non sequitur, nisi quod illa hora sentiri potest, ut sunt verba probrosa, vel

damna rerum, seu verbera, et similia, possunt viri religiosi æquanimiter sustinere, quia nil aliud afferunt nocumenti. Sed ubi possunt graviora damna subsequi, videlicet animarum gravia nocumenta, ibi non est expediens talia tolerare. Nam cum simus in Ecclesia Dei ad multarum animarum salutem a Sede Apostolica destinati, per officium docendi, et extrahendi homines a peccato, si quis infamaret ordinem nostrum, quod essemus seductores, aut hæretici, aut criminosi, aut non habentes auctoritatem prædicandi, seu confessos nobis et contritos absolvendi, cum a Domino Papa, vel etiam episcopis habeamus, non solum læderet nos sic reddendo despicabiles hominibus, quod subtraherent nobis beneficia sine quibus sustentari non possumus, sed etiam noceret omnibus, qui ex hoc inciperent nos persequi, et graviter peccarent. Et qui crederent nos tales esse, sicut et ille assereret, nec prædicationes nostras attenderent, nec consilia salutis requirerent a nobis, et jam nullus ordinem intrare curaret, imo debiles mente ordinem tentarentur relinquere, quem viderent ab omnibus conculcari. Insuper hæretici se detractoribus nostris libenter adjungerent sub specie amicitiæ, ut nos amplius redderent odiosos, ad hoc ut doctrinam nostram hominibus redderent odibilem, et ita astute sibi attraherent corda eorum, et paulatim ducerent in errorem, cum nos maxime timeant, modo in hoc sibi esse resistentes. Plura alia mala suscitarent nobis veritatis adversarii, si non haberemus munimen per Sedem Apostolicam, quæ non tam nobis quam Ecclesiæ et fidei catholicæ valde nocerent, et hæc in dedecus ipsius Sedis redundarent, quæ ordinem plantavit, et confirmavit, et ad profectum Ecclesiæ destinavit. Nam et apostolus Paulus, qui paratus erat omnia adversa subire pro Christo, videns obesse fidei et Ecclesiæ, si traditus fuisset a Felice, vel Festo, Judæis ipsum perimere cupientibus, Cæsarem appellavit, ut legitur in Actis [1]. Ut ergo parcamus eis a peccato iniquæ persecutionis, et nobis a frequenti vexatione, et aliis a nocumento animarum, conservatores habemus a Sede Apostolica nobis datos, qui privilegiorum nostrorum jura defendant, et a calumniantibus tueantur.

[1] *Act.*, XXV, 11.

Quæstio decima tertia.

Cum denarios seu pecuniam nec per interpositam personam, ex regulæ vestræ præcepto, debeatis recipere, et tamen aliqua recipiatis, quæ venduntur postea pro pecunia, non video qualiter excusemini a transgressione hujus præcepti : quia, venditare illa, sicut prius vestra fuit res ipsa ante venditionem, ita etiam erit pecunia vestra, quæ pro re data est, cum non habeat alium dominum, nisi fratres, quod illicitum est omnibus manifeste.

Responsio.

Eleemosynarum quæ fratribus fieri solent, tria genera.

Tria eleemosynarum genera dantur nobis. Aliqua enim recipimus quibus uti volumus, ut victus et vestitus, et libri nobis utiles, et similia quæ non proponimus alienare ab ordinis usu. Quædam autem dantur nobis quibus nunquam in illa specie uti volumus, ut vestes sæculares, et libri nobis non apti, vel etiam aliqua superflua victualia, quibus forte non indigemus ad præsens. Ista si nolunt fratres recusare propter devotionem dantium, potest procurator ea vice illorum servare, sicut pecuniam pro fratribus ei commissam, ut suo tempore inde provideat eis, quibus indigent ex parte illorum. Quædam vero dantur nobis pro usu nostro, et ea per nos recipimus, et postmodum aliquando contingit, quod ea volumus alienare. Si illa simpliciter vendimus, tunc fiet, sicut dicitis, quod illa pecunia nostra est, sicut res vendita fuerat ante nostra. Sed ne transgressores regulæ nostræ simus, recipiendo pecuniam per interpositam personam, tres vias pro hac cautela tenemus. Aut enim rem illam, quæ vendi deberet,

commutamus pro alia qua indigemus, non interveniente pecunia, ut librum pro libro, oleum pro cera ad luminaria, et sic de similibus; aut rem illam damus pro solutione debitorum, quantum res illa valet; aut damus eam alicui ut sua sit, et nobis pro ea de aliis quibus indiguerimus tantum acquirat, quantum res illa distracta valeret. Sive autem ille qui sic eam recipit postea vendat, sive reservet ut suam, nil ad nos, cum jam non sit nostra, sed ipsius; et ita non erimus præcepti illius de non recipienda pecunia transgressores. Qui aliter facit, videat quomodo conscientiam apud Deum justificet, et apud homines de scandalo se excuset.

Quæstio decima quarta.

Olim non mendicastis, nisi solum quo indiguistis; nunc autem non solum petitis pro futuro tempore necessaria, sed etiam de una specie tanto plus acquiritis, ut unum pro alio commutetis, ut oleum pro caseis, vel similia pro aliis in hunc modum.

Responsio.

Ut supra dixi, dum pauci eramus, paucis indigebamus; nunc autem plures facti, pluribus indigemus; et sicut aliquando mendicus per plateas discurrens (cui solum panis aridus hinc inde datur, quem communius habent homines, et paratius quam alios cibos), dat aliquam partem panis pro buccella casei, vel ovo, vel pomo, eo quod non semper valet arido pane sustentari, cum sit inedia confectus: ita et nos, cum non inveniamus ubique singula quibus indigemus pro sufficientia ad mendicandum, eo quod in omnibus terris non omnia abundant æqualiter, et homines non habent nobis dare illa quæ non habent, et (*b*) oportet nos de talibus, quæ in quolibet loco magis abundant, tanto plus petere; ut per illa et alia conquiramus, quæ aliter ibidem non possemus habere, et quibus similiter indigemus: et hoc non est avaritiæ, sed indigentiæ imputandum.

(*a*) *Forte leg.* pœnitentium. — (*b*) *Del.* et.

Quæstio decima quinta.

Multitudo est in causa, quod multis indigetis; quare ergo magnos conventus facitis, et non potius bini, vel quaterni, vel ad plus seni vec octeni in domibus pauperculis habitatis, ut quietius, et in majori paupertate ibi viveretis, et humilitate, quia pompositas quædam videtur gloriari de multitudine?

Responsio.

Cur magni conventus a fratribus recipiantur.

His de causis magis diligimus magnos conventus, quam parvos: videlicet, quia major disciplina potest ibi servari, dum occupatio officiorum in plures divisa ordinatius et expeditius administratur, et coram pluribus quisque minus audet negligens aut insolens esse, et quilibet informatur ab altero moribus et scientia. Et ex his major potest esse devotio, et ordinatior vita, et officium divinum pulchrius, et major cautela contra quælibet tentamenta vitiorum, et novitii melius ibi informantur. Item, quia major provenit utilitas inde animarum, dum plures ibi stare possunt confessores et prædicatores. Vel etiam potest ibi melius teneri studium Theologiæ, in quo habiles exerceantur ad eruditionem aliorum. In parvis autem domibus, dum alii sunt in terminis, alii in villa pro eleemosyna, alii forte debiles et infirmi, alii occupati officiis in domo, nec disciplina religionis, nec studium, nec devotio in divinis valet, prout expedit, observari.

Quæstio decima sexta.

Cum videmini zelatores esse animarum, et sancti Francisci deberetis in omnibus imitatores esse, cur ordinem illum, qui dicitur pœnitentia (*a*), quem ipse instituit, non promovetis, ut ubique dilatetur in Ecclesia, et multi salventur in eo, cum laboratis convertere et fovere ad bonum, qui vobis sunt minus ex paterna traditione annexi?

Responsio.

Cur

Quod in aliis laboramus ut convertantur

pœnitentium ordo tertius non admodum excreverit.

et proficiant in bono, ibi habemus fructum, et conservamus libertatem nostram, ne plus, quam nobis expedit, occupemur per eos. Per istos autem pœnitentes, si multiplicarentur, impediremur, quod aliis minus prodesse possemus, dum quasi ex jure exigerent a nobis, ut ad omnia, quæ tangerent eos, essemus parati. Alioquin improperaretur nobis, quare ad hunc ordinem eos induxerimus, si curam ipsorum nollemus. Si contingeret eos aliquando astare judicio vel sæculari, vel ecclesiastico, vocarent nos, ut eis assisteremus, et pro eis intercederemus. Si aliquis impeteret eos pro debitis vel offensa, objurgarent nos, quare non faceremus ei justitiam fieri ab illo, qui in nostro regimine et obedientia conversatur. Et sive juste, sive injuste moveretur, nobis imputaret, si pro voluntate sua ei non satisfaceret, maxime si iste diceret se nil facere, nisi de nostro consilio sive jussu. Si aliquis eorum captivaretur, vel a domino suo, vel alio molestaretur, vellet quod fratres causam ejus agerent, et hinc inde discurrerent, ut eum a tali molestia liberarent, sicut vidua ad Elisæum venit, ut eam a creditoris sui vexatione liberaret. Si aliquis inops esset nimis, et non habens aliunde subsidium corporale, justum videretur eis, et aliis, quod nos sicut fratribus spiritualibus eis provideremus, et forte plures in illa spe ordinem illum assumerent, ut eis in hujusmodi subveniremus, et maxime fœminæ vel beguinæ. Si aliqua ipsarum de aliquo crimine infamaretur fornicationis, vel adulterii, statim qui nos forte non diligerent, divulgarent istud in nostram infamiam, dicentes: Ecce sorores nudipedissæ, parvulos nudipedes procreant eis. Sed a quo illos concipiunt, nisi ab eis, qui toto die occupantur cum ipsis? Et lascivi clerici vel laici in odium nostri magis essent sororibus illis infesti, ut aut corrumperent eas, aut infamarent, cum ipsarum dedecus in nos plusquam in alios redundaret. Si quando inter eas aliqua fieret disceptatio, oporteret nos occupari in reformatione pacis inter eas, propter cavendum scandalum aliorum. Si civitas vel oppidum indigeret, non possemus eas tueri, quin oporteret eas solvere quæstas, et tallias, et observare vigilias nocturnas, et exire cum aliis ad bella, et habere arma, et equos, vel pro se mittere bellatores, vel etiam dominis suis, a quibus haberent feuda, vel quibus aliter astricti oporteret eos in talibus deservire. Clerici etiam qui nos non diligunt, imponerent nobis, quod plebes suas nobis vellemus sub hoc colore attrahere, et nostræ obedientiæ subjugare, ut res eorum nobis cederent totaliter, et quæ ipsis offerre deberent, nos eis præriperemus. Et quando nos non possent in personis nostris forte gravare, illos quacumque occasione quærerent perturbare. Infamarent etiam nos, quando haberemus cum eis aliquando secreta capitula, quasi celebraremus conventicula hæreticorum in latebris, cum ipsi potius Ecclesiæ rectores deberent eos secundum morem Ecclesiæ corrigere, si quando offenderint, et punire. Nam et ipsi eorum magistri, qui Provinciales dicuntur, cum sint laici, et aliquando uxorati, quamdam habent similitudinem cum hæreticorum magistris, et si non pro invidiæ pravitate, tamen in laicali habitu, nomineque hæreticorum in contemptum clerici, laicos habent magistros et doctores. Et cum nos sub una forma vivendi, et multiplici custodia, vix conservemus Ordinem nostrum in suo vigore, ne dilabatur per negligentiam, quomodo possemus illum Ordinem in bono statu diu servare, ubi quisque vadit in domum suam, et exercet negotium proprium, et habet curam domus suæ, et uxoris, et filiorum, et versatur in sæculo, et multis quatitur tentationibus mundi et carnis! Et qui nobis non essent astricti obedire, nisi pro velle, et quos non possemus sicut expedit coercere, quin cito dilaberetur sub manibus nostris disciplina et justitia. Et sic melius fuerat non incœpisse, quam non posse perficere, et tanta negotia assumpsisse per quæ dissipatur pax nostra, et fama vilescit, et inter nosipsos possunt plura scandala subo-

riri, præter alias occupationes, quas in confessionibus eorum et consiliis tota die nos oporteret habere cum ipsis. Et si soli divites admitterentur, inciperent nos homines habere suspectos, quod pro avaritia faceremus, ut res eorum sic nobis attraheremus. Et clerici, et alii religiosi contra nos gravarentur, si familiares eorum eis per hoc abstraheremus, et inde lites et scandala inter nos et ipsos orirentur.

Si autem omnes passim admitterentur, fieret confusio, cum non possemus omnes regere vel corrigere, et multa inconvenientia sequerentur. De sancto autem Francisco alia fuit ratio: quia status illius terræ, et illius temporis, circa ordinem et homines alios in multis aliter se habebat, et ipsius sancti patris Francisci, et primorum fratrum ejus diffamata sanctitas effecit, quod tunc habebatur pro bono, quod modo et in aliis terris non talem haberet successum. Qui nostræ doctrinæ volunt corrigi consilio, possunt sub alia forma et colore ita utiliter in bono per nos informari, sicut congruit cuilibet, et tamen nos prædictis implicationibus vel aliis similibus non involvemur, et ab aliis bonis vel melioribus non retardabimur.

Quæstio decima septima.

Quare ergo ordinem sanctæ Claræ in cura habetis, per quam libertas vestra similiter impeditur?

Responsio.

Ordo ille non est annexus ordini serviliter, ut eis intendere teneamur, sed ex petitione domini Cardinalis, qui utrique præest ordini, ministri constituunt eis confessores, qui ecclesiastica interdum sacramenta ministrent, et visitatores qui eas corrigant. Alii fratres non tenentur occupari pro ipsis, nisi sicut pro aliis amicis ordinis, quando volunt. Et quia clausæ manent sub uniformi conversatione, hæ facilius regi possunt. Quandocumque autem ordo noster communiter videret non expedire sibi curam illarum gerere, potest (*a*) se ab eis eximere, cum ex regula nostra non simus alicui ex debito, nisi ordini, obligati, et singulari libertate inter cæteros ordines ex privilegio gaudeamus. Licet autem omnino non possumus impedire, quin aliqua fiant in terris istis prædicti ordinis monasteria; tamen si non studiose obsisteremus, cito multiplicarentur per concessionem Domini Papæ, vel Cardinalis: et per hoc ostenditur, quod non diligimus multum occupari cum ipsis.

Quæstio decima octavá.

Cum ergo sitis informatores earum, quare permittitis, quod plures apud eas impure, id est per pecuniam recipiuntur, quæ si nihil secum ferrent, nullatenus reciperentur? Et aperte simonia videtur.

Responsio.

Si illud alii faciunt, de hoc non a nobis, sed ab illis est ratio exigenda. Sed tamen ut satisfaciamus quærentibus, sciendum, quod quantum spectat ad hanc materiam, quadruplex est forma recipiendi ad ordinem qualemcumque. Prima, quando aliquis recipitur, nec pro pecunia, nec cum pecunia, sed pure pro Deo: et ista est purissima coram Deo et hominibus. Secunda, quando aliquis recipitur non pro pecunia, sed cum pecunia, ita ut si nihil afferret, tamen reciperetur pro Deo: et similiter hoc purum est coram Deo, sed est caute agendum coram hominibus, ne detur eis occasio scandali, et ne sit ibi affectus avaritiæ infectus ex spe lucri. Tertia, quando quis recipitur non pro pecunia, nec tamen reciperetur sine pecunia, eo quod non habent aliter ei, qui eum recipiunt, in necessitatibus corporis providere, cum tenues facultates domus vix sufficiant jam receptis, nec ad eas audeant plures recipere, et istos suis necessitatibus spoliare, ita quod talis persona quæ sic recipitur, si abundaret locus, sine pecuniis reciperetur. Similiter aliquis duxit uxorem propter divi-

Recipiendorum ad ordinem quadruplex forma.

(*a*) *Forte leg.* posset.

tias ejus vel nobilitatem, quæ habet nasum; nec tamen propter hoc ducit eam, quia nasum habet, quam tamen, si naso careret, nullatenus duxisset: et hoc non est impurum, licet non appareat forsitan pulchrum. Quarta, cum aliquis recipitur amore pecuniæ, ita quod si possent illam pecuniam habere sine persona ista, non reciperent personam; sed ut habeant pecuniam, personam recipiunt: et hoc pœnitus impurum est, et simoniacum, quia ibi pecunia causa est receptionis personæ, et non e converso. Ubi ergo recipitur persona propter pecuniam, simonia est, quia ibi venditur spirituale, id est, consortium spiritualis societatis, pro temporali, scilicet pro pecunia. Et hoc plerique faciunt, etiam ex mera inopia optantes aliquem venire cum pecunia, quem reciperent ut eorum inopia repararetur, vel debita contracta solverentur, vel bona concupita emerentur, vel ædificia construerentur. De talibus dicit *Ecclesiasticus* [1]: *Propter inopiam multi deliquerunt.* Ubi vero pecunia recipitur propter personam, quam alias libenter reciperent, si haberent unde eam pascerent, non videtur esse simonia, dummodo forma cum intentione concordet. Et hoc modo sustinemus, quod sorores sanctæ Claræ recipiunt pecuniam cum personis, si quando oportet eas plures personas recipere quam de facultatibus monasterii congrue valeant sustentari.

Quæstio decima nona.

Cum doctrina salutis tam necessaria est illis, qui in rure et in abditis locis habitant, sicut illis qui morantur in bonis oppidis, et ita fructuosa esset in eis, et vos æqualiter vocati, et missi sitis ad ædificationem omnium indifferenter, videmini non digne ambulare in tali vocatione, in eo quod in bonis civitatibus et oppidis, et villis frequenter prædicatis, in aliis autem locis raro vel nunquam. Videtur enim quod sitis in hoc personarum acceptores, quod pauperes contemnitis, et ditioribus prædicatis; vel quia in civitatibus multa habetis bona hospitia, et bene procuramini, quod non alibi: vel quia plura ibi dantur munera vobis in speciali seu communi, ideo ibi sæpius prædicatis.

Responsio.

Messis quidem multa eorum, qui doctrina indigerent salutis, sed operarii pauci idonei et fideles: ideo non sufficimus omnibus qui indigent, prout vellemus docendo prodesse, cum nos pauci simus respectu illorum. In locis etiam silvestribus vel desertis, si qui sunt habitantes, ita sunt dispersi, quod vix possent ad locum congruum prædicationi convocari. Sed nec ad singula loca eorum possemus venire, ut eis prædicaremus ibidem. Raro etiam vacant ab occupationibus, nisi in festo, ut prædicationi intendere valerent, et propter diem unum festivum non possemus tota hebdomada in villa morari. Non enim permittuntur fratres tamdiu extra domum suam morari, quod sic omnes villas singulariter possint visitare, nec haberent in pluribus locis, unde toto possent tempore congrue sustentari. Et si aliquando forte unus frater vellet et posset aliquandiu pati penuriam, socius ejus forsitan hoc non posset. Et si aliqui aliunde vellent ad prædicationes nostras accedere, non invenirent ibi victualia ad emendum. In oppidis autem, seu villis, ubi abundant victualia, plures possunt confluere et melius sustentari, et inter plures major fructus speratur, et a quibus ministrantur nobis plura temporalia in eleemosynis, plus etiam requirunt ut eis spiritualia rependamus. Non quod omnino debeamus alios in locis desertis deserere; sed prout se opportunitas obtulerit, debemus etiam eis doctrinam salutis offerre. Illos tamen prædicatores et confessores non excusat (*a*) a peccato negligentiæ, qui magis pro commodo corporis frequentant loca illa, ubi sunt bona hospitia, et nolunt pro salute fraterna divertere ad villas pauperculas, et ibi

[1] *Eccli.*, XXVII, 1.

(*a*) *Leg.* excusamus.

pro Christo paupertatem, quam illi homines ibidem semper sustinent, apud illos aliquandiu tolerare, cum ipsi professi sint extremam et perpetuam in regula paupertatem. Indignos enim se faciunt eisdem officiis, quæ pro subveniendo omnibus susceperunt, si pro commodo temporali vel muneribus ea vendunt. Ideo dicit Salvator in Matthæo [1]: *Gratis accepistis, gratis date:* non pro munere temporali. Dicitur enim talibus in fine [2]: *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam,* quam principalius hic et studiosius quæsierunt. Dicitur etiam eisdem in Threnis [3]: *Dederunt pretiosa quæque pro cibo,* etc. Pretiosa sunt verba Dei, et auctoritas absolvendi a peccatis confessis, quæ dat pro cibo, qui pro corporis alimento ea principaliter impendit.

Quæstio vigesima.

Cum in aliis religionibus, et collegiis ecclesiarum, major reverentia prioribus in ordine introitus soleat exhiberi, quod etiam inter apostolos aliquo modo servatum videtur, videlicet in stallo chori, et capituli, et mensæ, et aliis; magna rusticitas videtur, quod apud vos nulla in his differentia servatur, cum Apostolus dicat [4]: *Honore invicem prævenientes.*

Responsio.

Sanctus pater noster Franciscus in summa voluit ordinem puritate fundare, ut in nullo gloriarentur fratres, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, id est humilitatis et charitatis ejus, qua pro nobis pati voluit, devota imitatione, cum in hujusmodi excellentiis, qua (*a*) unus alteri præfertur, in aliquo soleat animus imperfectorum sæpe pueriliter extolli. Quod autem Apostolus docet, honore invicem prævenire, non tantum ad istas extrinsecas reverentias referendum est, qua (*a*) unus alteri assurgit, vel facit eum se præcedere, et in superiori loco stare, vel sedere, et similibus, sed magis ad hoc, ut quisque reputet alium se meliorem esse [5]: *In humilitate sibi invicem superiores arbitrantes,* etc.; ut non sit pronus ad interpretandum facta ejus, vel dicta, in partem deteriorem, juxta illud [6]: *Non ergo amplius invicem judicemus,* etc.; ut offensus ab eo, facile ei ignoscat [7]: *Donantes invicem, si quis adversus aliquem habet querelam;* ut studiose caveat, ne in aliquo eum despiciat, vel offendat: unde ait Dominus [8]: *Videte ne contemnatis,* etc.; ut absenti non detrahat, nec libenter derogationem ejus audiat, sicut dicit Salomon [9]: *Cum detractoribus ne commiscearis;* ut indigenti auxilium et promptum obsequium libenter impendat, juxta illud Pauli [10]: *Per charitatem Spiritus sancti servite invicem;* ut eum pure diligat, et apud Deum fideliter, in quibus valet, promoveat. Qui hæc negligens, tantum illas extrinsecas reverentias (ut dixi) fratri exhibet, quas plerique magis ad hoc sibi mutuo exhibent, ne incuriales notentur, vel adulatorie, ut sibi ista vicissim reexhibeantur, verbum Apostoli debiliter de honoris præventione implevit. Inter illos igitur, qui aliquid exterioribus (*b*) gloriæ, vel officio dignitatis, vel ex alia intentione honesta, cupiunt habere secundum hominem, possunt istæ reverentiæ observari. Nos autem extremam et altissimam paupertatem in regula professos, decet etiam humilitatem summam in omnibus custodire. In aliis ordinibus, ubi tempus et dies professionis cujusque potest observari, quis prior altero intraverit, possunt etiam in locis istam prioritatis servare distinctionem. Apud nos autem, ubi sæpe de loco ad locum mutamur, sicut non possumus scire tempus introitus cujuscumque, ita nec in quo eum debeamus stallo locare, cum ex oblivione, et ambitione, seu ex humilitate plures dicerent, prius vel posterius se venisse; et aliquoties

[1] *Matth.*, X, 8. — [2] Ibid., VI, 2. — [3] *Thren.*, I, 11. [4] *Rom.*, XII, 10. — [5] *Philip.*, II, 3. — [6] *Rom.*, XIV, 13. — [7] *Ephes.*, IV, 32. — [8] *Matth.*, XVIII, 10. — [9] *Prov.*, XXIV, 21. — [10] *Gal.*, V, 13.

(*a*) *Leg.* quibus. — (*b*) *Item* exterioris.

cognita veritate, contingeret aliquos postea de locis suis forte cum verecundia removeri. Et ista perplexitas frequens esset inter nos, quis videretur altero superior, propter frequentes mutationes, et pro appetitu præeminentiæ sæpe conscientiæ macularentur multorum. Et majus ex his omnibus detrimentum esset in ordine, quam utilitas hujusmodi observantiæ de prioritatis honore, cum secundum multitudinem meritorum magis, quam annorum, quis sit acceptior apud Deum, juxta illud Sapientiæ [1] : *Consummatus in brevi, explevit tempora multa; placita*, etc.

Quæstio vigesima prima.

Cum deceat bonos promovere, et alios ad bonum pro posse, multum videmini ab hac forma declinare, qui scripta vestra in libris, et quaternis, tam difficulter aliis præstando communicatis, qui ex eis possent proficere, et aliis prodesse, et aut de profectu aliorum moveri ex invidia videmini, aut ex inani gloria, ut videamini scire quæ nesciunt alii, aut alia intentione corrupta.

Responsio.

Quæ possunt etiam bona intentione et inculpabiliter fieri, aliquando temerarium est ea in deteriorem partem interpretari, cum cordis occulta ignoremus, et ea quæ in se indifferentia sunt, possunt sæpe pro bono fieri, et licite, et bene. Scripta enim sua non communicare aliis, sicut potest fieri reprehensibiliter, ita potest etiam fieri inculpabiliter, et licite, et prudenter. Prudenter, quando scriptum nondum est bene correctum vel ordinatum, ita quod alius inde se nesciret expedire, et forte magis esset materia scandali, vel erroris, aliis (*a*) rescribenti, vel legenti. Item quod non competit illi qui desiderat, magisque foret ei nocivum, quam utile, tale scriptum. Item si ille continuo et frequenter indiget suo scripto, ut si alteri concederet, ipse foret neglectus, cum nemo teneatur, se neglecto, alios in minus necessariis promovere. Inculpabiliter, quando sæpius, et si non statim, indiget suo scripto, et eo diu carere non potest. Item sunt in petendo multi valde importuni, sed in reddendo tardi, quod sæpius pulsati, vix tandem cum murmure concessa reddunt, et pro beneficio ingratitudinis verba impendunt. Item sæpe per scriptores polluuntur quaterni et libri, et lacerantur, vel aliter male tractantur sic concessi. Item unus concedit ulterius alii, irrequisito eo qui ei scriptum concessit, et ille forsitan iterum alii, donec tandem ille nescit a quo reposcere debeat; et sic elongatur ab eo, quod nullus directe ei inde respondet. Item etiam sæpe perditur, quod ita conceditur, quia forte negligenter relictum alius, quasi nulli attineat, sibi illud similiter reservat. Aliquando etiam ille, vel iste, de loco mutatur, et tam longe unus ab altero disjungitur, quod non potest concessum per nuntios repetere, vel timet in via destrui, vel amitti per nuntium, aut pedonem, aut aquam. Illi autem quibus talia restituenda committuntur, quandoque volunt sibi rescribere, priusquam illi restituant; vel commodant aliis; vel alicubi relinquunt, donec oblivioni tradunt, et postea negant sibi fuisse commissa, et sic plurima perduntur aliis commodata. Aliquando est ligatum in volumine cum aliis operibus; et si illud frater alicui concederet, oporteret eum totum librum dissolvere, cum gravi damno expensarum, et laborum in ligando factorum. Sæpe etiam, cum uni rescribendum conceditur, alii, nisi et sibi concedatur, indignantur, et per hoc aut diu cogitur ille scripto suo carere, aut per plures manus transiens sordidatur, et perditur. Cum ergo tot causæ sint irreprehensibiles, propter quas contingit sæpe, ut aliquis non communicet aliis scripturam suam, non oportet ut judicentur non habere charitatem ad proximum, vel ex invidia, aut vana gloria, vel

[1] *Sap.*, IV, 13.

(*a*) *Forte leg.* alii.

rancore, vel alia non bona intentione petentibus hoc negare, licet aliqui ab his non sunt immunes. Ille tamen non est excusabilis in hac parte, qui etsi non ex malitia, tamen ex quadam diffidentia non communicat aliis scripta sua, timens ne si per alium prius ea prædicarentur, ipse postea non habeat, cum necesse fuerit, aliqua alia quæ proponat, quasi fons charitatis et sapientiæ Dei desiccatus sit, ut non alia pro his ei liberaliter restituat, et refundat, si pro charitate, quæ ab ipso acceperat, studeat aliis impartiri. Cum etiam libri et quaterni fratrum sint tantum ad usum a superioribus suis concessi, et ad custodiam commissi; qui cavet commissum destrui vel amitti, quod non est ejus proprium, propter hoc non debet malevolus judicari.

Quæstio vigesima secunda.

Cum, sicut ipsi asseritis, missi sitis in adjutorium plebanorum, non in præjudicium juris ipsorum, quare non prædicatis populo jus plebanorum, scilicet quantum, et qualiter eis subesse, obedire, et quantam habeant super eos potestatem? Videmini enim hoc tacite præterire, ideo ut vobis magis adhæreant, et ea quæ illi donarent, in usum vestrum callide retrahitis, et sic eos jure suo fraudatis.

Responsio.

Qui bene advertit, sæpe intelligit, quod etiam in prædicatione et consiliis hortamur subditos prælatis suis in omnibus, quibus de jure tenentur, fideliter obedire, et jura sua illis persolvere, et sententias eorum juste latas reverenter observare, et quod in hoc meritum salutis eorum ex magna parte consistit. Sed quia non valde magnificamus eos in populo, videtur eis, quod parum pro ipsis faciamus. Quare autem hoc dimittimus, plures sunt causæ. Una: ne videamur hoc adulatorie potius facere, ut sic captemus eorum benevolentiam, quam pro veritatis doctrina, cum prædicatio debeat esse aliena ab adulatione præsentium, vel detractione absentium. *Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis*, ait Apostolus [1], *neque in occasione avaritiæ.* Altera: cum ipsi per se sæpe plus amplificent jura sua super subditos suos quam oporteat, præcipiendo quod non debent, prohibendo quæ non possunt, concedendo quæ non licet, exigendo indebita, fulminando sententias duras, et laqueos multiplicando animabus, quas solvere et expedire deberent, si nos adderemus terrendo populum, et magnificando potestatem clericorum super ipsos, provocaremus amplius quorumdam clericorum audaciam, et aut faceremus simplices subditos pusillanimes, aut tumidos provocaremus ad proterviam majorem, ut magis contra (*a*) se erigerent contra clerum. Tertia: cum plures clericorum tam aperte vivant injuste, quod laici sumant inde grave scandalum, si super hoc vellemus eos magnificare in populo, scandalum suscitaremus contra nosipsos, quod tam vituperabiles laudaremus. Ideo dicitur in Proverbiis [2]: *Qui derelinquunt legem, laudant impium; qui conservant, succenduntur contra eum.* Quia cum plures in clero, ut nunc, vel male, et contra formam canonum teneant regimen populi in Ecclesia, vel propter excessus suos suspensi sint ab executione officii pastoralis, si omnes communiter magnificaremus, etiam illi, qui non haberent jus, cogerent subditos in his, quæ non debent, sibi obedire, quasi legitimis pastoribus. Si autem specificaremus quibus essent digni ad obediendum, alii graviter ferrent, quod eos notabiles et contemptibiles redderemus; ideo quasi dissimulando transimus.

Quamvis autem nonnulli de clero plus oderint religiosos, quam Judæos Christi adversarios, tamen si saperent, potius diligerent nos pluribus de causis, tam pro temporali utilitate, quam etiam pro spirituali utilitate sua. Una: quoniam per nostram doc-

[1] I *Thess*, II, 5. — [2] *Prov.*, XXVIII, 4.

(*a*) *Del.* contra.

trinam subditi eorum plenius solvunt jura sua, et obediunt eis, et reverentur eos amplius, licet ipsi clerici hoc non credant; dicimus enim illis dictum Apostoli [1] : *Obedite prælatis* (*a*) *vestris*. Altera : quod beneficia ecclesiastica, quæ nos teneremus, si essemus cum eis in sæculo, venientes ad religionem ipsis relinquimus obtinenda, quæ quantum diligunt se habere, tantum deberent diligere illos, qui eis ea relinquunt, nisi potius vellent nos mori, ut ea sic gaudentius possiderent. Tertia : quod sumus testes eorum in doctrina fidei, ut melius credatur eis, quod docent, obediendum sibi esse, tanquam Christi vicariis. Sicut [2] (*b*) hæretici, qui dicunt, quod clerici pro suo quæstu seducant populum, ut sibi obediant, et dent ipsis oblationes et decimas, ut inde sustententur, et ditentur, et delicientur, et sine labore abundent, qui hæc aliunde tam commode non haberent, et ideo confinxerint festa, et officia divina, animarum remedia, peccatorum pœnitentias, judiciorum ecclesiasticorum sententias, sacramentorum administrationes, et alias solemnitates, et institutiones S. Ecclesiæ, et prælationum dignitates, ut horum omnium occasione exhauriant marsupia laicorum. Sed fideles cum vident religiosos relinquere mundum, et divitias mundi, ecclesiastica beneficia resignare, et paupertatem voluntariam profiteri, et tamen hæc eadem docere, et credere, quæ docent clerici, aufertur eis illa hæreticorum suspicio, qua pro sola avaritia possent opinari prædicta omnia a clericis adinventa, cum vident illos esse testes eorum doctrinæ, qui hæc temporalia pro doctrina fidei reliquerunt. Quarta : cum habeant in nobis aliquem stimulum correctionis, ut minus audeant peccare, et studiosius officium sibi commissum exerceant, et instruantur in aliquibus, quæ ignorant, et ad pœnitentiam provocentur, et in bono amplius roborentur. Quis alius argueret eorum vitia, cum in simili morbo laborans alius non præsumat curare, juxta illud [3] : *Medice, cura teipsum*. Item [4] : *Si cæcus cæco ducatum præstet*, etc. Quinta : quod sumus eorum coadjutores in sublevando onere sibi imposito, ut sit eis hoc portabilius, et *judicium durissimum*, quod *fiet* in *his qui præsunt* [5], aliquo modo tolerabilius sentiant in futuro, supplendo eorum vices, prædicando, consulendo, confessiones audiendo, ubi aliqui eorum minus sufficiunt pro multitudine populi, vel pro perplexitate casuum minus ab aliquo imperito instrui possunt, vel parochiani minus faciunt quam deberent, ut quando eorum subditi timent eis confiteri ex causa aliqua speciali. Sexta : si quis inter eos, timore periculi in quo sunt, quærit confugere ad statum tutiorem salutis, vel desiderio vitæ melioris, vult ea, quæ in mundo sunt, relinquere, et statum perfectionis evangelicæ apprehendere, apud viros religiosos potest quod desiderat invenire, qui sint ordinis sui fideles observatores, sicut Loth fugiens ab excidio Sodomorum, confugit ad parvulam Segor, id est, humilem religionem salvandus. Septima : quod si immineret aliquando Ecclesiæ necessitas, vel pugna contra hæreticos, vel alios oppressores fidelium, viri religiosi deberent se promptius exponere, et quasi primi in acie se opponere inimicis, sicut filii Ruben, et Gad, et Manasse fuerunt fratrum suorum propugnatores, ad obtinendam terram cum pace. Octava : quod sunt apud Deum intercessores per orationis studium, et vitæ meritum, et Dominum sibi et aliis placabilem facientes pro venia peccatorum, pro gratia meritorum, pro amotione quorumcumque malorum, pro gloria cœlestium præmiorum facilius obtinenda. Quæ nobis præstare dignetur Jesus Christus. Amen. Et hæc ad præsens sufficiant pro excusatione nostra, contra calu-

[1] *Hebr.*, XIII, 17. — [2] Videtur aliquid deesse. — [3] *Luc.*, IV, 20. — [4] *Matth.*, XV, 14. — [5] *Sap.*, VI, 6. — [6] *Jos.*, I, 14-18.

(*a*) Vulg. *præpositis*. — (*b*) *Forte leg.* Non sicut.

mnias exprobrantium, vel quæstiones ignorantium, qua forma, vel intentione, aliqua, quæ videntur aliquando minus intelligentibus quoquo modo reprehensibilia, faciamus. Qui autem voluerint, possunt plura superaddere, et ista quæ hic posita sunt melius explanare, quæ sicut impræmeditate, ita et inordinate conscripsi, sicut tunc meæ memoriæ occurrerunt, modo hoc, modo illud, sicut advertere potest legens.

QUARE FRATRES MINORES PRÆDICENT

ET CONFESSIONES AUDIANT [1]

ARGUMENTUM

(*Ex edit. Vaticana, an.* 1596.)

In hoc Opusculo determinans quæstionem propositam S. Bonaventura, et adversariorum objectionibus satisfaciens, doctrinam utilissimam tradit pro materia sacramenti Pœnitentiæ, præcipue quoad ministrum ipsius.

Quia plerique dubitant, et quærunt, cum non habeamus curam animarum ordinarie nobis commissam, qua ratione, vel qua auctoritate, vel qua forma prædicemus, vel confessiones in populo audiamus : quod ut plenius et planius intelligatur, rationis hujus radicem altius inspiciamus, ab ipsa primaria Ecclesiæ institutione originem breviter colligentes.

Dominus Jesus Christus, omnium creator et gubernator, S. Ecclesiam suam, ascensurus in cœlum, Apostolis regendam et dilatandam commendavit, principaliter B. Petro Apostolo, cui de universo grege fidelium specialiter dixit tertio [2] : *Pace oves meas.* Sed ut ordinatius gubernaretur universalis Ecclesia, distinxerunt eam S. Apostoli per patriarchatus, primatus, archiepiscopatus, episcopatus, parochias, et alias canonicas distinctiones : ut quia per unum vel per paucos non poterat singulis fidelium in omnibus saluti necessariis congrue satisfieri, plures ad hujus sollicitudinis partes per determinatos sibi limites pro utilitate animarum vocarentur; et secundum curæ pastoralis amplitudinem, etiam quilibet istorum accepit certam auctoritatis potestatem, residente plenitudine potestatis ecclesiasticæ apud Sedem Apostolicam Romanæ Ecclesiæ, cui Apostolus Petrus Princeps Apostolorum specialiter præsedit, et successoribus suis ibidem eamdem potestatem reliquit.

Plenitudo potestatis Papæ triplex.

Triplex est autem hujus potestatis plenitudo, scilicet quod ipse Summus Pontifex solus habet totam plenitudinem auctoritatis, quam Christus Ecclesiæ contulit, et quod ubique in omnibus Ecclesiis habet illam, sicut in sua speciali sede Romana, et quod ab ipso manat in omnes inferiores per universam Ecclesiam omnis auctoritas, prout singulis competit eam participari, sicut in cœlo ab ipso fonte totius boni Christo Jesu fluit omnis gloria Sanctorum, licet eam differenter singuli participent pro captu suo.

Ratio distinctionis Ecclesiarum in plures diœceses

Prædicta vero distinctio ecclesiarum et parochiarum triplici de causa est instituta, scilicet : 1. propter rectorum sollicitudinem. Quod enim cuique specialius committitur, diligentius exequitur; nec expectat ut alter provideat his, qui suæ sollicitudini speciali-

[1] *Cf.* Edit. Argentin., an. 1495, 19, pars 1; edit. Vatic., an. 1596, tom. VII, pars IV, pag. 366; edit. Ven., an. 1611, 16, tom. I; edit. Ven., an. 1754, tom. V, pag. 721. — [2] *Joan.*, XXI, 17.

ter sunt commissi. 2. Item propter subditorum utilitatem, quia facilius reguntur, et singulis expeditius potest satisfieri, ut dictum est, per plures ministros, quam per paucos. Sicut Moyses solus non valens onera multitudinis populi sustinere [1], partitus est tribunis, centurionibus, quinquagenariis, ac decanis, ut majores majora, minores minora proportionaliter expedirent, retenta sibi tamen plenitudine potestatis, in typo futuræ dispositionis Ecclesiæ militantis. 3. Item propter deprehendendas fraudes hæreticorum, et latebras peccantium, ut quisque pastor super gregem suum vigilans, possit luporum deprehendere insidias, et errantium ovium absentiam cognoscere, et ad gregis unitatem, eas quærendo, revocare.

Officium plebanorum quale sit.

Ministerium autem officii pastoralis circa ista septem præcipue versatur, maxime plebanorum, scilicet: 1. docere, prædicando populum, quid credere, quid facere, quid cavere, quid sperare, quid timere debeant. 2. Item peccantes corrigere, et judicare, in confessione solvere et ligare pro qualitate meritorum. 3. Ecclesiam officiare, et divina celebrare, et indicere statuta Ecclesiæ de feriis, et aliis. 4. Intercedere pro populo apud Deum orando, et gratiam eis impetrando, quasi mediator inter Deum, et eos. 5. Sacramenta ecclesiastica, et sepulturam eis impendere, et alia sacramentalia. 6. Indigentibus in parochia pro posse in corporis necessitatibus de rebus Ecclesiæ subvenire. 7. Exemplum bene vivendi in omnibus seipsum præbere, secundum honestatem vitæ clericalis.

Ad quid teneantur subditi plebanis suis.

Obedientia vero populi ad plebanos in his e converso maxime consistit. Ut doctrinam eorum, et prædicationem, statuto tempore et loco auscultent. 2. Ut de peccatis suis eorum correctioni subjaceant, juxta canonum instituta. 3. Ut semel in anno ad minus omnia peccata sua, quæ tunc habent, eis confiteantur. 4. Ut in præcipuis festis, secundum jura, ad parochias conveniant, missam audituri. 5. Ut sacramenta ecclesiastica ab eis recipiant, et sepulturam, et hujusmodi. 6. Ut indicta feriarum, jejuniorum, et alia denuntianda ab eis, servent. 7. Ut decimas, oblationes, et alia debita eis persolvant, secundum canonum instituta. Nova vero statuta populo superaddere plebani non debent, ne fiat obedientia onerosa. Hæc debent subditi plebanis suis, tamen cum exceptionibus juris, privilegiorum, et consuetudinis approbatæ, et licentia superiorum.

Quibus de causis statutum sit, ut quilibet fidelis semel in anno proprio sacerdoti confiteatur peccata sua.

Quod vero semel in anno quilibet confiteatur proprio sacerdoti omnia peccata sua, his sex de causis statutum est. Primo, ut pastor cognoscat, in quo statu quilibet commissorum sibi sit, ut secundum hoc sciat ei medicinam competentem exhibere instructionis, correctionis, consolationis. Secundo, ut noscat quibus possit Christi corpus indulgere, vel quos a sacramentis arcere. Tertio, ne per longam incuriam, multorum conscientiæ in peccato desperabiliter sordescant, expedit ut aliquando se expurgent. Ipse enim pudor confitendi plerosque a peccato deterret, et confitendo sæpe discunt hoc esse peccatum, quod se putabant innoxie perpetrare. Quarto, ut discernantur obedientes a negligentibus vel hæreticis, per observantiam talis statuti. Quinto, ut purgent se ad corpus dominicum digne percipiendum fideles, per confessionis medelam. Sexto, pro merito gloriæ, ut ex humilitate confessionis, mereantur in cœlo exaltari, et a peccatis citius expurgari.

Proprius sacerdos quis.

Proprius Sacerdos dicitur, cui quisque specialiter gubernandus est commissus ab Ecclesia vice Dei. Prætermissis igitur diversis distinctionibus, quatuor sunt cujusque plebis parochialis proprii sacerdotes. Primus, et præcipuus est Summus Pontifex, cui tota ecclesiastici gregis cura singularissime commissa est, ita quod omnes inferiores Ecclesiæ rectores curam et totam potestatem, quam habent super subditos, ab ipso accipiunt, mediate vel immediate. Secundus est diœcesanus episcopus, qui est ordinarius pastor omnium ecclesiarum sub ipso constitutarum,

[1] *Exod.*, XVIII, 25.

et sui inferiores prælati curam animarum, et auctoritatem regendi habent ab ipso. Tertius est specialis pastor cujusque Ecclesiæ ibi canonice institutus. Quartus est, cui quisque prædictorum pro tempore vicem suam super commissos sibi ad ligandum et solvendum ex causa rationabili committit, cui tamen committere potest. Superiores autem liberius et largius possunt vices suas committere, quam inferiores. Unde cum plebanus possit aliquibus committere, ut vice sui plebi suæ prædicent, et eorum confessiones audiant et absolvant, et pœnitentias injungant, ita quod sic absolutos non oporteat illo anno plebanis suis iterum confiteri, nisi velint, multo magis potest hoc episcopus, et maxime Summus Pontifex, qui sicut ubique habet potestatis plenitudinem, ita et commissam sibi gerit omnium Ecclesiarum sollicitudinem, ut ea, quæ singulis necessaria probantur, ipsius providentia suppleantur. Alioquin vacua esset apud ipsum tanta potestas, quam executionis efficacia non comitaretur. Committit autem aliis quandoque vices suas, tum pro locorum distantia, vel causarum qualitate, vel pro aliorum magis urgentium negotiorum occupatione, vel pro multitudinis requirentium frequentia, et necessitatis festinatione, vel pro corporis imbecillitate, vel certe pro liberiori spiritus vacatione, expedit eum et alios secum ad oneris pastoralis sustinentiam invitare. Nam et si Dominus solus omnia sine qualibet difficultate possit in omnibus operari, quæ voluerit, sicut ex nihilo cuncta creavit; tamen dignatur in quibusdam operibus suis habere coadjutores, et vicarios, sicut in cura animarum, et in operibus artificialis industriæ : in hoc dans (*a*) exemplum Ecclesiæ rectoribus, onus sollicitudinis suæ et aliis impartiendi, ne per ipsorum absentiam, et insufficientiam, salus fidelium negligatur.

Quemadmodum plebanus potest interdum vices suas alii committere, ita a fortiori summus Pontifex.

Prædictis ergo de causis, in his *novissimis temporibus* (*b*), de quibus prædixit Apostolus [1], quod *instabunt tempora periculosa* ex multiplicatione peccatorum, et numerositate rudium populorum, et seductione hæreticorum, et raritate bonorum, et difficultate regendi, et insufficientia prælatorum, et perplexitate casuum emergentium, et aliorum periculorum Ecclesiæ imminentium ex variis eventibus, providit Sedes Apostolica, ad obviandum præfatis periculis quibuscumque, remedium subventionis animabus pereuntibus, quod divina ordinatione quosdam religiosorum ordines instituit, qui officio prædicationis et confessionis, sibi commisso, subveniant indigentiæ populorum, et insufficientiæ clericorum, et obsistant versutiis hæreticorum, et hoc in solatium et sublevamen oneris, non in præjudicium plebanorum. Non enim præjudicat eis, si Dominus Papa, vel episcopi eorum, de officio suo solliciti, quod personaliter implere non valent, aliis loco suo implendum committunt. Sicut nec hoc præjudicaret eis, si vellent personaliter in parochiis eorum prædicare, vel confessiones audire, ita quod ipsi confessi non tenerentur tunc iterato plebanis suis confiteri, cum ipsi plebani sint vicarii episcoporum in suis parochiis, sicut episcopi Summi Pontificis in officiis sibi commissis, quia non in diminutionem potestatis, sed in adjutorium sustentandi oneris, sunt inferiores pastores superioribus subrogati.

Ordo Fratrum Minorum in sublevamen oneris institutus, non in præjudicium plebanorum

Secundo, non fit eis præjudicium, si pondus laboris, quod ipsi portare tenentur, in cura animarum allevietur eis per aliorum auxilium, ut animæ salventur, pro quibus Deo rationem reddere debent in judicio, si ex eorum negligentia, vel ignorantia, perirent, ita ut pro illarum perditione ipsi damnentur. [2] *Ecce super pastores ego requiram gregem meum de manu eorum*, etc.

Tertio, non fit eis præjudicium, quia non minuitur jurisdictionis eorum potestas ex tali cooperatione aliorum, sed tantum pondus sollicitudinis et laboris. Temperatissime quippe sic disposuit divina sapientia, et in-

[1] II *Tim.*, III, 1. — [2] *Ezech.*, XXXIV, 10.

(*a*) *Cæt. edit.* dant. — (*b*) Vulg. *diebus.*

stituit Sedes Apostolica, ut per ordines prænotatos in prædicatione et confessione defectus cleri suppleantur, et animæ salventur, et nec in temporalibus et spiritualibus jus clericorum aliquatenus violetur, ne per subtractionem illorum, quæ eis jure debentur, commoti, salutis profectum per fratres promovendum in Ecclesia impedirent, cum vix etiam nunc sustineant quidam eos pro animarum salute inter homines conversari. Nam nec decimas eorum, nec primitias seu oblationes, nec alia debita eis præripimus, nec populum ab obedientia eorum abstrahimus, nec in debitis ministeriis suis eos ullatenus impedimus. Quod autem quandoque religiosi ad salvandos fideles in Ecclesia essent vocandi, ostenditur in Evangelio Lucæ, cum Dominus dixit Petro[1] : *Duc in altum, et laxate retia vestra in capturam. Concluserunt autem piscium multitudinem copiosam. Rumpebatur autem rete eorum : et annuerunt sociis, qui erant in alia navi, ut venirent, et adjuvarent eos, et impleverunt ambas naviculas.* Mare est sæculum. Navicula Petri est Ecclesia fidelium populorum. Rete est evangelica doctrina. Per jussum Domini tot piscium multitudo concluditur, quod rete rumpitur, quia tot ad fidem veniunt, quod eam etiam hæresibus scindunt. Sed cum Petrus cum suis trahere non valeret, annuerunt sociis in alia navi, ut venirent, et adjuvarent eos : quia prælati Ecclesiæ cum clero, non sufficientes per se tantam plebium multitudinem trahere ad littus vitæ perpetuæ, *annuerunt* admittendo *sociis* religiosis, scilicet Jacobo et Joanni, activis et contemplativis, *ut venirent* compatiendo animarum periculis, *et adjuvarent eos*, tam illos qui trahunt, quam illos qui trahuntur, illorum insufficientiam, istorum indigentiam relevando. *Ambas* autem *naviculas implent*, cum præ multitudine populi, nec clerici, nec religiosi plene sufficiunt omnibus satisfacere.

Cum autem prædicatio et confessio, inter alia populo Dei exhibenda, ampliori indigeant scientia Scripturarum, et magis periculum sit ista ei non ministrare ut expedit, cum per prædicationem informentur quid credere debeant, et qualiter vivere, per confessionem vero lapsi extrahantur de luto peccati; ista duo fratribus commissa sunt, ut in his subveniant fidelibus, et suppleant defectum clericorum. In reliquis autem minus est periculum qualiter fiant, aut facilior executio per quemcumque fiant. Ex prædicatione ergo non fit eis præjudicium, quia non prædicamus illa hora in eorum ecclesiis, qua ipsi solent in festis solemnibus divina solemniter celebrare, seu prædicare, nisi ipsorum permissu. Alia hora, si populus nos audire desiderat, nihil deperit eis exinde, sed accrescit. Et hoc in tribus, videlicet : 1. quia populis eis commissus proficit in scientia veritatis et bonis moribus. 2. Item cum ipsi eadem docent, quæ et nos, testimonio nostro confirmamus doctrinam eorum esse veram, ut *in ore duorum, vel trium stet omne verbum*[2]. 3. Item, quia docemus populum pastoribus suis obedire, et eos revereri, et non recalcitrare, et reddere eis sua. Super his potius debent, si sapiunt, gaudere et gratias agere, quam dolere. Aliter enim cito vilescerent apud populum, propter malam vitam multorum ex ipsis. Ex confessione similiter non præjudicamus eis, quia nullum cogimus nobis confiteri de subditis suis, et confessos remittimus ad plebanos suos, ut illis iterum se ostendant tempore suo, secundum Ecclesiæ mandatum, si ante non sunt eis eo anno confessi. Nam si ægrotus vult et aliis medicis, pro uberiori consilio sanitatis, patefacere infirmitatem suam præter suum medicum specialem, non fit præjudicium in hoc illi medico, nisi forte infletur invidia, vel cupiditate, vel pudore turbetur.

Prædicationis et confessionis præcipua necessitas.

Quod autem prioribus temporibus in Ecclesia non erant vocati, vel missi a Sede Apostolica religiosi aliique ad prædicta officia prædicationis et confessionis, ut nunc sunt missi, ista fuit ratio. Cum morbus ad-

[1] *Luc.*, v, 4, 6-7. — [2] *Matth.*, xviii, 16.

huc parvus est, paucioribus indiget remediis et levioribus ; sed cum cœperit invalescere, et latius se diffundere, ne desperabiliter æger periclitetur, necesse est plura et efficaciora remedia adhiberi : ita etiam, cum status mundi modo valde deterior, quam olim, esse videatur, expedit plures nunc esse sublevantes, juxta illud [1] : *Messis quidem multa, operarii vero pauci* idonei et fideles. *Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in vineam suam.* Item ad Romanos [2] : *Ubi abundavit delictum, superabundet et gratia.* Videmus nunc messes plebium multiplicari, et sylvis succisis villas ædificari. Videmus adinventiones peccatorum succrescere, et perplexiores casus quotidie emergere ; item ex consuetudine malos incorrigibiliores magis fieri, et duriores in peccato ; item, quod clerici plures malo exemplo infirmant laicos, tam in moribus, quam in fide ; item, quod pauci sunt inter eos periti, qui sciant, vel quibus confidatur, quod doceant, ut deberent ; item, quod negligenter præsunt animabus commissis, et terrenis negotiis nimis instant ; item, quod multi eorum sunt suspensi, excommunicati, et in officio suo diversimode impediti ; item, quod rari sunt pastores in ecclesiis, sed per leves vicarios animarum cura venalis exponitur ; item, quod ipsi temporalibus curis dediti, ista dissimulant, ita quod spes correctionis vix habetur ; item, quod si aliquando vellent ista corrigere, et inutiles removere, non habent quos loco illorum substituant meliores. Cum igitur jam sit Ecclesia quasi navis tempestate concussa, in qua, remigantibus pavore trementibus, procellæ tumentes pene operiunt navem, missi sunt fratres a summo gubernatore, fulti auctoritate Sedis Apostolicæ, ut in naviculis suis discurrentes per mundum, quos ex naufragio peccati periclitantes invenerint, rapiant ex undis, et ad littus salutis reportent.

Bonus plebanus quis sit.

Nulla vero parochia invenitur, quin habeat aut idoneum plebanum, aut aliquo modo insufficientem, aut nullum. Bonus et idoneus est, qui secundum formam canonum justo titulo possidet beneficium, cui annexa est cura animarum illarum, et qui sufficientem pro regimine plebis suæ habet scientiam sacræ Scripturæ, et qui nullum habet impedimentum in omni officio clericali, et qui debitam diligentiam adhibet animabus sibi commissis, in his quæ sunt necessaria saluti. Talium plebanorum subditos non oportet ad alios pro confessione recurrere, nisi in his sex casibus. Primus, cum de voluntate ipsius, et licentia, vel ratihabitione, expressa vel tacita, quis alteri confitetur ; secundus, cum alius habet ampliorem auctoritatem absolvendi in certis casibus, quam plebanus ; tertius, si propter abundantiorem cautelam vult etiam aliis confiteri, nihilominus tamen confiteatur etiam plebano tempore suo ; quartus, si confitetur illis, qui habent a Domino Papa, vel ab episcopo loci generalem auctoritatem audiendi confessiones, ut pœnitentiarii, vel alii quidam ad hoc specialiter deputati. Et qui talibus confitentur, idem est, ac si episcopo suo personaliter confiterentur eosdem casus, de quibus eis contulit potestatem : unde non tenentur tunc plebanis iterum confiteri, nisi velint. Quintus, si aliquis est in peregrinatione positus, nec potest habere proprium sacerdotem ; sextus, in articulo necessitatis extremæ, tunc quilibet est ei proprius sacerdos, si alios non habet.

Insufficiens plebanus quis.

Insufficiens plebanus dici potest tribus modis : aut cui ab Ecclesia pro tempore sublata est executio officii sui, ut suspensus, excommunicatus, et irregularis ; aut cujus subditis propter aliquod nocumentum suum non expedit ei confiteri, ut idiota, vel proditor confessionis, et confitentes sibi sollicitans ad peccatum quocumque modo ; aut qui confitentibus sibi, non debitam adhibet diligentiam, sicut necesse foret, sicut qui non dat eis opportunitatem integre confitendi, vel non vult eos absolvere, nisi pro pretio, vel non informat eos in discretione

[1] *Luc.*, x, 2. — [2] *Rom.*, v, 20.

peccatorum, seu satisfactionis qualitate, ut sciant quid sit peccatum mortale, quid veniale, quid enorme, quid levius, vel qualiter Deo satisfaciat, et qualiter proximo, quando publice, vel occulte. Nam in talibus negligens, tantum nocet alii, sicut idiota qui docet errare, ita negligens relinquit in errore. Exemplum de cæco duce, et qui cæcum deviantem non reducit ad viam. Subditi enim horum ipsa necessitate salutis coguntur alios confessores requirere, in quibus insufficientiæ prædictæ non videntur. Sicut qui scit medicum suum insufficientem ad curandum eum, alium necessarie quærat, si vult mortis periculum effugere. Quod si plebanus talis nolet (*a*) subdito dare licentiam idoneum confessorem quærendi, vel pro malitia, vel invidia, seu superbia sua, imo forte præcipit ne vadat ad alium; ita tenetur ei in hoc obedire, sicut servus domino, qui nollet eum pascere, et præciperet ei ne alibi sibi cibum provideret. Quod autem dicitur, quod subditus debet prius petere licentiam, ut vadat ad peritum confessorem, propter cautelam factum est, scilicet ne ex contemptu quærat alium, vel ne vadat ad minus idoneum, vel ne vadat ad hæreticum, vel ne detur locus tergiversandi malignis, dum quærunt ignotis confiteri, ut correctionem sui pastoris effugiant, et ita liberius peccent, vel ne simulent se aliis confessos, cum nulli sint confessi.

Plebanus nullus quis.

Plebanus autem nullus est, qui tenet ecclesiam, cum sit inhabilis ad beneficium habens curam animarum, ut illegitimus filius, vel excommunicatus, vel laicus, vel qui unam habens, recipit aliam. Item qui recipit ecclesiam non ab eo, qui habet jus conferendi, vel præsentandi ad eam, vel investiendi, vel ab excommunicato, vel quando jus est ad superiorem devolutum ex causa. Item qui tenet ecclesiam non debita forma, simoniace, per fraudem, vel violenter, vel est vicarius alicujus istorum. Quod quisque non habet, nec potest alteri sua auctoritate conferre. Omnes isti sicut non habent jus in ecclesiis quas tenent, ita et plebs in nullo tenetur eisdem.

Cum ergo prædictorum omnium subditi possint, et debeant aliis confiteri, potius quam illis, qui videntur esse plebani eorum, propter præmissos eorum defectus, et laici nesciant discernere quos eligant meliores, et clerici potius vitiosi mitterent eos ad sibi similes, quam ad idoneos, et satis rari sunt in clero jam, quos nulla prædictarum respergat macularum; missi sunt fratres a Sede Apostolica per mundum, muniti ejus testimonio, qui prædictos defectus clericorum, ubi necesse fuerit, suppleant, et indigentiæ fidelium subveniant, et non tantum laicos, sed et ipsos clericos et religiosos prædicationibus instruant, exhortationibus a malo retrahant, insuper exemplis ædificent, et orationibus gratiam eis et veniam impetrent apud Deum. Nos enim sumus illi pauperes, qui remanentes manipulos segetum, et spicas decidentes post messores, et racemos relictos in vinea [1] colligere debemus, id est, illas reliquias quas plebani, qui habent officium in plebe sua docendi et corrigendi, relinquunt, ut eas ex area Ecclesiæ ad horreum cœlestis patriæ referamus. Quia vero ad hoc non tenemur ex debito astringente, sed ex charitatis libertate, ideo similiter et illi non tenentur nobis in corporali provisione, nisi ex libera pietate. Possunt enim nostris prædicationibus intendere, si voluerint, et nobis confiteri, et eleemosynas largiri possunt, et dimittere. E contra possumus nos eis ista spiritualia beneficia impendere prædicationis, confessionis et orationis, licet ad ea ex debito non obligemur, nisi debito charitatis.

An qui confessus est religioso, teneatur iterum confiteri plebano.

Quæritur autem si illi, qui nobis confessi sunt, teneantur plebanis suis iterum confiteri? Ad hoc dicendum, quod duplici ratione tenentur homines confiteri sacerdotibus habentibus claves in foro pœnitentiæ absolvendi et ligandi, ex præcepto Dei, et ex statuto Ecclesiæ. Præceptum Dei est pœniten-

[1] *Deut.*, XXIV, 19-21. — (*a*) *Leg.* non vult.

tiam agere, cujus pars est confessio facta sacerdoti. Unde Joannes dicit [1]: *Si confiteamur*, etc. Cum ergo pœnitens confitetur nobis, et absolvimus eum auctoritate Domini Papæ, vel episcopi, non tenetur iterum a plebano suo de eisdem absolvi, cum sit absolutus; sed propter statutum Ecclesiæ, quo quilibet semel ad minus in anno jubetur confiteri omnia peccata sua proprio sacerdoti, quod plerique referunt ad plebanos specialiter, debet ei, si velit, iterum confiteri, ne scandalizetur, et ut melius agnoscat eum, si dignus sit, cui corpus Christi debeat porrigere, vel negare, nisi de licentia ejus alteri sit confessus, vel ratum habeat, si est factum. Et hoc de his plebanis intelligendum, qui boni et idonei videntur, ut supra dictum est, non de aliis qui jus non habent in ecclesiis, vel ad quos subditi pro confessione accedere prohibentur.

Ut autem planius liqueat, in quibus casibus, vel qua forma fratres possint audire confessiones, quædam eorum, quæ superius posita sunt, sub compendio repetantur.

Cum pro diversis causis aliquotiens expediat subditos plebanorum etiam aliis sacerdotibus confiteri, ut promptius inveniant ad quos recurrant, missi sunt fratres specialiter ut in tali necessitate fidelibus succurrant, ad hoc a Sede Apostolica destinati.

Causæ propter quas expedit religiosos habere copiam audiendi confessiones, et casus in quibus possunt eas audire.

Primus casus: cum ex regula nostra approbata, et confirmata a Sede Apostolica, etiam injunctum habeamus prædicationis officium, ne fructus prædicationis inanis sit, possumus ex privilegio apostolico, ubi prædicamus, etiam confessiones requirentium tunc audire, et absolvere, ac pœnitentias injungere, auctoritate Domini Papæ.

Secundus: cum ab episcopis similiter commissum habeamus confessionis officium, non solum de communibus, sed etiam de specialibus casibus ad ipsos spectantibus, possumus absolvere, juxta formam confessionis ipsorum, non tantum laicos, sed etiam clericos indigentes.

[1] I *Joan.*, I, 9.

Tertius, cum plebanus licentiat subditum suum, ut nobis confiteatur, vel ratum habet quod factum est.

Quartus, cum pro superabundanti cautela, vel meliori consilio, etiam vult alteri confiteri, vel ex devotione, quam suo plebano.

Quintus: cum quis vagatur per terras, potest interim aliis confiteri, dum suum non habet sacerdotem.

Sextus, in articulo necessitatis, dum timet mori, et suum non habet sacerdotem.

Septimus, cum sacerdos alicujus est idiota, nec scit in necessariis saluti eum congrue expedire.

Octavus: cum est notorius fornicator, tunc subditi non debent ab eo sacramenta requirere.

Nonus: cum consuevit revelare secreta confessionis, subditi non tenentur ei confiteri, qui hoc timent.

Decimus: cum in confessione solet aliquos ad peccatum inducere, illi non debent accedere ad eum, propter periculum utriusque.

Undecimus, cum non dat subditis copiam integre confitendi, et non informat eos de his quibus indigent ad salutem.

Duodecimus: si sacerdos est ab officio suspensus a judice, vel a jure, tunc nec potest solvere, nec ligare.

Decimus tertius, si est aliqua majori excommunicatione ligatus, quia non debent tunc subditi communicare ei quæ sciunt.

Decimus quartus: qui est aliqua irregularitate perplexus, tunc non potest exequi officium pastorale.

Decimus quintus: si est perversor sacramentorum, vendens ea pro muneribus, tunc est suspensus et infamis.

Decimus sextus, si tenet ecclesiam contra statuta canonum, tunc enim nullum jus habet in ea, ut illegitimus, simoniacus, et habens unam ecclesiam, si recipit alteram: tunc enim prior vacat, et qui per fraudem obtinet, vel violenter intrat, vel non recipit eam a quo debet.

Decimus septimus, si est vicarius illius,

qui non habet jus in ecclesia, quod possit alteri delegare.

Sunt et alii casus, pro quibus quandoque etiam honestæ personæ timent suis sacerdotibus confiteri : 1. quia vicarii sunt instabiles, et sæpius mutantur, ideo non audent eis sua revelare secreta, cum toties oporteret eos ignotos habere confessores. 2. Item, quia plerique ipsorum tam vitiosi sunt, quod honesta fœmina timet infamari, si secrete susurraverit cum eo. 3. Item, quia plures ipsorum ignoti sunt, et timetur quod sunt (*a*) apostatæ, vel in officio sacerdotali impediti, vel forte non habentes ordinem sacerdotii. 3. Item, aliqui habent talia peccata in conscientia, quod potius volunt non confiteri, quam plebanis suis ea pandere, qui semper vident eos, et coram quibus timent tota die confundi, sicut sæpe percepimus. His in tanto periculo ex compassione est succurrendum potius, quam in desperationem ponantur : hoc tali modo apte fit, ut confiteantur talibus, quos non timent, ubi consulitur ipsorum verecundiæ et saluti. Non est leviter præcipitandus in interitum, pro quo Christus Dominus potius voluit mortem crucis subire, quam permitteret eum perire. Et rigor juris positivi, ubi expedit, servandus est; ubi autem salutem impedit, remittendus est. Cum enim potestas ecclesiastica data sit a Domino prælatis, teste Apostolo [1], *in ædificationem, et non in destructionem* salutis animarum, ubicumque aperte quis ea utitur in destructionem, virtutem suam amittit; sicut medicina, non sicut expedit ægro porrecta, potius lædit eum, quam sanet, cum medicinæ ad sanandum et reparandum, et non ad sauciandum, vel destruendum sint repertæ. Cessante enim causa, cessat et effectus : quia rigor pro utilitate animarum statutus, sicut servandus est, ubi illa utilitas inde provenit, pro qua statuitur, ita laxandus est, ubi talis effectus non sequitur, sed potius contrarius aperte sentitur.

Quod si aliquis plebanus prohibet quoquo modo, ne subditi sui confiteantur talibus, qui ab episcopo, vel a Domino Papa mediate, seu immediate habent auctoritatem generalem confessiones audiendi; talis prohibitio non valet, nec pœna in prohibitione apposita est timenda; et hoc multiplici ratione, quarum tres tantum hic ponam.

Prima, quia non potest inferior sui superioris auctoritatem cassare, ut quod ille concessit, iste prohibeat.

Secunda, quia si aliquis supradictorum defectuum inest ipsi plebano, scilicet imperitiæ, suspensionis, irregularitatis, criminis, negligentiæ, vel alterius impotentiæ, per quem subditi ab eo debito modo non expediuntur in confessione, debent, etiam eo invito, ad alios idoneos recurrere, si non velit sponte concedere, nec pro ejus malevolentia seipsos salutis remedio privare.

Tertia, quia etsi plebanus satis sit idoneus, tamen subditi, postquam jus suum ei reddiderunt, confitendo, et alia debita persolvendo, si volunt et alios de salutis suæ remediis consulere, non debet, nec poterit eos prohibere. Et si pœnam aliquam propter hoc eis infligeret, tale esset, sicut qui punit omnino innocentem, et damnat recte operantem : quod est error intolerabilis, et juri divino contrarius, et ideo non ferendus, imo graviter puniendus; et tenetur læso de illata satisfacere injuria, et propalavit propriam imperitiam, nesciens quid debeat, et quid possit, ac limites suæ potestatis confundens.

Cum contritio, confessio et satisfactio sint integrales partes pœnitentiæ, et necessariæ ad salutem omni pœnitenti; sicut non contrito non datur remissio peccatorum, ita nec non confitenti peccata sua, si potest habere catholicum sacerdotem, sicut sancta constituit Ecclesia Spiritus sancti auctoritate juxta evangelicam doctrinam, cum Christus claves regni cœlorum per Apostolos sacerdotibus tradiderit ad animas ligandas et solvendas. Cum ergo necesse sit confiteri, necesse est etiam aliquos esse, qui confitentes audiant et absolvant vice Christi. Aut ergo confite-

[1] II *Cor.*, x, 8. — (*a*) *Leg.* sint.

buntur prælatis suis tantum, aut etiam aliis sacerdotibus. Sed si prælatus alicujus est suspensus ab officio suo quacumque ex causa per Ecclesiam, vel insufficiens est ad scientiam necessariam, vel aliter negligens, quod non impendit pœnitentibus debitam diligentiam, vel quocumque alio modo præstat impedimentum, quod ab eo subditis non convenit requirere absolutionis gratiam, necesse est alios institui, qui vicem illorum suppleant in hac parte. Alioquin sacramentum pœnitentiæ per subtractionem debitæ confessionis et absolutionis evacuatur, et claves Ecclesiæ otiosæ manebunt, aut jura canonica nullius vigoris erunt et auctoritatis, quæ sententias suspensionis et irregularitatis et excommunicationis frustra contra aliquos ediderunt, et absolutionis beneficium impendi contradixerunt (*a*), si ab ipsis tantum coguntur subditi istud requirere, et eis solis peccata sua, et non aliis, confiteri. Licet enim communiter clerici in quibusdam terris istis defectibus non valde sunt impliciti, ut in Anglia, vel Francia, vel alibi, ubi clerici sunt litterati, et clericaliter vivunt, et subditos suos bene regunt; tamen in pluribus aliis terris tanti defectus in clero reperiuntur, per quos inhabiles et minus idonei sint ad animas pœnitentium absolvendas, quod qui fratribus Minoribus et Prædicatoribus prohibet fideles ibidem confiteri peccata sua, videtur aut ignorare periculum, aut animarum invidere saluti, et Dei beneplacitum impedire. Si aliquis teneretur alicui providere in necessariis, et negligeret, vel non posset, et alius vellet egenti ex compassione subvenire, et illius vicem supplere qui deberet, ne iste periret, numquid ab aliquo prohibendus esset, ne proximo in necessitate subveniret? Et si hoc esset inconveniens prohibere ne liberaret proximum a periculo corporis, quanto magis incongruum est et illicitum, prohibere aliquem a liberatione animæ fratris a periculo damnationis! imo videtur error omnino non ferendus prohibere aliquem liberari a naufragii periculo, et potius permittere eum perire, quam pœnitentem a voragine peccati per confessionis tabulam extrahere. Nulla lex servanda, nulli præcepto obediendum humano, quod contra præceptum charitatis Dei, et contra salutem proximi aperte agere invenitur. Adversus charitatem enim, vel cæteras virtutes et fructus spiritus, teste Apostolo, non est lex. Cum ergo pastor plebis alicujus præcipit subditis suis ne alicui confiteantur alii quam sibi, subintelligendum est in præjudicium suum, ita quod si alteri confessi fuerint, nihilominus confiteantur et sibi. Nam sicut non potest eos prohibere, quin de temporali utilitate loquantur cum quocumque voluerint; quanto magis de spirituali, et salutis consilium requirere, ubi sperat invenire! Verbi gratia, ubi decimæ debentur sacerdoti tantum, si præcipit, quod nulli dentur decimæ nisi sibi, intelligendum est hoc de decimis, quæ sibi debentur. Sed si aliquis dederit ei debitas decimas, et de residuo, quod suum est, vult etiam alteri cuicumque dare aliam decimam ratione eleemosynæ, nunquam potest sacerdos suus eum prohibere, ne hoc faciat.

Aliud vero est de regularibus religiosis, qui sicut a superioribus prohiberi possunt ne vadant quoquam, vel loquantur cuiquam, sine ipsorum licentia, ita possunt etiam prohiberi ne confiteantur alicui nisi per licentiam eorum, dummodo tales eis confessores assignent, per quos non negligantur in his, quæ pertinent ad salutem. Alioquin si prælatus religiosi præcipit ei ne confiteatur alicui præter suam licentiam, et non assignat ei confessorem idoneum, et ille indiget confessione, potest et debet alium quærere confessorem, potius quam salutem propriam negligat, quia præceptum non tenet inferioris prælati, quod præjudicat præcepto superioris. Omnis autem prælatus in Ecclesia est inferior summo Pontifice, cujus præceptum est vice Dei, ut fiat confessio peccatorum idoneo confessori, suo tempore, cum potest haberi.

(*a*) *Forte leg.* interdixerunt.

Quod si subditus plebani confessus est alteri, etiam qui ab episcopo licentiatus est ut possit audire confessiones requirentium, et plebanus ex pastorali sollicitudine vult agnoscere oves proprias, ut sciat quibus sacramenta divina ministret, vel qualia adhibeat infirmantibus remedia, et vult conscientias eorum etiam agnoscere per confessionem ipsorum, dummodo hoc calumniose non faciat, vilipendendo auctoritatem alterius, cui ille confessus fuerat; non est propter hoc redarguendus, sed magis pro sua sollicitudine commendandus, cum de ipsis sit rationem Domino redditurus.

Si autem aliquando episcopus præcipit subditis suis in synodo, quod nulli confiteantur nisi plebanis suis, vel quibus ipsi licentiam dederint, non est intelligendum velle revocare, si quam auctoritatem fratribus dedit confessiones audiendi per suam diœcesim; sed quod non confiteantur aliis in suorum præjudicium plebanorum, juxta quod supra dictum est, cum ad hoc tantum debeant eis obedire.

Quod si expresse revocaret omnem auctoritatem, quam fratres habent ab ipso de confessionibus audiendis, nihilominus tamen fratres, quamdiu non sunt a summo Pontifice prohibiti, vel a suis specialibus prælatis, quibus obedire tenentur, possunt audire confessiones sub hac forma, quod audita confessione eorum, si quis dignus est, absolvant eum sub spe ratihabitionis pastoris sui, si est idoneus pastor secundum præscriptam formam, vel si nolit habere ratam absolutionem illam, quod iterato confiteatur eidem, si prius non sit ei illa peccata confessus. Si autem habet ille confitens plebanum non idoneum, vel nullum, simpliciter absolvat eum, et expediat in his, quibus indiget ad salutem, potius quam, nullo subveniente, negligatur. Debemus enim præsumere summum Pontificem, vel alium quemlibet bonum pastorem animarum, hujusmodi esse discretionis et charitatis, quod potius velit oves Christi per quemquam catholicum sacerdotem ad salutem æternam expediri, quam negligi ab his, qui ex officio curam eorum suscipiunt, sed executionem officii circa eos non implent: alioquin si hoc non vellet, indignus esset dignitate pontificalis officii, qui oves Christi magis perire vellet, quam erui de ore luporum, et talis ejus voluntas caret effectu pastoralis potestatis, quæ solum in ædificationem, et non in destructionem animarum data est ab ipso principe pastorum Domino Jesu Christo. Hac enim ratione provide sancta Ecclesia instituit, quod in necessitatis articulo, cum proprius non habetur sacerdos, quilibet sacerdos absolvat quemlibet pœnitentem ab omni vinculo peccati, et excommunicationis etiam majoris, potius quam ex defectu proprii pastoris aliquis innodatus peccato decedat: licet vera contritio posset eum absolvere, cum non posset habere confessorem. A simili ergo, cum proprius sacerdos non potest, aut non curat, seu nescit confitentem debito modo expedire, potest et alium confessorem quærere, qui eum expediat, cum periculosiora sint animæ vulnera, seu morbi, quam corporis, si citius remediis debitis non curentur. Qui autem prohibet ægrotantem ne accedat ad medicum, qui eum curet, mortem desiderare videtur, quia non vult vitam suam congruis remediis a morte tueri. Si vero sententiam contra eum ferret excommunicationis, quasi pro inobedientia, nullam habet vim taliter lata sententia, quia pœna talis inferri non debet, nisi gravi culpa præcedente: culpa vero nulla est, quærere salutis suæ remedium sine præjudicio alicujus. Quod etiam quidam ferunt sententiam excommunicationis in omnes fratrum benefactores, cum nihil habeamus, nisi quod offertur nobis a fidelibus unde vivamus; idem est ac si prohiberetur aliquis per excommunicationem, ne fratrem suum et proximum a submersionis, vel incendii, seu quolibet mortis periculo liberaret. Prohibere enim cibo reficere indigentem, est eum velle fame occidere, quod, quam injustum sit, nullus ignorat.

Quod autem dicitur, quod sententia excommunicationis, sive justa, sive injusta, semper est timenda; verum est, quia sicut justa timenda est promerenti, ita injusta ferenti, vel promoventi. Sex enim modis sententia excommunicationis vim suam perdit, et plus nocet ferenti, quam patienti.

Casus in quibus excommunicatio non ligat.

1. Si profertur a quo non debet, ut a non judice, vel excommunicato. 2. In quem non debet, in non subditum, vel innocentem. 3. Quando non debet, ante cognitionem causæ, vel post legitimam appellationem. 4. Ubi non debet, non in loco judicii, vel non decenti. 5. Quare non debet, pro bono opere, et non pro peccato, et sine ratione justa. 6. Qualiter non debet, juris ordine non servato.

Ista, et alia plura, non prosequor ulterius, relinquens ea a viris peritis quærenda. Qui in eum, qui peccavit, sed jam pœnitet, fert excommunicationis pro eodem peccato sententiam, punit non reum, quem Deus jam a reatu peccati absolvit, et restituit innocentiæ pœnitendo : unde debet sententiam retractare, et aliam ei satisfactionem imponere pro peccato. Nam scriptum est[1] : *Quomodo maledicam, quem Deus non maledixit?* etc. Melius tamen omnes adversantes nobis vincimus humilitate et patientia, quam rebellando et allegando : quia rebellando scandalizamus alios de ipsa scientia et usurpatione potestatis quasi nostræ; patiendo autem ostendimus nos non quærere quæ nostra sunt, sed quæ salutis sunt aliorum, quosdam docendo, quosdam patiendo cupimus ædificare, et Deo lucrari : et sic Deus pro quo patimur, et alii patientiam nostram videntes, pugnabunt pro nobis.

Ut autem planius videatur, quam pauci sunt jam in istis partibus inter plebanos, vel eorum vicarios, qui liberam habeant ligandi et solvendi potestatem, vel qui bene expediant animas in confessione, ac per hoc perpendatur quam necessarii sint fratres nostri, ut vicem eorum suppleant, et animabus pereuntibus subveniant, ex his consideretur. Omnis suspensus ab officio, vel irregularis, vel excommunicatus, vel male intrans ad regimen animarum, non habet potestatem ligandi aut solvendi, vel alia, quæ jurisdictionis sunt, a quibus est ab Ecclesia prohibitus, exercendi; unde quod ligat vel solvit, vel facit in hujusmodi, nihil valet. Vide ergo plurimos nobilium et potentium, qui deberent beneficia ecclesiastica peragere, per bella et alios excessus frequenter incurrere excommunicationis sententiam, a jure, vel a judice latam, vel aliter demereri jus conferendi ista beneficia, quia vel indignis conferunt, vel interveniente simonia, quocumque modo, per ipsos vel mediatores; et si qua tunc vel taliter conferunt beneficia, nil juris percipientes ea consequuntur, cum ille conferens jus non habeat conferendi. Videmus episcopos similiter per bella, vel alios excessus, sæpe incidere excommunicationis sententiam, vel suspensionis, vel a Domino Papa suspendi seu excommunicari. Item quod aliqui vel per simoniam promoventur, vel conferunt curam animarum. Similiter alii aliqui prælati promoventur, et promovent alios per simoniæ interventum, et omnes beneficiorum collationes per tales vel taliter factæ nihil juris conferunt recipienti. Videmus pastores locare ecclesias suas vicariis suis sub certa pensione census, et unus sæpe supplantat alium promittendo majorem pensionem pastori, ut sibi ecclesia conferatur, et hoc sæpe incaute geritur, et cum periculo simoniæ. Videmus plurimos curam animarum suscipere contra statuta canonum, ut non clericos, et ante ætatem debitam, vel illegitime natos, vel aliqua excommunicatione vel irregularitate ligatos, et inhabiles ad recipiendum tale beneficium. Item quod multi habent plura beneficia curam animarum habentia, qui habent aliqua obstacula, propter quæ jura prohibent aliquem eligi vel institui, ut est pluralitas beneficiorum, et simi-

[1] *Num.*, XXIII, 8.

lia. Nam si aliqui habent dispensationem apostolicam, quod de proventibus ecclesiasticis possint recipere usque ad certam summam reddituum annuorum, hoc non est accipiendum summum Pontificem intendere, quod concedat alicui simpliciter tot animarum curas colligere, quod de illarum proventibus famem suæ cupiditatis possit utcumque mitigare, et animas illas sine pastore relinquere destitutas; sed de aliis ecclesiarum proventibus potius accipiendum est, ut præbendarum et aliorum beneficiorum curam non habentium animarum, sicut meliores et peritiores exponunt. Videmus quod judices causarum sæpe mandant plebanis, sub pœna suspensionis vel excommunicationis jam latæ, aliquas denuntiare sententias vel exequi, quas negligunt, et pœnam incurrunt. Videmus quod multi recipiunt ordines contra episcoporum prohibitionem, sub pœna suspensionis promulgatam. Videmus quod scholares sæpe manus injiciunt in acolytos per iram, et incidunt in canonem, nec petunt absolutionem, et sic promoventur ad ordines, vel beneficia ecclesiastica, et solemniter officiant ecclesias, et exequuntur ordines clericales. Videmus quod in clero plurimi sunt notorii fornicatores, in domo sua vel alia concubinas habentes, vel hinc inde cum pluribus notorie fornicantes. Notorius autem fornicator dicitur, cujus crimen nulla valet tergiversatione celari, vel cujus testis est populus, qui constat ex decem hominibus secundum quosdam. Omnis autem notorius fornicator est ipso jure suspensus, quoad se, et quoad alios. Contra aliquos etiam a suis episcopis, vel prælatis domini Papæ aliquoties fertur sententia excommunicationis. Regulare etiam est, quod suspensus a jure, vel a judice, vel excommunicatus, si recipit ordinem sacrum, vel ministrat in eo solemniter, est jam irregularis factus, a quo non potest absolvi, nisi per Sedem Apostolicam, vel de ejus speciali mandato. Quidam tamen volunt, quod si fuit suspensus a jure, non a judice, quod tunc potest secum suus episcopus dispensare, quia mitius agit canon quam homo. Videmus quod sæpe judices ecclesiastici ferunt excommunicationis sententias contra formam Decretalis illius Innocentii Papæ IV : *Cum sit medicinalis*, ubi dicitur : « Debent congruas præmittere admonitiones, prius quam aliquem excommunicent, et sententias ferre in scripto, et causam conscribere, et illi, contra quem fertur sententia, copiam scripti illius dare infra certum terminum; et qui aliter fert in aliquem excommunicationis sententiam, præter alias pœnas, est ipso facto suspensus ab ingressu ecclesiæ per mensem, ita quod si infra mensem ingerat se divinis, jam fit irregularis, quod non potest cum ipso super hoc, nisi per Sedem Apostolicam dispensari. »

Sunt adhuc plurima impedimenta clericorum, quæ præ nimietate non prosequor; sed ex his paucis adverti potest, quam multi sunt plebani in istis partibus, vel tales, vel a talibus, vel taliter promoti, seu instituti, qui nihil potestatis in ligando animas habent aut solvendo, ut cognoscatur quam necessarii sunt fratres in Ecclesia Dei, qui vicem illorum suppleant, et animabus subveniant, quæ aliter possent perire. Quibus etsi nulla alia suppeteret auctoritas, collata specialiter a Sede Apostolica, vel episcopis, ipsa insufficientia cleri et indigentia populi latam eis aperit audiendi confessiones populi facultatem, cum illi, qui debent, aut nesciant, aut negligant, aut nequeant eos, qui sibi commissi sunt, congrue, ut in pluribus saluti suæ necessariis, expedire; cum e tribus unum sit necessarium : quod aut pœnitentes confiteantur illis, qui sunt a jure prohibiti vel suspensi; aut nobis, quos Ecclesia ad hoc misit, ut clero simus in adjutorio, ubi ipsi minus sufficiunt; aut nulli. Nam laicis confiteri non licet, cum possunt haberi catholici sacerdotes. Quod enim dicitur, quod in extremis debeat homo laico confiteri, si sacerdotem non habeat, non est de necessitate, cum laicus non habeat auctori-

tatem aliquam absolvendi; sed est signum tantum contritionis, quo perpenditur, quod sacerdotem desideraverit, qui laico est confessus. Item cum dicat canon, quod qui habens unum beneficium, cui sit cura animarum annexa, recipit aliud, quod primum ipso jure jam vacet, et ad quem pertinet ejusdem beneficii collatio, nisi illud infra sex menses conferat alteri idoneo, quod collatio jam devolvatur ad alium; et nos jam videamus plurimos plura hujusmodi contra canones tenere beneficia, liquet quantæ jam ecclesiæ sint vacantes, et carentes vero pastore, cum et ipsi, qui jam tenent eas, non habeant jus in eis, nec ipsorum vicarii, et quibus postmodum conferuntur ab illis, qui jam jus conferendi propter præfatam negligentiam amiserunt, nihil juris percipiunt, cum non habeant jus illa beneficia jam conferendi. Item cum animarum cura debeat ab episcopo committi, vel, sicut in quibusdam ecclesiis consuevit, ab archidiaconis, ut sciant quales sint quibus animas gubernandas committunt, et illi, qui jam videntur pastores in pluribus terris per se, constituunt pro se vicarios in ecclesiis, qui nec ab episcopo vel aliis auctoritate ipsius curam recipiunt animarum, tales patet vicarios jus non habere. Nam cum in cura animarum sit requirenda pastoris idoneitas, non debet hanc curam per alium gerere, nisi pro causa rationali, et de licentia speciali, cum ipse de animabus sibi commissis sit rationem Deo in judicio redditurus. Item cum Dominus C. Portuensis episcopus Cardinalis quondam legatus Theutoniæ, generalem tulerit sententiam suspensionis ab officio et beneficio contra clericos sollicitantes moniales cujuscumque habitus, et excommunicationis contra omnes carnaliter eas cognoscentes, et Dominus Papa Gregorius IX illam confirmaverit, et paucis auctoritatem absolvendi tales concesserit, timendum est multos hujusmodi sententiis ligari, qui nec cogitant super se absolutionis vel dispensationis gratia indigere, et tamen sic ministrant, et tenent curam animarum, et percipiunt beneficia ecclesiastica sic ligati. Item archiepiscopi in suis conciliis, et episcopi in synodis sæpe ferunt sententias contra diversos excessus, a quibus sunt plures clerici non immunes.

Forma petendi ab episcopo facultatem audiendi confessiones.

Forma ergo petendi auctoritatem ab episcopis audiendi confessiones, generaliter ista potest esse, vel alia æquipollens : « Domine, vos estis pastor ovium Christi in hac diœcesi, et vobis incumbit providere animabus commissis vestræ sollicitudini, ne in aliquo negligantur. Cum igitur propter multitudinem plebium, et incrementa peccatorum, et perplexitatem casuum, plebani non possint ad plenum omnibus expediendis sufficere, placeat vobis, ut fratres qui habent inter nos confessionis officium, auctoritate vestra sint adjutores eorum, et subveniant in quibus possunt eorum insufficientiæ populi, et aliorum requirentium in confessionibus audiendis, salvo jure ipsorum, vel quorumlibet prælatorum, cum specialiter ad hoc Ordo noster sit a Sede Apostolica destinatus. Si vero dignamini nobis aliquid potestatis præter communem cursum de aliquibus majoribus ad vos specialiter spectantibus superaddendo committere, propter illos maxime quibus non facilis ad vos patet frequenter accessus, vel quibus propter alia negotia personaliter intendere non valetis, speramus Deo esse placitum, et proficuum animabus. Insuper erit vestri oneris sublevamen. » Hoc videlicet, et hoc expressis articulis, in scripto; et si potest fieri, sub ejusdem episcopi sigillo, omnia, quæ concesserit, reserventur.

EXPOSITIO
IN REGULAM FRATRUM MINORUM [1]

ARGUMENTUM

(*Ex edit. Vatic.*)

Hoc Opusculum a Trithemio inter S. Bonaventuræ Opuscula connumeratur alio nomine inscriptum, videlicet *Constitutiones Ordinis S. Francisci*. In quo quidem Opusculo boni Prælati præstat officium, cujus est subditos docere, dirigere, corrigere, et fovere : et cum ipse Minister Generalis sui Ordinis extiterit, id efficit, dum regulæ S. Patris Francisci sanum sensum tradit. Huic vero editioni præpositus est singulis capitibus textus ipsius regulæ pro majori commoditate legentium.

CONFIRMATIO REGULÆ.

HONORIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Dilectis filiis Fratri Francisco, et aliis Fratribus de Ordine Fratrum Minorum, salutem, et Apostolicam benedictionem. Solet annuere Sedes Apostolica piis votis, et honestis petentium desideriis favorem benevolum impartiri. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris piis precibus inclinati, Ordinis vestri regulam, a bonæ memoriæ Innocentio Papa prædecessore notro approbatam, annotatam præsentibus, auctoritate vobis Apostolica confirmamus, et præsentis (*a*) scripti patrocinio communimus, quæ talis est.

EXPOSITIO CONFIRMATIONIS REGULÆ.

Quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, et misericordia [2]. Hanc plane puto regulam, ab Innocentio Papa III approbatam, a sequenti Honorio confirmatam, a Gregorio IX declaratam, ut *funiculus triplex* [3] non facile disrumpatur. Nec tamen in immensum gloriabimur, sed secundum mensuram regulæ, qua mensus est nobis Deus, ne in aliqua alia regula gloriemur. Hujus igitur regulæ rectitudinem, duce Domino, brevius declarabo, ut sit ei adhærentibus solatium, et adversantibus directio, qui obliquis et reflexis eam intuentes oculis, lumini attribuunt suarum vitium tenebrarum. Regula igitur epistolari modo a salutatione oritur, in narratione deducitur, et in conclusione terminatur. In salutatione enim refulget Apostolica clementia, pie pauperibus condescendens Deus. In narratione patet Apostolica sapientia, perfectionis summam brevitate perstringens. In conclusione ejus refulget auctoritas potentiæ, qua servos Christi perpetua protegit armatura. Prima pars, scilicet salutatio, duas habet particulas, quia continet salutationem, et sequentium confir-

[1] *Cf.* Edit. Vatic., an. 1596, tom. VII, 331; edit. Venet., an. 1755, tom. VI, part. II, pag. 392. — [2] *Gal.*, VI, 16. — [3] *Eccle.*, IV, 12. — (*a*) *Cæt. edit.* præsenti.

mationem. Dicitur enim primo sic : *Honorius Episcopus :* Episcopus utique non alicujus partis solum, sed totius universitatis. In cujus figuram legitur [1], quod stante Jesu in littore maris, Petrus succinxit se, et misit se in mare ; alii vero discipuli navigio venerunt. Per mare intelligitur sæculum, quod suscepit Petrus a Domino gubernandum. Per navigium autem intelliguntur variæ sortes discipulorum, qui in variis mundi partibus pontificium susceperunt. Unde et duæ fuetunt naves, propter circumcisionem et præputium, secundum Augustini sententiam super illud [2]. Hinc Petrus, a Petra dictus, a Domino positus est Ecclesiæ fundamentum [3] : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Ubi Rabanus [4] : « Ut omnes per orbem credentes intelligant, quia quicumque ab unitate fidei, vel societate illius, quolibet modo segregant seipsos, nec a vinculis peccatorum absolvi, nec januam possunt regni cœlestis intrare. » Hinc Petro Dominus dedit super alios Apostolos ordinariam potestatem, dicens [5] : *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* In hujus rei figuram dicitur in libro *Sapientiæ* [6], quod in veste poderis, quam habebat Aaron, *totus erat orbis terrarum.* Quod si unus non esset, qui in omnes exercere posset jurisdictionem, ubi maneret status Ecclesiæ? Si, partibus discordantibus, non esset qui posset manum mittere in ambabus, fuisset synagoga felicior quam Ecclesia : quia illa habebat unum summum pontificem, qui omnes discordias poterat terminare, ut patet in Deuteronomio [7]. Tantæ auctoritati nostræ profundissima humilitatas sociatur, cum dicitur : *Servus servorum Dei,* non istorum vel illorum, sed sapientium et insipientium, omnium et singulorum. Sic certe, ut legitur in Ezechiele [8] : *Gazophylacia* templi fuerunt *in superioribus humiliora.* In statu enim sublimi, est ornamentum notabile humilitas profunda.

Sequitur : *Dilectis filiis, fratri Francisco, et aliis fratribus de ordine fratrum Minorum, salutem, et Apostolicam benedictionem.* [9] *Benedictio Patris confirmat* (*a*) *domos filiorum.* In hierarchicis eloquiis optime sonat nomen dilectionis, quia, ut Dionysius dicit [10], « totius hierarchiæ finis, et consummatio, est unitiva dilectio. »

Sequitur secunda particula continens sequentium confirmationem ; unde dicit : *Solet annuere Sedes Apostolica piis votis, et honestis petentium desideriis favorem benevolum impartiri.* Pium est, quod est ad Dei gloriam directivum, quia pietas est cultus Dei [11] : *Qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patientur.* Honestum est, quod ad ædificationem proximi ordinatur [12] : *Sicut in die, honeste ambulemus.* Hæc honestas a divinis est præcipue beneplacitis, et non mundanis vanitatibus regulanda. Unde Hieronymus *super Isaiam* [13] : « Non erubuit Isaias nudus incedere, nihil honestius judicans, quam Domino obedire. »

Sequitur : *Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris piis precibus inclinati, ordinis vestri regulam, a bonæ memoriæ Innocentio Papa prædecessore nostro approbatam, annotatam præsentibus, auctoritate vobis Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus, quæ talis est...* Cum ratione pietatis, et honestatis, dicat se Summus Pontifex hanc regulam confirmasse, impii sunt, qui a Sede Apostolica discordantes, (*b*) regulam istam dicunt servari non posse, et per consequens aliquod impium continere. Tales hæretici sunt, et schismatici, ut patet in Decretis [14]. Item in Deuteronomio [15] : *Sequeris sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, vel ad sinistram. Qui autem superbierit nolens obedire sacerdotis*

[1] *Joan.*, XXI, 4 et seq. — [2] August., *in Joan.*, tract. CXXII, n. 7. — [3] *Matth.*, XVI, 18. — [4] Raban. — [5] *Luc.*, XXII, 32. — [6] *Sap.*, XVIII, 24. — [7] *Deut.*, XVII, 9. — [8] *Ezech.*, XLII, 7. — [9] *Eccli.*, III, 11. — [10] Dion. Areop., *de Cœl. Hier.*, c. III, § 2. — [11] II *Tim.*, III, 12. — [12] *Rom.*, XIII, 13. — [13] Hieron., *in Isa.*, XX. — [14] *Decret.* part. I, dist. XXII, c. 1, *Omnes sive patriarchii.* Est Nicolai Papæ II. — [15] *Deut.*, XVII, 11-12.

(*a*) Vulg. *firmat.* — (*b*) *Cæt. edit. præmitt.* per.

imperio, et decreto judicis, morietur homo ille. Ex prædictis patet, quod tota regula est mandatum Apostolicum, et per consequens authenticum quidquid in ea continetur. Sequitur textus.

CAPUT PRIMUM.

In nomine Domini incipit Regula, et vita Fratrum Minorum.

Regula, et vita Minorum Fratrum hæc est : Sanctissimi Domini nostri Jesu Christi S. Evangelium observare, vivendo in obedientia, sine proprio, et in castitate. Frater Franciscus promittit obedientiam, et reverentiam Domino Papæ Honorio, ac successoribus ejus canonice intrantibus, et Ecclesiæ Romanæ. Et alii fratres teneantur fratri Francisco, et ejus successoribus obedire.

EXPOSITIO.

Regula, et vita Minorum Fratrum hæc est, scilicet *Domini nostri Jesu*, etc. Hic subditur confirmatæ veritatis narratio, quæ rubricis duodecim discernitur, qui sunt duodecim durissimi lapides, de quibus dicit Josue [1], quod duodecim electi viri acceperunt de alveo Jordanis, ubi steterunt sacerdotum pedes, duodecim lapides, ponentes in loco castrorum, ubi illa nocte deberent figere tentoria. Hoc est dicere, quod fratres Minores, tanquam viri a Domino vero Josue electi, volentes pertransire Jordanem, et festinare ad terram promissionis, eligant sibi duodecim durissimos lapides, id est, duodecim capitula Regulæ, evangelica et apostolica sententia confirmata, de loco ubi steterunt pedes sacerdotum, hoc est, ad imitationem duodecim Apostolorum. Tres primæ rubricæ radios recipiunt orientis; tres aliæ sequentes pericula excludunt aquilonis; tres tertio loco positæ obviant malis ab occasu; tres ultimæ australibus deliciis sunt refertæ : ut sic hæc civitas in quadro posita, ornata duodecim portis, scilicet duodecim apostolicis margaritis, non timeat potentis insultum, pauperum et sapientium industria communita. Trium autem primo positarum, id est, orientalium rubricarum prima summarie Religionem instituit; secunda ad eam venientes recipit; tertia receptos interius et exterius instruit disciplina. Et quia, ut patet ex Dionysio [2], substantia hierarchiæ in duobus consistit, scilicet in sanctis perfectionibus (*a*), et in ordine perficiendorum; prima ad perfectos per obedientiam, secunda subditorum ad prælatos [3] : idcirco prima rubrica duas habet partes, quarum prima summarie tangit hujus hierarchiæ, id est, sacri ordinis perfectionem; secunda describit obedientialem ordinationem, ibi : *Frater Franciscus.*

Dicit ergo primo : *Regula, et vita.* Regula ex hoc dicitur, quia *recte* ducit. Rectum autem est, cujus medium non exit ab extremis. Et quia dicitur per Apostolum [4] : *Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium quia nec auferre quid possumus ;* illa ergo verissima dicitur regula, quæ docet, ut est possibile in vita, paupertatem nudissimam observare : hæc regula etiam est *vita*, ut tota fratrum conversatio Regulæ applicetur, juxta id quod legitur in tertio Regum [5] : *Operuit omnia laminis aureis. Fratrum Minorum*, sic dictorum absolute, ut de nullo dignitatis gradu contendentes, nec sibi nomen honoris alicujus usurpantes, omnibus se humilitatis amore, salvo Dei honore, subjiciant, ad nullam temporalem magnitudinem, ut pauperrimi, humillimi et purissimi, aspirantes. Dicti autem *Fratres Minores,* ad imitationem illorum de quibus dicitur [6] : *Quamdiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis.* Eorum igitur regula hæc est, scilicet Domini nostri Jesu Christi sanctum Evangelium observare. Hoc idcirco dicitur, quia tota regulæ substantia de fonte trahitur evangelicæ puritatis. Non est ergo regula, aut vita hæc, nova res, sed proculdubio re-

[1] *Jos.*, IV, 3. — [2] Dion., *de Cæl. Hier.*, c. III, 8. — [3] Locus corruptus.— [4] I *Tim.*, VI, 7.— [5] III *Reg.*, VI, 35. — [6] *Matth.*, XXV, 45.

(*a*) *Forte leg.* perfectoribus.

novata; magnaque est hujusmodi regulæ professoribus materia solatii, qui soli in hoc mundo vitam illam ad litteram profitentur, quam Apostolis ad prædicandum missis Dominus commendavit. Sed cum dicat : *Hæc regula est, sanctum scilicet Evangelium observare*; numquid voventes hanc regulam, vovent per consequens omnem Evangelii perfectionem? Dico quod non, cum in ipsa regula quam vovent, quædam monitorie et exhortatorie subjungantur. Cum ergo non omnem regulæ partem vovent observare, multo magis non vovent quod non exprimitur in eadem. Cui simile est, quod super illud Psalmi [1] : *Vovete, et reddite,* dicit Glossa, quod quædam vota sunt communia omnibus, ut vovere fidem, abrenuntiare diabolo, et pompis ejusdem, non superbire, non occidere, et hujusmodi, et de his omnibus præcipitur : *Vovete, et reddite.* Sicut ergo, in hoc genere voti, non intelligitur expresse voveri ab omnibus christianis præceptorie, nisi quod præceptorie in lege ponitur divina; sic nec tota vita evangelica vovetur ab hujusmodi regulæ professoribus, sed tantum illa ejus pars, quæ ex regulæ intentione imponitur obligatorie observanda. Vovent ergo fratres totam regulam secundum intentionem mandatorum, partim ad observantiam, ut præceptorie imposita, partim ad reverentiam et approbationem illorum, quæ non tam præceptorie imponuntur, quam meritorie proponuntur, tali statui specialiter æmulanda, ut est illud quod infra dicitur : *Orare semper ad Deum puro corde, habere humilitatem et patientiam in persecutione et infirmitate.* Licet enim virtutum actus sint in præcepto, tanta tamen actuum præcellentia nulli præceptorie imponitur, quanta in pluribus capitulis regulæ continetur. Vovent ergo fratres Evangelium eodem modo, partim scilicet ad observantiam, partim ad reverentiam specialem, quam decet, et congruit tanto statui æmulari.

[1] *Psal.* LXXV, 12. — [2] I *Petr.*, I, 22. — [3] *Philip.*, II, 8. — [4] *Matth.*, XVI, 24. — [5] *Luc.*, II, 51.

Ex his ergo patet error dicentium, quod voventes hanc regulam vovent etiam omnia præceptorie, quæ in ipsa regula continentur : hoc enim est contra regulam manifeste, quæ expresse distinguit monitiones a præceptis.

Sequitur : *Vivendo in obedientia, sine proprio, et in castitate.* Circa quod dicendum, quod obedientia uno modo est virtus contraria inobedientiæ, et sic omni convenit Christiano; de qua Petrus [2] : *Castificantes animas vestras in obedientia charitatis.* Alio modo obedientia dicit statum eminentem hujus virtutis, quando aliquis non tantum obedit Deo, verum etiam homini propter Deum. Item Deo obedit non tantum in necessariis, verum etiam in omnibus supererogationis, et divinis inspirationibus universis, quantumcumque difficilibus et arduis, illius exemplo, qui *factus est obediens usque ad mortem,* ut dicit Paulus [3], qui mori minime tenebatur. Hæc obedientia ex verbo Domini descendit, qui dicit [4] : *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum*, etc. Sed triplex est sui abnegatio. Una est necessaria per modum subcontrarietatis, qua scilicet homo in quibusdam suæ voluntati renuntiat, ut in peccatis; in aliis vero, ut in indifferentibus, sibi retinet suam voluntatem. Alia est sui abnegatio per modum contrarietatis, ut in illis omnibus, sive simpliciter, sive accommode, suæ renuntiant voluntati, nihil volentes, sive agentes, secundum suam voluntatem, vel secundum nutum suæ voluntatis. De qua dicit quidam : Nil fragrat ita Domino in odorem suavitatis, quam si mactetur Domino vitulus propriæ voluntatis. Nimirum altissimum est in homine rationalis voluntas. Altissimum ergo est sacrificium, eam totaliter Domino consecrare, non tantum ipsi Deo obediendo, sed etiam homini propter Deum : cum et ipse, ad hoc docendum, parentum suorum subditus fuerit voluntati, ut legitur in *Luca* [5]. Est etiam abnegatio tertia, quasi contradictoria, quæ propriam exponit vitam pro gloria Conditoris. Obedientia tamen, prout dicit statum eminen-

tem virtutis obedientiæ, plures habet gradus : quidam enim in omnibus absolute, ut dictum est; quidam vero accommode, utpote ad mediocritatem status sui pertinentibus, propriæ renuntiant voluntati : quia Clerici sæculares, in sacri ordinis susceptione, renuntiant propriis voluntatibus, et ex tunc plene debent subjici ecclesiasticæ potestati, ut legitur, XII, q. 1, c. *Non dicatis*. Amplius, sublimior est obedientia monachorum, quam sæcularium clericorum, ut patet *Extra., de officio Ordinarii*, c. 5 (*a*). Monachorum autem obedientia duobus constringitur : primo, quia per (*b*) obedientiam vovent, salva stabilitate ad locum; secundo, quia ad nihil obedire tenentur, quod regulam suam transcendere demonstratur. Altior est ergo obedientia illorum, qui nullum habent in hoc mundo loci jus proprium, quo sua obedientia restringatur. Item altior est illorum obedientia, quorum altior est regula, ex qua tenentur ejusdem regulæ professores nihil respuere, nisi sit ipsi regulæ contrarium, vel saluti, directe vel aliqualiter. Illi ergo soli abnegationis contrariæ secundo modo dictæ gradus attingunt perfecte, qui in omnibus etiam indifferentibus subsunt beneplacitis alienis, qui nullum habent patrocinium loci stabilis, vel regionis, ad quam eorum obedientia contrahatur, qui nihil sibi obedientialiter impositum possunt repellere, quasi transcendens suam regulam, nisi vergat in suæ animæ detrimentum. Unde patet, quod errant qui dicunt, quod in omnibus Religionibus obedientia sit æqualis.

Sequitur : *Sine proprio*. Et hoc etiam habet gradus. Nam secundum antiqua jura, clericis habere proprium non licebat. Sunt adhuc etiam bona ecclesiastica non propria, sed communia, id est, communi utilitati viventium deputata. Sed quia etiam præter hæc licebat clericis sæcularibus habere propria peculiaria, patet quod altior est status monachorum quoad hoc, quibus non licet habere proprium ullo modo personale, sed tantum in communi. Sed quia in bonis communibus est periculum, sicut in propriis, ut patet ex avaritiis, et aliis malis affluentiæ terrenæ frequenter annexis, tam religiosorum, quam sæcularium clericorum, ille status est sincerior, et a periculis divitiarum remotior, qui non habet affluentiam propriam, vel communem, mobilem vel immobilem, ut sit ei ex divitiis materia superbiendi, vel occasio lasciviendi, vel avaritiæ incentivum.

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.

Nihil igitur habet proprium ordo Minorum Fratrum, nec aliqua ipsius ordinis persona; sed uti servi Christi, et serviles pro Christo effecti, qui pro nobis formam servi accepit, in domibus vivunt alienis, illum imitantes, qui nullum habuit titulum domicilii, ubi caput suum sanctissimum reclinaret. Et propter ipsum, utuntur librorum et aliarum utilitatum ustensilibus, quæ juris sunt alieni. Nam et Christus « alieno vescebatur cibo, » ut dicit Hieronymus *ad Nepotianum*[2]. Unde Gregorius IX, hanc eamdem regulam elucidans, et istam professionem ab omni alia distinguens, bene ait : « Dicimus, quod nec in communi, nec in speciali, debet proprietatem habere, sed utensilium, et librorum, et eorum mobilium, quæ licet ordini habere, usum habeat, salvo locorum et domorum dominio illis ad quos noscuntur pertinere; nec vendi debent mobilia, nec extra ordinem commutari, aut alienari quoquo modo, nisi Ecclesiæ Romanæ Cardinalis, qui pro tempore fuerit ordinis gubernator, Generali, seu Provincialibus Ministris, auctoritatem super hoc præbuerit, vel assensum. » Ex quo patet quod omnia mobilia, quibus ordo utitur, sunt nullo medio bona Ecclesiæ, ratione cujus, et auctoritate, solus ejusdem Ecclesiæ Cardinalis, et nullus eo inferior licentiam habet sine ipso, eadem dispen-

[1] *Decret.*, II, part., caus. XII, c. 11, *Non dicatis*. — [2] Hieron., *ad Nepotian.*, epist. II, col. m. 17.

(*a*) *Forte leg.* 17, scilicet. *Decret. Greg.*, lib. I, tit. XXXI, c. *Ut juxta*. — (*b*) *Del.* per.

sandi. Cum ergo in aliis religionibus bona sic sint communia personis, quod tamen sunt propria communitati; et sicut distinguuntur ecclesiæ, ita et possessiones ecclesiarum : ita ecclesia, quæ est fratrum Minorum communitas, nihil potest sibi vendicare per modum possessionis, vel dominii communitatis suæ proprium, mobile, vel immobile in hoc mundo. Posset quidem æstimari, quod in breviariis Ordo haberet jus dominii, quia nominatim in sequenti rubrica conceduntur, nisi sexta rubrica omnis rei, nulla excepta, dominium ab Ordine excluderet manifeste.

Sequitur : *In castitate.* Cujus observantia, etsi in omnibus religiosis et clericis intra sacros existentibus est posita, tamen altior disciplina isti ordini est imposita, quam alicui aliorum : cum hic præceptorie interdicatur fratribus omne suspectum consortium, et ne ingrediantur interiores officinas monialium, nec etiam loca earum publica, nisi ex speciali causa, maturitate debita præexistente missarum ad talia personarum, ut sequentia amplius declarabunt. Si quis ergo omnes Religiosos in his tribus votis pares asserit, obedientiæ scilicet, expropriationis, et castitatis, manifeste dicit falsum, ut in obedientia patuit etiam, et patebit quinta et sexta rubricis, *de expropriatione, et paupertate*, patet etiam de castitatis inviolabili honestate. Etsi castitas ipsa Religiosorum gradus non habet; multi tamen sunt gradus disciplinæ ejus honestatem inviolabilem observandi. Hæc est igitur hujus perfectio summaria hierarchiæ. Sed cum obedientia, paupertas et castitas, partes sint evangelicæ doctrinæ, utpote consilia evangelica; quare hic hæc tria ab Evangelio distinguuntur, cum dicitur : *Sanctum Evangelium observare vivendo in obedientia?* etc. Responsio: Duplex est perfectio, una formalis, quæ consistit in habitibus et actibus virtutum; alia materialis, quæ consistit in congregatione consiliorum, vel legum, facientium seu ducentium ad statum perfectionis. Prima intelligitur specialiter nomine sancti Evangelii, quia hæc perfectio est principaliter intenta in sancto Evangelio : ad ipsam enim omnia consilia evangelica ordinantur. Hæc est quæ præcipue in sermone Domini in monte pertractatur, cum dicitur [1] : *Beati pauperes spiritu*, etc., et in aliis virtutum regulis, utputa in vitandis verbis otiosis, et similibus. Alia vero perfectio, scilicet materialis, ab hac expresse distinguitur, cum dicitur : *Vivendo in obedientia, sine proprio, et in castitate*, utique consiliaria, et celebri, de qua dicit Salvator [2] : *Qui potest capere, capiat.*

Sequitur de obedientiali ejusdem status ordinatione, per quam reducitur tota religio ad hierarchiam Ecclesiæ principalem. Pro quo dicit : *Frater Franciscus.* Hoc sancti nomen fuit adventitium, cum Joannes nomine proprio in regeneratione imponi diceretur primo a matre. *Promittit obedientiam.* Etsi totus clerus, et religiosorum universitas, teneatur firmiter Apostolico Domino obedire, tamen sanctus huic debito votum adjicit speciale, sciens voto supervenire (*a*), et fortificari sacri ordinis vinculum, et meritum geminari. *Et reverentiam.* Est autem reverentia exhibitio honoris, procedens a timore filiali, et humili affectu. Unde Sapiens [3] : *Audi tacens, et pro reverentia accedet tibi bona gratia*, quia reverentia humilitatis est actus fratris Minoris. Unde fratres Minores, sicut humilitatis profundissimæ professores, debent inter omnes summe revereri Summum Pontificem, et alios, pro gradu suo, in ecclesiasticis officiis constitutos. *Domino Papæ Honorio, ac successoribus ejus canonice intrantibus*, hoc est, qui succedunt non facto tantum, sed jure, secundum formam canonum sublimati. *Et alii fratres teneantur fratri Francisco, et ejus successoribus obedire* : ut catenæ aureæ uncinis mediis disponuntur, sic inferiores a supremo ver-

Franciscus primo vocabatur Joannes.

Fratres Minores præ ceteris tenentur Papæ obedire ex voto sive præcepto regulæ.

[1] *Matth.*, v, 3. — [2] Ibid., xix, 12. — [3] *Eccli.*, xxxii, 14.

(*a*) *Forte leg.* superveniente.

tice, per gradus medios deducantur. Hic est enim motus rectus mentium divinarum, ut sanctus docet Dionysius [1]. Et sic scala Jacob [2] ascendentibus et descendentibus adornatur. Sic ascensu purpureo filiæ Hierusalem pergunt in reclinatorium [3] Salomonis.

CAPUT II.

De his qui volunt vitam istam accipere, et qualiter recipi debeant.

Si qui voluerint hanc vitam accipere, et venerint ad fratres nostros, mittant eos ad suos ministros Provinciales, quibus solummodo, et non aliis, recipiendi fratres licentia concedatur. Ministri vero examinent eos de fide catholica et ecclesiasticis sacramentis. Et si hæc omnia credant, et velint ea fideliter confiteri, et usque in finem firmiter observare, et uxores non habent (*a*), vel, si habent (*a*), etiam (*b*) monasterium intraverint uxores, vel licentiam ei dederint auctoritate diœcesani Episcopi, voto continentiæ jam emisso, et illius sint ætatis uxores, quod non possit de eis oriri suspicio, dicant illis verbum sancti Evangelii [4], quod vadant, et vendant omnia sua, et ea studeant pauperibus erogare. Quod si facere non potuerint, sufficit eis bona voluntas. Et caveant fratres, et eorum ministri, ne solliciti sint de rebus suis temporalibus, ut libere faciant de rebus suis quidquid Dominus inspiraverit eis. Si tamen consilium requiratur, licentiam habeant mittendi eos ad aliquos Deum timentes, quorum consilio bona sua pauperibus erogentur. Postea concedant eis pannos probationis, videlicet duas tunicas sine caputio, et cingulum, et bracas, et caparonem usque ad cingulum, nisi eisdem ministris aliud secundum Deum aliquando videatur. Finito vero anno probationis, recipiantur ad obedientiam, promittentes vitam istam semper, et regulam observare. Et nullo modo licebit eis de ista Religione exire juxta mandatum Domini Papæ, quia secundum sanctum Evangelium [5]: *Nemo mittens manum ad aratrum, et aspiciens* (*c*) *retro, aptus est regno Dei.* Et illi qui jam promiserunt obedientiam, habeant unam tunicam cum caputio; et aliam sine caputio, qui voluerint habere; et qui necessitate coguntur, possint portare calceamenta. Et fratres omnes vestimentis vilibus induantur, et possint ea repetiare [6] de saccis, et aliis petiis cum benedictione Dei. Quos moneo, et exhortor ne despiciant, neque judicent homines quos viderint mollibus vestimentis et coloratis indutos, uti cibis et potibus delicatis; sed magis unusquisque judicet et despiciat semetipsum.

[1] Dion., *de Cœl. Hier.*, c. IV, § 3. — [2] *Gen.*, XXVIII, 12. — [3] *Cant.*, III, 10. — [4] *Matth.*, XIX, 21. — [5] *Luc.*, IX, 62. — [6] Verbum mediæ vel infimæ ætatis, a voce *Petia* similis farinæ, ut sequitur.

EXPOSITIO.

Si qui voluerint hanc vitam accipere. Stratis hujus ædificii fundamentis, restat providere de habitatoribus civitatis, ut scilicet recipiantur ad ordinem venientes ad Orientem, lucis radios suscepturi. Et hæc pars quatuor babet : primo agitur de ipsorum receptione; secundo, de probatione, ibi : *Postea concedant*; tertio, de recipiendorum profectione, ibi : *Finito vero anno*; quarto, de professorum in victu et vestitu descriptione, ibi : *Et illi qui jam.* Et quia circa receptionem tria concurrunt, scilicet recipientis auctoritas, recipiendi idoneitas, humilitas et religionis requisita puritas, juxta quod omne hierarchicum negotium dividitur in sanctis, perfectis, et perfectioribus, secundum Dionysium; primo agitur de pertinentibus ad recipientem; secundo agitur de pertinentibus ad recipiendi idoneitatem, ibi : *Et si hæc omnia*; tertio, de pertinentibus ad religionis puritatem, ibi : *Dicant illis.* Circa receptores duo tangit, juxta duas Ecclesiæ claves, juxta quod in hierarchia est ordo et scientia, ex quibus sequitur actio. Tangit primo, circa receptores, clavem auctoritatis, et ordinem potestatis; secundo per-

(*a*) *Forte leg.* habeant. — (*b*) *Cæt. edit.* et jam. — (*c*) Vulg. *respiciens.*

tinentia ad clavem scientiæ et discretionis, ibi : *Minister vero diligenter.*

Dicit ergo : *Si qui voluerint hanc vitam accipere.* Loquitur conditionate, Dominum sequendo dicentem [1] : *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus,* etc. Religionis enim hujus propositum, ut nullum terrenum expectari possit emolumentum, nulli necessitate imponitur, nec carne et sanguine suggeritur; sed ab illo inspiratur, de quo dicit [2] : *Non potest homo accipere quidquam, nisi datum fuerit ei de cælo.*

Et venerint ad fratres nostros. Non hoc dicitur, quasi non liceat fratribus non venientes exhortationibus prævenire, cum et ipse Dominus, plures ad discipulatum recipiens, plures vocali vocatione prævenisse legatur, ut Andream, Petrum, et similes; quidam ipsum prævenerunt, se ejus consortio offerendo, quorum et unus repulsus est, sicut patet in *Matthæo* [3]. Venientium igitur ad fratres, quidam sunt a fratribus præventi, quidam vero ipsos sua devotione præveniunt. Et de omnibus hic dicitur : *Et venerint.*

Mittant eos ad suos ministros Provinciales, quibus, et non aliis, recipiendi fratres licentia concedatur. Ecce clavis auctoritatis ministris tantum reservatur. Ista autem commissio, seu ordinatio, habet præcipue duas rationes : prima, ut receptorum, aut recipiendorum, constantia probetur; secunda est, quia de ministri prudentia amplius præsumitur, quod arte sciat piscatoria bonos in vasa sua eligere, malis vero non idoneis foras missis. Nomen autem ministri sumitur ex *Matthæo,* ubi dicitur [4] : *Qui major est vestrum, erit minister vester.* Et quia plurimorum ad ordinem venientium est devotio manifesta, sufficiens est ad receptionem sæcularium discretio in conventibus fratrum, maxime in loco generalium studiorum. Idem Dominus Papa non relaxans hanc regulæ partem, sed ad mentem ejus dispensando aspiciens, ordinavit, quod in talibus locis, discretis fratribus receptionis auctoritas concedatur, sciens quod dicit lex, ff. *De Legibus,* quia « scire leges, non est verbum earum tenere, sed vim et potestatem, » Et dist. 61, cap. *Statuimus,* dicitur [5] : « Ecclesiasticæ prohibitiones proprias habent causas, quibus cessantibus, cessant et ipsæ. » Et 1, q. 1, dicitur [6] : « Quod pro necessitate temporis statutum est, cessante necessitate, cessare debet. » Sed pro clave discretionis dicit : *Minister vero diligenter eos examinabit de fide catholica, et de ecclesiasticis sacramentis.* Hoc pro illis dicitur partibus, ubi contingit aliquos hæreticos inveniri. Ad fidem catholicam pertinent omnia, quæ ipsi fidei obsequuntur. Unde, quia fratres ad fidei doctrinam ex intentione regulæ sunt vocati, ut sequentia manifestant, statutum est in ordine, ne aliquis recipiatur ad ordinem pro clerico, nisi fidei doctrinæ habeat conveniens fundamentum, vel saltem, pro fundamenti penuria, ædificationis multitudo recompenset, ut quod in talibus lingua non sufficit, vita clamet, et sic de minoribus examinatio in majoribus implicatur, sicut ipse Dominus, inhibendo idololatriam inhibet omnem superstitionem; inhibendo hæresim, inhibet omnis erroris perniciem; inhibendo homicidium, inhibet omnem personæ injustam læsionem; inhibendo mœchiam, inhibet fornicationem; præcipiendo honorem parentum, omnem hominem pro gradus sui merito, cum innotuerit, præcipit honorari, ut sic minora in majoribus commendentur. Sic etiam in præsenti, minorum examinatio in majoribus implicatur.

Et si hæc omnia credant, et velint ea fideliter confiteri. Hic agit de pertinentibus ad recipiendorum idoneitatem, quæ in duobus consistit : prima ad Deum, pro qua dicit : *Et si hæc omnia credant,* utique corde, *et*

[1] *Matth.,* XIX, 21. — [2] *Joan.,* III, 27. — [3] *Matth.,* VIII, 20. — [4] Ibid., XX, 26. — [5] Non quidem in ipso canone, sed inter annotationes canoni innexas, *Decret.,* part. I, dist. LXI, c. VIII. — [6] *Decret.,* part. II, caus. I, c. 41, *Quod pro necessitate.*

velint ea fideliter confiteri, quia ore fit confessio ad salutem, ut dicit Paulus [1]. Ex quo vere patet, quod recipiendi ad ordinem debent parati esse ad martyrium. *Et usque ad finem firmiter observare*, quia præmium datur soli perseveranti. Secunda est in ordine quoad mundum, pro qua subdit : *Et uxores non habent* (*a*), etc., *vel licentiam eis dederint*, scilicet maritis, *auctoritate diœcesani Episcopi, voto jam continentiæ emisso*. Hoc dicitur, quia votum quoad hoc non solemnizatur, nisi vovens, mundo moriens, in spiritualis patris penitus transeat potestatem, quod præcipue convenit sponso Ecclesiæ. *Et illius sint ætatis uxores, quod non possit de eis oriri suspicio.* Ætas ista non minus stabilitate virtutis, quam tractu temporis mensuranda videtur, quia dicit Sapiens [2] : *Senectus venerabilis est non diuturna, nec annorum numero computata. Cani enim sunt sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata.* In isto autem impedimento omnia alia intelliguntur, quæ possent ineptitudinem ad ingressum ordinis generare : sicut modus est istius regulæ dare ex similibus similia intelligere, et minora in majoribus implicare. Quæ autem hic dicuntur, colliguntur, *Extra, de conversione conjugatorum*, c. *Cum sis* [3], et aliis pluribus.

Dicant illis verbum sancti Evangelii. Hic agitur de tertio, scilicet de religionis puritate, quæ in tribus consistit : in venientium denudatione perfecta ; in frugalitate recipientium manifesta, ibi : *Et caveant fratres, ne solliciti ;* tertio in directione ad relevationem pauperum discreta, ibi : *Si tamen consilium requiratur.* Pro primo dicit : *Dicant illis verbum sancti Evangelii, quod vadant, et vendant omnia sua, et studeant ea pauperibus erogare.* Hoc enim sumitur de consilio Domini, ut habetur in *Matthæo* [4], et simile legitur in *Luca* [5], ubi dicitur : *Et ait alter : Sequar te, Domine ; sed permitte primum renuntiare his quæ domi sunt. Ait ad illum Jesus : Nemo mittens manum suam ad aratrum, et aspiciens* (*b*) *retro, aptus est regno Dei :* ut sint nudi corde, ut sunt qui divitiis habitis cor non apponunt, nec nudati tantum chlamyde cum Joseph Ægyptiam fugiente [6], quem imitantur, qui, relictis implicativis, sibi retinent operimentum sufficiens nuditati, et suo modo nudi nudam crucem sequuntur ; sed sint etiam adeo nudi, ut sint spoliati sindone super nudo, ut a propinquiori, cum adolescente diligente Dominum præ cæteris [7], cum abjecto pondere, in nuditatis termino statui viæ possibili, Christi vestigia imitentur. *Quod si facere non potuerint,* propter loci distantiam, vel propter litium implicationem : *Sufficit eis bona voluntas*, qua licite ceditur, et omnia contemnuntur, juxta illud Hieronymi : « Si habes res tuas, vende ; si non habes [8], projice. Nemo renuntiaturus sæculo, potest bene vendere, quæ contempsit, ut venderet. »

Sequitur de puritare a parte recipientium. *Caveant autem fratres.* Istud videtur dici prohibitorie, cum inhibeatur ut illicitum ; quod colligitur ex hoc quod sequitur : *Si tamen consilium requiratur.* Ex quo enim licentia in hoc tantum datur, in alio denegatur. *Et eorum ministri, ne solliciti sint de rebus suis temporalibus, ut libere faciant de rebus suis quidquid Dominus inspiraverit eis.* Hoc sumitur ex exemplo Domini dicentis [9] : *Vende omnia quæ habes, et da pauperibus,* etc. Secus erat in *Actibus Apostolorum*, ubi dicitur [9], quod propter multitudinem virorum ac mulierum simul existentium, inter quos nullus erat egens, Apostoli gerebant pecuniæ pretii rerum venditarum ad tempus sollicitudinem, quam cito dimiserunt, sicut impeditivam verbi Dei. Discretior et excellentior est regula ab ipso Do-

[1] *Rom.*, X, 10. — [2] *Sap.*, IV, 8-9. — [3] *Decret. Greg.*, lib. III, tit. XXXII, c. 4. — [4] *Matth.*, XIX, 21. — [5] *Luc.*, IX, 61-62. — [6] *Gen.*, XXXIX, 12. — [7] *Marc.*, XIV, 52. — [8] Aliquid simile habet Hieronymus, *ad Rustic.*, epist. IV, col. m. 49, in fine ; textum vero integrum non reperi. — [9] *Act.*, VI, 2.

(*a*) Forte leg. *habeant.* — (*b*) Vulg. *respiciens.*

mino constituta Apostolis, cum dixit [1] : *Nolite possidere aurum, vel argentum,* quam illa, quæ constituta est sub Apostolis primitivæ multitudini simul habitantium virorum, ac mulierum, ubi nullus eorum aliquid possidebat, neque suum aliquid esse dicebat, sed ipsum in communi cum aliis possidebat. Hanc regulam, sub Apostolis constitutam, instituit B. Augustinus [2] sibi et clericis suis, statuens, ne quid proprii possiderent. Sed quia vidit eam Augustinus a clericis non servari, mutavit decretum, eos habere proprium sustinendo, ut patet 12, q. 1, cap. *Certe ego.* Hanc eamdem multitudinis regulam imitatus S. Benedictus, mandavit bona ad ordinem venientium, nisi darentur pauperibus, adjungi rebus ecclesiæ monachorum, ut ipsi, viventes sine proprio personali, haberent possessiones monasteriis proprias, quibus ipse nullum præfixit limitem terrenæ affluentiæ acquirendæ, unde agrum agro non cessant usque hodie eorum plurimi copulare. Alia fuit antiquorum monachorum forma, juxta quod narrat Gregorius [3] tertio *Dialogorum* de S. Isaac monacho, cui cum plurimi possessiones offerrent ad monasterium constituendum, ille omnia oblata respuens, fortem tenebat sententiam, dicens : « Monachus, qui in terra possessionem quærit, monachus non est. » Et Hieronymus, *ad Paulinum* [4] : « Habet unumquodque propositum principes suos; habemus et nos principes propositi nostri, Paulum et Antonium. Item noster princeps Elias, noster Elisæus, nostri duces filii prophetarum, qui habitabant in agris, et faciebant tabernacula juxta fluenta Jordanis. » Item dicit in Epitaphio Nepotiani [5] : « Alii nummum addunt nummo, et marsupia fodientes matronarum opes venantur obsequiis. Ditiores sunt monachi quam sæculares; possident opes sub Christo paupere, quas sub locuplete diabolo non habuerunt; et sustinet eos etiam Ecclesia divites, quos tenuit mundus ante mendicos. » Hæc Hieronymus. Et tamen sancta est vivendi forma, si servetur, quam instituit S. Benedictus, quam quidam in nigris, quidam vero in albis a longe imitantur. Beatus igitur Franciscus, videns pericula et sacrilegia affluentiæ terrenæ, quam multi possident in communi, elegit regulam ipsis Apostolis ad prædicandum missis a Domino constitutam, injungens fratribus ne sollicitudinem habeant de rebus venientium ad ordinem, ne sic ordinis maculetur puritas, vel inquietudine aliqua gravetur. Sed ne res venientium inutiliter dispensetur, remedium conveniens adhibetur, cum dicitur : *Si tamen consilium requiratur.* Hæc licentia, sicut convenit ministris, ita competit aliis, quibus ex privilegio apostolico recipiendi fratres ad ordinem est concessa, quoniam, concesso principali, accessoria (*a*) etiam omnia conceduntur.

Postea concedant eis pannos probationis. Præmissa prima parte hujus rubricæ, in qua agitur de venientium receptione, hic subjungitur secunda pars de eorum probatione, quantum ad habitus præcipue qualitatem. Dicit ergo : *Postea concedant eis pannos probationis, videlicet duas tunicas sine caputio.* Sed cum dicatur in regula Apostolorum [6] : *Neque duas tunicas*, qualiter hic S. Franciscus concedit duas tunicas, qui superius dixit : *Regula, et vita Fratrum Minorum hæc est, scilicet Domini nostri Jesu Christi sanctum Evangelium observare?* Responsio : In Evangelio, nomine unius tunicæ, vestitus designantur necessarii. Unde non habere duas tunicas, non est ferre superflua vestimenta. Sed quia, pro Religionis honestate, necessarium est exteriorem tunicam in longitudine et latitudine ab alia, vel aliis, differre, necessarium vestimentum B. Franciscus in duas divisit tu-

[1] *Matth.*, x, 9. — [2] *Decret.*, part. II, caus. xii, q. 1. c. 18. — [3] Gregor., *Dialog.*, lib. III, c. xiv. — [4] Hieronym., *ad Paulin.*, epist. xiii, col. m. 121. — [5] Id., *ad Heliod.*, epist. iii, col. m. 29, paucis mutatis. — [6] *Matth.*, x, 10.

(*a*) *Cæt. edit.* accessorie.

nicas, in una intelligens exteriorem amictum, ut fratres cappa tegantur; in alia intelligitur omne corpori manifeste necessarium vestimentum. *Et cingulum,* funem utique, quia dicitur in Isaia [1] : *Erit pro zona funiculus, et cingulum sacci.* Hoc cingulum funiculus est, quia sacci funibus cingi solent. Credo autem S. Franciscum istud cingulum elegisse, quia legitur in Matthæo [2] : *Vinctum duxerunt* (*a*) *eum, et tradiderunt eum Pontio Pilato.* Vel certe ad litteram, ut cinguli vilitas concordet habitus vilitati, ut hoc cinctorio armati, et veritatis linea multis aspera, ab Ecclesia videantur disturbare simoniacos, et alios scelerosos. Facto enim flagello de funiculis, Dominus vendentes et ementes de templi sui finibus noscitur [3] ejecisse. *Et bracas,* quarum est necessitas manifesta in casibus innumeris, propter humanæ miseriæ tegumentum. Istarum bracarum non tangitur qualitas, ut liceat fratribus, si nolunt tangere lini delicias, bracis uti laneis, vel etiam cilicinis. *Et caparonem usque ad cingulum :* ut more antiquorum Religiosorum, distinguatur habitus novitiorum ab habitu professorum. Ab ista autem generali lege excipiens, addit : *Nisi eisdem ministris secundum Deum aliquando aliud videatur.* Ex hoc verbo S. Francisci procedit, ut istud novitiatus insigne paucissimis concedatur, quia, crescente vanitate hominum, non est mirum si humilitas minuatur.

Finito vero anno probationis. Hæc est tertia pars rubricæ, in qua agitur de professione : primo quantum ad sui obligationem votivam; secundo, quantum ad propositi stabilem perseverantiam, ibi *: Et nullo modo licebit,* etc. Dicit ergo sic : *Finito vero anno probationis.* Nec enim ante annum completum, licet possent se Deo immobiliter astringere, licet eos ad professionem admittere faciendam : in quo anno possunt experiri afflictiones frigoris et caloris. In cujus figura, sterilis ficulnea anno uno dimittitur [4] ne præscindatur, ut fructus ab ea agricolatus, adhibito fimo, expectetur. *Finito igitur anno probationis, recipiantur fratres ad obedientiam, promittentes vitam istam, et regulam, semper observare.* In qua promissione sic vovent totam regulam, ut supra tactum est, ut non omni ejus parti se obligatorie astringant. Vovent enim se totam regulam pro regula habituros, secundum mandantis intentionem, ut quædam ad observandum omnimode, quædam ad habendum pro salutaribus hortamentis. Ergo illa, quæ ad observantiam, inviolabiliter sunt vovenda ; ista ad cautelam ex voto perenniter sunt habenda. *Et nullo modo :* hic tangit secundum, scilicet voti stabilem perseverantiam, dicens : *Et nullo modo licebit eis de ista Religione exire,* supple, *post professionem.* Exitum autem de Religione aliqua dupliciter intelligere possumus : uno modo vel retrocedendo, et hoc revertendo ad sæculum, seu ad Religionem laxiorem, quorum utrumque est apostatare, et retro aspicere ; alio modo procedendo, ad altiorem gradum fugere, scilicet melioris vitæ, ascendendo, sicut faciunt qui a laxioribus statibus ad Religiones se transferunt arctiores. Primus modus exeundi est in omni Religione damnabilis; secundus laudabilis, ubi possibilis. Sed profectio (*b*) ad hanc religionem est impossibilis : quod nisi Papa supponeret, in regula præmittens : *Et nullo modo licebit,* non subjungeret : *Juxta mandatum Domini Papæ.* Quia secundum sanctum Evangelium : *Nemo mittens manum ad aratrum et respiciens retro, aptus est regno Dei.* Si igitur non licet exire, quia non licet retro aspicere, ergo omnis alia Religio huic est retro, et apostatæ sunt omnes ab hac Religione post professionem ad quamcumque aliam transeuntes. Quod si aliquos exire, vel pro peccatis suis a Religione ejici contingat, si totis viribus instantes fuerint pro Religione hac recuperanda, nec gratiam invenire valentes, ex tunc in

[1] *Isa.*, III, 24. — [2] *Matth.*, XXVII, 2. — [3] *Joan*, II, 15. — [4] *Luc.*, XIII, 8.

(*a*) Vulg. *adduxerunt.* — (*b*) *Cæt. edit.* professio.

aliqua alia Religione rigida se salvare poterunt, si tamen, quantum in se est, maneant in desiderio ad statum suum pristinum revertendi. Quod si de licentia apostolica se glorientur aliqui aliter facientes, pro certissimo sciant contra hanc Domini sententiam Papam nihil facere [1] : *Nemo mittens manum ad aratrum*, etc. Quod si, mendaciis intervenientibus, aliquid contingat per tales a Sede Apostolica impetrari, non est eis excusatio, sed accusationis duplicatio, dum mendacio tantum Patrem circumvenientes, suæ quærunt apostasiæ pallium, qui in votis non dispensat, nisi ubi suggerit pietas, et rationabilis æquitas recompensat. Et quia obligati ad eumdem ordinem voto, vel juramento, tenentur Domino integre solvere quod voverunt : qua ratione non licet fratribus de hac Religione exire, quia hoc est retro aspicere; non licet obligatis ad istam Religionem, quamcumque aliam intrare, profiteri, vel ingredi ad manendum : imo peccant mortaliter tales in Religionibus aliis remanentes; peccant etiam eos recipientes, et consentientes, sicut apostasiæ facinus promoventes. Sed quid dicendum est de illis, qui ad episcopale officium ex his fratribus assumuntur? Respondeo : Si, coacti ab Ecclesia, hujusmodi inevitabili necessitate suscipiant regimen animarum, non sunt reputandi ab ordine egressi, si, quantum in ipsis est, semper appetant in sinu ordinis confoveri. Quod si non vocati ad episcopalem gradum, nec coacti, ad eumdem aspirant, ut fugiant ærumnas pauperum et ordinis rigorem, credo eos in illius partem cessuros, qui dixit [2] : *Sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis*. Sed numquid obligati ad hanc Religionem, excusabuntur, si assumantur ad curam pastoralem, vel aliam ecclesiasticam dignitatem? Certum est quod non, ut patet, *Extra, de Voto*. c. *Per tuas* [3], ubi Papa cuidam ad Religionem obligato, et ante impletionem voti ad regimen animarum assumpto, respondit in hæc verba : « Si tuam desideras sanare conscientiam, regimen resignes memoratæ ecclesiæ, ac reddas Domino votum quod vovisti. »

Et illi qui jam, etc. Hic tangitur quarta pars hujus rubricæ, in qua agitur de victus et vestitus districtione, primo quantum ad vestitum; secundo, quantum ad victum, ibi : *Quos moneo*. In prima parte tangit vestitus qualitatem, et quantitatem; secundo vilitatem, ibi : *Et fratres*. Et interponit pedum nuditatem, ut patet. Dicit ergo sic : *Et illi, qui jam promiserunt obedientiam*, professi scilicet, *habeant unam tunicam cum caputio*. In qua habitus intelligitur. *Et aliam sine caputio, qui voluerint habere*. In alia tunica sine caputio, intelligitur, secundum statuta ordinis, unica simplex vel repetiata, nec debent plures haberi inferius, a professis præcipue, nisi de Superiorum arbitrio, quibus regula committit talium sollicitudinem, secundum loca et tempora, etc. Dicit autem signanter : *Qui voluerint habere*, quia varia sunt corporum robora, et multum differentes diversarum intemperies regionum. Sed pro calceamentis addit : *Et qui necessitate coguntur, possunt portare calceamenta*. Ubi advertendum, quod cum regula solum pro necessitate cogente concedit calceamenta portare; ubi ergo non cogit necessitas, sicut in corpore robusti, ubi autem (*a*) necessitas non cogit, sicut et in negotiis gerendis, quæ etsi per solos debiles expediri valent, potest tamen sine periculo differri ipsarum expeditio, non licet. Calceamentorum ergo deportationem ipsa regula indirecte intercidit. Et quia verbum illud sumitur de Evangelio, ubi dicitur in regula Apostolorum [4] : *Neque calceamenta*, patet hic usum sandaliorum minime prohiberi, quoniam, sicut dicitur in Matthæo [4] : *Neque calceamenta*, evangelico more hanc complet sententiam [5] : *Præcepit eis, ne quid tollerent, sed calceatos sandaliis*, etc. Propter quod antiquæ sculpturæ,

[1] *Luc.*, IX, 62. — [2] *Isa.*, XIV, 13. — [3] *Decret. Greg.*, lib. III, tit. XXXIV, c. 10. — [4] *Matth.*, X, 10. — [5] *Marc.*, VIII, 9.

(*a*) *Leg.* etiam.

pariter et picturæ, monstrant Apostolos calceatos sandaliis incessisse. Unde, super illud *Actorum*[1]*: Calcea te caligas tuas,* dicit Beda[2]: « Pro caligis et caligulis, ut quidam habent, Græcus habet sandalia. Hoc enim genus calceamenti, legitur in Evangelio, Apostolis fuisse permissum. » Hæc Beda : quæ expositio extranea videretur, nisi diceret Papias, quod caligæ sunt sandalia. Quæ autem ibidem dicuntur, scilicet in *Actibus,* Glossa interlinearis exponit dicens, quod per hoc quod, Angelo jubente Petro, et ipso complente, datur exemplum non ambulandi sine calceamentis, et non potest ad litteram ad aliud genus calceamentorum retorqueri, quam ad illud, de quo loquitur textus ipse, scilicet sandalia. Verbum etiam ipsius Glossæ nullius est auctoritatis quoad hoc quod dicit, Angelo jubente, etsi ad personam Petri littera referatur, tamen jussio pro aliis mystice intelligitur referri, scilicet ad virtutes, pedes spirituales munientes, quæ in sandaliis designantur, sicut *ad Ephesios* dicitur[3]: *Calceati pedes in præparationem Evangelii:* ibi vide Glossam. Quod autem Christus alia calceamenta Apostolis inhibuerit, patet, quia super illud Matthæi[4]: *Neque calceamenta*, dicit Hieronymus[5]: « Et Plato duas corporis summitates dicit non esse velandas, nec assuetam fieri debere mollitiem capitis et pedum. Cum enim hæc firmitatem habuerint, cætera robustiora sunt. » Item Hieronymus ait[6]: « Discipuli, et sine calceamentorum honore, et vinculis pellium, ad prædicationem Evangelii destinantur. Milites, vestimentis Christi sorte divisis, caligas non habebat quas tollerent. Nec poterat enim habere Dominus, quod prohibuerat in servis. » Ecce quod Christus docuit incedere sine calceamentis, hoc ipse etiam observavit. Hic tamen Hieronymus aliter utitur nomine caligarum, quam (*a*) supra habitum est ex Beda et Papia. Item Eusebius, sexto *Ecclesiasticæ Historiæ,* dicit: « Desiderabam videre sanctum illum et psallentem chorum, qui ad exemplum melioris vitæ cæteris omnibus vivunt, legis Dei atque Evangelii taciti prædicatores, in quibus ipse habitus præfert virtutis insignia, hirsutum caput, pedes nudi Apostolis similes. » Idem patet de Hieronymo, et sui temporis monachis. Dicit enim in *Vitis Patrum*, cap. *de S. Joanne:* « Ita omnia illa exasperante loco, ut non solum nudos pedes, ut eramus nos, sed et calceamentis munitos terebret et secet. » Hæc Hieronymus. Item obsecro, si Christus nudis pedibus minime incessisset, qualiter rationabiliter de Pharisæo conquestus fuisset, dicens[7]: *Aquam pedibus meis non dedisti*, etc.? Sed quidam hic sensui suo innitentes, et ipsum Christi sensui præferentes, dicunt melius esse pro doctrina veritatis calceatum esse, quam discalceatum, ne impediatur verbum Dei. Sed attendant illi, quod nulla forma aptior est Evangelii propagandi, quam illa in qua toti orbi fuit Evangelium prædicatum. Hoc autem factum est nudis pedibus. Unde Hieronymus[8] : « Discipuli toto orbe peregrini, non æs in zona, non caligas habuere in pedibus. » Fateor pœnam esse asperam pedum nuditatem. In hyeme quidem apparet, propter frigiditatem; in æstate autem gravior est, propter duritiem majorem, quia calor plus opprimit terræ glebas, quam frigus, et sole ascendente, cum gelu resolvitur in hyeme, exsiccatur amplius in æstate. Calor etiam findit et frangit graviter pedes nudos. Et tamen ipsi fratres, cum Apostolo[9], *in frigidate et nuditate,* ibant gaudentes, nec algoribus hyemis, nec ardoribus æstatis, hactenus dimiserunt, quin nudis pedibus adierint remotissimas partes mundi. Amplius, posito quod Christus, vel in pueritia, vel ante trigesimum tertium annum, calceamenta habuerit, non tamen ea habuit, postquam eorum usum discipulis

[1] *Act.*, XII, 8. — [2] Bed., *Retract. in Act. Apost.*, c. XII. — [3] *Ephes.*, VI, 16. — [4] *Matth.*, X, 10. — [5] Hieron., *in Matth.*, X. — [6] Id. — [7] *Luc.*, VII, 44. — [8] Hieron., *ad Ageruch.*, epist. XI, col. m. 109. — [9] II *Cor.*, XI, 27.

(*a*) *Cæt. edit.* qua.

inhibuit, qui [1] *cœpit facere, et docere.* Sed pro vestimentorum qualitate subdit : *Et fratres omnes vestimentis vilibus induantur.* Hoc quidem convenit altissimæ paupertati : quæcumque enim sunt in usu verorum pauperum, sunt juxta paupertatis regulam mensuranda. Hæc vilitas in tribus attendenda est, scilicet in pretio, in colore, et superadditis alterius panni assumendis (*a*). In pretio, inquam, quia paupertas vera nihil pretiosum habet. Color etiam naturalis, non artificialis, in veste haberi debet; aliter frustra monerentur fratres in sequentibus, minime judicare utentes vestimentis coloratis. Tertium additur, ut sæculi stultitia in fratrum habitu ostendatur; unde subdit : *Et possunt ea repetiare de saccis*, etc. Saccus duplex est, scilicet lineus, et laneus. Et secundum istud, saccus dicitur omnis vestis vilis. Et est saccus cilicinus, quo usi sunt prophetæ; unde in Isaia [2] : *Solve saccum de lumbis tuis.* Hieronymus in Glossa [3] : « Mira obedientia! solo cilicino induebatur, ut tradunt Hæbræi, » etc. Per *alias petias* (*b*), aliorum pannorum diversitas intelligitur in substantia et colore. Additur autem huic vestimento benedictio Dei, quoniam qui se stultum et despicabilem exhibet huic mundo, ipsi Deo efficitur pretiosus. Hæc est [4] *benedictio ejus, qui apparuit in rubo.* Ipse enim Christus usus est vilissimis vestibus; unde Chrysostomus, *super Joannem* homilia XIII [5] : « Antequam apparuisset JESUS, prædicabat eum Joannes Baptista, ut facile susceptibile esset testimonium, ipso apparente, in vili vestimento innotescente. Itaque enim vili veste annuntiabatur forma communi omnibus Christus, ut Samaritanæ mulieres, et meretrices, et publicani cum magno ausu auderent ei appropinquare, et loqui. » Hæc Chrysostomus. Et nota, quod fratribus nulla pellicea vestimenta conceduntur.

Quos moneo, etc. Hic agitur de districtione (*c*) quantum ad victum. Excludit quidem principaliter judicium temerarium, et aliorum contemptum, ac præsumptionem propriorum factorum; secundo addit insinuantem exhortationem de ciborum vilitate, dicens : *Quos moneo et exhortor ne despiciant in affectu, neque judicent contemnendo, vel vilipendendo in cogitatu, homines quos viderint vestimentis et coloratis indutos.* Hieronymus ad Rusticum [6] : « Vilis tunica contemptum sæculi probat, ita duntaxat, ne animus tumeat, ne habitus sermoque dissentiant. » Unde licet faciliter vitari non possit judicium suspicionis, vel hæsitationis, cavendum est tamen penitus a judicio diffinitionis, qua absolute talibus utentes contemnuntur. *Uti cibo et potu delicato.* Non est ergo fratrum uti cibis potibus delicatis, sicut nec vestibus uti coloratis. Hoc enim ad jus pertinet altissimæ paupertatis, quæ quanto est altior, tanto arctior debet esse victus. Unde in comitiva Christi inventi sunt panes hordeacei [7], et hoc in deserto. In civitate autem usus est pane triticeo, in quo et instituit Sacramentum. Similiter et in deserto jejunabat [8] quadraginta dierum spatio; inter homines autem existens, adeo se hominibus, et cibis et potibus, conformabat, ut vorator et potator vini ab omnibus diceretur. Quid in hoc aliud tacite prædicat, nisi damnationem hypocrisis, coram hominibus scilicet austere, et in abscondito vivere delicate? Unde in *Matthæo* legitur [9], quod JESU abeunte per sata, discipuli cœperunt vellere spicas; ubi Glossa dicit, quod in hoc docuerunt austeram vitam, et non accuratos, sed simplices cibos quærere. Unde certum est, quod paupertatem et pœnitentiam profitentibus carnes in suis domibus sunt vitandæ extra casum necessitatis duplicis, scilicet vel infirmitatis, vel debilitatis manifestæ. Juxta quod B. Benedictus inhibet mo-

[1] *Act.*, 1, 1. — [2] *Isa.*, XX, 2. — [3] Gloss., ex Hieron. [4] *Deut.*, XXXIII, 16. — [5] Chrysost., *in Joan.*, hom. XIII, al. XII, n. 2. — [6] Hieron., *ad Rustic.*, epist. IV, col. m. 42. — [7] *Joan.*, VI, 9. — [8] *Matth.*, IV, 2. — [9] Ibid., XII, 1.

(*a*) *Cæt. edit.* assumentis. — (*b*) Item *species.* — (*c*) *Item* strictione.

nachis carnes quadrupedum, præter illos qui sunt omnino debiles aut ægroti. Idcirco, temporibus pœnitentiæ, Ecclesia a carnibus solet abstinere. Qui ergo sunt pœnitentiæ perpetuæ professores, ab eis tritis et integris (*a*) omni tempore debent abstinere, quantum patitur fragilitas humana. Nec hoc sufficit, nisi et a sumptuosis piscibus, et maxime belluis, studeant abstinere. Unde Gregorius [1] : « Qui a carnibus abstinent, nequaquam sumptuosiora marinarum belluarum convivia præparent. » Ridiculosa igitur videtur abstinentia, maxime pauperibus, carnes non tangere, et pisces quærere cariores. Et Hieronymus ait [2] : « Sit tibi vilis et vespertinus cibus, olera et legumina, interdum et pisciculos paucos pro summis deliciis ducas. »

Sequitur : *Sed magis unusquisque judicet, et despiciat semetipsum.* Hoc enim veræ humilitatis convenit professoribus se ipsos despicere, et despicabiles reputare. Sequitur :

CAPUT III.

De divino officio, et jejunio, et quomodo fratres debeant ire per mundum.

Clerici faciant divinum officium secundum ordinem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, excepto Psalterio, ex quo habere poterunt breviaria. Laici vero dicant viginti quatuor *Pater noster* pro Matutino, pro Laudibus quinque, pro Prima, Tertia, Sexta, et Nona, pro qualibet istarum horarum septem, pro Vesperis autem duodecim, pro Completorio septem. Et orent pro defunctis, et jejunent a festo Omnium Sanctorum usque ad Nativitatem Domini. Sanctam vero Quadragesimam, quæ incipit ab Epiphania usque ad continuos quadraginta dies, quam Dominus suo sancto jejunio consecravit, qui voluntarie eam jejunant, benedicti sint a Domino, et qui nolunt, non sint astricti, sed aliam usque ad Resurrectionem Domini jejunent. Aliis autem temporibus non teneantur nisi sexta feria jejunare. Tempore vero manifestæ necessitatis, non teneantur fratres jejunio corporali. Consulo vero, moneo et exhortor fratres meos in Domino Jesu Christo, ut, quando vadunt per mundum, non litigent, neque contendant verbis, nec alios judicent; sed sint mites, pacifici, modesti, mansueti et humiles, honeste loquentes omnibus, sicut decet. Et non debeant equitare, nisi manifesta necessitate vel infirmitate cogantur. In quamcumque domum intraverint, primum dicant : *Pax huic domui* [3]. Et secundum sanctum Evangelium [4], de omnibus cibis, qui apponuntur, eis liceat manducare.

[1] Greg. citatus a Gratiano, *Decret.*, part. I, dist. IV, c. 6. — [2] Hieron., *ad Paulin.*, epist. XIII, col. III. 122. — [3] *Luc.*, X, 5. — [4] Ibid., 8.

EXPOSITIO.

Clerici faciant divinum officium, etc. Hæc tertia rubrica fratres instruit disciplina. Et hæc pars habet tria, quia primo agit de disciplina ordinante ad Deum laudandum et honorandum; secundo agit de disciplina jejunii, quæ ordinat hominem ad se ipsum, ibi : *Et jejunent;* tertio agit de ordinantibus ad ædificationem proximorum, et hoc quantum ad ambulantes per mundum, ibi : *Consulo.* In prima ergo parte, primo informat clericos; deinde informat laicos.

Dicit ergo : *Clerici faciant divinum officium, secundum ordinem sanctæ Romanæ Ecclesiæ.* Quod officium fuit in majori parte a sancto Gregorio et aliis sanctis institutum, excepto Psalterio, quia Ecclesia Romana utitur alia translatione Psalterii, quam communiter habeatur, vel verius, aliter emendato. Ex quo scilicet officio, habere poterunt breviaria. Sed quare sanctus Franciscus, ex quo fratres suos volebat in prædicatione, et studio per consequens exerceri, tam oneroso, tam prolixo officio oneravit? Responsio : Sanctus Franciscus optabat Romanæ Ecclesiæ vestigiis religionem suam idcirco pro viribus copulare, quia sciens eam im-

(*a*) *Forte leg.* valetudine integra.

mediate subesse cœlesti curiæ, et ab ipso fuisse Domino institutam, et a sanctis Patribus gubernatam, qui habentes sapientiam et judicia mittere toti mundo, secundum illud tamen officium prolixum laudaverunt Altissimum, sicut et laudat usque hodie Romana Ecclesia, regimini nihilominus intenta Ecclesiæ universalis, quibus etiam fuit maximæ sollicitudinis inter omnes necessitates, sciebant tamen clarissimum esse laudum meritum divinarum, et per consequens, brevitatem laudum, brevitatem arguere meritorum. Cum ergo nulli incumbit tanta sollicitudo vacandi sapientiæ, pro regimine, vel illustratione universalis Ecclesiæ, sicut Ecclesiæ Romanæ; nulli pro Ecclesiæ ministerio, aut studio, congruit illud officium abbreviare. Suspecta est ergo cujuslibet nutricis pietas, quæ affectum putat transcendere tantæ matris. Præterea multum ad illuminationem proficit piarum mentium, laudum frequentatio, juxta illud Psalmistæ [1] : *Sacrificium laudis honorificabit me.* Gregorius, *super Ezechielem* [2] *:* « Vox psalmodiæ cum per intentionem cordis agitur, per hanc omnipotenti Deo ad cor iter paratur, ut devotæ menti vel prophetiæ mysterium, aut compunctionis gratia infundatur. »

Pro informatione laicorum subdit : *Laici vero dicant viginti quatuor Pater noster.* Doceantur autem laici, quod tria hæc vocabula *Pater noster, qui es in cœlis*, pertinent ad animi præparationem, quia cum vult se nominari Deus *Patrem,* dat fiduciam impetrandi, quia pater libenter filiis thesaurizat ; cum vero dicitur *noster,* docet dilatationem affectus, ut nullus orationem suam ad se solum contrahat ; cum dicitur, *qui es in cœlis,* excitat puritatem intentionis, ut orans sola cœlestia orando requirat. Cum autem subdit : *Sanctificetur,* oratio subjungitur, quæ in septem petitionibus continetur, quarum primæ tres directe pertinent ad Dei honorem, quatuor sequentes ad petentium utilitatem. Cum enim dicitur : *Sanctificetur nomen tuum,* petitur ut fidei veritas certissima, qua Deus est pater fidelium, et fideles filii Dei appellantur, ab infidelibus cognoscatur. Cum autem dicitur : *Adveniat regnum tuum,* petitur, ut ejus legibus a credentibus obediatur. *Fiat voluntas tua;* petitur, ut ejus bonitas diligatur, et propter se colatur ab infirmis, sicut a fortibus. In quatuor autem petitionibus sequentibus, primo petitur collatio omnis boni corpori et animæ necessarii, cum dicitur : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Et petendo tantum pro hodie, excludit proterviam avaritiæ, incertitudinem vitæ insinuando. Secundo subditur petitio amotionis omnis mali : primo quantum ad præterita, cum dicit : *Et dimitte nobis debita nostra,* ubi implicatur debitum innocentiæ, ut sciat se ad malum suum petere, qui in corde suo retinet adhuc rancorem iræ. Secundo, quantum ad futura, ut detur gratia omnia devitandi pericula peccatorum, vel tentationum, cum dicit : *Et ne nos inducas in tentationem,* id est, ne induci permittas. Tertio, quantum ad presentis exilii universa mala præsentia, ut habentes vitam in patientia, mortem optemus vitam istam, cum Domino placuerit, terminantem. Et hæc omnia confirmantur, cum dicit : *Amen.* Ubi notandum quod hæc oratio inter omnes est præcipue veneranda, cum ab ipso Domino, nullo medio, fuerit instituta. Dicit autem beatus Franciscus signanter vigintiquatuor *Pater noster* pro Matutino, quia officium nocturnale excubias repræsentat civium supernorum, et illo tempore Deo est sacrificium laudis, et Angelis acceptissimum. Numerus autem *Vigesimus quartus* est numerus Patrum utriusque Testamenti. Duodecim enim fuerunt patriarchæ, per quos multiplicatus est populus credentium carnaliter; duodecim etiam Apostoli, per quos in novo Testamento multiplicatus est populus credentium spiritualiter. Petunt ergo fratres in mysterio hujus numeri, optantes in utriusque Testamenti patrum me-

[1] *Psal.* XLIX, 23. — [2] Gregor., *in Ezech.*, hom. I, n. 15.

ritis exaudiri, quos non est dubium ad angelicum consortium pervenisse. Vel quia vigintiquatuor sunt horæ naturalis diei, oratio istius numeri petit remedium temporis universi. Item Matutinæ laudes, quæ a clericis decantantur, novenario psalmorum, lectionum ac cantuum distinguuntur, ut angelicos novem ordines repræsentent. Numerus autem vigesimusquartus generatur ex ductu ternarii in octonarium : in ternario autem, numerus credendorum; in octonario justitia intelligitur agendorum, cum secundum Augustinum [1] est numerus justitiæ, unicuique sua tribuentis. Laici ergo, qui ad laudes angelicas, vel intelligendo mysteria, non assurgunt, simplicitatem suam in fide et justitia in hoc numero perficiunt, cum octonarius ad justitiam, ternarius ad fidem pertinet Trinitatis.

Sequitur : *Pro Laudibus quinque.* Sicut Matutinum officium laudes signat civium supernorum, sic officium Laudum significat cultum Ecclesiæ a mane Ecclesiæ primitivæ, usque ad lucem claram, quam in fine sæculi expectamus. Incipiunt enim [2] a regno Christi decore induti in populo Judæorum; per jubilum omnis terræ [3], transeuntes in populo gentium, lucem pacis datam fatentur Ecclesiæ; et duos primos psalmos tertio copulando [4], duplicis populi concordiam repræsentant. Transeuntes autem per canticum puerorum [5] in camino, laudes Ecclesiæ repræsentant sub Antichristo. Et cum in tribus psalmis [6] laudes jungunt ultimo, tempus post Antichristum significant, quando Christianis, qui usque tunc fuerunt, Judæi et pagani in una fide sociati Dominum collaudabunt. Per (*a*) has quinque petitiones (*b*) laudum canonicarum ecclesiasticarum, puto S. Franciscum hunc quinarium laicis assignasse, nisi in hoc forte numero differentia assignetur laudum cœlestium, et terrestrium. Juxta hoc differunt hierarchiæ, quia cœlestis laudat Deum intellectualiter, subcœlestis per sensibilia symbola : quæ omnia per quinque sensus cognoscuntur, dum auditus laudat in canticis, visus in ornamentis, tactus in obsequiis, gustus in sacrificio altaris, olfactus in fragrantia thuris, et si qua similia ad fragrandum adhibentur.

Sequitur : *Pro Prima,* in qua Dominus ad pontifices ductus est. *Tertia,* in qua accusatus, et judicatus est, in qua etiam descendit Spiritus sanctus. *Sexta,* in qua crucifixus est. *Et Nona,* in qua mortuus est. *Pro qualibet istarum horarum septem,* ut septiformis gratia impetretur, vel secundum septem dona Spiritus sancti, vel secundum septem Ecclesiæ sacramenta, quibus Deus indidit suæ efficaciam passionis. *Pro Vesperis autem duodecim :* hoc ideo forte, quia Vesperæ pro horis habent duodecim celebrari, ut pro omnium horarum diei præteritæ offensis, oratione duodenaria Christi misericordia imploretur; vel quia laudibus vespertinis repræsentatur mundi vespera, in qua ipse Deus incarnatus est, factus dies, et sibi duodecim horas in duodecim Apostolis copulavit. Unde legitur in Joanne [7] : *Nonne duodecim horæ sunt diei?*

Sequitur : *Pro Completorio septem,* in quo omnium consummatio insinuatur, ut sicut Spiritus septiformis incipit et dirigit, ita per ipsum etiam diei meritum consummetur. Hæc autem in universo sunt septuaginta sex *Pater noster,* quibus si oratio pro defunctis adjiciatur, numerus producitur octuagesimus primus, ut omnium peccatorum remissio impetretur. *Et jejunent.* Hic agitur de ordinantibus hominem ad seipsum, scilicet de jejunio. Et loquitur de triplici quadragesima, duas præceptorie imponens, tertiam ad devotionis excitationem suadens. Tres siquidem leguntur quadraginta diebus continue jejunasse, nempe Moses [8], Elias [9], et ipsemet Dominus [10]. Duplex autem est jeju-

[1] Aug., Enarr. *in Psal.* VI, n. 2. — [2] Ps. *Dominus regnavit.* — [3] Ps. *Jubilate Deo.* — [4] Sub una antiphona, scilicet in off. Dom. et tem. pasch. — [5] Cant. *Benedicite.* — [6] Ps. *Laudate Dominum de cœlis, Cantate Domino canticum, Laudate Dominum in Sanctis ejus.* — [7] *Joan.*, XI, 9. — [8] *Exod.*, XXXIV, 28. — [9] III *Reg.*, XIX, 8. — [10] *Matth.*, IV, 2. — (*a*) *Leg.* Propter. — (*b*) *Leg.* partitiones.

nium, scilicet mœroris, et gaudii. Jejunium mœroris est, quo carni placentia cibaria, studio pœnitentiæ, carni abscinduntur. Jejunium vero gaudii est, cum ipsum cor tantis est inunctum spiritualibus deliciis, ut pœna sit vacare mensis; et est per consequens delectabile jejunare, cum jejunatur, non ut corpus affligatur, sed ne devotio interrumpatur, qua spiritus recreatur. Jejunium Moysi significat mœrorem pro deletione culpæ. Jejunium Eliæ significat mœrorem (*a*) pro amotione omnis miseriæ. Primum signat jejunium quadragesimæ hiemis; secundum signat quadragesima veris. Vel melius, prima quadragesima refertur ad peccata præterita expianda; secunda, ad futura imminentia præcavenda. Jejunium autem Christi significat jejunium gaudii, quo non tantum a cibis carnalibus, sed ab omni terrena delectatione delectabiliter abstinetur. Idcirco beatus Franciscus duas quadragesimas præcipiendo imposuit; tertiam vero cum benedictione Dei suasit, sciens eam devotione sola, non aliqua coactione adimpleri debere.

Dicit ergo : *Et jejunent a festo omnium Sanctorum, usque ad Nativitatem Domini. Sanctam vero Quadragesimam*, etc. *Sed aliam usque*, etc. Nota quod hic secundo fit mentio de benedictione, hic in victu, superius in vestitu. *Aliis autem temporibus non teneantur nisi sexta feria jejunare*, quia illa die voluit Dominus crucifigi. *Tempore vero manifestæ necessitatis*, scilicet propter infirmitatem gravem, vel propter virtutem in labore inevitabili adeo deficientem, quando scilicet labor incumbens de necessitate aliter perfici non potest, *non teneantur fratres jejunio corporali*. Ad gaudii igitur jejunium volens omni tempore fratres suspirare, juxta evangelicam regulam minus de jejunio mœroris imponens, ad gaudii jejunia informat in sequentibus, ut patebit. *Consulo vero :* hic agitur de ordinantibus ad ædificationem proximorum; *per mundum*, scilicet a foris, tam ambulando, quam in alienis domibus quiescendo. Circa primum, informat itinerationem ad vitandum malum; secundo excludit equitationem, ibi : *Et non debeant*. In prima parte informat itinerationem ad vitandum malum; tertio, ad tenendum bonum, ibi : *Sed sint mites*. Pro primo dicit : *Consulo vero*, ad instructionem rationalis; *moneo*, ad allectionem concupiscibilis. Unde Sapiens [1] : *Qui suavis est, vivit in moderationibus* (*b*), *in suis monitionibus* (*c*) *relinquit contumeliam. Et exhortor*, ad excitationem irascibilis. Ita fecit Judas Machabæus, qui [2] *singulos armavit non clypei, aut hastæ munitione, sed sermonibus optimis et hortamentis. Ut quando vadunt per mundum*, exemplo Christi, et discipulorum suorum, *non litigent*, alicui inferendo contumeliam. *Neque contendant*, verbis pertinaciter affirmando sententiam suam, vel judicialiter litigando. *Nec alios judicent*, dubia scilicet in pejorem partem interpretando, ut sic servetur innocentia exterior, et interior. Sed pro bono tenendo, subdit : *Sed sint mites*, in cedendo improbitatibus; *pacifici*, minoritatis suæ ordinem servando; et *modesti*, per disciplinam sensuum, et verborum, et operum; *mansueti* moribus, non impetuosi; *et humiles*, nullum honorem appetendo, et omnem gloriam humanam fugiendo. Nec hoc sufficit, nisi diffinitionem humilitatis in se studeant adimplere, quæ talis est : Humilitas est virtus, qua homo vera cognitione sui sibi ipsi vilescens, appetit tractari ut hujusmodi, et non sublimis gubernari. Et pro speciali disciplina addit : *Honeste omnibus loquentes, sicut decet*, omnem scilicet hominem pro sui status gradu reverendo. Hæc est informatio itinerationis.

Sed pro seclusione equitationis, subdit : *Et non debeant equitare*. Et per consequens, nec bigare, aut quadrigare, quæ majoris sunt sumptus; *nisi manifesta necessitate*, prolixi vel impediti itineris, vel negotii ur-

[1] *Prov.*, XII, 11. — [2] II *Mach.*, XV, 11.

(*a*) *Leg.* gaudium. — (*b*) Vulg. *in vini demorationibus.* — (*c*) Item *munitionibus.*

gentis, *vel infirmitate cogantur*. Dicit autem : *non debeant*, pro eo quod est, debeant non equitare. Et *in quamcumque domum intraverint*, ad procurandum animarum scilicet salutem, ut dicitur in Matthæo [1] : *Primum quærite regnum Dei*, etc. (*a*) *Primum dicant : Pax huic domui*, secundum doctrinam Christi. Optando autem pacem, optamus omnem liberationem a malo, et promotionem in bono. Et est pax tranquillitas cordis. *Et secundum sanctum Evangelium de omnibus cibis*, etc. Dicit notanter : *Liceat*, non necessitatem imponendo, sed secundum indulgentiam permittendo, ut sciat se contra regulam nihil facere, si quis voluerit sublimius ambulare. Ad hoc notandum dicit : *Liceat de omnibus*, nom simpliciter, sed *secundum sanctum Evangelium*. Istud autem non conceditur, nisi in prædicationis euntibus ministerio. Qui ergo pro animarum salute non circumeunt, in hac licentia jus non habent. Ipse dicendo : *secundum sanctum Evangelium*, licentiam temperat, ut scilicet secundum regulam evangelicæ honestatis fiat. Unde cum verbum prædictum trahatur de Lucæ Evangelio, ubi dicitur [2] : *Manducate quæ apponuntur vobis* ; notandum quod ibi immediate subjungitur : *Et curate infirmos, qui in illa sunt* ; certum est illud intelligi spiritualiter, secundum principalem intellectum vocabuli. Non est autem modus curandi animas, delicatioribus uti cibariis, quam illi utantur, in quorum mensis fratres ipsi vescuntur. Hoc enim est non curare infirmos, sed a fortitudine ad infirmitatem vocare. Quando ergo principales personæ domus et familiæ abstinent a carnibus, non licet, secundum S. Evangelium, fratres in esu carnium laxius ambulare. Item ubi est ferculorum superfluitas, non est evangelicæ sanctitatis superfluitatem usu suo, vel abusu verius, approbare ; sed magis, necessitate accepta, dissimulare prudenter quod nequit sine scandalo reprehendi. Item, si aliqui religiosi receptores fratrum contra regulam suam carnes comederent, non est evangelicæ sanctitatis participare cum prævaricatore in crimine, vel carnalitati irregulariter suo consortio conformari.

[1] *Matth.*, VI, 33. Videtur error fuisse editorum, qui caput sextum Matthæi pro decimo, 11-12, citaverint. — [2] *Luc.*, X, 8.

CAPUT IV.

Quod fratres non recipiant pecuniam.

Præcipio firmiter fratribus universis, ut nullo modo denarios, vel pecúniam recipiant per se, vel per interpositam personam ; tamen pro necessitatibus infirmorum, et aliis fratribus induendis, per amicos spirituales Ministri tantum, et Custodes sollicitam curam gerant, secundum loca, et tempora, et frigidas regiones, sicut necessitati viderint expedire, eo semper salvo ut (sicut dictum est) denarios, vel pecuniam non recipiant.

EXPOSITIO.

Præcipio firmiter. Descriptis tribus portis dominicæ civitatis, per quas illucescit claritas orientalis, sequitur secunda, in qua describuntur tres portæ munitæ contra insidias aquilonis, quarum prima excludit periculum Judæ pro pecunia Dominum tradentis ; secunda tollit periculum fictæ religionis in otio viventis ; tertia aufert periculum multitudinis cleri, in fine (*b*) pro appropriatis (*c*) communibus contendentis. Prima aufert homini Deum ; secunda aufert homini seipsum, quia otiosus in nullo est sibi fructuosus ; tertia aufert homini proximum. Prima pars habet duas, quia primo excludit pecuniæ omnimodam receptionem ; secundo providens subditorum quieti, imponit prælatis circa procurationem necessariorum sollicitudinem, ibi : *Tamen pro necessitatibus infirmorum*.

Dicit ergo pro primo : *Præcipio firmiter fratribus universis*. Circa quod sciendum, quod pecunia terrenum nomen est, redolens

(*a*) Del. *Primum quærite regnum Dei*, etc. — (*b*) *Leg.* sine fine. — (*c*) *Leg.* appropriandis.

magis avaritiam, quam modum divitiarum, ut dicit Augustinus [1]. Dicitur pecuniæ vocabulo large, quidquid temporaliter possidetur. Unde Augustinus libro *De Disciplina Christiana,* dicit [2]: « Totum quidquid homines in terra possident, omnia quorum domini sunt, pecunia vocatur, sive sit servus, sive ager. » Alio modo dicitur pecunia stricte, quod est mensura commutationis rerum; et sic accipitur in *Apostolorum Actis*, ubi dicitur [3]: *Pecunia tua tecum sit in perditionem*. Volens igitur Dominus per servum Franciscum avaritiæ radicem penitus excludere ab horto concluso et fonte signato, præcepit ne recipiant fratres denarios, vel pecuniam, vel ullam possessionem terrenam, in pecoribus, sive generaliter in omnibus, quæ paupertatem altissimam labefaciunt, et præcipue loquitur de pecunia numerata. Hoc autem trahitur ab Evangelio Matthæi [4]: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam,* ubi dicit Glossa: « Duo sunt genera necessariorum: unum quo necessaria emuntur; aliud ipsa necessaria: per pecuniam in zonis, unde illa emuntur; per peram, quod emitur, » etc. Hujus autem inhibitionis factæ Apostolis, septem sunt præcipue rationes: prima est suspicionis exclusio, ad efficaciam prædicationis; secunda est terrenæ sollicitudinis perfecta extirpatio, ad commendationem cœlestis providentiæ circa illos, qui divinis vacant obsequiis. Et has duas rationes tangit Hieronymus in Glossa dicens [5]: « Si hæc haberent, non viderentur causa salutis hominum prædicare, sed lucri; propterea vitæ necessaria amputat, ut Apostoli, doctores veræ religionis, qui instruebant omnia divina providentia gubernari, seipsos ostenderent nihil cogitare de crastino. » Hæc Hieronymus.

Tertia causa hujus mandati est declaratio virtutis ipsius Domini Salvatoris. Unde pro istis tribus causis dicit Chrysostomus *super Matthæum* [6]: « Multa per hoc unum commendavit: primum quidem non suspectos faciens Apostolos; secundo eruens eos ab omni sollicitudine, ut vacationem Dei verbo tribuant; tertio docens eos suam virtutem. Hoc nempe postea dicit [7]: *Numquid aliquid defuit vobis, quando misi vos nudos et discalceatos?* Quarta causa est perfecta omnis amoris mundani extirpatio, quia maxime inter possessiones cupidas solent haberi pecuniæ. Dicit enim Salomon [8]: *Pecuniæ obediunt omnia,* etc. [9]: *Avarus non implebitur pecunia.* Et Ambrosius, *De Officiis* [10]: « Dominus ad discipulos ait: *Nolite possidere aurum, neque argentum,* quo velut falce in humano pectore succidit pullulantem avaritiam. » Chrysostomus super idem [11]: « Radicem malorum confestim evellens, ait: *Ne possideatis aurum, neque argentum.* Non dixit: Non accipite vobiscum; sed etiam si possibile sit aliunde accipere, fugite periculosam hanc ægritudinem.»

Quinta causa est, ut statum innocentiæ perditæ, ut erat possibile, renovaret, in qua si homo stetisset, omnia fuissent communia, et nulla proprietas contracta fuisset ad multitudinem aliquam, vel personam. Unde Chrysostomus dicit [11], quod hoc dixit, ut doceret eos ad statum, in quo homo erat ante peccatum, recurrere.

Sexta ratio est ad doctrinam perfectissimæ libertatis, quia, ut dicit Hieronymus in Epistola [12]: « Nemo perfectius erogat, quam qui nihil sibi reservat. » Et si *beatius est dare, quam accipere,* ut dicitur in *Actis* [13], beatissimus est, qui omnia sua dedit, et, ut est possibile, paucissima e contra recipit.

Septima causa est indivisa cordis intentio circa prædicationem verbi Dei. Unde Chrysostomus [11] super idem: « Orbi terrarum Deus doctores missurus erat: propter hoc angelos eos ex hominibus constituit, ab omni

[1] Aug., *de Civit. Dei,* lib. VII, c. XII. — [2] Id., *de Discipl. Christ.*, n. 6. — [3] *Act.*, VIII, 20. — [4] *Matth.*, X, 9. — [5] Hieronym. — [6] Chrysost., *in Matth.*, hom. XXXII, al. XXXIII, n. 4. — [7] *Luc.*, XXII, 35. — [8] *Eccle.*, X, 19. — [9] Ibid., V, 9. — [10] Ambros., *de Offic.*, lib. II, c. XXV, n. 128. — [11] Chrysost., ubi sup. — [12] Hieron. — [13] *Act.*, XX, 35.

absolvens hujus vitæ sollicitudine, ut una sola retineantur cura, quæ est cura doctrinæ.» Hanc igitur vitam Apostoli tenuerunt, et ante passionem Domini, et post. Unde pauperi eleemosynam petenti, respondit Petrus [1] : *Argentum et aurum non est mihi.* Glossa : «Memor præcepti Domini, dicentis: *Nolite possidere aurum,* » etc. Ambrosius, *super Lucam*, ait [2] : « Apostolus Petrus, primus executor dominicæ sententiæ, ostendit non in vacuum effusum Domini mandatum. Cum enim a paupere posceretur, ut ei aliquid pecuniæ largiretur, ait : *Argentum et aurum*, etc. Non tam in hoc gloriatur Petrus, quod aurum, et argentum non habebat, quam quod servet Domini mandatum, dicentis : *Nolite possidere*, etc., hoc est : Vides me discipulum Christi, et aurum a me requiris?» Hæc Ambrosius : Augustinus [3] dicit idem. Hoc idem etiam servavit Paulus. Unde Chrysostomus, *de laudibus Pauli* [4] : « Paulus pecuniam non possederat, nam et ipse dixit [5] : *Usque in hanc horam, et esurimus, et sitimus.* » Idem patet de S. Joanne Evangelista in Legenda sua. Dixerunt enim : « Nulla ratione possumus accipere aurum, aut vestes, aut domos, aut prædia, aut servos, » etc. Hic tamen advertendum qnod præceptum erat Apostolis nihil habere, ut supra visum est, et hoc servavit Petrus cum aliis : permissum est autem vivere de cibis, et prædiis alienis, et non præceptum. Unde Chrysostomus, ubi supra [6] : « Omnibus eos denudans, omnia eis dedit, permittens eos manere in domibus illorum quos docent, et nihil habentes introire.» Hoc idcirco dixerim, quia Paulus præcepta de non possidendo, nec ferendo pecuniam, servavit, sicut Chrysostomus expresse in libro dicit *de laudibus Pauli*. Permissionem autem de accipiendis corpori necessariis ab auditoribus aliquando tenuit, utens jure suo. Unde dicit [7] : *Alias ecclesias expoliavi, accipiens stipendium ad ministerium vestrum.* Aliquando non tenuit sublimius ambulando ; unde ait [8] : *Nocte et die laborantes, ne quem vestrum gravaremus, prædicavimus Evangelium Dei in vobis.* Præceptum ergo fuit nihil habere ; permissum vero, non præceptum, in mensis, et de mensis vivere alienis.

Sed prædictæ sententiæ de Apostolica paupertate videtur esse contrarium, quod Dominus ipse legitur [9] loculos habuisse. *Sufficit ergo discipulo, si sit sicut magister ejus,* ut dicitur in *Matthæo* [10]. Item, si hoc verum esset, tunc episcopi, et clerici alii, a tempore Silvestri essent in statu damnationis, ut dicunt Manichæi : habent enim aurum et argentum. Item ex eadem ratione videtur, quod ista vita apostolica non sit aliis, quam prælatis Ecclesiæ, Apostolis succedentibus, imitanda ; et, si non illis, nec aliis. Item si aliquibus imitanda, sufficiens videretur eam imitari eis in itinere constitutis, et non in domo manentibus, ubi oportet per deposita futuris periculis obviare. Unde Augustinus, *de Sermone Domini in monte, exponens illud* [11] : *Nolite esse solliciti,* etc., dicit [12] : « Satis apparet Dominum nostrum non hoc improbare, si quis humano modo illa procuret, sed si quis propter ista Deo militet. »

Ad primum respondet Chrysostomus, *super Joannem,* homilia LXXI [13], ubi agitur de loculis Domini, dicens, qualiter « non virgam, neque peram, non æs jubens deferre, marsupium ferebat ad inopum ministerium, ut discas, quoniam valde pauperem et crucifixum hujusmodi oportet facere multam procurationem : multa enim ad nostram dispensans doctrinam agebat. » Hæc Chrysostomus. Habuit ergo loculos pro aliis ; et hoc dupliciter : 1. pro aliis perfectis Ecclesiæ, scilicet prælatis, ut doceat eos pro necessitatibus pauperum relevandis ha-

[1] *Act.*, III, 6. — [2] Ambros., *in Luc.*, lib. VII, n. 55. — [3] Imo auctor libri *De Mirabilib. S. Script.*, XVI, inter Opera Aug., Append. tom. III. — [4] Chrysost., *de laudib. Pauli*, hom. IV, pag. m. 495. — [5] I *Cor.*, IV, 11. — [6] Chrysostom., *in Matth.*, hom. XXXII, al. XXXIII, m. 5. — [7] II *Cor.*, XI, 8. — [8] I *Thess.*, II, 9. — [9] *Joan.*, XII, 6. — [10] *Matth.*, X, 25. — [11] Ibid., VI, 31. — [12] Aug., *de Serm. Dom. in Monte*, lib. II, n. 54. — [13] Chrysost., *in Joan.*, hom. LXXII, al. LXXI, n. 2.

bere loculos. Unde Augustinus [1] : « Habebat Dominus loculos, et a fidelibus oblata conservans, et suorum necessitatibus, et aliis indigentibus tribuebat. Tunc primum ecclesiasticæ pecuniæ forma est instituta. » Hæc Augustinus. In suos autem usus nunquam expresse legitur Dominum loculorum pecunias convertisse ; imo magis prætenditur contrarium super illud Matthæi [2] : *Solve didrachma*, ubi legitur Dominum solvisse didrachma miraculose, de pecunia miraculose in ore piscis reperta. « Ibi enim, » dicit Hieronymus in Glossa [3], « Dominus tantæ fuit paupertatis, ut unde daret tributa non haberet. Judas quidem loculos in communi habebat ; sed res pauperum in usus suos convertere nefas duxit, idipsum dans exemplum nobis. » Hæc Hieronymus. 2. Item habuit loculos pro aliis infirmis, et imperfectis, qui habent loculos pro seipsis, qui etsi sint perfecti respectu habentium propria, vel multa, et magna, cum ipsi habeant pauca, sunt tamen imperfecti in hoc, respectu illorum, qui nihil habent penitus in hoc mundo : quia nihil habentes penitus sunt in summo gradu in hac parte, ut est possibile statui humano, a mundi periculis et illecebris absoluti. Unde Hugo dicit [4] : « Habebat Jesus loculos, conformans se imperfectis. Christus in numero imperfectorum inveniri voluit, ne præsumerent non accipientes, et confunderentur accipientes. Et super illud Psalmistæ [5] : *Producens fœnum jumentis*, dicit Augustinus [6] : « Habuit Dominus loculos, et dictum est de quibusdam fœminis religiosis, quod ministrabant eidem de substantia sua. Futurus erat Paulus nihil tale aliquando requirens : sed quia multi infirmi ista quæsituri erant, magis infirmorum personam suscepit Dominus. Ergo sublimius Paulus ? Nequaquam, imo sublimius Christus, quia misericordius. Cum enim videret Paulum ista non quæsiturum, providit (*a*), ne damnaret quæsiturum, et præbuit exemplum infirmo. » Hæc Augustinus. Quod autem dicit, quod prævidit Paulum non ista quæsiturum, intelligendum est aliquando, et non semper ; aliquando enim accepit, et aliquando non, ut supra patet. Qui igitur tantum pro aliis habent loculos, ad hoc auctoritate Ecclesiæ compulsi, etsi, quantum in se est, optent pro se carere loculis, ad se autem servantes districtionem paupertatis, ut patitur infirmitas, dum sint in alios affluentes ; sic non habentur loculi in doctrinæ præjudicium, vel impedimentum, sed eos habent sine omni imperfectione, quia conveniunt cum Christo in habendo, et in habendi ratione. Qui autem habent loculos pro seipsis, habent eos ut infirmi, convenientes cum Christo in habendo, sed non in habendi modo : quia ipse non habuit loculos pro seipso, ut visum est ; sed cum hac infirmitate tanto ad perfectionem appropinquant, quanto paucioribus sunt contenti. Ecce quod Christus legem datam Apostolis de loculis non habendis ipse complevit circumeundo per castra, in quibus non habuit ubi caput sanctissimum reclinaret. Et licet quodammodo infirmum videatur, secundum genus suum respectu perfectionis Pauli, necessaria recipere illo modo, quo Deus recepit a mulieribus secum itinerantibus, et comedendo in mensis alienis ; est tamen longe sublimius, sic de mensis alienis vivere, quod nihil ex eis possessorie habeatur, quam depositum recipere, et pecuniam cum refertis promptuariis possidere. Propter quod Dominus, singularis perfectionis modum illum in exemplum commendans, Apostolis habere loculos interdixit ; ipse modum ipsum majori parte, ut ostensum est, custodivit. Unde nunquam in textu evangelico mentio fit de loculis, nisi sexta die ante articulum passionis, ubi de Juda dicitur, quod fur erat, et loculos habens. » Et infra : « Quidam putabant, quod loculos habebat Judas, quod dixis-

[1] Aug., *in Joan.*, tract. LXII, n. 5. — [2] *Matth.*, XVII, 23-26. — [3] Gloss., ex Hieron. — [4] Hug. de S. Vict., *in Psal.* XCI, c. LXIV. — [5] *Psal.* CIII, 14. — [6] August., Enarr. *in Psal.* CIII, conc. III, n. 11.

(*a*) *Ita apud Aug. Cæt. edit.* prævidit.

set ei Jesus [1] : *Eme quæ nobis necessaria sunt* (*a*). Circa illud etiam tempus, imo ipsa vespera qua voluit comprehendi, dispensavit cum Apostolis, ut possent habere loculos singuli durante rabie persecutionis mortuo Salvatore. Unde ait Salvator [2]: *Quando misi vos sine sacculo*, etc., *numquid aliquid defuit vobis?* etc. *Sed nunc qui habet sacculum*, etc. Ibi Glossa Bedæ dicit : « Non eadem vivendi regula persecutionis, qua pacis tempore, discipulos informat. Missis enim discipulis ad prædicandum, præcepit eis ne quid tollerent in via, ordinans, ut qui Evangelium prædicat, de Evangelio vivat. Instante autem mortis articulo, et tota illa gente pastorem simul et gregem persequente, congruam temporum regulam decrevit, permittens, ut tollant victui necessaria, donec sopita persecutorum insania, tempus evangelizandi redeat. » Hæc Glossa. Igitur Apostoli missi ad prædicandum loculis caruerunt ; tempore vero persecutionis et passionis, dispensative loculos pro seipsis habuerunt. » Tertio bona multitudinis ad tempus dispensaverunt, et illam dispensationem tanquam impeditivam verbi Dei dimittentes, ad primariam reversi nuditatem loculis caruerunt, ut supra visum est. Præterea licet Domino volenti portati fuerint loculi a Juda proditore, non tamen videtur in eis aliquid juris possessorii vendicasse. Unde ipse Dominus dicit in Joanne [3] : *Venit princeps mundi hujus*, etc. Glossa : « Noluit Dominus habere quod perderet; venit pauper, ne habere diabolus quod auferret. » Respondeo ergo breviter ad objectum de loculis, quod Christus aliquando habuit loculos pro aliis, ut ad hoc informaret Ecclesiæ prælatos. Item habuit loculos pro infirmis consolandis, qui habent loculos pro seipsis. Sic in eorum solatium fugit, cum quæreretur lapidandus, ne desperent si aliquando fugiant persequentes. Sic in exemplum fortium se sponte obtulit in passione, et pro ipsis in paupertate informandis, caruit loculis, quasi nec semper habitos tenebat possessorie reconditos, ut qui habent pro seipsis, et non gratia dispensationis loculos, sciant se in hac parte perfectionis apicem non tenere.

Et cum dicitur : *Sufficit discipulo*, respondendum est, quod Magister unus diversos docet discipulos, singulis in suis gradibus condescendens, sicut Apostolus inter perfectos loquebatur sapientiam, lac dans parvulis ad escam. Non debet discipulo sufficere lactis capaci in lacte semper sistere, etiam si lac bibat Magister ei condescendens; sed magis ad hoc tendere, ut solidi cibi sit capax. Ita, in proposito, non debet discipulo sufficere, ut sit sicut Magister ejus infirmis condescendens, nisi, ut est possibile, gradatim in artis apices se extendat. Unde illud verbum : *Sufficit discipulo*, pro solatio tribulationis dictum est specialiter, ut scilicet exemplo Magistri in tribulationum sufferentia viriliter perseveret.

Ad secundum dicendum, quod illa Manichæorum calumnia processit ex insipientia manifesta. Prædicta enim paupertatis districtio non fuit imposita Apostolis, ut prælatis, cum nondum illo tempore prælati essent, nec etiam sacerdotes, sed tantum authentici prædicatores missi toti mundo in sanctitatis exemplum, ut superius est ostensum. Unde illa paupertatis districtio nullos ligat alios, nisi illos, qui ad hoc sponte se obligant propter Christum. Non solum ergo post Silvestri tempora, imo statim in Ecclesiæ principio, ipsi discipuli Christi instituerunt prælatos in suarum curarum custodiis residentes, quibus nunquam fuit interdictum habere bona Ecclesiæ sibi necessaria, in se et suis subditis pauperibus eroganda. Succedunt ergo Episcopi Apostolis, in culmine auctoritatis Ecclesiæ, in obligatione et debito virtutis, et sanctitatis, sed non in forma illius districtæ disciplinæ, et paupertatis debito supradicto. Hoc reperies notum (*b*) in Decretis, 12, quæst. 1, *Videntes* [4],

[1] *Joan.*, XIII, 29. — [2] *Luc.*, XXII, 35. — [3] *Joan.*, XIV, 30. — [4] *Decret.* part. II, caus. XII, c. 16.

(*a*) Vulg. *ea quæ opus sunt nobis.* — (*b*) *Forte leg.* totum.

et apud Bernardum, secundo *de Consideratione*[1]: « Nec est locus otio, ubi sedula urget sollicitudo omnium Ecclesiarum. Nam quid tibi dimisit S. Petrus? *Quod habeo*, inquit[2], *tibi do*. Quid est illud? Unum scio : neque aurum, neque argentum, cum ipse dicat : *Argentum et aurum*, etc. Esto ut alia quacumque ratione hoc tibi vendices, sed non apostolico jure; nec tibi dare, quod non habuit, potuit. » Hæc Bernardus.

Ad tertium dicendum, quod prælati ad illam vitam non tenentur, quia indifferenter omnibus proponitur eam volentibus imitari. Unde Hieronymus[3] : « Vis perfecta esse, et in primo stare fastigio dignitatis, fac quod fecerunt Apostoli. Vende omnia quæ habes, » etc.

Ad quartum dicendum, quod ista apostolica perfectio non est solum in itinere, sed domi etiam observanda, ut nullum depositum pecuniæ habeatur ab his qui perfectionis regulam imitantur. Unde Chrysostomus, *super Matthæo*, homilia XXXIII, in fine expositionis litteralis, de non possidendo, aut portando aurum, vel argentum, dicit sic[4] : « Si in aliena patria existentes, ad ignotos abeuntes, nihil amplius oportet petere quotidiano cibo, multo magis domi manentes.» Item super illud[5] : *Nunc qui habet sacculum*, dicit Glossa : « In hoc nobis datur exemplum, ut non nunquam, causa instante, quædam de nostri propositi rigore sine culpa possimus intermittere. Verbi gratia : Si per inhospitales regiones iter agimus, plura viatici causa licet portari, quam domi habeamus. » Et expresse in Evangelio aperte prohibet Apostolis possidere pecuniam et portare, ut patet ex Hieronymo *super Matthæum* ibidem, et Rabano : « Hæc fuit paupertas apostolica ante passionem, et post ad tempus, tamen medio tempore paululum dispensatione Domini interrupta. » Nec tamen omnes, ut dictum est, ad hoc tenentur. Et illud verbum Augustini, loquentis de communi statu omnium, præcedentibus non repugnat. Sed istum regulæ articulum fratres prævaricari videntur, dum recipiunt alii pauperes sibi pecunias erogatas. Si enim ille facit cujus auctoritate fit, ipsorum autem auctoritate pro libitu eorum suis familiaribus pecuniæ pluries commendantur, aliquotiens extra domini potestatem, ergo ipsi pecuniam recipiunt, ut videtur. Ad hoc patet responsio, quoniam *dare*, et *recipere*, opponuntur relative. Igitur de necessitate, sicut *dare* se habet ad dominii translationem, et privationem dantis, ita se habet *recipere* ad dominii acquisitionem. Sicut ergo nullus dat aliquid, nisi intendat se privari dominio ejus quod dat, et ipsum transferre in alium, sic nec recipit proprie aliquid secundum quod receptio opponitur donationi, nisi quod intendit sibi rei dominium acquirere. Versus :

Non tibi dat quisquam, nisi quo vult expropriari,
Nec tu quid recipis, nisi velis ei dominari.
Namque recepta, data, sibi sunt adversa relata.
Dans sua privatur, recipit qui post dominatur.

Argumentum autem factum ex falsa suppositione procedit, quia non fratrum, sed mittentium auctoritate pecunia custoditur. Unde dominium apud mittentes semper ibi remanet, donec sit pro fratrum necessitatibus commutata; quod probatur, quia dicit lex, ff. *De acquirendo rerum dominio* : « Idem in bonis nostris habere intelligimur, quoties possidentes exceptionem (*a*), aut amittentes, ad recuperandum eam, actionem habemus. » Cum ergo ille, qui misit pecuniam, si vivit, possit eam repetere sicut suam, nunquam a dominio suo recessit, nec in jus transiit alienum. Forte dices, quod mittens pecuniam, intendat se privari illius dominio. Fateor, quod verum est; sed modo licito, et fratribus honesto. Cum enim intendat fratres habere apud Deum intercessores, non intendit eos ob usum pecuniæ suæ constituere prævaricatores. Manet ergo semper

[1] Bern., *de Consider.*, lib. II, c. VI, n. 10. — [2] *Act.*, III, 6. — [3] Hieron., *ad Hedib.*, epist. CL, q. I, col. 224. — [4] Chrysost., *in Matth.*, hom. XXXII, al. XXXIII, n. 5. — [5] *Luc.*, XXII, 36.

(*a*) *Cæt. edit.* ereptionem.

pecunia in bonis ejus, donec sit pro fratrum necessitatibus commutata. Amplius, ponamus, quod intendat se privari dominio pecuniæ, statim ut est alienis fratribus famulari commendata : dico, quod adhuc a fratribus non recipitur, cum non intendant, quod aliqua pro eis recipiatur pecunia sicut sua, nec omnino consentiant, quod eis possessio acquiratur; sine consensu autem non acquiritur possessio. Unde dicit lex, ff. *de acquirenda rerum* proprietate[1], quod, « in amittenda possessione, affectio ejus (*a*) qui possidet, est intuenda. Itaque si in fundo sis (*b*), et tamen nolueris eum possidere, protinus amittes (*c*) possessionem. » Nec etiam sine voluntate donatoris transfertur dominium, ut patet ff. *De acquirenda rerum proprietate et dominio*[2]. Unde cum dator pecuniæ intendat eam dare, tamen ut possit in fratrum usum converti, nunquam vult in eos dominium transferri, sed tantum pro ipsorum necessitatibus commutari. Ponamus quod pecunia tradatur per manus diversas usque ad centesimam personam datori penitus ignotam : dico, quod adhuc manet in bonis ejus; eo enim modo quo tenuit eam auctoritate sua primus, tenet secundus, tertius, et millesimus, quia dicit lex, ff. *De acquirendo rerum dominio*, quod traditio nihil amplius transferre debet, vel potest, ad eum qui accipit, quam apud eum qui tradidit. Unde semper potest repetere hujusmodi, sicut suam, qui ipsam pro fratrum necessitatibus commendat : potest enim mutare voluntatem suam, et pro tanto repetere. Aliter est in ultimis voluntatibus defunctorum, quia voluntas eorum est immobilis, et ideo, si contingat executores repetere pecuniam malitiose, pro fratrum necessitatibus commendatam, non est restituenda, cum sint contrarii ipsius testatoris ultimæ voluntati. Quod si ipsi malitiose pecuniam detineant, contra formam testamenti, nec eam velint commendare alicui fideli pro fratrum necessitatibus dispensandam, possent fratres ordinariis denuntiare injuriam defuncti, et suam, sine perfectionis suæ aliquo detrimento, nec tamen judicialiter repetere sicut suam, quamvis sit eis debita quæcumque portio testamenti. Quod si quæras cujus sit pecunia legata? dico quod manet in bonis defuncti erogandis, non hæredibus reservandis. Unde si fratres eam omnino respuant, debet aliis pauperibus erogari. Fratres igitur nullo modo, nec in pecoribus, nec in quibuscumque aliis, recipiant pecuniam, nec mutuo, nec dono, nec legato, nec per se, nec per interpositam personam, quia nec dominium, nec possessionem sibi intendunt acquirere, commune, vel proprium, ullo modo. Nomen enim pecuniæ possessionem sonat, propter quod etiam Jovi nomen pecuniæ impositum est, cujus, secundum fabulas, omnia sunt, ut docet Augustinus[3]. Unde cum sint divitiæ cœlestes, et terrenæ, pecuniæ nomen tantummodo terram sonat, sicut docet Augustinus ibidem, et quod nomine pecuniæ vilissime et contumeliosissime Deus nuncupatur, cum tamen idem dives dicatur. Recipere igitur pecuniam, est recipere possessionem. Hæc est igitur summa prædictorum, scilicet quod fratres non recipiant per se, vel per interpositam personam pecuniam. Patet tam a parte pecuniam mittentium, vel dominorum, quam a parte ipsam recipientium vel nuntiorum, quam etiam a parte fratrum ipsorum : quoniam mittentes non intendunt fratres facere prævaricatores, quos volunt habere pro se intercessores; receptores etiam pecuniæ custodiunt (*d*) eam, non auctoritate fratrum, sed mittentium, licet custodiant eam ad voluntatem eorum; Fratres etiam non intendunt in pecunia sic missa, vel custodita, jus possessionis, vel dominii, sibi aliqualiter vendicare.

Sed pro secunda parte hujus rubricæ subdit : *Tamen pro necessitatibus infirmorum,*

[1] *Digest.*, lib. XLI, tit. 4. — [2] Ibid., tit. I, c. *Litteræ quoque.* — [3] Aug., *de Civit. Dei*, lib. VII, c. XII.

(*a*) *Cæt. edit.* Affectio, ei. — (*b*) *Item* sit. — (*c*) *Item* amittens. — (*d*) *Item* custodiant.

ne maneant desolati, *et aliis fratribus induendis*, in quibus aliæ necessitates majores intelligunt : *Ministri,* quorum est ministrare, et non ministrari, exemplo Christi; *Et Custodes,* quorum est curam gerere infirmorum. Nam *Samaritanus* custos interpretatur, qui curam habuit[1], etc. Nomina autem Custodum et Ministrorum, etsi diversis appropriantur, tamen circa easdem personas dicunt modum officii in hoc ordine Prælatorum. Ministerium dicit humilitatem, custodia autem vigilantiam insinuat pastoralem, ne propter humilitatem sic dimittatur auctoritas, et evigilantiam (*a*) ne periclitetur ordinis disciplina. Unde Isaias[2] : *Super custodiam meam ego sum, stans totis noctibus.* Propter quod ipse generalis Minister *custos* inferius in regula appellatur. Hic autem nomine Custodum etiam Guardiani intelliguntur, qui habent immediate custodire, et intendere pastorali curæ. Istis ergo cura et sollicitudo tantum imponitur ; et hoc propter duo, scilicet ut nullus sine ipsis sit sollicitus, et quia dispensatio est necessaria, secundum varios status, de qua addit : *Secundum loca, et tempora, et frigidas regiones.* Juxta has igitur necessitates, necesse est dispensative temperare rigorem ; et temperamentum a solis Ministris et Custodibus, in quibus Guardiani intelliguntur, debere fieri hic docetur. *Eo semper salvo, ut, sicut dictum est, denarios vel pecuniam,* etc. Hoc idcirco replicat, ne propter illius necessitatis periculum sustineat labefieri ordinis puritatem, sciens per talium receptionem, sub falso prætextu necessitatis, plures in clero et claustro, et Deo et hominibus viluisse, eo quod radix iniquitatis Antiochus, qui interpretatur, *silentium paupertatis*, templum Dei legitur in Machabæorum historia[3] profanasse, et contenebrescente studio sapientiæ quasi sole, luna scientiæ et studii in sanguinem est commutata. Hæc est radix sapientiæ B. Francisco divinitus inspirata, ne, vepribus et spinis pene in universa terra existentibus, terror (*b*) spinarum ac veprium veniat in horto suo, quia[4] de spinis uvæ minime colliguntur.

[1] *Luc.*, x, 34. — [2] *Isa.*, xxi, 8. — [3] I *Mach.*, ii, 8. — [4] *Matth.*, vii, 16.

CAPUT V.

De modo laborandi.

Fratres illi, quibus gratiam dedit Dominus laborandi, laborent fideliter et devote, ita quod excluso otio animæ inimico, sanctæ orationis et devotionis spiritum non extinguant, cui debent cætera temporalia deservire. De mercede vero laboris pro (*c*) se et suis fratribus corporis necessaria recipiant, præter denarios, vel pecuniam, et hoc humiliter, sicut decet servos Dei, et paupertatis sanctissimæ sectatores.

EXPOSITIO.

Fratres illi, quibus dedit Dominus gratiam laborandi. Post exclusum periculum Judæ, hic excludit periculum Religionis, ne Sponsa Christi panem comedat otiosa. Primo informat laborabiles ad laborem ; secundo subdit laborandi triplicem rationem, ibi : *Ita quod excluso otio.* Pro primo dicit : *Fratres illi, quibus Dominus,* non dicit omnes, sed : *illi, quibus dedit Dominus gratiam laborandi*, (in hac gratia intelligo vires corporis, et habitum artis acquisitum, ac habilitatem etiam artem acquirendi), *laborent fideliter,* respectu sui, et proximi, *et devote,* respectu Dei, ut scilicet labor ipse in gloriam Dei dirigatur. De cujusmodi autem laboris genere loquatur, patet ex rationibus laboris, quæ sunt tres, scilicet exclusio otiositatis, inflammatio devotionis, adeptio etiam sustentationis necessariæ corporalis. Voluit ergo S. Franciscus summe fratribus imponi exercitium, quod perfectissime excludit otium, quod summe nutrit devotionis affectum, quod laudabiliori modo corpori necessaria subministrat : labor autem corpora-

(*a*) *Forte del.* evigilantiam. — (*b*) *Forte leg.* horror. — (*c*) *Cæt. edit.* per.

lis, etsi excludat otium a corpore, tamen pro tanto ad modicum utilis est, quia a corde sordes, et otium non excludit, sicut patet in mechanicis, qui inter labores corporales solent turpissimos sermones eructare. Studium vero sapientiæ ipsum cor occupat. Unde in *Proverbiis* dicitur [1] : *Præbe mihi, fili mi, cor tuum.* Et Sapientia [2] : *Labores hujus magnas habent virtutes.* Ideo dicit : *Ita quod excluso otio animæ inimico.* In *Ecclesiastico* dicitur [3] : *Multam malitiam docuit otiositas.* Hieronymus, *ad Eustochium* [4] : « Teneas firmissime, quod omnis concupiscentiæ, et immunditiæ, et peccati mater est otiositas. » Item labor ipse sapientiæ excitat summæ devotionis affectum. Unde Sapiens [5] : *Immortalitas est in cognatione sapientiæ* (*a*), *et amicitia illius delectatio bona ; et in operibus manuum illius honestas sine defectione.* Ideo addit : *Sanctæ orationis et devotionis spiritum non extinguant.* Modus autem laudabilissimus corpori necessaria acquirendi est et in prædicationibus, et doctrinæ laboribus exerceri. Labor enim mechanicus condigne circa pretia compensatur ; non est autem digna compensatio receptio corporalium spiritualia seminanti. Unde Paulus [6] : *Si vobis spiritualia seminamus, non est magnum si carnalia vestra metamus.* Ideo addit : *De mercede vero laboris, corporis necessaria recipiant. Dignus enim* [7] *est operarius mercede sua.* Hoc Apostolis, existentibus prædicatoribus, dictum est, quia Prælati nondum illo tempore erant, ut supra patuit. Et, ut dicit Augustinus, libro *de Monachorum opere* [8], quatuor generibus hominum licet de Evangelio vivere, scilicet : ministris altaris, qui sacrificium offerunt pro populo, eidem divina cantica decantando ; item dispensatoribus sacramentorum, et evangelistis, ac illis, qui ante conversionem suam habebant sufficienter unde vivere poterant, quod pauperibus erogaverunt. *Præter denarios, vel pecuniam,* ne aliquo modo transeant in jus ordinis ; quod nomen tertio inhibet, propter triplex genus pecuniæ, scilicet mineralium, terræ nascentium, et pecorum etiam, a quibus pecunia est appellata. Unde ipse Dominus, universæ perfectionis exemplar, nunquam legitur aliquo laboris genere laborasse, sciens, quod licet Paulus, qui habuit spiritum in plenitudine, et sapientiam sine studii labore, stipendiarie laboraverit, non potest tamen hoc communiter fieri ab his, qui circa procurandam salutem hominum sunt solliciti vita et verbo, sine hujus sollicitudinis detrimento. Præterea labor sapientiæ simpliciter est melior corporeo labore, quamvis in casu possit labor stipendiarius esse necessarius prædicanti. Dominus igitur, quod simpliciter est prædicanti melius eligens, non laboravit stipendiarie, ne Doctores non laborantes arguerentur, vel labore tali impedirentur, unde nec Paulus ubique, sed alicubi laboravit. Quia igitur quidam fratrum gratiam habent laborandi spiritualiter, quidam vero corporaliter tantum, omnibus dans regulam generalem, ut unusquisque gratia sibi data utatur, dicit : *Fratres illi, quibus Dominus dedit gratiam.* Sed ne mercedis exactio turbet debitores, aut extra modum mendicitatis degeneret, addit : *Et hoc humiliter, sicut decet servos Dei, et paupertatis sanctissimæ sectatores.* Sciendum, quod omne genus hominum ad aliquod exercitii genus utilis, pro loco et tempore, obligatur præceptorie, ut dicitur in Genesi [9] : *In sudore vultus tui, vesceris pane tuo.* Unde qui ad majora apti non sunt, præcepto Apostoli labore sunt corporeo exercendi. Dicit enim ipse [10] : *Audivimus enim inter vos quosdam ambulare inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes. His autem qui ejusmodi sunt, denuntiamus,* etc. Impium est autem illud, quod otiosis et curiosis dicitur, velle ad alios extendere, qui sublimioribus et utilioribus sunt intenti.

A pecude pecunia appellata est.

[1] *Prov.*, XXIII, 26. — [2] *Sap.*, VIII, 7. — [3] *Eccli.*, XXXIII, 29. — [4] Hieron. — [5] *Sap.*, VIII, 17. — [6] I *Cor.*, IX, 11. — [7] *Luc.*, X, 7. — [8] August., *de Opere Monach.*, VII et seq. — [9] *Gen.*, III, 19. — [10] II *Thess.*, III, 11-12.

(*a*) *Cæt. edit.* Immortalitatis mater est in cogitatione sapientia — (*b*) Vulg. *magnum est.... ?*

CAPUT VI.

Quod fratres nihil sibi approprient, et de eleemosyna petenda, et de fratribus infirmis.

Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem; sed tanquam peregrini et advenæ in hoc sæculo, in paupertate et humilitate Domino famulantes, vadant pro eleemosyna confidenter. Nec oportet eos verecundari : quia Dominus pro nobis se fecit pauperem in hoc mundo. Hæc est illa celsitudo altissimæ paupertatis, quæ vos charissimos fratres meos hæredes et reges regni cœlorum instituit, pauperes rebus fecit, virtutibus sublimavit. Hæc sit portio vestra, quæ perducit in terram viventium. Cui, dilectissimi fratres, totaliter inhærentes, nihil aliud pro nomine Domini nostri Jesu Christi in perpetuum sub cœlo habere velitis. Et ubicumque fuerint (*a*) et se invenerint fratres, ostendant se domesticos invicem inter se, et secure manifestet unus alteri necessitatem suam : quia si mater nutrit et diligit filium suum carnalem, quanto diligentius debet quis diligere et nutrire fratrem suum spiritualem? Et si quis eorum in infirmitatem ceciderit, alii fratres debent ei servire, sicut vellent sibi serviri.

EXPOSITIO.

Fratres nihil sibi approprient. Hic tertio excludit tertium periculum, quod scilicet de appropriatis propriis noscitur processisse. Et hæc pars habet quatuor : primo inhibet appropriationem; secundo imponit mendicitatem, ibi : *Vadant pro eleemosyna*; tertio excitat ad paupertatis immobilem amorem, ibi : *Hæc est illa celsitudo;* quarto informat fratres ad mutuam consolationem, ibi : *Et ubicumque fuerint.*

Dicit ergo pro primo : *Fratres nihil sibi approprient.* Quia fratribus inhibuit receptionem pecuniæ, ne credatur quod alia liceret admittere, utpote immobilia, in generali sermone excludit omnia, dicens : *Nihil sibi approprient*, supple, nec proprietate personali, nec generali ipsius communitatis, sicut dicit Papa regulam declarando. Unde addit : *Nec domum, nec locum, nec aliquam rem.* Hoc quidem recte, quia dicit Seneca [1] : « Tutissime viveretur, si tollerentur duo verba, MEUM, et TUUM. » Planum est his temporibus summum facere tumultum in Ecclesia, *nostrum*, et *vestrum. Sed tanquam peregrini et advenæ in hoc sæculo, in paupertate et humilitate Domino famulantes.* Intentio plane est S. Francisci, ut fratres, sicut servi, utantur rebus in aliena positis potestate.

Sed quidam adversarii S. Francisci, et veritatis, aliquando contra hoc objecerunt, quia dicit Canon, XII, q. I, c. *Expedit* [2] : « Expedit facultates Ecclesiæ possideri, et proprias perfectionis amore contemni. » Et consequenter eodem capite ponitur exemplum de S. Paulino, qui, omnibus suis propriis distractis, factus est postea ecclesiæ episcopus, cujus facultates fidelissime dispensavit, subdit : « Quo facto satis ostenditur, et propria debere propter perfectionem contemni, et tamen, sine impedimento perfectionis, posse Ecclesiæ facultates dispensari, quæ sunt profecto communia possidere. » Hæc Prosper. Ergo carere bonis communibus appropriatis nihil addit perfectioni.

Item videtur ista forma vivendi falsum imponere Ecclesiæ Dei. Clerici et religiosi, qui habent bona ecclesiarum, non sunt domini eorum, sed usum tantum habent, quia dicit lex, ff. *De rerum dominio*, quod « quæ divini sunt juris, in nullius bonis sunt : » ergo clerici non habent dominium, sed usum tantum.

Item res, quibus utuntur fratres, aut sunt alicujus domini, aut non; si nullius, quare tunc ipsi, plus quam alii, occupant? Si autem (*b*) alicujus hominis sunt, utpote Ecclesiæ Romanæ, videtur ergo quod fratres, qui

[1] Senec. — [2] *Decret.*, part. I, caus. XII, c. 13, ex Prospero, *de Vit. Contempl.*

(*a*) *Cæt. edit.* sunt. — (*b*) *Cæt. edit. præmitt.* in.

contemnunt propter servandam suam perfectionem, attribuendo illa Ecclesiæ, imponunt ei imperfectionem; quod nefas est dicere, cum ipsa Ecclesia toti orbi sit posita in speculum et exemplum, ut patet, dist. XIX. *Enimvero* [1].

Item res, quibus utuntur fratres, aut sunt propriæ, aut communes: si propriæ, damnabiliter habentur; si communes, ergo sunt de numero illorum, de quibus dicitur [2]: *Et erant illis omnia communia.*

Item fratres utuntur rebus, quæ consumuntur ipsousu: in talibus autem non differt dominium ab usu. Dominium autem est appropriatio in summo: ergo talia sibi appropriant, ut cibus, et vestes hujusmodi.

Ad primum dicendum, quod sicut communitas rerum prius instituta est in charitatis incentivum, sic carentia omnis juris proprii, vel communis, Apostolis imposita, istis novissimis temporibus renovata est ad avaritiam extirpandam, quæ perniciosius hodie serpit in bonis Ecclesiæ, quorum abusus est sacrilegium, quam in aliis quibuscumque. Cum ergo dicit, quia *expedit*, etc.: Fateor, inquam, et expedit, quia dicitur in Ecclesiastico [3]: *Non omnia omnibus expediunt, et non omni animæ omnes genus placet.* Unde et Apostolus talia sibi minime expedire dicit [4]: *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.* Cujus causam addens dicit: *Sed ego sub nullius redigar potestate*, judicis scilicet, repetendo aliquid tanquam meum. Expedit ergo haberi communia (*a*) pro sustentatione ministrorum etiam egenorum. Expedit etiam modus alius his qui nolunt, propter possessionum multiplicationem, sub terrena redigi potestate, nil habere in proprio, vel communi. Unde Hieronymus ait [5]: « Apostolici est fastigii, perfectæque virtutis, omnia vendere et pauperibus distribuere, et sic levem et expeditum cum Christo ad cœlestia subvolare. » Et quod additur ibidem, quod sine impedimento perfectionis possunt communia dispensari, fateor verum esse, quia, ut supra tactum est, non repugnat perfectioni quantumcumque pauperis ecclesiastica bona, imperante Ecclesia, suscipere dispensanda, si, quantum in se est, dispensator semper eis carere optet quoad se, ut patitur fragilitas, districtionem minime relaxando. Sic enim dispensans loculos habet non pro se, sed pro aliis, et in habendo, et habendi modo, conformis est Salvatori, ut supra patuit.

Ad secundum dicendum, quod licet illa, quibus utitur Ecclesia, in nullius sint bonis proprietarie quoad personam, sunt tamen propria communitatibus Ecclesiarum. Unde dicitur in Actibus Apostolorum [2]: *Nec quisquam eorum ex his, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat:* ergo possidebant in communi, sed non proprietarie, et pro tanto dicuntur talia in nullius bonis esse, juxta quod dicit lex, ff. *De rerum dominio*, quod res publicæ in nullius sunt bonis; ipsius enim universitatis esse creduntur. Non est tamen usquequaque simile de proprietatibus civitatum, et ecclesiarum.

Ad tertium idem patet: omnia enim mobilia, quibus Ordo utitur, sunt mere et immediate ipsius Ecclesiæ Romanæ. Sic ergo ea habere pro aliorum necessitate, in eo qui ingreditur per ostium apostolico more, in nullo perfectioni repugnat, ut superius est ostensum.

Ad quartum dicendum, quod res, quibus fratres utuntur, sunt eis communes quantum ad usum, sed tamen non quantum ad dominium. De illis sanctis autem in Hierusalem constitutis dicendum est, quod erant eis communia quantum ad possessionem. Alii vero plurimi inter eos communem usum illarum rerum sine dominio habuerunt, sicut Apostoli, quando erant præsidentes illi multitudini, ut patet XII, q. I, cap. *Dilectissimis* [6].

[1] *Decret.*, part. I, dist. XIX, c. 4, inc. *Enimvero*. — [2] *Act.*, IV, 32. — [3] *Eccli.*, XXXVII, 31. — [4] I *Cor.*, VI, 12. — [5] Hieron., *ad Demetriad.*, epist. VIII, col. m. 73. — [6] *Decret.*, part. II, caus. XII, q. 1, c. 2.

(*a*) *Cæt. edit.* communio.

Ad quintum dicendum, quod duplex est usus rerum. Quidam enim utuntur rebus auctoritate propria, ut domini; quidam aliena, ut servi, quia, ut dicit lex, ff. *De peculio*, vestis qua utitur servus, est de peculio domini. Et alibi dicit lex, quod illud quod servo acquiritur, domino acquiritur. In usu ergo illorum, quia sua auctoritate utuntur rebus, in hujusmodi non differt usus a dominio. In usu autem aliorum differt. Quia ergo fratres Minores pro Christo serviles effecti sunt, utuntur rebus quas usu consumunt, nec tamen eis dominantur : et in hoc ipsum Dominum imitantur, qui cibo vescebatur alieno, in alienis domibus continue hospitando.

Sed quæritur, ex quo fratres tantum habent usum rerum, possunt ne habere usum quarumcumque et quantumcumque rerum? Et videtur quod sic, quia teste Gregorio [1] : « Census non est in culpa, sed affectus. » Ergo sufficit habere affectionem liberam, nec est vis de rebus, sive sint magnæ, sive parvæ.

Item [2] : *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona.* Bonum autem additum bono, auget ipsum : ergo carentia divitiarum nihil facit ad perfectionem.

Item, nonne multi sancti leguntur in utroque Testamento, in divitiis abundasse?

Respondeo ad quæstionem, quod cum fratres sint professores altissimæ paupertatis, oportet quod omnia, quæ in eorum usum veniunt, habeant, ut est possibile, parvitatem, vilitatem et asperitatem, quæ tria paupertatem altissimam naturaliter consequuntur. E contra divites habent affluentiam, et gloriam, et apparentiam, et consolationem, quæ possunt divitiis comparari. Quia ergo paupertas, in quantum est contraria divitiis, caret his tribus, si caret divitiis, necesse est, ut paupertas altissima, ut est possibile, careat his tribus in summo. Non ergo competit viris pauperibus habere magnas areas, vel sumptuosa ædificia, aut quæcumque similia, non vasa ornata, non cellaria vinaria, non promptuaria instaurata ; sed ut omnia, quantum patitur fragilitas, ad paupertatis strictissimam regulam reducantur. Ideo addit : *Sed tanquam peregrini in hoc sæculo, et advenæ.*

Et ad dictum Gregorii dicendum : Fateor quidem quod census non est in culpa essentialiter, vel causaliter; sed occasionaliter, quia affluentia habita illicit animum possidentis. Unde Bernardus [3] : « Hæc est ratio non habendarum divitiarum præcipue, quia sine amore vix aut nunquam haberi possunt. »

Et per hoc patet responsio ad secundum, quia omnia sunt bona essentialiter, sed occasionaliter mala sunt ex humana infirmitate. Unde in *Sapientia* dicitur [4] : *Creaturæ Dei in odium factæ sunt, et in tentationem animæ hominum, et in muscipulam pedibus insipientium.* Unde dicit Poeta :

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.

Ad tertium dicendum, quod aliqui sancti fuerunt divites, sed paucissimi. Unde divites in singulari numero, et cum conditione commendantur a Sapiente [5] : *Beatus dives, qui inventus est sine macula,* sed pluraliter damnantur a Christo [6] : *Væ vobis divitibus, qui habetis hic consolationem vestram.* Illis tamen omnibus Christus infinite præponitur, qui se exhibuit doctorem paupertatis verbo pariter et exemplo. Quod autem melior elegit, magis est eligendum.

Sequitur secunda pars rubricæ : *Vadant pro eleemosyna confidenter,* etc. Sed contra hoc videtur, quia de sanctis pauperibus in Hierusalem congregatis dicitur [7] : *Nec quisquam egens erat inter illos.* Sed ad hoc patet responsio ex prædictis in secunda rubrica, quia illi pauperes non omnino districtionem apostolicæ paupertatis profitebantur, ut visum est, inter quos erant neophyti viri

[1] Greg., *Moral.*, lib. X, c. XVII, al. XXVIII vel XXX, n. 49. — [2] *Gen.*, I, 31. — [3] Imo Gaufrid., *de colloq. Simon. cum Jesu*, n. 2, inter spuria Bern., tom. II, edit. 1690. — [4] *Sap.*, XIV, 11. — [5] *Eccli.*, XXXI, 8. — [6] *Luc.*, VI, 24. — [7] *Act.*, IV, 34.

et mulieres, quibus subita egestas perniciosa forsitan extitisset. Contra Paulus pro se, et sibi conformibus, ait [1] : *Usque in hanc horam esurimus, et sitimus.* Et alibi [2] : *Cum enim apud vos essem, et egerem, nulli onerosus fui.*

Item objicitur : Licet Dominus pauper fuit, non tamen dicitur a quibusdam fuisse mendicus, ut videtur.

Item fratres mendicando videntur gravare alios pauperes mendicos, penitus humano auxilio destitutos.

Item dicitur [3] : *Beatius est magis dare, quam accipere.*

Respondeo : Cum summe honorificum sit dare, summa privatio honoris est constituere se in dandi impossibilitate, et necessitate mendicandi, quia dicit Seneca [4] : « Nil carius emitur, quam quod precibus constat. Inter etiam omnium petitionum genera, verecundissima est mendicitas. » Est enim mendicare, « ad misericordiam hominum vivere, » ut dicit Augustinus [5] super illud Psalmi [6] : *Nutantes transferantur filii ejus, et mendicent.* Quid potest autem tam verecundum esse, quam in omnium Christianorum misericordia se ponere ? Hoc sciens sanctus Franciscus, subdit : *Nec oportet eos verecundari,* etc. Ipse enim Dominus mendicus fuit. Unde Augustinus, super illud Psalmi [7] : *Persecutus est hominem inopem,* id est, Christum, scilicet Judas [8] : « Et quod addidit, *et mendicum,* illum eumdem intelligere possumus, nisi forte, quia dicit mulieri Samaritanæ [9] : *Da mihi bibere,* et in cruce ait [10] : *Sitio.* » Amplius, quamvis ejus omnia essent, et ei ab omnibus deberentur, ipse tamen non est usus sua potestate, talia exigendo. Non enim exegit per imperium auctoritatis, sed per modum pauperis mendici, sicut dixit Zachæo [11] : *Festinans descende.* Ibi Glossa : « Non invitatus se invitat. »

Item tali etiam forma Apostoli processerunt, quibus licet omnia deberentur, tamen ut pauperes receperunt ex misericordia sibi datum ad necessitatem.

Item Bernardus, tractans illud verbum [12] : *Cum factus esset Jesus annorum duodecim,* dicit [13] : « Ut te, inquam, Domine, per omnia nostræ paupertati conformares, et omnes vitæ humanæ calamitates susciperes, quasi unus in turba pauperum, stipendium per ostia mendicabas. » Huic concordat sanctus Augustinus, super illud [14] : *Producens fœnum jumentis,* dicit in originali [15] : « Loculi erant Judæ proditori commissi, et illi qui conferebant in loculos, Domino conferebant, nisi forte putatis, quod Dominus ibat, et petebat, aut indigebat, cui angeli serviebant. Quare egere voluit, nisi ut daret exemplum montibus, ut parerent fœnum ? » Hæc Augustinus.

Ad tertium dicendum, sicut dicit Apostolus [16] : *Probaverunt Macedonia, et Achaia, collationem aliquam facere in pauperes sanctorum, qui sunt in Hierusalem. Placuit enim eis, et debitores sunt eorum. Nam si spiritualium eorum participes facti sunt Gentiles, debent et in corporalibus ministrare eis.* Ibi dicit Glossa, quod erant debitores, quia illi pauperes miserant eis prædicatores. Cum igitur isti pauperes fratres toti mundo mittunt prædicatores, a toto mundo possunt accipere necessaria vitæ suæ. Nulli ergo injuriantur in hoc, quia legis testimonio docetur, quod nulli facit injuriam qui utitur jure suo. Nisi forte ideo faciunt injuriam, quia quod possunt accipere cum honore, accipiunt cum extrema confusione.

Item omnia bona Ecclesiæ Christi, et omnes superfluitates divitum, sunt una respublica pauperum. In participatione autem hujus reipublicæ, tanto unusquisque minus alios lædit, quanto paucioribus est contentus. Hoc faciunt fratres isti, qui, cum possent vi-

[1] I *Cor.*, IV, 11. — [2] II *Cor.*, XI, 9. — [3] *Act.*, XX, 35. — [4] Senec. — [5] Aug., Enarr. *in Psal.* CVIII, n. 18. — [6] *Psal.* CVIII, 10. — [7] *Psal.* CVIII, 17. — [8] August., ubi sup. prox., n. 19. — [9] *Joan.*, IV, 7. — [10] Ibid., XIX, 28. — [11] *Luc.*, XIX, 5. — [12] Imo Ælred., *de Jesu puero duodenni*, n. 6, inter spuria Bern., tom. II, edit. 1690. — [13] *Luc.*, II, 42. — [14] *Psal.* CIII, 14. — [15] Aug., in hunc loc., n. 11, quoad aliqua. — [16] *Rom.*, XV, 26-27.

vere, sicut alii clerici, in statibus honoris et affluentiæ, vivunt in statu ignominiæ et ærumnæ, mendicantes pro se ipsis, sicut Paulus mendicavit pro aliis, ut patebit in epistolis suis, scilicet in collectis (*a*) pro pauperibus faciendis.

Ad ultimum, sciendum, quod si beatius est magis dare, quam accipere, batissimi sunt qui omnia dederunt. Unde Hieronymus : « Nemo perfectius erogat, quam qui sibi nihil reservat. »

Item, si recipere diminuet de beatitudine, ergo qui magis recipiunt, magis deficiunt, et qui minus recipiunt, minus deficiunt. In hac parte tales sunt isti pauperes in toto clero ex sua professione.

Item, licet dare simpliciter beatius sit, quam recipere, tamen cum circumstantia tantæ humilitatis recipere est beatius, quam dare. Unde Dominus suos discipulos ad receptionem informavit, quos nudos per sæcula destinavit. *Vadant fratres pro eleemosyna confidenter, nec oportet eos verecundari, quia Dominus noster se fecit pauperem in hoc mundo.* Sed glorientur, quia datum est eis pro nomine Jesu contumeliam pati, nihil habentibus in hoc mundo.

Hæc est illa celsitudo altissimæ paupertatis, etc. Quare altissimæ, nisi quia a mundo remotissimæ, et per consequens cœlorum regno summe vicinæ, illi etiam vitæ æternæ, ut est possibile, simillimæ, ubi nihil terrenum est proprium, vel commune? Unde subdit : *Quæ vos charissimos fratres meos hæredes, et reges regni cœlorum instituit:* ideo *hæredes,* quia omnia dimittentibus pro regno cœlorum, promittitur gloria æterna; ideo *reges,* quia solutione facta plenaria pro re emenda. Idcirco in *Matthæo* dicitur [1] : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Sunt ergo tanquam domini cœlorum, quia cuncta dederunt propter Deum, quamvis nondum sunt in ejus possessione. Hunc autem modum acquirendi regnum addit, dicens : *Pauperes rebus fecit, et virtutibus sublimavit :* ad hoc enim ordinatur paupertas ista, ut, soluto per eam prohibente virtutis, sanctitas augeatur. Studeant ergo isti pauperes, sicut sunt cæteris arctiores in paupertate, sic sint præ cæteris in omnibus celsiores. *Hæc sit portio vestra, quæ perducit in terram viventium,* eo ipso quo in terra morientium nihil quærunt. *Cui, dilectissimi, totaliter inhærentes,* ut omnia, quæ in usu fratrum sunt, hanc prædicent paupertatem : *nihil aliud, pro nomine Domini nostri* Jesu *Christi, in perpetuum sub cælo habere velitis.* Ipse enim ita pauper extitit, quod nihil habuit, quo posset eum diabolus spoliare, ut supra patet.

Sed quia sic fratribus depauperatis necessaria est fraterna consolatio, addit : *Et ubicumque sint fratres, ostendant,* etc., ostendens qualiter se debent habere ad alios : et primo ad sanos, et consequenter ad ægros. Circa primum informat eos ad veram, non ad fictam charitatem ; et hoc in duobus : primo quoad familiarem, affabilem et socialem dilectionem; secundo quoad necessitatum omnium relevationem. Dicit ergo : *Ubicumque sint,* in domo, sive extra domum, *et se invenerint fratres, ostendant se domesticos invicem inter se,* non solum publice, sed familiariter et secrete ; et ideo ait : *inter se.* Pro secundo addit : *et secure manifestet unus alteri necessitatem suam,* et secure, inquit, sicut filius matri suæ. Unde addit, *quia si mater nutrit, et diligit filium suum carnalem, quanto diligentius debet quis diligere* affectu, *et nutrire,* scilicet effectu, *fratrem suum spiritualem?* Consequentia patet, quia amor gratuitus, scilicet charitatis, fortior est amore carnali : tum quia charitas superat mortis innatum horrorem; tum quia charitas habet fundamentum sui bonum infinitum, propter quod nihil finitum prævalet contra eam. Hæc autem exhortatio ex illa regula evangelica trahitur [2] : *In hoc cognoscent omnes, quod mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad*

[1] *Matth.*, v, 3. — [2] *Joan.*, xiii, 35.

(*a*) *Al.* collecturis.

invicem. Item [1] : *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Sed pro ægrotis subdit : *Et si quis eorum in infirmitatem ceciderit, alii fratres debent ei servire, sicut vellent sibi serviri.* Et hoc etiam ad eamdem charitatem pertinet. Unde in *Ecclesiastico* dicitur [2] : *Non te pigeat visitare infirmos, ex his enim in dilectione firmaberis.* Unde Salvator ait [3] : *Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, et vos eadem facite illis*, etc.

CAPUT VII.

De pœnitentia fratribus peccantibus imponenda.

Si qui fratrum, instigante inimico, mortaliter peccaverint, pro illis peccatis de quibus ordinatum fuerit inter fratres, ut recurratur ad solos Ministros provinciales, teneantur prædicti fratres ad eos recurrere, quam citius poterunt, sine mora. Ipsi vero Ministri, si presbyteri sunt, cum misericordia injungant illis pœnitentiam. Si vero presbyteri non sunt [4], injungi faciant per alios sacerdotes Ordinis, sicut eis secundum Deum melius videbitur expedire; et cavere debent, ne irascantur et conturbentur propter peccatum alicujus : quia ira et conturbatio in se, et in aliis impediunt charitatem.

EXPOSITIO.

Si qui fratrum, instigante inimico, mortaliter peccaverint. Stabilitis duobus civitatis lateribus ex sex partibus figuratis, hic agitur de tertio latere occidentali. Et hæc pars habet tres partes : quia in prima agitur de lapsorum relevatione a casu fugientium; in secunda agitur de principali ordinis gubernatione, et pertinentibus ad totius ordinis immobilem statum; in tertia agitur de erectione aliorum a casu, prædicando verbum divinum. Prima pars habet tres : primo enim tangitur peccatorum debita ponderatio; secundo eorumdem ordinata correctio, ibi : *Ipsi vero ministri si presbyteri sunt;* tertio subditur ministrorum propria informatio, ibi : *Et cavere debent.*

Dicit ergo sic : *Si qui fratrum, instigante inimico*, etc. Quanto enim aliquis majus habuerit studium perfectum, tanto fortioribus contra eum machinatur insidiis. *Mortaliter peccaverint*, quod fit in omni voluntaria transgressione præcepti legis divinæ et disciplinæ. *Pro illis peccatis de quibus ordinatum fuerit inter fratres, ut recurratur ad solos Ministros Provinciales :* juxta quod Dominus ejectionem dæmoniorum suis miraculis reservavit [4]. *Teneantur prædicti fratres ad eos recurrere, quam citius poterunt, sine mora.* Hoc de notoriis tantum peccatis intelligitur, quia quæ secreta sunt, non sunt publicanda. Gravius enim est peccatum, quod in scandalum aliorum publice perpetratur, quam occultum, cæteris paribus : et ideo gravius est puniendum.

Sequitur secundum : *Ipsi vero ministri si presbyteri sunt :* quod regulariter est tenendum, cum habeant curam animarum, et per consequens habeant vultus pecorum suorum cognoscere, et in fide ac moribus ordinare. Istud autem dictum est pro ordinis principio, in quo erat raritas sacerdotum, maxime quia sanctus Franciscus ex humilitate legitur sacerdotium fugisse, sicut et sanctus Benedictus. *Cum misericordia injungant illis pœnitentiam.* Cum misericordia, inquit, ne eveniat quod dicitur [5] : « Cum austeritate imperabatis eis, et cum potentia, et dispersus est grex meus, eo quod non esset pastor.» *Si vero presbyteri non sint, injungi faciant per alios sacerdotes ordinis.*

Pro tertia parte subdit : *Et cavere debent ne irascantur.* Ira, quæ est habitus cum assensu liberi arbitrii in malevolentiam. Hoc idcirco dixerim, quia vitare omnes passiones surreptitias iræ non est in hominis potestate; sufficit autem voluntatis rectitudinem custodire, et motus hujusmodi rationabiles circa consensum viriliter cohibere. Unde Psalmus [6] : « Irascimini et nolite pec-

[1] *Luc.*, XXII, 32. — [2] *Eccli.*, VII, 39. — [3] *Matth.*, VII, 12. — [4] Ibid., X, 8. — [5] *Ezech.*, XXXIV, 4. — [6] *Psal.* IV, 5.

care. » *Et conturbentur,* id est, turbulenti et terribiles efficiantur subditis suis, *propter peccatum alicujus*, quia ira et conturbatio in se et in aliis impediunt charitatem, quæ est vita cordis, ut ait Joannes [1] : *Qui odit fratrem suum, homicida est.* Non autem prohibet iram per zelum, quæ virtus est necessaria in peccatis corrigendis.

CAPUT VIII.

De electione Generalis Ministri hujus fraternitatis, et de Capitulo Pentecostes.

Universi fratres unum de fratribus istius religionis teneantur semper habere generalem ministrum et servum totius fraternitatis, et ei teneantur firmiter obedire. Quo decedente, electio successoris fiat a ministris provincialibus et custodibus in capitulo Pentecostes, in quo provinciales ministri teneantur semper insimul convenire, ubicunque a generali ministro fuerit constitutum. Et hoc semel in tribus annis, vel ad alium terminum majorem vel minorem, sicut a prædicto ministro fuerit ordinatum. Et si aliquo tempore appareret universitati ministrorum provincialium et custodum prædictum ministrum non esse sufficientem ad servitium, et communem utilitatem fratrum; teneantur prædicti fratres, quibus electio data est, in nomine Domini alium sibi eligere in custodem. Post capitulum vero Pentecostes, ministri et custodes possint singuli, si voluerint, et eis expedire videbitur, eodem anno in suis custodiis semel fratres suos ad Capitulum convocare.

EXPOSITIO.

Universi fratres unum de fratribus istius Religionis, etc. Hic secundo providetur adversus occasum principalis ordinis gubernatio, quantum ad quatuor : primo quantum ad generalis ministri perfectionem et electionem; secundo, quantum ad Capituli generalis celebrationem, ibi : *Quo decedente*; tertio, quantum ad absolutionem ministri inutilis, ibi : *Et si aliquo tempore;* quarto, quantum ad celebrationem capituli provincialis, ibi : *Post capitulum vero Pentecostes.*

Dicit ergo pro primo sic : *Universi fratres unum de fratribus istius religionis teneantur semper habere generalem ministrum, et servum totius fraternitatis.* Unde in *Ecclesiastico* dicitur [2] : *Circa illum corona fratrum, quasi plantatio cedri in monte Libano.* In his autem verbis, tangit ejus auctoritatem in nomine *generalitatis.* Tangit etiam humilitatem, cum dicit : *Ut sit servus totius fraternitatis,* ut scilicet qui, dum subditus erat, obediebat uni aut duobus, sciat se electum in generalem ministrum, debere omnium necessitatibus obedire. Tangendo autem ejus auctoritatem et humilitatem, notat etiam unitatem, dicens : *Unum de fratribus,* quia sine uno capite, nulla respublica stare bene potest. Unde unum Apostolum Dominus præfecit cæteris. Item in *Ezechiel* dicitur [3] : *Suscitabo super eas pastorem unum, qui pascat eas, servum Deum David.* [4] *Omne enim regnum in se divisum desolabitur.*

Pro secunda particula addit : *Quo decedente,* etc., *fuerit ordinatum,* quia, pro diversis necessitatibus, oportet temporis spatium variare. In exemplum hujus capituli, congregati discipuli receperunt Spiritum sanctum, ut habetur in *Actis* [5].

Et pro tertia parte addit : *Et si aliquo tempore appareret universitati ministrorum provincialium et custodum, sine personarum acceptione, et nationum, teneantur prædicti fratres, quibus electio data est, in nomine Domini alium sibi eligere in custodem.* Hoc nomen *Custos* actum dicit, et non gradum, sicut nomen *Seraphin* actum dicit, et non ordinem. Unde in Isaia dicitur [6] : *Volavit ad me unus Seraphin.*

Pro quarta particula addit : *Post capitu-*

[1] I *Joan*, III, 15. — [2] *Eccli.*, L, 13. — [3] *Ezech.*, XXXIV, 23. — [4] *Matth.*, XII, 25. — [5] *Act.*, II, 1. — [6] *Isa*, VI, 6.

lum vero Pentecostes. Non negat quin possint etiam capitula provincialia aliis annis celebrare; sed de isto fit specialiter mentio, quia est præ cæteris necessarium, ut ordinationes generalis capituli per capitula provincialia celeriter publicentur, et ut possit de absolutis ministris provincialibus provideri.

CAPUT IX.

De prædicatoribus.

Fratres non prædicent in episcopatu alicujus episcopi, cum ab eo illis fuerit contradictum. Et nullus fratrum populo penitus audeat prædicare, nisi a Ministro generali hujus fraternitatis fuerit examinatus et approbatus, et ab eo sibi officium prædicationis concessum. Moneo quoque et exhortor eosdem fratres, ut in prædicatione quam faciunt, sint examinata et casta eorum eloquia ad utilitatem et ædificationem populi, annuntiando eis vitia et virtutes, pœnam et gloriam cum brevitate sermonis, quia [1] *verbum abbreviatum fecit Dominus super terram.*

EXPOSITIO.

Fratres non prædicent in episcopatu alicujus episcopi, etc. Hæc est tertia pars, in qua agitur de prædicatione fratrum, pertinente ad Leviatan extirpandum, ut est mensa in latere Aquilonis, ut dicitur in Exodo [2]. Et hæc pars habet duas partes, quia primo agit de pertinentibus ad prædicationis auctoritatem; secundo, ad prædicationis utilitatem et maturitatem, ibi : *Moneo quoque fratres.* Et quoniam prædicaturi fulciuntur duplici auctoritate, scilicet prælatorum sæcularium, quibus sunt greges commissi, et prælatorum ordinis, per quos habet de personis idoneis provideri; pro primo dicit sic : *Fratres non prædicent in episcopatu alicujus episcopi, ubi eis fuerit contradictum.* Hoc ideo dicitur, quia fratribus iste gradus licentiæ debet sufficere, quia præsumitur eum consentire, si non contradicat. Unde Gregorius, XXII *Moralium* [3] : « Pii pastoris mens, quia non propriam gloriam, sed auctoris sui quærit, ab omnibus vult juvari. Fidelis namque prædicator optat, ut, si fieri valeat, veritatem, quam solus loqui non sufficit, ora cunctorum sonent. » Hæc Gregorius. Unde in *Luca* dicitur [4] : *Vidimus quemdam in nomine tuo dæmonia ejicientem, et prohibuimus eum, quia non sequitur te nobiscum. Et ait ad illos : Nolite prohibere; qui enim non est adversus nos, pro nobis est.* Simile legitur in *Numeris* [5]. Ne igitur impedimentum esse possit verbi Dei expectatio licentiæ expressæ, ut ostendatur præsumptam licentiam sufficere his dumtaxat, quorum prædicatio est per Sedem Apostolicam approbata, loquitur negative, in principio dicens : *Fratres non prædicent in episcopatu alicujus.* Sed ponamus quod episcopo attentante (*a*) et approbante prædicationem fratrum, aliquis inferior prælatus repellat eum in parochia sua; numquid contra voluntatem ejus debent ibidem prædicare? Et videtur quod non, quia omnis auctoritas concessa a quocumque judice, intelligitur concedi sine præjudicio : sed prædicare in alienis, invito curam habente, est in præjudicium proprii pastoris : ergo nullum privilegium suffragatur fratribus ad prædicandum plebi, contradicente proprio pastore.

Item saltem nullus debet audire confessionem alicujus parochiani alterius, quia per hoc impeditur ne possit agnoscere vultum pecorum suorum, contra illud Proverbiorum [6] : *Diligenter agnosce vultum pecoris tui.*

Respondeo. Cura pastoralis non est dominium, sed dispensatio, et officium ecclesiasticæ potestatis. Unde hierarchia secundum Dionysium [7] est potestas ordinata ad dispensandum sacræ omnia potestati subjecta. In potestatibus autem ordinatis, quidquid po-

[1] *Rom.*, IX, 28. — [2] *Exod.*, XXVI, 35. — [3] Gregor., *Moral.*, lib. XXII, c. XVI, al. XXIII, n. 34. — [4] *Luc.*, IX, 49-50. — [5] *Num.*, XI, 26-29. — [6] *Prov.*, XXVII, 23. — [7] Dionys. Areop., *de Eccl. Hier.*, c. 1.

(*a*) *Forte leg.* acceptante.

test inferior, etiam potest superior, et non e converso. Unde et ipsa hierarchia habet totam potestatem in se ordinatam, quæ est hierarchia par varios gradus distributa. Unde nominans hierarchiam, nominat omnem hierarchicam potestatem. Unde dicit Dionysius, primo *Ecclesiasticæ hierarchiæ*, quod licet illa hierarchia aliis tradat sibi subditis potestatem, manet tamen apud eum ordinaria potestas ad agenda omnia quæcumque per sibi subditos fieri possunt, ad salutem fidelium procurandam. Et quia quidquid potest ex ordinaria potestate seu auctoritate, potest alteri committere, et quod potest per se, potest per alium in adjutorium sibi subditarum potestatum mittere opitulationes, quotiescumque sibi videtur expedire. Alioquin nimis periclitaretur status Ecclesiæ, si Papa, vel inferior hierarcha, videns sibi subditis curæ non sufficere, nec seipsum posse omnibus adesse, non posset viros idoneos mittere vice sua. Unde si sacerdos curam habens nolit admittere fratrem missum canonice, peccat mortaliter. Unde Apostolus [1] : *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Si igitur resistat sacerdos, nitatur frater cum humilitate allicere; quod si non possit, nisi scandalum immineat, debet frater prædicationis officium exercere. Quod si omnino se sacerdos irrationabiliter opponat, vehemens est præsumptio contra ipsum, cedendum est ad tempus malitiæ, ne scandalum suscitetur, et denuntiandum est hierarchiæ periculum animarum. Cum ergo dicit, quod « in præjudicium sacerdotis, » dicendum quod non, quia nulli facit injuriam, qui utitur jure suo. Non ergo injuriatur episcopus mittendo opitulationem, cum hoc facere posset de jure, ut supra visum. Nec injuriatur opitulans illi, quem juvat in sarcina supportanda; pro tanto enim minuitur sacerdoti curam habenti pondus in districto judicio Dei, quantum ab illo supportatur. Et quod dico de prædicatione, intelligo etiam de confessionibus audiendis. Possunt enim fratres apostolica ordinatione in privilegiis ordinis expressa, audire cujuscumque sacerdotis parochianos, ipso inconsulto, vel etiam contradicente, si auctoritatem habeant ab episcopo audiendi. Et quia curia Romana hoc determinat, hæreticum est aliud pertinaciter affirmare, sicut patet distinctione XXII, capite *Omnes* [2]. Patet etiam Papam posse talia in Ecclesia ordinare, quia certum est, quod distinctio curarum, et collatio jurisdictionum ab auctoritate processit Ecclesiæ Romanæ. Ergo quandocumque videtur ei ad salutem fidelium aliud expedire, potest aliud ordinare, dicente Augustino [3], quod « hoc solum recte agitur, ut vita hominum corrigatur. »

Ad objectum de agnitione vultus, respondeo, quod si sacerdos proprius scire possit, et vellet sufficiens consilium super subditos impendere, nullus sanæ mentis quæreret immiscere se confessionibus ad ipsum non (*a*) pertinentibus audiendis. Certum est autem, quod quidam sacerdotes omnes suos subditos audire non possunt propter multitudinem subditorum. Unde cum ipsi soleant sibi alios adjungere sacerdotes commensales, vel extraneos ad tempus vocare pro illis audiendis, quos sibi nolunt, vel nesciunt, vel non possunt audire, impium est dicere ipsum hoc posse, et episcopum non posse. Potest igitur episcopus aliquos mittere in adjutorium sacerdotum, propter ipsorum impotentiam, ignorantiam, vel acediam, qua tepidi sunt in discutiendis conscientiis subditorum. Nec propter hoc tantum, scilicet propter insufficientiam sacerdotum in aliquo prædictorum trium, imo etiam propter majus bonum : quia in majorem fervorem pœnitentiæ excitantur multi ex prædicatione et exemplis fratrum, quam plurimorum aliorum. Potest autem nihilominus sacerdos agnoscere vultus pecorum suorum, vel quantum ad exteriorem conversationem, vel

[1] *Rom.*, XIII, 2. — [2] *Decret.*, part. I, dist. XXII, c. I, ex epist. Nicol. II ad Mediolan. — [3] Aug.

(*a*) *Del.* non.

quantum ad conscientias subditorum suorum, si, postquam fuerint fratri confessi, dicant in foro conscientiæ sacerdoti se confessos fuisse (quoniam in foro conscientiæ pro se, et contra se, cuilibet est credendum), et aliqua etiam interim venialia emergentia dicere. Quamquam non esset malum, imo certe plurimum expediens, omnem confessionem reiterare pro benedictione duplici acquirenda, nisi forte sacerdos ille esset ignarus plurimum, aut revelator confessionis, aut sollicitator ad peccandum, aut simoniacus, aut aliter scelerosus, quo pateat ipsum, ut malæ conscientiæ hominem, non habere zelum Dei pro aliis dirigendis. Impium est autem non credere audito a fratre, cum credat audito a sæculari alio sacerdote, vel dicere quod frater impediat agnitionem vultus, quam non impedit alius sæcularis.

In omnibus autem confessionibus audiendis consulo auditores fratres prius inquirere, qua de causa declinant auditorium proprii sacerdotis, et nisi eos inveniant pie motos et rationabili causa ductos, remittant eos ad proprios sacerdotes. Retrahuntur aliquando enim peccatores saltem ad tempus verecundia ab ausu peccandi, in aspectu et præsentia proprii sacerdotis, si bonus est, eorum scelera cognoscentis. Sed quia hoc rarum est, non sunt propter hoc particulare rarum bonum alia innumera dimittenda, quæ per auditum fratrum, vel aliorum Deum timentium procurantur.

Pro auctoritate habenda a Prælatis Ordinis subdit : *Nullus fratrum populo penitus audeat prædicare, nisi*, etc. Circa quod notandum est, quod superius dictum est, cessante causa, etc. Certum est autem, quod nullus examinandus est, nisi de cujus sufficientia non constat. Idcirco Papa regulam declarando diffinit, quod qui examinatione non indigent, non sunt ad generalem ministrum causa officii prædicationis mittendi. Aliud etiam privilegium examinationem committit discretis fratribus aliis ; quod privilegium non discordat ab intentione regulæ, quæ non intendit nisi periculis obviare, quod (Deo gratias) excludi potest per multiplicationem litteratorum per ordinem ad talem examinationem sufficientium, et melius sic pericula excludentium quam alio modo fieret : quia discursus et viarum multiplicium pericula sic vitantur. Sic Dominus ipse, christianæ Religionis institutor, primo solus vocavit et informavit discipulos ; secundo per alios Ecclesiam dilatavit. *Moneo quoque, et exhortor ipsos fratres, ut in prædicatione quam faciunt :* ergo nullus debet prædicare, nisi sciat ipse sermonem facere, et sufficienter disponere. Unde subdit : *Sint examinata*, non temere, ac sine deliberatione prolata, non sint nova ac suspecta, *sed casta eorum eloquia*. Psalmista [1] : *Eloquia Domini eloquia casta*. Hæc autem castitas excludit corruptionem falsitatis, et emissionem non solum enormitatis, imo etiam omnis vanitatis, seu verbi risum provocantis, seu fastum aut impetum prætendentis. Excludit etiam corruptionem intentionis. Unde Apostolus ait [2] : *Non enim sumus sicut plurimi adulterantes verbum Dei ; sed ex sinceritate, sicut Deo, coram Deo, in Christo loquimur. Ex Deo,* contra falsitatem ; *coram Deo,* per maturitatem ; *in Christo*, per puritatis intentionem (*a*). Secundo describit eam per causam finalem. Unde subdit : *Ad utilitatem, et ædificationem populi. Utilitatem* in malo vitando ; *ædificationem* in bono faciendo. *Populi* dicitur, ne tantum præsumant, quod pauperibus et simplicibus prædicare contemnant. Sed pro causa materiali subdit : *Annuntiando eis vitia et virtutes*, quantum ad vitam præsentem ; *pœnam et gloriam*, ad vitam futuram : quod dicit, ne prædicent scilicet seipsos, ut suam philosophiam ostendant, et fimbrias magnificent. Pro causa formali, subdit : *Cum brevitate sermonis*. Hæc brevitas excludit verborum ambages et sententias involutas, verba etiam ardua super capacitatem audientium. Hoc

[1] *Psal.* XI, 7. — [2] II *Cor.*, II, 17.

(*a*) *Leg.* intentionis puritatem.

patet per illud quod sequitur : *Quia verbum abbreviatum fecit Dominus super terram.* Ista enim abbreviatio non excludit, cum expedit, sermonis prolixitatem, quia Dominus ipse aliquando prolixe prædicavit, sicut patet in *Joanne*[1], et *Matthæo*[2]. Sed brevitas dicitur ibi restrictio (*a*) omnium legalium ad unum Christum ; item exclusio cærimonialium, et commendatio moralium ; item brevitas est charitas, quæ continet in se totam legem ad litteram. Etiam studendum est brevitati, quia prolixitas, generando fastidium, auditores pluries retrahit ab auditu. Ex isto capitulo patet, quod fratribus, ex intentione B. Francisci, incumbit studere, quia sine studio non possunt verba modo debito examinare. Patet etiam quod fratres ex sua professione habent prædicare, in quorum regula inter omnes specialis tractatus de prædicationis officio continetur ; unde certissime constat, quod nullis aliis religiosis plus competit prædicare ex ratione status sui, quam his, qui hanc regulam profitentur.

CAPUT X.

De admonitione et correctione fratrum.

Fratres qui sunt ministri et servi aliorum fratrum, visitent et moneant fratres suos, et humiliter et charitative corrigant eos, non præcipientes eis aliquid quod sit contra animam suam et regulam nostram. Fratres vero qui sunt subditi, recordentur quod propter Deum abnegaverunt proprias voluntates. Unde firmiter præcipio eis, ut obediant suis ministris in omnibus, quæ promiserunt Domino observare, et non sunt contraria animæ et regulæ nostræ, et ubicumque sunt fratres, qui scirent et cognoscerent se non posse regulam spiritualiter observare, ad suos ministros debeant et possint recurrere. Ministri vero charitative et benigne eos recipiant, et tantam familiaritatem habeant circa ipsos, ut dicere possint eis et facere sicut domini servis suis. Nam ita debet esse, quod Ministri sint servi omnium fratrum. Moneo vero et exhortor in Domino Jesu Christo, ut caveant fratres ab omni superbia, vana gloria, invidia, avaritia, cura et sollicitudine hujus sæculi, detractione et murmuratione. Et non curent nescientes litteras, litteras discere, sed attendant quod super omnia desiderare debent habere spiritum Domini, et sanctam ejus operationem, orare semper ad eum puro corde, et habere humilitatem et patientiam in persecutione, et in infirmitate, et diligere eos qui nos persequuntur, et reprehendunt et arguunt, quia dicit Dominus[3] : *Diligite inimicos vestros, et orare pro persequentibus et calumniantibus vos.* [4] *Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* [5] *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.*

EXPOSITIO.

Fratres qui sunt ministri et servi aliorum fratrum, etc. Descriptis tribus hujus civitatis lateribus, hic describit latus quartum, totum vergens ad austrum, et etiam ad interiora austri. Et hæc pars habet tres, quia prima pars docet servare omnem virtutis perfectionem, præcipue charitatis; secunda docet servare famæ sinceritatem a maculis, præcipue fœditatis ; tertia sitientibus martyrium aperit aditum, docens infidelibus se jungere, domesticis abdicatis. Prima pars habet octo : quia primo imponit ministris provincialibus diligentiam curæ ; secundo imponit subditis districtionem obedientiæ, ibi : *Fratres vero, qui sunt subditi ;* tertio fratribus gravatis dat remedium, ibi : *Et ubicumque sunt ;* quarto circa hoc subdit informationem ministrorum, ibi : *Ministri vero benigne;* quinto subdit informationem omnium fratrum ad vitationem peccatorum, præcipue spiritualium, ibi : *Moneo vero ;* sexto informat eos ad devotionis spiritum, et orationis exercitium, ibi : *Sed attendant ;*

[1] *Joan.*, XIV-XVII. — [2] *Matth.*, V-VII. — [3] *Matth.*, V, 44. — [4] Ibid., 10. — [5] Ibid., X, 22.

(*a*) *Forte leg.* reductio.

septimo, ad tolerantiam injuriarum, et aliorum gravaminum, ibi : *Et habere humilitatem et patientiam;* octavo, ad charitatis complementum, ibi : *Et diligere eos, qui nos*, etc.

Dicit ergo primo : *Fratres qui sunt ministri, et servi aliorum fratrum :* ministri in spiritualibus, et servi in temporalibus. *Visitent* socialiter, et *moneant* judicialiter, ex dicto Salvatoris Petro [1] *: Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.* Et hoc ad benefaciendum. *Humiliter,* non imperiose ; et *charitative*, non contumeliose contradicentes, unde in *Ezechiele* dicitur [2] : « Lateribus et humeris impingebatis, et cornibus vestris ventilabatis omnia infirma pecora, donec dispergerentur foras. » *Humiliter* ergo, et *charitative,* exemplo Domini dicentis [3] : « Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina ! » Ipse tamen Dominus asperæ dedit correctionis exemplum; unde facto flagello de funiculis [4], expulit ementes et vendentes. Et Petro carnali sensu ducto dixit [5] : « Vade retro, Satanas. » Durissime etiam Pharisæos et (*a*) hypocritas increpabat [6]. *Non præcipientes eis aliquid, quod sit contra animam suam*, utpote inhibitum lege divina, *et regulam nostram,* inhibitum lege disciplinæ.

Pro secunda parte rubricæ subdit : *Fratres vero qui sunt subditi, recordentur quod propter Deum abnegaverunt proprias voluntates.* Propria voluntas est illa, quæ omnino divino imperio non ligatur, vel superiori regulæ non adhæret. *Unde firmiter præcipio eis, ut obediant suis ministris*, et omnibus prælatis ordinis. Et dicit : *Suis*, ut de provincialibus, et aliis prælatis immediatis se loqui ostendat hic, qui supra de obedientia ad generalem ministris in primo capite est locutus. *In omnibus, quæ promiserunt Domino, observare*, supple, explicite vel implicite. *Et non sunt contraria animæ suæ et regulæ nostræ* ; hoc supra expositum est.

Sequitur pro tertia parte *: Et ubicumque sunt fratres, qui scirent* se (*b*) per experientiam, *et cognoscerent* per rectum judicium, *se non posse regulam spiritualiter observare,* hoc est in his præcipue quæ spiritualia sunt, ut tranquillitas cordis, et puritas conscientiæ. *Non posse*, inquit, vel propter tentationum gravitatem periculosam, ut in consortio mulierum; vel *non posse* quantum ad corporis necessaria, si non possint habere alicubi salva Ordinis puritate, vel propter similia. *Ad suos ministros debeant recurrere,* qui debent esse refugium afflictorum, vice Domini dicentis [7] : « Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos. » Recurrere, inquam, per se, vel per nuntium, forma statutorum ordinis observata in eundo, quia istud debitum non est exemptum ab obedientia statutorum.

Sequitur pro quarta parte : *Ministri vero charitative* in corde, *et benigne* in vultu et sermone, *eos recipiant, et tantam familiaritatem habeant circa eos,* hoc est tam familiares seipsos exhibeant, *ut dicere possint eis* fratres ad eos recurrentes, *et facere, sicut domini servis suis.* In hoc verbo, *Sicut domini,* ministri informantur ad humilitatem, ut se quasi servos imaginentur fratrum aliorum esse. Et omnia verba imperium resonantia sileant, et facta dominatum prætendentia penitus deserant, exemplo illius, qui dixit [8] : « Qui major est in vobis, fiat sicut minor; et qui præcessor, sicut ministrator. » Cum igitur dicitur : *Ut dicere possint et facere*, informatio est ministrorum, ne facto aut verbo prætendant fastum, qui possit repellere subditos a fiducia ad ministros in necessitatibus recurrendi. Non est autem intelligendum verbum, quod subditis detur occasio superbiendi per nimiam humilitatem ministrorum, ne, sicut dicit Gregorius [9], « dum nimis servatur humilitas, regendi

[1] *Luc.*, XXII, 32. — [2] *Ezech.*, XXXIV, 21. — [3] *Matth.*, XXIII, 37.. — [4] *Joan.*, II, 15 — [5] *Marc.*, VIII, 33. — [6] *Matth.*, XV, 7; XXII, 18; XXIII, 14, 15, 23, 29. — [7] *Matth.*, XI, 29. — [8] *Luc.*, XXII, 26. — [9] Gregor., *Pastor. Cur.*, part. II, c. VI.

(*a*) *Forte leg.* ut. — (*b*) *Del.* se.

frangatur auctoritas. » Unde qui dixit [1] : « Qui major est vestrum, » etc., non dixit : Qui minor est, fiat sicut major. Nam ita debet esse, quod Ministri sint servi omnium fratrum : servi quidem in his præcipue, quæ ad salutem pertinent animarum. Unde Dominus [2] : « Ego in medio vestrum sum tanquam qui ministrat. »

Sequitur pro quinta parte, in qua tangit octo genera peccatorum, dicens : *Moneo vero et exhortor in Domino Jesu Christo, ut caveant fratres ab omni superbia*, quia, ut dicit Augustinus super illud Psalmi [3] : *In ira consummationis* [4] : « Alia vitia in malefactis timenda sunt, superbia in benefactis plus metuenda est. » *Ab omni*, inquam, *superbia* cordis, conversationis, sermonis et operis ; *vana gloria*, quæ oritur ex superbia : hoc est fratribus necessarium. Unde Hieronymus *super Matthæum* [5] : « Eleganter in quodam volumine scriptum legimus : *Ne quæras gloriam, et non dolebis cum inglorius fueris.* » *Invidia*, quæ infallibiliter superbiam comitatur. Unde Augustinus [6], super illud Psalmi : « Superbiæ est comes invidia : fieri enim non potest, ut superbus non invideat. » *Avaritia*, quæ consistit in cupiditate rerum terrenarum non habitarum ; item consistit in tenacitate rerum obtentarum quarumcumque in usum venientium : pro qua ulterius excludenda subdit : *Cura et sollicitudine hujus sæculi*, quæ ex avaritia proveniunt. Unde Salvator [7] : « Nolite solliciti esse. » Dicendo : *Aut sollicitudine hujus sæculi*, sollicitudinem sæcularem perimit, ut spiritualem sollicitudinem non excludat, quæ in procuranda animarum salute præcipue exercetur. Inhibendo etiam sollicitudinem hujus sæculi, curiositatem illorum percutit, qui immoderate student in sapientia sæculari. In culpam avaritiæ, et sollicitudinis nimietatem, incidunt omnes superfluitates librorum, aut vestium, aut ædificiorum, aut similium. Quæ avaritia tunc est damnabilis, cum in gravamen aliorum pauperum, eleemosynæ in talibus supervacue consumuntur. *Detractione*, quæ oritur præcipue ex invidia et odio : excludendo detractionem, odium etiam et iram excludit. *Et murmuratione*, quæ ex impatientia et judiciorum temeritate procedit ; omnia vitia spiritualia, quæ religiosos fragiles comitari solent, hæc excludit, excepta acedia, quam in suo consequenter opposito dissuadet. Curiositatem etiam laicorum cohibet, dicens : *Et non curent nescientes litteras*, id est, laici, litteras discere. In quo verbo curiositatem cohibet ; non tamen inhibet, quin ipsi teneantur litteras discere, si fuerit eis imperatum.

Sed cum ista sint mortalia, puta in lege Dei prohibita, quare hic ea monitorie exhortantur ? Ad quod dicendum, quod in omni genere capitalium peccatorum aliquid est mortale, et aliquid est veniale. Mortale est omne peccatum quo aliquid appetitur supra Deum. Hoc autem supra Deum appetitur, quando aliquis, pro re temporali desiderata obtinenda, vellet aliquod peccatum mortale committere, quasi etiam non possit aliter obtinere, vel pro re jam obtenta non amittenda, prius vellet peccatum mortale committere, quam ipsa carere. Hæc autem docet S. Augustinus [7] : « Hoc est enim habere Christum in fundamento, nihil Christo præponere, sed in omnibus ejus præponere præceptoriam voluntatem. » Qui igitur excellentiam vel vanam gloriam inordinate appetit, ita tamen quod Deum sibi in corde præponit, nec aliquid contra Deum faceret pro gloria assequenda, superbus est, sed non criminaliter. Et propter istam distinctionem admonemur omne etiam signum superbiæ in gestu, habitu et sermone, et ita de aliis intellige consequenter. Qui ergo sollicitus est de sæculo contra regulæ honestatem, vel in tantum, ut illa amittat ad quæ ex lege vel voto regulæ tenetur, peccat mortaliter.

Objectio.

Responsio.

[1] *Luc.*, XXII, 26. — [2] Ibid., 27. — [3] *Psal.* LVIII, 14. — [4] Aug., *in Psal.* LVIII, conc. II, n. 5. — [5] Hieron., *in Matth.*, V. — [6] *Matth.*, VI, 34. — [7] Aug., *de Civit. Dei*, lib. XXI, c. XXVI, n. 2.

De detractione est difficilius explicare. Circa quod sciendum, quod detractio est quæ verbo lædit alium, præcipue in absentia. Talis ergo aut mentitur, ut lædat, et hoc est generaliter mortale peccatum, cum sit perniciosum mendacium; aut dicit verum, licet malum, et hoc potest esse tripliciter: aut enim homo dicit malum verum de alio, zelo justitiæ, quando et ubi dicendum est, et hoc non est malum, sed bonum; aut dicit malum desiderio et libidine vindictæ, vel odio personæ, et hoc principali intentione, et talis peccat mortaliter; aut dicit malum scitum, ex lubricitate linguæ, et hoc non est mortale peccatum, nisi ita contra prudentiam dicatur, ut possit in scandalum redundare. Zelo autem justitiæ potest quis dicere malum dupliciter, vel ut corrigatur, vel ut caveatur. Murmuratio est peccatum mortale, cum impugnat scienter Dei judicia, vel superioris auctoritatem, vel cum ordinatur ad scandalum suscitandum.

Pro sexta parte subdit : *Sed attendant quod super omnia desiderare debent habere spiritum Domini*, quem supra dixit spiritum sanctæ devotionis. Ista devotio est pius et humilis affectus in Deum, qui ex compunctione generatur. *Et sanctam ejus operationem* : oratio enim dicit Spiritus operationem, quia, (*a*) dicit Apostolus ad Romanos [1], « Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. » *Orare semper ad Deum puro corde* [2] : « Oportet semper orare, et non deficere. » Et Apostolus ait [3] : « Sine intermissione orate. » Hoc autem triplicem habet sensum, quorum duo tanguntur in Glossa [4] : quia semper orare, est canonicas horas quotidie debito modo dicere; item semper orat, qui semper bene agit; tertio modo semper orare, est spiritum devotionis semper inviolabiliter observare, quæ habita inter quascumque occupationes solet gemitibus et suspiriis inenarrabilibus Christi clementiam implorare. Imperceptibiliter etiam ad hoc Regula, ut existimo, manuducit. Fratres igitur, semper orantes, acediam a se excludunt, et per jejunium gaudii omne carnale solatium procul pellunt : ubi cavenda est hæresis Massalianorum (*b*) [5].

Pro septima parte addit : *Et habere humilitatem et patientiam.* Præmittit humilitatem patientiæ, quia fundamentum ejus est, sicut e contrario superbia est fundamentum impatientiæ. [6] « Inter superbos semper jurgia sunt. » *In persecutione*, quæ est adversitas ad extra, *et in infirmitate*, quæ est adversitas ab intra. Et dicitur : *In persecutione*, quia [7] « omnes qui pie volunt vivere, persecutionem patientur. » Item Apostolus dicebat [8] : « Usque in hanc horam esurimus et sitimus. » Ibi Glossa : « Libere et sine adulatione veritatem prædicantes, et gesta pravæ vitæ arguentes, gratiam non habent apud homines. » Ad patientiam in infirmitate pertinet, paucis obsequiis paucisque remediis contentum esse, juxta exigentiam paupertatis, ut memores sint fratres, quomodo olim monachi languentes aqua frigida vix ad sufficientiam utebantur. In quo (sine gravi cordis gemitu non dico) magis reperiuntur vitiosi, pauperes in sæculo, ad Religionem venientes, de quibus Hieronymus ait [9] : « Mirum de infelici conditione plurimorum. Sunt nonnulli viles et abjecti in sæculo, qui quotidianis laboribus se ultra vires affligentes pro victu captando, vilissime, et vix raris fabis et rapis cum ordeaceo pane saturantur. Cum Christi vero ad mensam accedunt, et Christi militiam suscipiunt, suæ egestatis obliti, lautiora quærunt quam milites, qui sunt assueti magnificis. Hæc autem omnia

[1] *Rom.*, VIII, 26. — [2] *Luc.*, XVIII, 1. — [3] I *Thess.*, V, 17. — [4] Gloss. *in Luc.*, XVIII. — [5] Ex Augustino, lib. *de Hæresib.*, LVII, necnon ex Epiphanio, cujus invocat testimonium, « Massalianorum nomen ex lingua Syra est. Græce autem dicuntur Εὐχῖται, ab orando sic appellati. Tantum enim orant, ut eis qui hoc de illis audiunt incredibile videatur. » Et infra : « Dicuntur Euchitæ opinari, monachis non licere sustentandæ vitæ suæ causa aliquid operari, atque ita seipsos monachos profiteri, ut omnino ab operibus vacent. » — [6] *Prov.*, XIII, 10. — [7] II *Tim.*, III, 12. — [8] I *Cor.*, IV, 11. — [9] Hieron., *ad Eustoch.*

(*a*) *Suppl.* ut. — (*b*) *Cæt. edit.* Massilianorum.

in Christi, et Apostolica vita locum non habent. » Hæc Hieronymus.

In ultima parte subdit : *Et diligere eos qui nos persequuntur* facto, *et reprehendunt* irrationabiliter, *et arguunt* rationabiliter. *Quia dicit Dominus : Diligite inimicos vestros,* quanto magis amicos. *Et orate pro persequentibus* in facto, *et calumniantibus vos,* in falsi criminis impositione. Cujus rationem subdit, dicens : *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.*

CAPUT XI.

Quod fratres non ingrediantur monasteria monacharum.

Præcipio firmiter fratribus universis, ne habeant suspecta consortia, vel consilia mulierum. Et ne ingrediantur monasteria monacharum, præter illos, quibus a Sede Apostolica concessa est licentia specialis. Nec fiant compatres virorum, vel mulierum, ne hac occasione inter fratres, vel de fratribus scandalum oriatur.

EXPOSITIO.

Præcipio firmiter. Hic docet fratres famæ sinceritatem observare a labe præcipue turpitudinis. Et hæc pars dividitur in tres : primo inhibet generaliter suspecta consilia omnium mulierum ; secundo cautelam adhibet circa consortia monialium ; tertio inhibet occasionem spiritualium cognationum.

Dicit ergo pro primo : *Præcipio firmiter fratribus universis, ne habeant suspecta consortia vel consilia mulierum.* Suspectum consortium est, non solum mulieris suspectæ, imo cum omni muliere, ubi locus, et tempus, gestus, et aspectus, et alia laudabilia indicia suspicionem laudabiliter non excludunt, ut si locus quæratur pro mulierum colloquio solitarius, aut obscurus, et tempus nocturnum, vel alias opportunum. Si gestus sit dissolutus, utpote ex nimia mulieris appropinquitate, vel faciei ad eam conversione, fixis oculis, manibus junctis, omne tale consortium est suspectum. Unde suspecta sunt consortia et colloquia prædictis circumstantiis concurrentibus. Item si solitaria sint, excluso aliorum auditu, licet non visu, ex intentione, sine causa pia, maxime si sint solitarie prolongata, aut cum eadem persona sine ratione evidenti frequentata, suspecta sunt colloquia. Ad suspicionem autem mulierum facit ætas et conditio colloquentis. Illam autem suspicionem existimo hic prohiberi, quæ fratri excitat enormis tentationis stimulum, vel quæ crimini præstat fomentum, vel quæ potest apud alios, vel alium, scandalum generare. Et hic æstimo omne suspectum prohiberi colloquium, quod ordinatur ad carnis immunditiam quamcumque, vel quod potest hujus rei scandalum, vel suspicionem probabiliter excitare : sicut Dominus prohibendo mœchiam, prohibet non solum minorem lapsum qui est fornicatio, sed et omnem majorem turpitudinem, qua corpus seminaliter inquinatur.

Sequitur pro secunda parte : *Et ne ingrediantur monasteria monacharum, præter illos quibus a Sede Apostolica concessa est licentia specialis.* Hæc inhibitio de omnibus monialium domibus intelligitur. Ubi enim est periculum colloquii, ibi prudentius obvietur. Illæ autem moniales S. Damiani præ cæteris mulieribus ab humanis consortiis excluduntur ; licet ergo in frequentatione earum posset oriri periculum propter quamdam familiaritatem fratrum Minorum, et propter hoc sit licentia adeundi talia loca Sedi Apostolicæ reservata ; tamen, quia aliæ moniales se amplius exponunt humanis colloquiis quam illæ, necesse est, illud mandatum ad omnes monachas referatur secundum expositionem Domini Gregorii, et indulgentiam de talibus visitandis. Et sicut monachi sunt non solum collegiati, verum etiam solitarii : sic et monachæ et moniales intelligendæ sunt non solum collegiatæ, verum et quæ inclusæ dicuntur, et solitariam

vitam agunt. Et hæ etiam vitandæ, sicut collegiatæ, propter majus periculum solitudinis, ex tenore præcepti, ut æstimo, præcedentis.

Sequitur pro tertia parte : *Nec fiant compatres virorum, aut mulierum*, etc. Hoc idem inhibetur monachis. Et quia de similibus est ratio similis, scito hic prohiberi omne fratrum ad mulieres commercium, de quo posset fratribus scandalum generari.

CAPUT XII.

De euntibus in Saracenos, et alios infideles.

Quicumque fratrum divina inspiratione voluerint ire inter Saracenos, et alios infideles, petant inde licentiam a suis ministris provincialibus. Ministri vero nullis eundi licentiam tribuant, nisi eis quos viderint esse idoneos ad mittendum. Ad hæc per obedientiam injungo ministris, ut petant a Domino Papa unum de sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, qui sit Gubernator, Protector, et Corrector istius fraternitatis, ut semper subditi, et subjecti pedibus ejusdem Ecclesiæ, stabiles in fide catholica, paupertatem et humilitatem, et sanctum (*a*) Evangelium Domini nostri Jesu Christi, quod firmiter promisimus, observemus.

EXPOSITIO.

Quicumque fratrum, etc. Hic tertio docet, in martyrio consummare; et quia martyrium nihil est, nisi fiat in ecclesiastica unitate, primo agit de primo; secundo, ibi : *Ad hæc per obedientiam.*

In prima parte tangit fratrum hoc desiderio flagrantium devotionem, et ministrorum examinantium discretionem, dicens : *Quicumque fratrum divina inspiratione*, non levitate, non impetuositate, non astutia subterfugiendæ disciplinæ, *voluerint ire inter Sarracenos et alios infideles*, ut paganos, vel hæreticos, vel schismaticos : *Petant inde licentiam a suis ministris provincialibus*, quia hujus rei obedientia non est involuntariis imponenda. Unde subdit : *Ministri vero nullis eundi licentiam tribuant, nisi eis quos viderint esse idoneos ad mittendum.* Idonei autem sunt robusti corpore, et constantes in fide, probati virtute, et semper irreprehensibiliter conversati.

Sequitur pro secunda parte : *Ad hæc per obedientiam injungo ministris, ut petant a Domino Papa unum de sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, qui sit Gubernator* in bonis agendis, *Protector* in oppressionibus alienis, *et Corrector* in delictis *istius Fraternitatis; ut semper subditi, et subjecti* (*b*) *pedibus ejusdem S. Ecclesiæ, stabiles in fide catholica*, sine qua illud martyrium nihil valeret, *paupertatem* contra avaritiam, *et humilitatem* contra superbiam, *et S. Evangelium Domini nostri Jesu Christi*, quantum ad virtutum perfectionem omnimodam, *quod firmiter promisimus*, id est, quatenus ipsum promisimus, *observemus.* [1] « Propterea abundantius oportet observare nos ea, quæ audivimus, ne forte pereffluamus. »

Quæritur de præceptis regulæ, quæ scilicet universaliter intelligenda sunt præceptorie imponi, et in quibus possunt Prælati Ordinis dispensare.

Ad hoc respondeo, quod regula ista præceptis est plena, et, ut puto, pene omnia in ea posita sunt præcepta, ubi aliquod expresse additum, ut monitionis vel exhortationis vocabulum, vel consimile aliud non declarat. Præceptorum autem istorum tria sunt genera : in quibusdam enim ponitur expresse præcipiendi verbum, ut præ cæteris commendentur, et illa sic transeunt in votum, ut in nullo eorum ordo valeat dispensare. Aliud est genus præceptorum, quibus additur verbum tentionis vel debiti, vel aliquod simile, ex quo obligatio declaratur. Vocabulum autem tentionis, licet obligationem importet, non tamen sic districte, sicut vocabulum præcepti ad illud faciendum li-

[1] *Hebr.*, II, 1.

(*a*) *Cæt. edit.* secundum. — (*b*) Idem add. *sint.*

gat, cui tentionis vocabulum est adjunctum. Quod patet, quia cum homo homini teneri dicitur in aliqua pecuniæ quantitate, certum est quod tentio obligationem importat vel ad solvendum, vel ad satisfaciendum, vel alio modo, nisi debitum velit creditor remittere debitori. Unde licet tentio obligationem sonet, potest tamen ordo in particulari, et in casu, cum aliquo dispensare in jam dictis : exceptis illis in quibus patet intentionem regulæ omnino præceptorie obligare, vel quorum transgessio scandalum, vel deordinationem notabilem generaret. Verbi gratia, cum dicitur primo capite : *Alii fratres teneantur fratri Francisco, et ejus successoribus obedire,* patet quod in hoc non potest ordo in aliquo dispensare. Sic etiam octavo capite, ubi dicitur : *Universi fratres unum de fratribus istius Religionis teneantur habere semper Generalem Ministrum.* Et infra eodem capite : *Teneantur prædicti fratres, quibus electio data est, alium sibi eligere in custodem,* et sic in similibus. In aliis autem nonnullis, credo quod ordo potest dispensare in particulari, et in casu. Verbi gratia, cum dicitur tertio capite : *Non teneantur nisi sexta feria jejunare,* credo quod citra manifestam necessitatem subditus tenetur jejunium solvere, si Superior imponeret, nisi esset solutio jejunii in scandalum aliorum. Similiter intelligo in illo verbo septimi capituli : *Teneantur prædicti fratres ad eos recurrere,* et in quibusdam aliis, nil tamen horum potest ordo generaliter immutare. Est etiam tertium genus, ubi nec additur præcipere, nec teneri, sicut patet in secundo capite in pertinentibus ad receptionem ad ordinem venientium, et in tertio in spectantibus ad divinum officium, et in pluribus aliis consequenter, ubi multa essent præcepta ex intentione mandatoris, nisi eorum transgressio scandalum et deordinationem notabilem generaret. Circa quorum dispensationem in particulari intelligo idem, quod circa præceptum secundi ordinis est prædictum. Inter quæ etiam alia, quæ non præceptorie inseruntur, nec in speciali amplius diffinio, nisi ut omnia regulæ verba cum reverentia recipiantur, et ipsorum transgressio penitus devitetur : cum certum sit regulam pro lege dari, nec aliquis a lege avertitur, quin ad tenebras convertatur.

CONTINUATIO CONFIRMATIONIS REGULÆ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli, Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Laterani, III Kalend. Decembris, Pontificatus nostri anno VIII.

EXPOSITIO.

Nulli ergo. Hæc est pars tertia epistolæ, aliarum conclusiva, ubi duo notabilia, scilicet regulæ stabilitio, et temporis determinatio. Pro primo dicit : *Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire.* Quod tamen faciunt detractores, regulam ipsam, et regulæ declarationem, et fratrum conversationem, trino ordine dentium lacerantes. Unde caveant ab eo, quod sequitur : *Si autem quis hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et BB. Petri, et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.* Pro tempore addit : *Datum Laterani,* id est in sede imperiali Christi nomini consecrata. III *Kalendas Decembris,* die quinto Sancti Saturnini, quæ est prima scilicet solemnitatum anni, secundum revolutionem Romani officii, ut pateat hanc regulam esse renovativam gaudii, quod annus benignitatis Domini introduxit : quæ est etiam vigilia sancti Andreæ Apostoli, ut sciant omnes hujus regulæ observantiam esse vigiliam præambulam ad thronum judiciarium cum gloria possidendum. *Pontificatus nostri anno octavo,* ut octava gratiæ et gloriæ commendetur.

Amen.

DETERMINATIONES
QUÆSTIONUM CIRCA REGULAM S. FRANCISCI [1]

ARGUMENTUM

(*Ex edit. Vatican. an.* 1596.)

Hoc tractatu respondet S. Bonaventura objectionibus, quæ adversus Religiosos omnes, præcipue contra Fratres Minores fiebant : decetque aperte, his objectionibus satisfaciendo , plura quæ dubia et mala videntur in Regula, nec dubia, nec mala esse [2].

PRÆFATIO

Cum inter alios ordines Religiosorum, ordo fratrum Minorum datus sit Ecclesiæ ad ædificationem fidelium in fide et moribus, per verba doctrinæ, et exempla bonæ conversationis, quibus et fideles erudiantur ad imitandum, et fides muniatur contra pravitatem hæreticam, sicut lucerna fugans in domo tenebras, et operantes promovens: ut autem eadem ædificatio afferat fructum ampliorem, necesse est ordinem ipsum quatuor ornamentis esse præditum, sine quibus minus proficeret in aliis, licet forte quoad se aliquo illorum posset carere. Primum est vita irreprehensibilis, quæ maxime sibimet prodest, et alios ædificat. Secundum, scientia sacræ Scripturæ, sine qua nec secure, nec utiliter posset alios docere. Tertium est auctoritas prædicandi, et confessiones audiendi, in quibus maxime prosunt fidelibus fratres. Quartum, ratio satisfactoria super quibusdam dubiis apud illos, qui non intelligunt qualiter fiant rationabiliter et licite, imo necessario et meritorie in ordine, super quibus, aut mirantur, aut scandalizantur, ut sciant qualiter, et quomodo ista fiant rationabiliter, cum ad hoc teneamur. Nam, ut coram cæco offendiculum non ponamus, opera nostra lux debent esse coram hominibus, juxta illud Matthæi [3] : *Sit luceat lux vestra coram hominibus. Vos estis lux mundi.* Et ideo expedit in lucem ponere, et rationem ostendere de his, quæ non intellecta possent putari tenebræ, et per consequens possent aliorum ædificationem de nobis aliquatenus impedire. Sicut enim artis alicujus ignarus videt aliqua ab illius artis opificibus instrumenta haberi, quæ non intelligit ad quid valeant ; ita plerumque sæculares et rudes mirantur, quare spirituales hæc et hæc faciant : ita ut expediat aliqua ab eis abscondere, non ex simulationis palliatione, sed pro cautela, ne ponatur offendiculum infirmis, et pusilli intelligentia materiam scandali inde sumant. [4] *Aufer rubigi-*

[1] *Cf.* Edit. Argentin. an. 1495, 18, pars I; edit. Vatic., an. 1596, tom. VII, pars IV, 354; edit. Ven., an. 1611, 15, tom. I; edit. Ven. an. 1754, tom. V, 745. — [2] Summam quæstionum, quæ in cæteris editionibus hoc loco ponitur, ad calcem tomi pro more nostro remittendam duximus. — [3] *Matth.*, v, 16, 14. — [4] *Prov.*, xxv, 4.

nem de argento, et egredietur purissimum vas, hoc est, tolle de bono quod facit suspicionem, rationem reddendo; et apparebit purum et bonum, quod putabatur vitiosum. Unde Petrus dicit[1]: *Parati semper ad,* etc. Ipsa enim opera Dei purissima in se, sæpe in rudibus et in infidelibus occasio scandali sunt, cum non intelligunt, et sinistre ac perverse interpretantur. *Beatus qui non fuerit scandalizatus in me,* ait Dominus[2], et Propheta dicit[3]: *Cum sancto sanctus eris, et cum perverso perverteris.* Ut ergo lucerna clarius luceat, offendiculum auferas ei, et limpidius lumen effundet.

QUÆSTIO PRIMA.

Cur tot existentibus sanctis, et approbatis ordinibus, novam regulam facere voluerit S. Franciscus.

Primo igitur quæritur, cum tot sancti ordines, et approbatæ regulæ fuerint, cur S. Franciscus novam regulam facere voluit, quasi non sufficerent priorum instituta sanctorum.

Ad illud tibi respondeo, quod Pater sanctus Franciscus, spiritu Dei plenus, et zelo charitatis Dei et proximi totus ignitus, triplici desiderio flagrabat, videlicet ut totus posset esse imitator Christi in omni perfectione virtutum; item ut totus posset adhærere Deo per assiduæ contemplationis ejus gustum; item ut multos posset lucrari Deo, et salvare animas, pro quibus Christus voluit crucifigi et mori. Et quia non suffecit ei, ut ista in propria persona tantum ageret, voluit instituere ordinem, ut multos cooperatores haberet, non solum in præsenti, sed etiam in futuro, qui et sanctitatis ejus imitatores existerent, et alios Deo plurimos lucrarentur. Ordines autem quos ipse S. Franciscus invenit in Ecclesia, aliqua prædictorum trium ex parte habebant, ut religiosi cœnobitæ, qui in studio virtutum Christi imitantur vestigia; eremitæ, qui contemplationi divinæ frequentius vacant; et clerici rectores plebium, qui animarum curam habentes ex officio, lucris animarum omni vigilantia intendere debent. Et quia hæc tria simul invenit in nullo ordine, Spiritu sancto edoctus novam condidit regulam, et novum ordinem instituit, quo (*a*) in professione (*b*) evangelicorum consiliorum, obedientiæ videlicet, et castitatis, et abdicatione proprietatis, Christi vestigia sequeretur, et in officio prædicationis et confessionis animarum lucra utiliter quæreret, et in altissimæ paupertatis mendicitate libertatem spiritus retinens, contemplationis supernæ apprehenderet puritatem. Nam et si actionis exterioris occupatio aliquoties interrumpat otium contemplandi, ipsa tamen libertas cordis nullis sollicitudinibus temporalium distracta, spiritualis vacationis magnam præstat studiosis opportunitatem, ut orando, legendo, meditando et contemplando. Plus enim obest ad devotionis puritatem assequendam strepitus temporalium curarum, quam exercitatio virtuosarum actionum, quia curarum importunitas in otio corporis generat mentis inquietudinem. Boni autem operis fidelis exercitatio conscientiam quietat, et impinguando elevat in superna, sicut qui laborat in præparationem convivii, in quo quietus jucunde epuletur. Unde et Dominus per diem occupabatur in doctrina populi, et ægrotantium curatione; in noctibus orationibus in monte vacabat, sicut ait Lucas[4]: *Erat autem diebus docens in templo, noctibus vero exiens morabatur in monte Oliveti.* Et Psalmista dicit[5]: *In die mandavit Dominus misericordiam suam, et nocte canticum ejus.* Noluit S. Franciscus esse fratres suos astrictos ad curam anima-

[1] I *Petr.*, III, 15. — [2] *Matth.*, XI, 6. — [3] *Psal.* XVII, 26. — [4] *Luc.*, XXI, 37. — [5] *Psal.* XLI, 9.

(*a*) *Forte leg.* qui. — (*b*) *Cæt. edit.* possessione.

rum ex debito necessitatis, sed ex liberæ charitatis affectu, et ut meritum expectarent de fructu salutis aliorum, et periculum evitarent de perditione eorum, participes in lucro, indemnes in detrimento, ut alios extrahant de naufragii seu incendii periculo, ipsi tuti, consistentes in solido, non periclitentur cum pereuntibus in peccato.

QUÆSTIO II.

Cur fratres Minores populo prædicent, et confessiones audiant, cum animarum curam ordinarie non suscipiant.

Cur ergo, qui animarum curam ordinarie non suscipitis, prædicatis populo, et confessiones auditis, mittentes falcem in messem alienam, cum illis proprie competat, qui animarum curam ex officio gerunt, injuriantes plebanis, in quorum videmini præjudicium exercere officia illis commissa, et decipientes illos, quos absolvitis, super quos jurisdictionem non habetis ordinariam, contra canonum instituta, et periculum animarum vestrarum.

Respondeo. Nulli in hoc facimus injuriam, nec aliquem decipimus; sed Sedes Apostolica, quæ immediate curam Ecclesiæ habet, et a qua cæteri ecclesiarum pastores, tam majores, quam minores, gubernandi suscipiunt auctoritatem, tam mediate, quam immediate, et a qua omnes canonum leges emanant, videns in his novissimis temporibus juxta Apostolum [1] instare tempora periculosa, et laxatis evangelicæ prædicationis retibus in capturam, tantos influxisse pisces hominum ad fidei professionem, quod rete fidei scinditur, messem fidelium multam, et operarios idoneos paucos, eo quod peccata quotidie multiplicantur in Ecclesia, et episcopi negotiis exterioribus dediti spiritualibus intendere nequeunt, et pauci sunt pastores in ecclesiis personaliter residentes, sed vicariis et mercenariis committunt oves, sive animas regendas, in quorum plurimis multi eveniunt defectus imperitiæ, et inhonestæ (*a*) vitæ, negligentiæ, et aliorum defectuum, per quos ad gubernandas animas redduntur inhabiles, et non esse qui plebes erudiant, vel a peccati fæcibus extrahant, vocavit nos in adjutorium tam cleri, quam populi, ut per officium prædicationis, et confessionis subveniamus animabus, et onus pastorum sublevando alleviemus : sicut Petrus, et ejus socii, non valentes soli rete piscium ad littus trahere præ multitudine, *annuerunt Jacobo et Joanni* [2] *sociis suis in alia navi*, quæ signat Religionem, *ut venirent et adjuvarent eos*, ne vel ipsi mergerentur, vel pisces capti perirent. Cum ergo ex Apostolicæ Sedis missione, episcoporum benevolentia, prædicationis opera, et confessionis, subditis eorum impendimus, eos ex charitate et auctoritate eorum absolvimus; et non decipimus eos, sed juvamus; et in illis fit non præjudicium plebanis, sed beneficium, dum pro eis laboramus, et ad obedientiam debitam eorum subditos exhortamur. Nam si plebanus potest alteri vicem suam committere, multo fortius potest hoc Papa, et episcopi, qui pleniorem habent in omnes sibi commissos sine differentia potestatem. Et sicut ex charitate, non ex necessitate, impendimus fidelibus spiritualia subsidia, docendo, et orando, et a peccatis in confessione absolvendo; ita ipsi non ex debito coactionis, sed ex libertate charitatis ministrant nobis corporalis necessitatis subsidium, cum *Dominus ordinaverit iis, qui Evangelium nuntiant, de Evangelio vivere* [3], etc.

QUÆSTIO III.

Cur fratres Minores litterarum studio vacent.

Item quæro, cum religiosi debeant simpliciter ambulare, et omnino virtutibus abundare, et ad hoc operam dare, cur rursum studio litterarum, quæ olim sancti Patres postposuisse laudantur, ut Benedictus

[1] II *Tim.*, III, 1. — [2] *Luc.*, V, 7. — [3] I *Cor*, IX, 14.

(*a*) *Cæt. edit.* honestæ.

et alii, se modo dant, et in secreta conversatione student.

Respondeo, quod cum, sicut dictum est, prædicationis officium ex regulari professione ordini annexum sit, et etiam confessionis, quæ notitiam requirunt sacræ Scripturæ, quæ subtili indiget in plerisque locis expositione, ne ex imperitia errores pro veritate doceamus, necesse est nobis sacræ Scripturæ habere studium et magistros. Hæc enim scientia non solum utilis est ad aliorum eruditionem, sed etiam ad propriam instructionem, ut servus Dei sciat seipsum bene regere, et virtutes a vitiis discernere, et notitiam Dei, et futurorum præmiorum, clarius intelligere, et in omnibus cautius et fructuosius conversari. Nam et Apostolus hortatur [1] Timotheum ad lectionis studium, et sanctorum nobis diligentia in sanctarum ruminatione Scripturarum frequenter commendatur. Veritas enim fidei, et vitæ sanctitas, non aliunde, quam ex Scripturarum fonte hauritur, sine quibus impossibile est quemquam salvari. Hæreticorum etiam versutiis, qui in Scripturis sanctis occasionem erroris per falsas interpretationes assumunt, oportet per ipsarum diligentem investigationem diligentius obviare, et fideles contra illorum fraudes et latentes decipulas præmunire. Unde Hieronymus [2] : « Sancta rusticitas solum sibi prodest, et quantum ex vitæ merito Ecclesiam Christi ædificat, tantum nocet, si distribuentibus non resistat. » Unde Apostolus dicit [3] : *Potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere*, etc.

QUÆSTIO IV.

Cur fratres Minores nihil habeant proprium, nec in speciali, nec in communi.

Item cum sufficiat ad religionis perfectionem nil habere proprium in speciali, et habere possessiones pro necessitate in communi, sicut omnes religiones antiquorum patrum Benedicti, Augustini, et aliorum; videtur inconsultum et aliquo modo tentare Deum, quod tantus ordo exponat se mendicitati quotidianæ, velut cœlitus expectet victum suum, cum posset aliter habere.

Respondeo : Perfectio diversos habet gradus, et alius alio sublimior est, nec perfectioni aliorum ordinum præjudicat, quin altior possit inveniri. Tentare autem Deum, non est Christi promissionibus credere, et ejus consiliis obedire, et ejus vestigia imitari, qui dicit [4] : *Amen dico vobis, quod vos qui reliquistis omnia, et secuti estis me, sedebitis super sedes*, etc. Dominus autem istam paupertatem docuit, et tenuit, ut nil possessionis in terra haberet. Unde dicit [5] : *Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos*, etc. Multis autem de causis ordo nil proprium possidet in hoc mundo. Primo, ut vestigia Christi perfectius imitetur [6] : *Si vis perfectus esse, vende*, etc. Secundo, ut laqueos avaritiæ facilius declinemus [7] : *Qui volunt divites fieri, incidunt*, etc. Tertio, ut culpas superfluitatis plenius expiemus; unde in Proverbiis [8] : *Omnem substantiam domus suæ*, etc. Quarto, ut altioris meriti gloriam consequamur per varias virtutes paupertatis [9] : *Beati pauperes*, etc. Quinto, ut liberiores simus mente ad spiritualia studia orationis, contemplationis, lectionis; quare dicit Dominus [10] : *Nolite possidere aurum*, etc. Sexto, ut prædicationis studio expeditius intendamus. Septimo, ut verbum Dei minus trepide omnibus proponamus. Octavo, ut magis confidere omnes in eum sperantes doceamus. Nono, ut occasione petendæ eleemosynæ ad aliorum ædificationem frequentius exeamus. Decimo, ut qui nobis subveniunt in temporalibus, fiducialius spiritualia requirant. Undecimo, ut magis cauti simus ab omni scandalo, qui magis timemus in temporalibus deperire. Duodecimo, ut tanto humiliores simus,

[1] I *Tim.*, IV, 13. — [2] Hieron. — [3] *Tit.*, I, 9. — [4] *Matth.*, XIX, 28. — [5] Ibid., VIII, 20. — [6] Ibid., XIX, 21. — [7] I *Tim.*, VI, 9. — [8] *Prov.*, VI, 31. — [9] *Matth.*, V, 3. — [10] Ibid., X, 9.

quanto magis subsidio aliorum indigemus. Et quia spiritualia fidelibus seminamus, non tantum ex gratia ab eis carnalia subsidia expectamus [1] : *Dignus est operarius mercede sua.* Hieronymus [2] : « Reddituum possessionem nobis providere non oportet ; sed ad mensam Domini tanquam fideles cooperatores occurramus. »

QUÆSTIO V.

Cur fratres Minores non degant in deserto.

Item quæro : Cum religiosi a tumultu sæcularis frequentiæ sese separare studuerint, et in solitudinibus habitare, quid est quod vos frequentius in civitatibus et oppidis manere soletis, quasi voluptuosius ibi pascendi, et inquietius, et indevotius ibi vivatis?

Respondeo : Tres sunt causæ præcipuæ, pro quibus inter homines morari solemus. Una, propter eorum ædificationem, ut promptius eis adsimus, quando requirunt a nobis pœnitentiam, doctrinam, et salutis consilium, et videant a nobis bonæ conversationis exemplum. Si enim remoti essemus ab eis, nec ipsi possent ad nos, quando indigerent, commode accedere, et difficile esset nos toties vocari, et major esset nobis inquietudo continue currere, et recurrere, quam inter eos manere, et prius quam veniremus, affectus et compunctio requirentium pœnitentiam sæpe tepuisset. Secunda causa est propter indigentiam victualium, quia in locis desertis non inveniremus, quoties, supervenientibus vel residentibus, vel infirmis, indigeremus qui nobis necessaria vitæ ministrarent, cum per nos non habeamus. Extranei etiam, qui pro consilio supervenirent, cum statim non possent expediri et recedere, cogerentur nobiscum frequentius hospitari, quod multis ex causis nullatenus expediret, propter inquietudinem, suspicionem et paupertatem. Tertia est causa propter tuitionem, quia si extra homines moramur, nec libros, nec calices, nec vestes, nec alia necessaria tute servare possemus a latronibus, vel prædonibus, vel servientibus potentium. Nam personæ etiam sæpius essent in periculo, si quando in prædicatione forsitan aliquos offenderemus, vel filium, vel fratrem alicujus, de quo dolerent quod in Ordine reciperemus; qui etiam amicum fratrum vellet malitiose offendere, vel moleste ferret nos in terra morari, domus nostras incenderet, et nunquam possemus ibi pacifice commorari. Qui autem habent possessiones et prædia, quæ sibimet sufficiunt, possunt extra civitates morari. Similiter et solitarii qui paucis indigent, pauca ab aliis requirere necesse habent. Sunt et aliæ causæ, quas modo prætereo, propter quas convenit inter homines, potius quam in deserto, juxta conditiones nostri Ordinis habitare. Sed ad præsens istæ sufficiant.

[1] *Luc.*, x, 7. — [2] Hieron.

QUÆSTIO VI.

Cur fratres Minores habeant magnos conventus.

Item quæro : Cum sancti Patres laudentur in casellis et vilibus habitaculis habitasse, quid est, quod vos altas et magnas domos erigitis, oratoria sumptuosa, et areas latas magno pretio comparatis, cum sitis paupere et mendici, et contempores mundanorum esse debeatis?

Respondeo : sicut jam dictum est, cum inter homines manere nos oporteat, aut ergo extra muros civitatis, aut intra. Si extra civitates maneremus, ubi possemus latiores areas leviori pretio comparare, videlicet in campis vel hortis, quandocumque bellum timeretur, vel guerra, cives loci formidarent, ne forte hostes domos nostras occuparent, et de illis niterentur civitatem, vel oppidum expugnare, et non auderent etiam alias, quando sibi timerent, ad loca fratrum pro confessione, vel missa, seu prædicatione securi venire; et ideo non diligunt, ut in talibus locis commoremur. Quod si intra muros habitamus, ubi propter frequentiam

populi areæ cariores sunt, oportet et nos areas carius emere, quantum sufficiant pro claustro, oratorio, et officinis congruis pro conventu, hospitibus, et infirmis, et horto herbarum, tam pro pulmentario, quam pro aeris recreatione, ut infirmi refocillentur, et sani conserventur, et lassi in spiritualibus studiis recreentur. Sæculares enim, qui frequenter vagantur, domi non indigent recreatione aeris. Religiosi vero, qui in cellarum reclusoriis religantur (*a*), nisi aliquam interius habeant aeris recreationem, cito languescentes tabescunt, et ad studia spiritualia inhabiles efficiuntur, ita quod nec sibi, nec aliis proficiunt in devotionis internæ profectu, in sapientiæ intellectu, in virtutum exemplis, et in doctrina salutis. Et quamvis perfectis omnis locus aptus sit pro disciplinæ internæ exercitiis; imperfectis tamen, et adhuc indigentibus eruditione virtutis, opus est etiam exteriori distinctione officinarum claustralium, ut sciant ubi tacere debeant, ubi loqui liceat, ubi orare, ubi laborare, ubi legere, scribere, vel comedere, ubi sit requies infirmantium, ubi repausatio de labore itineris venientium, et aliorum, quæ in collegiis sunt necessaria, ne si confuse indifferenter singula fierent pro libito, jam nec disciplina, nec quies, nec devotio, nec ordo inter fratres, sicut expedit, servaretur; quod esset in magnum detrimentum Religionis, et in scandalum alienis, et in destructionem salutis, quia nec minores discerent a quo proficerent, nec perfecti alios ædificarent. Quia vero intra ambitum civitatis, ut dictum est, cariores sunt areæ, quod non possemus facile sufficientiam congruæ latitudinis habere, ut omnes officinæ deorsum collocarentur juxta se invicem, oportet aliquando ut una super alteram locetur, ita quod utraque aeris respiraculo non careat. Et ex hoc domus nostræ magnæ apparent, et excelsæ ac sumptuosæ, et paupertati dissimiles, cum tamen hoc paupertas magis efficiat, quia ne circa dilatemur, interius (*b*) angustiamur. Et quia circumsepti sumus domibus aliorum vicinorum, et quia in civitate sæpe insurgunt incendia late pervagantia, ne vel domus, vel ecclesiæ, vel libri, vel alia necessaria frequenti discrimini sint exposita, et in continuo tremore infirmantium corda sint inde suspensa, et ne ipsi vicini nostri a nobis per incendia molestentur, ubi possumus, facimus domos lapideas, ut nec igne, nec vetustate citius destruantur, quia non solum corporibus, sed etiam cordibus magna est destructio, nova sæpius ædificia construere, maxime illis qui non habent sumptus, nisi quantum valent colligere mendicitate. Non tamen intendo in his excusare, nisi quæ valde necessaria sunt, et rationabiliter. Ubi autem superfluitas, curiositas, et irreligiositas, et regulæ et paupertati nostræ derogantes essent structuræ, reprehendo tecum, et omnia alia, quæ Deo displicent, tam in moribus, quam in rebus. Quintuplicis enim peccati rei sunt, qui superflua in ædificiis, et aliis quibus utimur, procurant et acquirunt. Primo propter transgressionem, quia pompis renuntiantes sæculi, in paupertate et humilitate vera promiserunt Domino famulari. Unde Apostolus ait [1] : *Si ea quæ destruxi*, etc. Secundo, propter malum exemplum, quo alii discunt ab eis similia facere, vel scandalizantur, quando vident eos, qui hujusmodi pro Christo spernere deberent, quærere vel sectari. Tertio, propter inquietudinem fratrum, propter hujusmodi ædificia, et procurationes, quia et devotio extinguitur, et disciplina Religionis plurimum dissipatur, sicut scriptum est [2] : *Venerunt structores tui destruentes te, et dissipantes a te exibunt.* Quarto, propter spoliationem aliorum pauperum, quibus sæpe eleemosynæ præripiuntur; et hujusmodi structuræ fiunt, ex quibus illi deberent vestiri, et pasci, dum quod istis datur, eis negatur, quia ad dandum utrisque sæpe deficit dantium largitas et facultas. Quinto, quia quando nimis urgemus homines ad dandum, perdunt de-

[1] *Gal.*, II, 18. — [2] *Isa.*, XLIX, 17.

(*a*) *Leg.* relegantur. — (*b*) *Cæt. edit.* inferius.

votionem ad nos prius habitam, quod nec de prædicatione, nec exemplis, nec aliis quæ facimus, ædificantur. Unde cum vident nos accedere, terrentur, et timent, quod aliquid velimus ab eis expetere, quod grave sit eis dare, et erubescunt negare, et si dederint non libenter, minus merentur, et sic rebus et devotionis merito privantur, etc.

QUÆSTIO VII.

Cur fratres Minores plura colligant, vel servent, quam sufficiant ad unius diei victum.

Item quæro : Cum Dominus in Evangelio dicat [1] : *Nolite solliciti esse in crastinum*, et vos sitis paupertatis evangelicæ professores, non debetis plura colligere, vel servare, quam quod possit quotidie ad unius diei victum sufficere. Sed videtur quod non servetis.

Respondeo : Si diligenter Evangelii dicta pensamus, sollicitudinem de crastino, sed non provisionem prohibere videtur. Unde sancti apostoli, Evangelii Christi perfectissimi observatores, tam pro se, quam pro aliis Christi pauperibus, qui omnia pro Christo reliquerunt, a fidelibus subsidium pro corporum necessitate etiam in futurum petebant, et recipiebant : sicut Paulus rogatus a Petro, Joanne et Jacobo [2], collectas fieri per ecclesias pro Christi pauperibus sustentandis mandavit [3]. Et in aliis locis pluribus reperitur id fecisse. Qui etiam pro acquirendis necessariis sibi et sociis, suis laboravit [4] manibus. Sollicitudo enim notat curæ anxietatem, illicitam conquisitionem, avaram superfluorum provisionem. Sicut enim in operatione salutis nostræ principaliter spem in Deum jactare debemus, ita et in corporali subsidio sollicitudinem debemus ei committere; et tamen, ubi congrue possumus sine jactura spiritualis profectus nostri et aliorum, nobis necessaria providere, ne aliter quasi Deum tentare videamur, ut miraculose, sicut olim filiis Israel, nobis quotidie alimoniam subministret. Licet enim priorum fratrum puritas, pro majoris perfectionis ardore, pauciora, quam nunc, consueverint ad victum colligere necessaria, et populus propter hoc talem opinionem concepit, quod nil nobis licet reservare in crastinum; tamen nec tunc, nec nunc aliquo nobis prohibitum est statuto, quin possimus ad victum aliqua etiam necessaria in futurum pro aliquo tempore providere, maxime de his, quæ in promptu, cum indigeremus, non possemus acquirere mendicando. Sunt enim quæ, nisi colligamus certo tempore, quando est copia, quando inter manus communiter habentur a populo, postmodum nec pro infirmis, nec pro hospitibus, nec pro aliis, sine magna difficultate vel magno pretio poterunt haberi. Mendici enim maxime illo tempore solent necessaria petere, quo sciunt ea promptius a dantibus inter manus haberi, ut circa horam comedendi. Sic et Dominus populo certo tempore præcepit [5] mannæ alimoniam colligere, quia non omni tempore in agro, etiamsi quærerent, invenirent. Unde [6] : *Tu das escam illis tempore opportuno.* In hoc enim non tam nobis, quam illis a quibus petitur, providemus, quando tali tempore petimus, quo ipsi facilius dare possunt, et magis sunt voluntarii ad eleemosynam largiendam.

QUÆSTIO VIII.

Quare plura nunc petunt fratres Minores, quam olim.

Item quæro : Quid est hoc, quod modo plura petitis, quam olim, ut cum tunc vix in una, vel paucis villis, et pauca postulaveritis, modo late per terram, et oppida, et castra pervagando, plurima congregatis? Videtur enim avaritia inter vos crevisse, et cura ventris hanc vobis providentiam persuasisse : videtur etiam quod spiritus extinctio vos in cella quiescere non permittit.

[1] *Matth.*, VI, 34. — [2] *Gal.*, II, 10. — [3] I *Cor.*, XVI, 1; II *Cor.*, IX, 1 et seq. — [4] *Act.*, XX, 35. — [5] *Exod.*, XVI, 21. — [6] *Psal.* CXLIV, 15.

Respondeo : Vitiosos in hoc et in aliis excusare non audeo, ut dixi ; sed rationem pro illis, qui ratione ducuntur, et pia intentione omnia faciunt, ostendere benevolis nunc intendo : quia malevoli, qui magis facta nostra calumniari desiderant, quam agnoscere veritatem, magis dolent, si, ostensa ratione, eis materia subtrahitur detrahendi. Quia inimicus vult potius causas malignandi contra eum, quem odit, sibi adesse, quam abesse, ut non ex invidia, sed ex justitia eum persequi videatur. Quod autem nunc potius, quam olim, videmur mendicando plura colligere, inter alias principales causas, quas potes advertere veras esse, una est, quod cum olim pauci fratres fuissent in ordine, nunc multo plures sunt ubique, et plures pluribus indigent, quanto numerus numerum excedit, et omnibus, quæ necessitas requirit, est magis opus. Nam Dominus infans natus, modico diversorio et præsepio contentus fuit ; sed aggregata discipulorum turba, ad celebrationem paschalis convivii quæsivit sibi præparari cœnaculum grande stratum. Secunda causa est, quod inter plures sunt etiam debiles et infirmi, et maxime qui, olim strenuæ religionis et arduæ paupertatis pondus per annos plurimos portantes, nunc ex humanæ mortalitatis defectibus lassati, cogente ipsa charitate, non debent ipsi ut infirma pecora relinqui, sed pie, quamdiu poterunt (*a*), fulcimentis corporalium necessitatum pro misericordia, et pro aliorum ædificatione, et pro juniorum instructione sustentari. Et propter tales oportet et expedit plura peti. Tertia causa, quia plures modo mendicantes sunt in Ecclesia de diversis ordinibus, et quod nobis solum dabatur integrum, nunc minutatim dividitur inter plures. Unde cogimur nunc latius tanto vagari, quo minus in locis singulis datur nobis. Quod enim aliquando offerebatur nobis non quærentibus, nunc vix per diversa minutatim colligimus cum rubore. Et oportet nos petere, quia non petentibus parum datur, dum ex multitudine petentium homines sunt lassati. Qui autem per se nihil habent, necesse est eos omnia quibus indigent ab aliis postulare, vel carere, nisi velint illicite acquirere, vel quocumque modo apud alios deservire, vel nisi gratis eis donetur. Quarta causa, non tamen omnino commendabilis, sed pro aliqua parte excusabilis accedit, quia qui non est patiens penuriæ, in his quibus indiget, plura eum conquirere oportet, etc.

(*a*) *Cæt. edit.* poterint.

QUÆSTIO IX.

Quæ sit causa impatientiæ penuriæ in fine præcedentis quæstionis dictæ.

Item quæro : Quæ potest esse hujus impatientiæ causa, nisi voluptuositas, quæ nil vult sibi deesse illorum quæ appetit, quæ omnis religiositatis est exterminium ?

Respondeo : Hæc, etsi in quibusdam habeat locum, non tamen est potior causa, sed aliæ quædam. Una, quia, ut dictum est, plures habemus debiles et infirmos quam olim, cum omnes fere erant novi in Ordine : qui cum lassati jam, et exhausti sint viribus, oportet ut reficiantur, ne penitus deficiant, quod esset contra misericordiæ, charitatis, et discretionis virtutem cum tales maxime consilio suo, et zelo, et pietatis exemplo sustentent Ordinem in suo vigore, ne subito corruat a pristina puritate. Licet virtute corporali jam non sicut olim, eminenter æstimentur lucere, propter corporis destructionem, aut oportet, quod contra misericordiam deficere subito permittantur, et tunc ex hoc magis fovebitur in Ordine carnalitas, quia quilibet juvenis et sanus, instructus carnis prudentia, cogitabit apud se, dicens : Si tales viri, qui pro ædificatione Ordinis corpora sua tradiderunt omnibus laboribus, modo debilitati sic permittuntur absque misericordia perire, volo mihi cavere, et parcere corpori, et illud fovendo custodire, ne mihi similiter contingat. Et sic aliquis audebit de cætero vix ferventer in

Dei servitio se exercere. Si autem debent debiles misericorditer refoveri, expedit, ut etiam alii, qui unum corpus societatis cum eis sunt, et eis serviunt, et labores Ordinis pro eis in domo, in divino officio, in frigore, et petendis eleemosynis, et aliis obsequiis, aliquo modo mitius pertractentur, et melius reficiantur, ut minus de illis scandalizentur, et minus murmurent contra eos, quasi ipsi soli consumant omnia, quæ offeruntur, et ut patientius pro eis laborent, et hilarius ministrent, et ut ipsi debiles minus erubescant, et confidentius audeant necessitates suas accipere, cum videant alios etiam secum esse participes in consolatione. Sani ergo et fortes non debent propter se ista appetere, nec suæ industriæ ascribere, quando appetentibus eis eleemosynam, ista offerentur; sed cogitare debent, sicut et veritas est, quod Deus ea propter debiles ministrat, et in tanta copia, quod exinde etiam sani consolentur. Propter præmissas rationes, vult etiam Deus veritatem suæ promissionis, et evidentiam suæ liberalitatis ostendere, dum nobis qui nullos certos redditus pro ipso habere decrevimus, et totam sollicitudinem in eum jactavimus, indulgentius necessaria ministrat, quam aliis quibusdam, qui lata prædia habent, et loculos plenos, ad hoc ut ei securius confidamus, et fidelius serviamus. Alia causa est, quia eorum qui nuper de sæculo venerunt, quidam delicate sunt nutriti, et cum in Ordine subito contra solitum coguntur aliter vivere in labore, et victu, et coercitione magisterii, territa caro tenera languescit, et nisi clementer foveantur, donec paulatim assuescant Ordinis pati rigorem, aut semper tabescendo languescent, aut ex rigoris horrore ad vomitum revertentur. Et ideo expedit, ut supra. Tertia causa est spiritualis studii. Nam assiduum lucrum in studio sacræ Scripturæ, in devotionis desiderio, in tentationis certamine, in internæ sollicitudinis vigore, ita consumit et desiccat vires corporis, ut nisi exterius quandoque aliquatenus refocillentur, non valeant diu subsistere. Quod autem aliquando lautiores cibos et potus habere videmur, hoc est proprie mendicorum, qui dum non reservant in posterum, ut cumulos congregent, ut prædia lata comparent, statim comedunt et bibunt ea, quæ Dominus administrat. Et quia, pro honestate et devotione sua, plerique dant nobis non de vilioribus, sed de melioribus quæ Dominus dedit eis, etiam nos, cum interim non habeamus alia quibus utamur, ne videamur ingrati et avari, comedimus et bibimus quæ offeruntur nobis indifferenter, tam illa, quam alia, juxta illud Regulæ : « De omnibus cibis, qui apponuntur vobis, liceat manducare. » Mendicus enim, si recuset ea, quæ offeruntur, cum non habeat unde alia emat, remanebit inanis. Quia vero diversi diversa, et aliquando quasi adversa mirantur de nobis, ut cum illi reprehendant in nobis carnalitatem, alii vero duritiam, quilibet pro visu suo, et affectu; oportet nos singulis de suis quæstionibus respondere, et rationem reddere, licet sequentia præcedentibus continuato ipsis ordine ad hoc non cohæreant, sed modo de hac, et modo de alia tractemus, et cætera.

QUÆSTIO X.

Cur non recipiuntur omnes ad Ordinem.

Item quæro : Cum omnibus debeatis cupere, ut salventur vobiscum, quare indifferenter non omnes recipitis, qui desiderant, cum non arctet vos prædiorum paucitas, sed aperta sit omnibus via mendicandi?

Respondeo : Omnes quidem cupimus salvari, et nulli prohibere possumus licentiam mendicitatis. Sed omnes passim recipere, non expedit nobis, nec Ecclesiæ Dei. Nobis non, quia variæ sunt conditiones hominum, qualitates, et mores. Multos enim sæpe reciperemus imbecilles, qui non possent rigorem Ordinis sustinere; multos pauperes, qui non pro Deo, sed pro sustentatione vitæ vivere desiderarent nobiscum; multos incompositos moribus, quos vix corrigere ab ino-

lita consuetudine possemus, et per tales dissolveretur Ordinis disciplina, et impediretur profectus aliorum, et non sufficerent eos alii pascere, nec eis servire. Nec invenirentur tandem, qui possent eis præesse, et omnes simul in corpore et spiritu, quasi confusa multitudo, perirent, quæ nec regi valet, nec congrue sustentari. Ecclesiæ similiter non expedit, quia cum sit Ordo ad ædificationem Ecclesiæ constitutus, multitudo receptorum magis confusionem induceret, nec de conversione multorum exemplum ædificationis acciperet, sed scandalum, ubi religiositatis, excepto solo habitu, nihil inveniret. Minus enim malum est, non esse religiosos, vel nomine, vel habitu, ubi non vivunt sicut Religionis eorum forma requirit, quam ut sint, et per vitam eorum perversam alios scandalizent. Sicut melius est lucernam non esse in domo, quam esse ibi tantum fœtidam, et non lucentem. Nimis etiam foret onerosum fidelibus, tot mendicos unius Ordinis pascere, a quibus nullum, vel modicum habuerint ædificationis præsidium. Sed tot, et tales solum recipi expedit, qui sine onere Ecclesiæ pasci possint, et qui valeant Ecclesiæ in spiritualibus respondere iis, quæ ab ea in carnalibus recipiunt pro corporum sustentatione, etc.

QUÆSTIO XI.

Cur fratres Minores non laborent manibus pro victu.

Item quæro : Cur ergo non laboratis manibus pro victu, ut non sitis Ecclesiæ onerosi in eleemosynis petendis?

Respondeo : Si de puro labore manuum deberemus vivere, tantum urgeret nos operis instantia, quod aliorum lucris intendere non possemus, nec divina officia libere celebrare, nec orationi libere vacare. Cum enim ad confessionem, vel ad prædicationem frater vocaretur, respondere cogeretur : Opus meum, quo victui meo hodie deservire debeo, nondum explevi, et ille, cui laboro priusquam deserviam, non dabit mihi mercedem debitam, ideo non possum venire. Alias autem omnes præter infirmos laborant : alii in studio, ut fideles erudiant; alii in divino officio et laudibus Dei; alii in colligendis eleemosynis pro sustentatione communi; alii in officiis domesticis, et infirmis, et sanis, ex injuncta obedientia ministrantes; quidam, qui sciunt artes mechanicas, pro fratribus et extraneis exercentes, sicut mutuo cooperantur inter se formicæ et apes; quidam per obedientiam missi diversas terras perambulant, cum nuntios alios idoneos non habeamus : et sic nullus impune permittitur otiosus.

QUÆSTIO XII.

An de qualibet Religione possit quis transire ad Religionem S. Francisci.

Item quæro : Si de quolibet Ordine et Religione possit quis transire ad regulam et ordinem S. Francisci, scilicet fratrum Minorum?

Ad hoc, sine præjudicio melioris sententiæ, respondeo quod sic, ubi sine scandalo aliorum potest fieri. Propter quod maxime prohibetur nobis de quibusdam religiosis non recipiendis, cum scandalum tale sit majus malum, quam aliorum receptio sit bonum. Cum enim tria illa principalia omnis Religionis, scilicet obedientia, castitas, et paupertas, in regula ista sint quasi altiora et strictiora, quam in aliis ordinibus et religionibus, sicut patet in regula ista, constat quod, secundum hoc, Religio ista altior sit et strictior aliis Ordinibus. Et ideo de qualibet Religione possunt secure ad istam intrare, dummodo non ex levitate, sed ex Spiritu Dei ducti. Nam et si aliqua sit quibusdam corporalibus exercitationibus strictior, ut abstinentia carnium, et silentio, et officio ecclesiastico, et similibus, quæ tamen ex sublimiorum, obedientiæ, paupertatis, et castitatis virtute, facile recompensantur, sicut modicum pondus auri in pretio prævalet ma-

gno ponderi argenti, vel alterius metalli. *Corporalis* enim [1] *exercitatio ad modicum utilis est*, etc.

QUÆSTIO XIII.

An de Religione S. Francisci, post factam in ea professionem, possit quis transire ad aliam.

Item quæro : Si de ista Religione possit aliquis ire ad aliam, post factam in ea professionem?

Respondeo, salvo meliori judicio : Non, nisi per dispensationem Sedis Apostolicæ, cum hoc expresse in ipsa regula prohibeatur, ibi [2] : *Nullo modo licebit eis*, etc. Nam cum non inveniatur altior regula, vel strictior, seu æqualis, patet quod non licet cuiquam per seipsum ad inferiorem Ordinem transire. *Omnes qui vident, incipient illudere ei, dicentes, quia hic homo cœpit ædificare, et non potuit consummare* [3], etc.

QUÆSTIO XIV.

An liceat ordini Minorum ejicere aliquem pro demeritis, vel egresso pœnitenti et petenti, receptionem denuo denegare.

Item quæro : Si liceat Ordini ejicere aliquem pro demeritis, vel egresso, et pœnitenti, et petenti receptionem denuo denegare? Cum enim Ordo in professione versa vice se obligaverit, ut sicut iste ligatus esset Ordini, ita e converso, videtur quod Ordo tenetur semper recipere, si exigat, ne promissum suum videatur irritare, si nollet eum tenere, quem spoponderat nunquam derelinquere. Videtur etiam quod Ordo non possit talem licentiare ad alium Ordinem, quia non inveniet alibi quod hic promisit, et ita faceret eum voti sui transgressorem, et sic peccaret. Videtur etiam quod cum iste non possit compelli ad alium Ordinem, cum nulli Ordini se obligaverint nisi isti, et non debeat cogi invitus ad quod se nullo voto astrinxit, etiam si alium Ordinem inveniret isti æqualem. Videtur etiam iste Ordo esse in culpa, si talis vagetur in sæculo, cum nolit eum recipere petentem, et ad alium Ordinem non debeat, vel non possit eum compellere, et si punit eum, vel excommunicat, quod injurietur ei; imo si non tenetur eum Ordo recipere, nec vult, jam punit non suum subditum. Et si punit eum corporaliter, capiendo, vel castigando, videtur in canonem incidere jam latæ sententiæ, cum sit clericus, vel regularis. Si autem Ordo non vult eum recipere, et non convenit eum aliam religionem intrare, vel alii nolunt eum recipere, ad quos licentiatus est transire, et per hoc a fratribus ligatur excommunicatione, vel non absolvitur, ponitur in laqueum perplexitatis interminabilis, ut quasi ex omni parte præclusa sit ei via salutis, quod volenti salvari non potest, vel non debet fieri. *Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare*, ait ipse Salvator [4].

Ut autem super his apertior pateat ratio, quid Ordini, vel egresso, faciendum sit in istis, nota : Cum aliquis ingressum petit istius Ordinis, si recipitur, fit ei magna gratia, et multiplex, et de naufragio peccati eripitur, et sociatur illorum collegio qui ambulant in via Dei, tali conditione, ut et ipse gradiatur in eadem via, cum eis servando illa, propter quæ Ordo est institutus. Quamdiu ergo sic graditur, postquam ad professionem receptus est, non potest eum Ordo abjicere, quia sicut ipse jam ligatus est Ordini, ita, et e converso, ut neutrum liceat alterum relinquere ullo modo. Si autem frater aliter vivit, quam licet in Ordine, et sæpius correctus, se non sufficienter correxerit, si excessus occultus sit, toleretur, et cum cautela, propter scandalum, ne si abjiceretur, cum ejus culpa non pateat, videretur injuste punitus, aut peccatum injuste propalaretur, quod utrumque illicitum videtur. Si vero excessus ejus graves fuerint et notorii, quod alii ejus exemplo possint infici, si retineatur in Or-

[1] I *Tim.*, IV, 8. — [2] *Regul.*, c. II, supra, pag. 562, col. 1-2. — [3] *Luc.*, XIV, 29-30. — [4] *Luc.*, IX, 56.

dine, et extranei scandalizentur, quod talis in Ordine sustineretur, tum propter auferendum scandalum, tum propter corruptionem Ordinis præcavendam, debet ejici prævaricator voti et pacti sui : quia jam Ordo non tenetur ei de promisso tenendi eum secum, qui promissum suum prævaricando pluries violavit, cum ideo sit vocatus Ordo, quod in se nil inordinatum patiatur. Quod si, Deo permittente, talis seipsum ejiceret, gratiæ sunt Deo referendæ, non quia ille peccavit, sed quod oves suas a pestifera contagione liberavit. *Utinam et abscindantur qui vos conturbant*[1], scilicet puritatem vestram, pacem, et famam. Si autem allegatur, quod misero est miseratio adhibenda, ut iterum recipiatur in Ordinem, dici potest : Crudelis est miseratio, unde plures et meliores graviter offenduntur, sicut qui furem liberaret, unde pauperes spoliarentur, maxime cum tales, longo usu tepefacti, rarissime vere et perseveranter emendentur, et facilis remissio aliis audaciam præbeat delinquendi. Nec potest allegare sibi injuriam, si non recipitur, quia ipse talem se fecit ex culpa propria, quod recipi sit indignus; quin potius Ordo habet causam contra eum agendi pro eo, quod sic se dehonestavit. Unde potest eum punire pro meritis, vel tradere cui servivit, nisi faciat quod tenetur. Sedes enim Apostolica, quæ jus suum unicuique servat, et vult Ordinem in sua puritate persistere, non cogit Ordinem tenere illos, quorum conversatio nociva esset in Ordine, quia tunc puniret innocentes, et reos foveret, et occasionem daret Ordinis corruptioni per tales pestiferos, si eos recipi oporteret. Sed ne damnabiliter vagentur in sæculo, ex gratia Sedis Apostolicæ, Ordo dat eis licentiam, quos judicat non recipiendos esse, ad alium determinatum transeundi, ubi salventur, ad quem etiam transire tenentur, si possunt; alioquin non erunt in statu salutis : sicut Lot non volens montem conscendere, concedente angelo[2], in Segor parvula salvatur. Propria auctoritate non possunt ordinem deserere, quem voverunt, nec alium intrare sine Ordinis sui licentia, vel summi Pontificis, quia, ut dictum est, ad inferiorem regulam non licet eis transire, altiora professis. Quod autem talis alium cogitur intrare ordinem, si in isto non recipitur, cum tamen alium non voverit nisi istum, inde est, quia cum vovit istum, sic alligavit se Religioni, quod secundum jus canonicum nullatenus redire potest ad sæculum, vel ad laxiorem vitam transire ei licet. Et ideo, si demeretur in ordine, quem vovit, non retineri, cum ex peccato suo non sit conditio ejus melior facta, ut jam possit esse liber, sed potius deterior, oportet eum alium Ordinem intrare, et illum servare, si vult salvari : et ad hoc cogit eum statutum universalis Ecclesiæ, non ordo iste, et ejus gratia permittitur ei ad inferiorem Ordinem transire, cum superiorem non invenit, ne aditus ei salutis præcludatur. Si autem velit in sæculo vagari, ex quo Ordo non vult eum recipere, nec ad religionem concedatur sibi transire in spatio temporis sibi determinato, licet jam videatur ab Ordinis jurisdictione exemptus, cum nolit eum amplius tenere, tamen ex auctoritate Summi Pontificis, cujus jurisdictioni non est subtractus, potest eum Ordo impetere, et per censuram ecclesiasticam, vel etiam ad alias pœnas corporales, potest coercere eum, vice domini Papæ, quamdiu non habuerit alium judicem regularem, cui se subjecerit, regulam et ordinem illius stabiliter assumendo. Sponte etiam egressus ordinem istum, si non licentia ejus intraverit alium ordinem, ad quem licentiari posset, potest compelli, ut redeat, cum adhuc sit sub jurisdictione ordinis istius, e qua non potest semetipsum eximere, nisi fratres dent ei licentiam ibi standi, et nolint eum recipere vel tenere. Hæc omnia jam statuta sunt, ne quis pedem ponat in lubrico, et obscuratus offendat, sumptis levibus occasionibus recedendi ab ordine, vel ad alium prohibitum transeundi, vel etiam inordinate vivendi.

[1] *Gal.*, v, 12. — [2] *Gen.*, xix, 22.

QUÆSTIO XV.

An omnes venientes ad religionem S. Francisci sint recipiendi.

Item quæro : Cum multitudo sit sæpe occasio confusionis, eo quod regi non possit, cur multiplicatis numerum in recipiendo inutiles, et oneratis vos ipsos, et alios?

Respondeo : Inutiles omnino scienter non recipimus, sed præter spem nostram aliquotiens sic contingit. Quatuor enim causis solemus recipere supervenientes. Una est compassio perditionis eorum, qui vix extra Ordinem in sæculo salvarentur, sicut qui de igne vel aqua periclitantem rapit, vel de alio discrimine. Secunda, propter profectum Ordinis, qui ex scientia, et industria, morum honestate et reverentia quorumdam futurus præsumitur. Tertia, propter aliorum ædificationem, ut multi de talium conversatione, qui aliquo modo sunt famosi in sæculo, emendentur, et eorum incitentur exemplo. Quarta, propter precum instantiam, quam ipsi faciunt pro se, et alii pro eis, nimia importunitate obtinent aliquos recipi, quibus denegari non potest. Sicut autem agricola sæpe seminat, et plantat in spe, quod omnia convalescant, quod tamen plerumque in aliquibus non eveniet ; ita contingit et in religiosis ad Ordinem receptis. Nam ait Dominus [1] : *Aliud cecidit secus viam*, etc. Seminat plures sulcos, ut, si aliqua pereant, alia pro illis convalescant; si tamen omnes convalescerent, seges copiosior proveniret, etc.

QUÆSTIO XVI.

Cur aliqui in religione sint moribus pravi.

Item quæro : Unde est, quod videmus aliquos religiosos moribus ita distortos, et rudes, sicut aliquos sæculares, superbos, vanos, cupidos, invidos, detractores, iracundos, contumeliosos, desides, dissolutos, avaros, inverecundos, delicatos, gulosos, garrulos, lascivos, et quod ex his oritur, forsitan incontinentes?

Respondeo : Religio est schola virtutum, in qua, sicut in aliis disciplinis et artibus discendis, incumbitur. Videmus autem quod alius alio peritior est, alius rudior, alius diligentior, alius segnior. Hæc autem differentia ex quinque causatur. Una causa est, quod sicubi informatores habentur, quorum eruditione boni discipuli nutriuntur, ubi autem non habentur, aut rudes in spiritualibus erunt discipuli, aut erroribus variis sub specie boni per sensum proprium seducuntur, habentes quidem zelum justitiæ, sed non secundum scientiam, et sic a perfectione virtutum plurimi retardantur, ut vel malum æstiment bonum, aut minus bonum putent optimum, aut aliam viam, quam debeant, ad perfectionem tenendam. Secunda causa est defectus, seu copia bonorum exemplorum, quia novi in Religione sæpe tales fiunt, quales alios esse vident, sicuti in sigillis cera talem imaginem recipit, qualis fuit impressa : et fiunt sancti cum sanctis, boni cum bonis, perversi cum perversis. Tertia causa est novitas in Religione, quia incipientes non possunt vel non habent illa, quæ habent perfecti, et ignoscendum est eis in aliquibus, et patienter expectandum, donec crescant, et addiscant quæ nondum apprehendere valuerunt. *Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere* [2], etc. Qui a puero exigit labores viri, et ab infirmo vires robusti, et a scholari unius anni vires magistri, imprudens est. Unde Apostolus [3] : *Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus*, etc. Ex hoc arguitur stoliditas sæcularium quorumdam, qui dum vident aliquem religiosum in aliquo offendere, omnes religiosos despiciunt, quasi omnes tales sint : cum ipsis videretur injustum, si quis eos propter aliena vitia deteriores haberet. Quarta causa est defectus gratiæ, non enim omnes omnia possunt. Sicut enim multi vellent esse divites, et non possunt ; ita non omnibus datur æqualis

[1] *Luc.*, VIII, 5. — [2] *Rom.*, XV, 1. — [3] I *Cor.*, XIII, 11.

gratia spiritualium donorum. *Velle mihi adjacet, perficere autem bonum non invenio,* ait Apostolus[1]. Quinta causa est voluptas propria, et si non omnia adsint prædicta, dum quis diu stetit in Religione, et bonorum exempla despexit, doctrinam non curavit, gratiam abjecit, virtuti non studuit, vitiis se subdidit, sicut, heu ! plures sub Religionis habitu velut dealbata sepulchra in scandalum aliis conteguntur. *Væ vobis, Scribæ, et Pharisæi hypocritæ, qui estis sicut* (*a*), etc., ait Dominus[2].

QUÆSTIO XVII.

Cur non omnes dyscoli e Religione ejiciantur.

Item quæro : Cum religio deberet esse sicut speculum in domo, in quo discant intrantes agnoscere deformitates suas, ut eas abstergant, quare non omnes dyscolos ejicitis, per quos Religionis puritas deformatur, si tamen non estis tales omnes, qui illos fovetis ?

Respondeo : Bona religio malos odit, non fovet ; nec tamen omnes pravos ejicit, et hoc his de causis. Una, propter spem correctionis, sicut ægrotans non ejicitur in mare, quamdiu spes vitæ fuerit. Ita et de lapsis in Ordine intellige, cum multi lapsi, per pœnitentiam surgentes, postmodum sani perseverant, et aliquoties meliores fiunt, quam qui lapsi non fuerint, sicut David, et alii plures. Secunda, propter defectum probationis, quia licet ex aliquibus conjecturis timeatur aliquis malus, tamen aperte non videtur communitati : sicut si aliquis timeatur leprosus esse ex aliquibus signis, et non potest adhuc plene judicari, sed latet morbus, et ideo inter sanos adhuc toleratur. Tertio, propter scandalum, quoniam fratribus tantum notum est crimen illius, sed apud extraneos reputatur honestus : qui si viderent eum ejici, et tamen nescirent causam, putarent ex invidia fieri, vel cogitarent reliquos omnes esse tales, cum iste, de quo tantum præsumebant, occulte fuerit vitiosus. Nam Dominus cognovit Judam esse vitiosum, et in exemplum nobis toleravit eum, cum crimen ejus aliis foret occultum, donec per apertam iniquitatem prodidit semetipsum, etc.

QUÆSTIO XVIII.

In quibus bona religio cognoscatur, et una melior altera judicetur.

Item quæro : Cum quælibet religio sibimet placeat, et aliis se præferat, quæ sunt maxime in quibus bona Religio agnoscatur, et in quibus alia melior altera æstimetur (*b*) ?

Respondeo : Sæpe in uno, et in aliquibus præcellit unus ordo alterum, ut iste in labore, alter in silentio, alius in abstinentia, et in similibus. Sed generaliter in istis agnoscitur, quis sit melior. Unde si in studio omnis virtutis communiter personæ illius ordinis ferventius, et frequentius exercentur, maxime charitatis, et humilitatis, et internæ devotionis, est signum bonum præcellentiæ et perfectionis. Secundum, si omnia vitia et scandala odio habent, et sollicite cavent, et occasiones peccatorum amputant, et extirpant, et munditiam diligunt et conservant. Tertium est, si boni apud eos diliguntur et foventur, et despectis aliis, in regimine animarum soli assumuntur, et per eos maxime gubernatur Ordo. *Qui negligit* (*c*) *modica, paulatim decidet*[3]. Quartum, si a sæculari frequentia se subtrahunt, et honores fugiunt, divitias non ambiunt, et conformari huic sæculo tam in moribus, quam factis, seu qualibet apparentia, erubescunt. Quintum, si damnum, et injurias illatas, ac despectiones tacite sufferunt, nec per querimonias vindicare se cupiunt, sed Deum omnium inspectorem attendunt, qui suos, cum vult, potest defendere ; cum vero expedire eis noverit, permittit eos pro altiori præmio tribulari ;

[1] *Rom.*, VII, 18. — [2] *Matth.*, XXIII, 27. — [3] *Eccli.*, XIX, 1.

(*a*) Vulg. *qui similes estis.* — (*b*) *Cæt. edit.* æstimatur. — (*c*) Vulg. *spernit.*

et patienter ferunt, donec placuerit Deo aliter ordinare. Quæ ista signa plenius habent Religiones, meliores sunt; et quæ minus, sunt minus bonæ; et quæ nihil, nihil sunt; qui etiam singulariter in se habet, bonus est, etiamsi alii communiter non habent.

QUÆSTIO XIX.

Quas ob causas in vita religiosa Ordines deficiant, et in quibusdam cæremonialibus proficere videantur.

Item videmus ordines omnes religiosorum deficere in vita religiosa, etiam si in temporalibus, et quibusdam cærimonialibus videantur proficere. Causas hujus defectus vellem scire præcipuas; aut enim non deberetis incipere, quod non potestis perficere, aut in incœptis pro posse perseverare; alioquin prævaricatores voti merito reputabimini.

Respondeo : Omne quod non habet esse suum a se, deficiendo decidit in non esse, nisi sustentetur ab eo, qui dat ei esse. Sic et omnis ordo, et omnis homo. Unde non solum ordines religiosorum, sed etiam episcoporum, et clericorum, et laicorum, et universalis status multum deficit, quantum ad communem statum, ab eo quod in principio fuit, cum omnes fideles erant perfecti, et sancti, quales nunc raro videmus. *Multitudinis credentium erat cor unum, et anima una*[1], etc. Licet autem olim communiter omnes boni et sancti fuerint, tamen modo multo plures sunt sancti in Ecclesia Dei. Sed quia mali plures sunt, ideo non apparent sancti, respectu multitudinis aliorum. Sanctitas etiam vera non consistit in exercitatione corporali, sed in virtutibus mentis. Et quia istæ non apparent exterius, nisi modice, ex quibusdam signis operum, et sancti non quærunt videri ab hominibus ut laudentur, sed occultant bona, quæ habent singulariter præ cæteris, ideo pauci sancti modo in Ecclesia, vel Ordinibus esse videntur. Causæ autem quare communitas in Religione deficit, sunt magis communes inter alias. Una est multitudo intrantium, quia multi non possunt tam facile flecti, sicut pauci : sicut navis magna difficilius gubernatur, quam parva; et ubi multa capita, ibi multa cerebra, quæ omnia non possunt ad unum sensum deflecti. Secunda, cum subtrahuntur qui primo tenuerunt ordinem in suo vigore, vel cum debilitantur in corpore, non possunt junioribus ardua rigoris dare exempla, sicut prius; et novi, qui propria (*a*) opera non viderunt, imitantur eos tantum in his, quæ nunc vident in eis, et fiunt remissi, et sub specie discretionis, ne seipsos sicut antiqui destruant, parcent corpori. Et quia internas virtutes, quas antiqui habuerunt, non agnoscunt, ubique neglecti sunt, quod nec exterius exercentur, nec interius virtutes apprehendunt. Etiam quia antiqui modo non valent eos exemplo præire, timent etiam eos in verbo corrigere : quia solent dicere juniores : Verba quidem bona sunt, quæ dicunt nobis, sed opera non ostendunt; et sic magis scandalizantur. Tertia causa est : quod quilibet non didicit, nescit docere : ideo cum regimen Ordinis devolvitur ad istos juvenes, tales nutriunt, quales ipsi sunt, ita quod jam Prior fratrum in fabulam vertitur, non trahitur in exemplum. Imo se tantum reputant illis Prioribus meliores, quo minus agnoscunt, quæ sint perfectorum virtutes. Et dum exempla quædam exteriori disciplina conservant in choro, vel processionali ingressu, et similibus, audent asserere quod status Ordinis nunquam fuerit ita bonus. Quarta causa est, quod paulatim subintrant non bonæ consuetudines, quæ statim ab aliis trahuntur in exemplum. Et si aliqui zelum Dei habentes illa redarguunt, audacter defendunt alii, quare sibi non liceat, quod alii permittitur, et pro lege tenebitur, cum ex usu jam conveniens videatur, ita quod vix de cætero poterit extirpari. Rectores quoque, etsi talia non diligunt, tamen, ne majus malum sequatur, dissimulant, ut pacifice cum fratribus vivant. Cumque una consue-

[1] *Act.*, IV, 32. — (*a*) *Leg.* priora.

tudo talis facta fuerit tolerabilis, consequenter introducitur alia, quasi cohærens priori, ut, si illa admittitur, ista vetus toleretur. Quinta, occupatio (*a*) frequenter emergentium, quæ corda distrahit, affectum devotionis extinguit, mores alterat, interius occasiones vitiorum inducit, et ne de sua correctione efficaciter cogitent, semper nova impedimenta religiosis innectit, donec tandem consuescant sola exteriora cogitare, et obscurato conscientiæ oculo, etiam cum desunt, occupationum causas impudenter quærere, sicut Samson cæcatus in carcere molam [1] traxit. Sunt et aliæ speciales causæ quorumdam Ordinum, ut nimia inopia, ex qua coguntur fieri proprietarii, dum sibimet videtur quisque providere, quia non providetur eis in communi. Item nimiæ opes, ex quibus fiunt carnales, superbi, et multipliciter vitiosi. Item frequentia inter sæculares, ex qua oritur multarum tentationum carnalium materia, et teporis. Item frequens mutatio prælatorum, quæ et si pro parte bona sit, in quantum mali abjiciuntur, tamen in eo nociva est, quod boni, dum cito sperant absolvi, non præsumunt aggredi, vel non proficiunt, ut reforment statum Ordinis, et rebelles subditi potius laborant ut deponantur, quam ut status debitus reformetur. Item, si unus prælatus quandoque vult reformationi intendere, ab aliis quoquo modo impeditur, vel ad minus non juvatur ab his quorum auxilio indigeret, ut Prior non adjuvatur ab Abbate, vel Abbas ab Episcopo, et de similibus similiter judicetur. Unde rebelles subditi appellant ad illos, quos sciunt sibi in sua rebellione favere. Item si aliqui in uno loco diligerent reformare statum in melius, mittuntur ad alium locum, ubi non inveniunt quod quærebant. Ex his atque aliis causis, status Religionis deficit, ut non solum fiat deterior, sed etiam quasi desperabilis, quod vix unquam, nisi Deus ordinet, aliter reformetur. Sed quia [2] *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, quod non fit in communi, potest fieri in particulari. Quilibet proficere volens, convertit ad lucrum suum aliorum detrimentum, et omnes vias alieni defectus ad profectum suum cum Dei gratia retorquet. Et sicut electorum gloria ex hoc major erit, quod reproborum societati admisti, eorum non imitantur exemplum, qui sunt ipsis tentationis, et exercendæ virtutis materia; ita et boni religiosi nunquam tanti fuissent meriti apud Deum, si non a tepidorum fratrum defectibus ad multiplicem virtutis luctam assidue expediti fuissent. Unde Apostolus, inter cætera virtutum suarum merita, quibus se ministrum Christi excellenter gloriatur, enumerat [3] *pericula in falsis fratribus*, eo quod ei et aliis bonis multiplex sit occasio virtutis, scilicet quod primo eorum prava exempla sunt bonis tentationis materia, et sic victoriæ causa; item secundo, zelo justitiæ circa eorum vitia accenduntur, et uruntur scandalis infirmorum; item tertio, eorum miseriis compatiuntur, sicut mater filio ad perditionem properanti; item quarto, magis laborant bonis exemplis eos corrigere, et monitis, et orationibus, et beneficiis; item quinto, distortos mores patienter tolerant, et injurias, quas eis pro justitia inferunt; item sexto, ex eorum contubernio despectiones sustinent ab extraneis, quasi ipsi sint tales; item septimo timidiores, ac per hoc humiliores fiunt, et ne cadant, sollicitiores sunt; item octavo, Deo magis referunt gratias, quod eos, ne tales essent, benigne defenderit; item nono, ex malis juxta se positis, virtutes justorum clarius elucent, et pulchrius fulgent. Ista et alia bona sunt, quæ Deus elicit ex consortio malorum cum bonis. Sicut enim accidentale gaudium bonorum cumulat visa pœna damnatorum, ita etiam in Ecclesia quodammodo decorat rectitudinem justorum, deformitas iniquorum, disponente hoc superna sapientia, quæ nil inordinatum in omni regno dimittit, etc.

Malorum consortium, multiplex occasio virtutis.

[1] *Judic.*, IX, 53. — [2] *Rom.*, VIII, 28. — [3] II *Cor.*, XI, 26

(*a*) *Cæt. edit.* occupationum.

QUÆSTIO XX.

Quare inter Religiosos aliquando dissensiones sint.

Item quæro : Cum nihil debeatis appetere terrenum, nec honores, nec res pro quibus solent homines inter se contendere, et sibi mutuo invidere, quæ causa est, quod sæpe videmus inter Religiosos esse dissensiones et invidias, sicut inter sæculares, vel aliquando acriores?

Resp. De his quæ irrationabiliter fiunt, reddi non potest ratio congrua. Unde si aliqui sub habitu Religionis tales aliquando videntur, non est alia ratio, nisi eorum imperfectio, et quia habitus mentis non habet interius, quod ostendit habitus vestis exterius, et tonsuræ capitis. Boni autem, si aliquando dissentire videntur, hoc his de causis fieri consuevit. Nam cum non omnes agnoscant æqualiter veritatem in omnibus, contingit, quod aliquis intelligit illud pro alia parte non fore expediens, vel aliud magis fore expediens quam illud : et dum uterque hoc, quod ipse melius judicat, vult promovere, et quod nocivum credit, vult impedire, sic dissensio fit inter eos, id est *diversa sensio*, non perversa, cum uterque bene intendit : sicut inter Paulum et Barnabam [1] pro Joanne discipulo, quem voluit Barnabas assumere in socium prædicationis suæ; sed Paulus prohibuit, timens ne non perseveraret in continuatione laboris, et sic per eum impediretur, et sic dissentiebant : et Barnabas Joannem secum sumpsit, ubi minores haberet labores; Paulus vero Silam sumpsit pro fortioribus laboribus magis aptum, ut diversis partibus divisi, pluribus prædicando prodessent. Sic in expositione B. Gregoriii [2], orante Daniele Dominum pro populi liberatione de captivitate Babylonica, angelus dixit, quod ejus oratio esset dudum exaudita, sed princeps Persarum, id est angelus illius gentis custodiæ deputatus, resistit sibi viginti uno diebus, ne statim liberarentur, sed diutius afflicti plenius a peccato purgarentur. Quid ergo mirum, si boni quandoque pro bono dissentire videntur ratione diversarum considerationum, si apostoli et angeli eadem ratione dissentire inventi sunt? Nam juxta hunc sensum sancti quandoque rationabiliter a Deo dissentiunt, ut cum Deus vult aliquem mori, quem ipsi diutius desiderant vivere pro aliorum profectu, vel cum ipsi putant citiùs mori, quos Deus vult pro eorum salute adhuc diutius in corpore laborare. Unde Apostolus dicit [3] : *Desiderium habens dissolvi*, etc. Alia causa est, quando unus non videt intentionem alterius, quæ bona est, putat eum alia intentione aliquid facere, et displicet sibi, et dissentit ab eo, qui si sciret, non displiceret sibi, quod facit, et esset pacatus cum eo. Sic Moyses iratus est [4] filiis Ruben, et dimidiæ tribui Manasse, cum peterent terram Basan et Hesebon in possessionem. Et Josue iratus est eisdem [5] pro constructione altaris super ripam Jordanis, antequam agnosceretur intentionem utrobique fuisse bonam. Talis autem ignorantia non est semper culpabilis, dum tamen non sit judicium nimis præceps, etc.

QUÆSTIO XXI.

Religiosi quæ facta sua celare debeant.

Item quæro : Cum Religiosi tam studiose solent abscondere facta sua, suspectum est apud eos esse aliqua indecentia : cur enim sic celantur, cum bona non sit necesse celari?

Resp. Tria solent celari, et abscondi. Primum est, singularia bona, ne de singulari gloria excellentia proveniat, et meritum depereat. Unde Salvator [6] : *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus*, etc. Item vitia et peccata, ne percipientes,

[1] *Act.*, XV, 37 et seq. — [2] Greg., *Moral.*, lib. XVII, c. VIII, al. XII, n. 17. — [3] *Philip.*, I, 23. — [4] *Num.*, XXXII, 10. — [5] *Jos.*, XXII, 12 et seq. — [6] *Matth.*, VI, 1.

scandalizentur; et qui peccantem (*a*) scandalizant, duplici reatu obligantur [1] : *Væ homini illi per quem scandalum venit.* Item quædam solent abscondi a non intelligentibus, qui ea judicarent mala esse ex sua stoliditate; cum tamen coram Deo licita sint, vel etiam meritoria (*b*) : non propter hypocrisim, sed ne illi exinde infirmentur : et ita non propter se tantum, sed magis propter illos occultant Religiosi facta sua, ne noceant illis; quia non possunt omnium corda videre, et omnibus satisfacere, quare hoc, vel hoc fiat, cum sæculares rudes sint, et proni sæpius de Religiosis sinistra suspicari. Cum enim vident eos refectionem accipere, judicant eos carnales; cum vident eos humiliter jucundos, judicant eos dissolutos; cum ex zelo justitiæ vident se ab eis pro vitio suo redargui, dicunt eos iracundos; cum vident eos necessaria vitæ hinc inde mendicare, cum aliunde non habeant, dicunt eos avaros, et sic de singulis. Etiam quæ bene faciunt, reprehendunt. Propter quod oportet, ut caveant alienæ infirmitati, et occultent quæ possent ab aliis mala judicari. Sic ait Apostolus [2] : *Videte ne hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis.* Tribus modis sæculares judicant Religiosos. Primo, opinando de ipsis quæ omnia sunt falsa, quæ ipsi per se confingunt, vel aliis inferentibus leviter credunt : ut vulgus rusticanum, quod dicit nos Antichristi prænuntios, et quod omnes guerras terrarum et principum seminemus. Secundo, quod illa quæ ipsi solent facere, non sunt peccata facere, cum vident nos aliquando facere, æstimant quod tali animo facimus ut ipsi, ut comedere delicata et bibere, alloqui fœminas, esse hilares, speciosas areas, munda ædificia ratione sani aeris, et ecclesias decentes (*c*), et zelo disciplinæ invicem accusare et punire, et pro cautela de locis transmutare, et similia, quæ a bonis bono, et a perversis perverso animo fieri solent. Tertio, cum damus eis (*d*) causam judicandi, et suspicandi de nobis non bona, talia exempla eis ostendendo, quæ merito sunt reprehendenda. In primo sumus scandalum (*e*) sine culpa; in secundo indigemus bona cautela; in tertio culpa non caremus, dantes eis scandali offensionem, et ministerium Religionis vituperabile facientes, quibus debemus esse lumen sanæ doctrinæ et forma recte vivendi. Cum autem despicimur ab aliis sine causa, sive culpa nostra, ad profectum nostrum cedit multiplicem. Primo, peccata nostra per hoc purgantur. Secundo, bona nostra magis tuta sunt a vana gloria, et laude humana. Tertio, humiliores reddimur coram hominibus. Quarto, cautiores sumus in verbis et factis, ne opinionem eorum confirmemus. Quinto, minus eis sumus familiares, ac per hoc magis in cella quieti. Sexto, patientiam magis discimus ex tali despectione. Septimo, interna consolatio spiritus impenditur quærentibus pro exteriori subtracta. Octavo, majus meritum ex his omnibus coram Deo accrescit. Hæc et alia bona tanta sunt, quod si non obessent aliis, libenter tolerare debemus, despici ab aliis, et reprehendi, et persecutiones pati propter Christum sine culpa, etc.

Scandalum quandonam passivum, vel activum in religiosis

Bona quæ ipsis proveniunt ex despectu laicorum.

QUÆSTIO XXII.

Cur Religiosi ordinis S. Francisci ad mensas divitum accedant.

Item quæro : Cum deberetis, sicut pauperes Christi, pauperibus esse familiariores, et eorum cibis contentari, quid est, quod magis frequentatis mensas divitum, quam pauperum ?

Respondeo : Tria nos specialiter invitant ad hoc, videlicet : nostra necessitas, quia cum, itinerando per terram, lassitudine et fame fatigamur, apud illos promptius speramus obtinere refectionem, qui etiam pro honestate sua panem suum quibuslibet transeuntibus non negant, quam apud alios

[1] *Matth.*, XVIII, 7. — [2] I *Cor.*, VIII, 9.

(*a*) *Leg.* peccantes. — (*b*) *Cæt. edit.* meritorie. — (*c*) *Suppl.* ædificare, *vel quid simile.* — (*d*) *Item* ei. — (*e*) *Cæt. edit. præmitt.* non.

quos nescimus. Item pauperum inopia, quia si forte nos hilariter reciperent, expenderent nobiscum pro sua devotione in uno prandio, nobis etiam dolentibus, unde ipsi pluribus vicibus refici possent. Item ipsorum divitum salus, qui per occasionem concipiunt nostri familiarem notitiam, ut ad amorem Dei sic eos paulatim trahamus, et salutis doctrinam eis ingeramus, et per tale meritum Deum eis propitium faciamus; quia pauperes per se ingerunt se, et salutis consilia studiose requirunt, qui non habent in hoc mundo consolationem suam; divites autem terrenis contenti, vel mundanis negotiis occupati, vel superbia inflati, raro humiliant se ad quærendum salutis consilium, nisi per occasionem aliquam ad hoc a nobis et Religiosis trahantur prudenter, sicut Dominus traxit Zachæum, et alios Publicanos, manducando cum eis, et docendo, licet non ignoraret Pharisæos et Scribas inde murmurare, et materiam quærere detrahendi, etc.

QUÆSTIO XXIII.

Quare Religiosi plus honorent divites, quam pauperes.

Item quæro : Cum personarum acceptio sit apud Deum culpabilis, et ab apostolo Jacobo prohibita [1], quare vos Religiosi magis honoratis divites, quam pauperes, et promptius eis servitis in confessionibus audiendis, et aliis consiliis, et obsequiis, sicut sæpe videmus, et scimus?

Resp. *Deus pusillum fecit æqualiter et magnum, et æqualiter est illi cura de omnibus* [2], in quantum factura ejus sunt, ac ad salutem pertinent sempiternam. Ideo igitur nos omnes diligere debemus in Domino, et tam divitum, quam pauperum salutem desiderare, et pro posse nostro promovere, sicut expedit his, et illis. Unde si pauper melior est divite, plus debemus eum diligere; tamen divitem plus honorare quadruplici ratione. Una, quia cum Deus in hoc sæculo divites et potentes prætulit pauperibus quoad mundi gloriam, ubi est necesse alios aliis subesse, vel præesse; nos honorando potentes, ejus ordinationi concordamus, quos et ipse Deus honoravit in hac parte. Alia ratio, propter infirmitatem ipsorum divitum, qui si non honorarentur, indignando magis infirmarentur, et deteriores efficerentur, et gravamen nobis et aliis pauperibus inferrent, ne quod offendiculum demus infirmis, ne per nos deteriores fiant, qui omnes debemus potius ad meliora trahere, et provocare. Tertia, quia major utilitas provenit ex correctione unius divitis, quam plurium pauperum. Pauperis autem salus sibimet prodest; dives autem emendatus multis prodest, tam propter exemplum aliorum, qui inde ædificantur et provocantur ad bonum, quam propter alia bona, quæ per eum promoventur in aliis, et mala impediuntur. *Qualis rector civitatis, tales habitantes in ea* [3]. Conversio Constantini imperatoris ad fidem plus profuit Ecclesiæ in pluribus, quam multorum aliorum. Quarta, cum a divitibus plus recipiamus de corporali subsidio, eo quod magis abundant in talibus, justum est ut et eis vicem rependamus, et proniores simus eis ad obsequia specialia impendenda : pauperes etiam facilius expediuntur, quia tantis perplexitatibus non ligantur; divites vero pluribus laqueis irretiti, frequentioribus indigent consiliis : ideo necesse est nos circa illos studiosius occupari, ne profundius in peccato mergantur. Nam, ut dictum est jam, qui potentem in bono promovet, multos juvat; sic e converso ipsius subversio multorum est detrimentum, etc.

Divites cur honorandi.

QUÆSTIO XXIV.

Quomodo possint fratres Minores domos, hortos, libros, etc., possidere.

Item quæro : Cum regula dicat, quod nihil proprium debeatis habere, nec in speciali, nec in communi, et vos habetis domos, hortos, libros, vestes, et alia victui ne-

[1] *Jac.*, II, 1, 9. — [2] *Sap.*, VI, 8. — [3] *Eccli.*, X, 2.

cessaria pro tempore, quomodo potestis transgressiones hujusmodi excusare bona conscientia?

Resp. Videmus in sæculo famulos dominorum panem non suum comedere, tecto non suo contegi, et rebus alienis, videlicet dominorum suorum, uti : sic et alii sæpe concessis utuntur tam vestibus, quam aliis rebus, de illorum voluntate, quorum res sunt. Sic et nos utimur rebus necessariis pro corpore, quas tamen nec in speciali, nec in communi nobis appropriamus. Regula enim non dicit, nos nihil debere habere, sed nihil nobis appropriare. Unde usum rerum necessarium habere possumus, non proprietatem : alioquin nec vestem, nec cibum, nec aliquid aliud in usum recipere deberemus, quod esset contra omnem rationabilem intellectum. Præsul enim Sedis Apostolicæ, qui est generalis omnium pauperum Ecclesiæ provisor, specialiter nostri Ordinis curam habens, omnium mobilium, quæ Ordini conferuntur, proprietatem sibi assumpsit, exceptis his quorum dominium sibi conferentes retinuerunt ; et nobis usum earumdem rerum solum concedit, ut semper alieno victu, et vestitu, et tecto, et aliis utensilibus, absque proprietatis jure, ex ipsius concessione utamur, sicut familia patris familias, quæ rebus domini sui utitur, tam in absentia, quam ipsius præsentia corporali, secundum ipsius dispositionem. Et eleemosyna, quæ nobis a fidelibus datur, transit in usum nostrum, et in illius dominium, qui est principalis Ordinis nostri dispensator, cui parati sumus omnia quæ habemus, cum jusserit, tanquam domino, prout convenit, resignare : et nil juxta hoc proprietatis habentes, regulam nostram bona conscientia observamus, etc.

QUÆSTIO XXV.

An fratres Minores transgrediantur regulam, cum pecuniæ, quæ sibi pro eleemosyna erogantur, per alios recipi et conservari faciant.

Item quæro : Cum iterum regula dicat, quod nec per vos, nec per alios debeatis recipere denarios, vel pecuniam, videmini per contrarium hoc facere, tam petendo pecuniam, tam reponendo, quam etiam dispensando, quia etsi personaliter eam non contrectatis, tamen per alios eam servari, et recipi facitis, et distribui, sicut vultis ; et tamen inhibetur sicut per præceptum, ut non habeatis super hoc potestatem dispensandi. Nescio quomodo hanc transgressionem excusare potestis. Si autem non posset hoc præceptum servari, non deberetis vovere ; et potius esset a regula recedendum, quam laqueus esset voventibus, cum servari non posset.

Respondeo. Multa putantur mala, quamdiu non intelliguntur ; quæ intellecta, rationabilia et justa videntur. Sic et in ista quæstione apparet. Regula prohibet nec per nos, nec per interpositam personam nos recipere pecuniam, ut nostra sit, et nos domini et possessores pecuniæ simus, quasi rei propriæ. Sed concedit, ut per amicos spirituales, qui pro Deo nos spiritualiter diligunt, id est caste et juste, necessaria procuremus : quæ tali modo utraque congrue observantur, quod ea, quæ sine pecunia non possunt procurari, aut per ipsos procurentur, qui fratribus dant eleemosynam, aut per eorum nuntios, ut cum aliquis procurat fratribus librum scribi, vel vestem fieri, vel domum, vel aliud suis laboribus et expensis, aut si fratres ista procurant, illi solvunt pecuniam illis qui fratribus commodaverunt. Unde ista sunt procuranda, ut cum fratres faciunt librum scribi, alius solvat expensas per se, vel per nuntium suum ; aut si aliqui volunt dare fratribus eleemosynam pecuniæ, possunt committere alicui, qui nomine suo eam servet, pro utilitate tamen fratrum, ut vice illorum, qui sibi commiserunt pecuniam, procuret inde fratribus, secundum quod voluerit, secundum quod a fratribus instruitur per se, vel per alios, qui aptius ea promovent, quæ sibi fuerant commissa. Et per omnes istos non recipiunt fratres pecuniam ;

sed illi per se, pro illis qui sibi commiserunt pecuniam, convertunt eam in utilitatem fratrum, vicem illorum gerentes in eo, quod servant; et distribuunt ipsam pecuniam, quæ adhuc illorum est, qui dederunt, etiam si nesciant eam adhuc servari, gerentes autem vicem fratrum in eo, quod eorum utilitatem promovent de pecunia aliorum. Fratres enim, quamdiu pecunia non est redacta in rem aliam, qua eis uti (a) licet, non habent eam pro sua, sed illius qui deposuit eam, licet sciant eam pro sua utilitate ibi reposisitam. Sicut cum dominus committit servo suo pecuniam suam, ut mihi inde emat tunicam, interim est domini, sed empta tunica, mea erit. Secundum hanc viam et cautelam, fratres et per amicos speciales, et quoslibet procuratores, et mediatores, procurant necessaria, nec tamen recipiunt pecuniam per illos procuratores, sed illi servant illam nomine dantium, et vice ipsorum vertunt eam in utilitatem fratrum, ut dominium pecuniæ non transeat in proprietatem fratrum. Unde conditor Regulæ magis intendit fratribus præcludere viam avaritiæ in possessione pecuniæ, per quam omnis Religio suffocatur, quam obstruere eis opportunitatem necessaria procurandi. Sedes etiam Apostolica, cujus acta toti Ecclesiæ dijudicanda exponuntur, et veneranda, ipsam regulam confirmando non approbasset, si in ea aliquid incongruum et inobservabile prospexisset. Ideo voventibus eam non est laqueus perplexitatis, licet indigeant diligenti cautela, ne offendant contra eam, qui debent aliqua necessaria per pecuniam procurare; quæ tamen cautela magni est meriti, quamvis illi tutius ambulent, qui se subtrahunt a talibus negotiis, qui ad ea ex officio non coguntur, etc.

QUÆSTIO XXVI.

An fratres Minores recipiant eleemosynam ab iis, qui injusta lucra sectantur.

Item quæro : Cum res male acquisitæ Deo sint odibiles, unde Dominus dicit [1] : *Ego Dominus odio habens rapinam in holocausto;* cur recipitis, vel petitis eleemosynam ab illis qui injusta lucra sectantur ?

Respondeo. Quidam sunt qui solum habent res male acquisitas, et possunt certæ personæ inveniri, quibus competit recompensatio (ubi tales scimus, de cætero non debemus ab eis eleemosynam petere, sive accipere, quia omnia quæ habent sunt aliorum, quibus tenentur reddere), vel omnes, vel aliquæ : quod si aliquæ, et non omnes, tunc vaga restitutio de eis danda est, et in pias causas eroganda. Quidam autem habent injusta bona, ita quod si dant eleemosynam, tamen per hoc non fiunt impotentes, quin adhuc habeant unde possint restituere certis personis, quibus debent, unde possunt eleemosynam facere de residuo. A primis autem non possumus recipere, nisi ignorantia, vel extrema indigentia, vel præsumptio quod creditores velint nos recipere, nos excuset. Unde quando non constat de vero aliquem injusta detinere bona, non tenemur leviter credere eum tanti criminis esse reum, cum de quolibet teneamur præsumere meliora. Mendicitas nostræ professionis, et quia Deo debita pauperibus Christi largienda sunt, excusat nos in hac parte plenius, quam illos, qui ex aliis rebus habent, unde sufficienter valeant sustentari. Ubi tamen publica fama clamat aliquem esse de primis prædictis, etiamsi aliter non constaret, propter scandalum non expedit ab eo recipere, vel petere eleemosynam, nisi forte talibus qui ex professione, vel officio habent, quod debent raptores ad restitutionem inducere, quia utiliter gerunt in hoc negotium spoliatorum. Et dignus est tunc fidelis operarius cibo suo, cum nemo teneatur suis stipendiis militare. Ad hoc autem, ut possimus peccatores ad emendationem monendo inducere, concedit nobis Sedes Apostolica etiam in terris excommunicatorum libere commorari, et ab eis tunc

[1] *Isa.*, LXI, 8.

(a) *Edit. Vatic.* quam eis ut.

eleemosynam recipere, maxime si aliunde non possemus sustentari. Si enim boni de medio malorum tollerentur, quis esset qui malos ad bonum verbo, et exemplo moveret, etc.

QUÆSTIO XXVII.

Quare plures clerici Religiosos odio habeant.

Item quæro : Quæ ratio est, quod clerici magis odiunt nos, et persequuntur, quam laici, et simplices sacerdotes?

Respondeo. Sicut non omnes laici diligunt nos, sic nec omnes clerici odiunt nos. Si qui autem videntur nos odire, hoc quinque de causis potest esse. Una, quod timent nos, quod ipsorum facta, et excessus vel defectus plenius agnoscamus, et severius arguamus, quo clarius videmus, quales esse deberent, et non sunt, per quos Ecclesia gubernatur. Secunda, quod invident nobis, quod sumus hominibus gratiores, et ipsi comparati nobis appareant in vita vel in scientia viliores, vel etiam indoctiores in doctrina. Tertia, quod dolent, si per confessiones secreta eorum ab aliis, qui conscii fuerint, percipimus, dum timent per illa magis vilescere, vel forte personas illas nostro consilio ab eis averti, et ad meliora converti. Quarta, quod timent sibi aliqua per nos emolumenta subtrahi, dum eleemosynas, quæ dantur nobis, arbitrantur sibi fore dandas, si nos non essemus. Et hæc videtur potior esse causa pluribus, qui nos odiunt, scilicet si plus inhiant lucris pecuniarum a suis subditis, quam fructui animarum, etc. Potest etiam quinta causa esse, quod divina justitia illos, qui quanto amplius cognoverunt, et spreverunt, et quibus majora beneficia contulit, et ingrati fuerunt, et gravius cæteris offenderunt, frequentius eum indigne contrectant, et percipiunt, tanto magis indurat, et profundius cadere permittit. Unde non solum ipsi sunt mali in se, sed etiam alios secum malos esse desiderant, et bonos odiunt, et quos imitari nolunt, optant non esse, et prosequuntur (*a*) eos, quos sibi dissimiles esse dolent. Salomon[1] : *Gravis est nobis ad videndum*. Et tunc ibidem plures de prædictis tanguntur. Laici vero, quia de prædictis causis minus habent, ideo minus odiunt; imo etiam diligunt, qui sentiunt nos salutem suam diligere, et sperant per nos eam fideliter apud Deum promovendam, ore, meritis et doctrinis. Clerici etiam qui sane sapiunt, eadem ratione nos fovent, et diligunt, quasi filios suos, et vocatores, et cooperatores tam suæ salutis, quam suæ sollicitudinis sibi commissæ in suis subditis necessarios adjutores, et oneris sibi impositi fideles sublevatores. Et de istis satis, etc.

[1] *Sap.*, II, 15. — (*a*) *Leg.* persequuntur.

DE EO

QUOD CHRISTUS, ET APOSTOLI, ET DISCIPULI EJUS

DISCALCEATI INCESSERUNT

SIVE DE SANDALIIS APOSTOLORUM [1]

ARGUMENTUM

(*Ex edit. Vatic.*)

Joannes Trithemius in operibus S. Bonaventuræ hoc recenset, illudque inscribit: *De Sandaliis Apostolorum.* Hujus vero rei argumentum erudite tractatur ab Auctore multis Scripturæ locis, sanctorumque Patrum auctoritatibus adductis, et explicatis: ex quibus multa discere licet doctrina simul et eruditione plena.

Talis lector, tali lectori, spiritum intelligentiæ sanioris.

Quoniam secundum Apostolum Joannem [2] *Deus* (*a*) *veritas est,* qui contra veritatem offendit, maxime evangelicam, cujus Christus specialiter auctor est, contra Christum offendere comprobatur. Super eo igitur quod Christum et suos sanctos apostolos, atque discipulos, non discalceatos, sed calceatos incessisse, coram peritorum multitudine prædicasti, quam temere contra veritatem evangelicam offenderis, perpendere poteris ex subscriptis. Ait enim Chrysostomus *super Matthæum* [3]: « Apostoli cum una tunica, et discalceati circumibant totum mundum, et superabant. » Item Hieronymus *ad Ageruchiam* [4]: « Apostoli toto orbe peregrini, non æs in zona, non virgam in manu, non caligas habuere in pedibus. » Item *ad Rusticum Monachum* [5] ponit idem. Idem in epistola *ad Eustochium,* dicit sic [6]: «Moyses et Jesus Nave nudis in terra sancta jubentur pedibus incedere. Apostoli sine vinculis pellium, et onere calceamentorum, ad prædicationem novi destinantur Evangelii. Milites, vestimentis Jesu sorte divisis, caligas non habuere quas tollerent. Non enim habere Dominus poterat, quod servos suos habere prohibuerat. » In hac auctoritate perpendere potest tua prudentia, quod Dominus noster Jesus non tantum calceamenta tempore passionis non habuit, sed etiam habere primo non potuit : *Cœpit* enim [7] *facere et docere.* Item Augustinus dicit sic [8]: « Quod scribitur in Luca [9]: *Quando misi vos sine sacculo, sine pera, sine calceamentis,* non tantum fuerunt Domini verba, sed et discipulorum obtemperantium facta secuta sunt. » Item in vita B. Martialis : « Sanctus Domini

[1] *Cf.* Edit. Argentin., an. 1495, 16, pars I; edit. Vatic., an. 1596, tom. VII, pars IV, 409; edit. Ven., an. 1611, 18, tom. I; edit. Ven., an. 1754, tom. V, 740. — [2] I *Joan.*, v, 6. — [3] Chrysost. — [4] Hieron., *ad Ageruch.*, epist. XI, col. m. 109. — [5] Id., *ad Rustic.*, epist. IV. — [6] Id., *ad Eustoch.*, epist. XXII, col. 178. — [7] *Act.*, I, 1. — [8] August., *cont. Faust.*, lib. XXII, c. LXXVII. — [9] *Luc.*, XXII, 41.

(*a*) Leg. *Christus,* ut in Vulg.

Martialis pergens ad prædicandum, non equo vehebatur, aut asino, non quolibet jumento, nec calceamenta propriis induebat pedibus, sed juxta Domini et Magistri sui Jesu Christi sententiam, quam ipse sibi et aliis apostolis inculcare solebat, ut pergentes de civitate in civitatem, non sacculum, neque peram secum tollerent, nec calceamenta, nudis incedens pedibus, imitator Christi, atque B. Petri Apostolorum principis consanguinei sui in omnibus quæ ipse Dominus præcepit, existere curabat. » Item in vita B. Frontonis discipuli scribitur sic : « Beatus Fronto castra et urbes, et vicina loca, calceatus tantum sandaliis peragrans, gentium catervis divini verbi semina erogabat. » Item in Marthæ et Magdalenæ vitis legitur, quod vel sandaliis utebantur, vel nudis pedibus incedebant. De sandaliis autem dicitur in Marco [1] : *Calceatos sandaliis*, ubi Glossa : « Ut neque pes tectus sit, neque nudus ad terram. » Item *ad Ephesios* VI, et *Matthæi* X, dicitur in Glossa : « Sandaliis, vel soleis usos Apostolos fuisse. » Papias autem dicit : « Sandalia autem sunt calceamenta desuper corium non habentia. » Item Eusebius Cæsariensis, libro sexto *Ecclesiasticæ historiæ*, c. *de Laudibus Origenis*, dicit sic : « Ante omnia Origenes (*a*) præcepta evangelica, et voces Salvatoris, summo amore et studio implenda esse censebat, quibus præcipitur duas tunicas non habendas, nec calceamentis utendum, nec de crastino cogitandum. » Et sequitur : « Ita denique per multos annos absque omni calceamento nudos traditur incessisse vestigiis. » Item Gregorius Nazianzenus [2] : « Optabam homines videre, qui viverent ad exemplum prædicatoris Evangelii Christi, nudis pedibus incedentes, propter regnum pauperes, propter paupertatem reges. » Cernis, puto, si proprie sapis, quod duo illustrissimi Græcorum doctores præceptum evangelicum de non portandis calceamentis ad litteram censuerunt observandum. Quod si fortassis in hac sententia præsumpseris dicere, prædictos duos Doctores hæresim sapuisse, per prædictas et post dicendas auctoritates Doctorum Latinorum catholicorum, calumniari in hac parte prædictos Doctores convinceris manifeste. Item in Vitis Patrum, in monachorum perfectorum laudibus legitur in pluribus locis, quod nudis vestigiis incedebant. Item Hieronymus, in libro *contra Jovinianum*, reprehendit ipsum, quod cum prius tanquam perfectus monachus nudis pedibus incessit, postea a perfectione apostatans monachali, calceamenta deaurata portabat. Item in *Apostolicis Actis* dicitur [3] : *Calcea te caligas tuas*. Ad hæc est una Glossa [4] : « Petrus propter rigorem carceris ligamenta ad horam laxabat, ut tunica circum pedes demissa frigus noctis ventumque temperaret, exemplum præbens infirmis, ut cum molestia corporalis vel injuria intentatur humana, liceat aliquid laxare de rigore propositi. » Sicut ergo Petrus in eo, quod circum pedes tunicam demisit ad horam propter rigorem carceris, exemplum infirmis præbuit, et rigorem laxavit, ita in eo quod ad horam tantum, caligas habuit, si tamen habuit. In fine tamen prædictæ Glossæ, caligæ Petri spiritualiter exponuntur sic [5] : « Quod dictum est [6] : *Sint lumbi vestri præcincti*, etc., et [7] : *Calceati pedes in præparationem Evangelii pacis*, spiritualium virtutum, verbique prædicandi resumere jubentur insignia. » Textus etiam : *Calcea te*, ad litteram intellectus, non dissonat a prædictis auctoritatibus, et inferius annotandis, sed omnino etiam concordat. Nam ubi Latinus interpres dicit *caligas*, Græcus dicit *sandalia*. Sunt autem sandalia, sicut dicit Magister in *historia*, soleæ vel petones. Secundum Papiam vero caligæ dicuntur, quasi *caligulæ*, quia super pedem colligantur; vel etiam quia calce ligantur, sicut cernimus in solea S. Petri, quæ usque

[1] *Marc.*, VI, 9. — [2] Greg. Naz. — [3] *Act.*, XII, 8. — [4] Gloss. ex Bed., *in Act. Apost.* — [5] Gloss. ex eod. — [6] *Luc.*, XII, 35. — [7] *Ephes.*, VI, 16.

(*a*) *Cæt. edit.* Origenis.

hodie Romæ servatur; et etiam in picturis et in cælaturis antiquarum apostolicarum imaginum, et novarum, in quibus omnibus vel cum soleis, vel nudis pedibus exprimuntur. Non tibi blandiaris, cum audis quia sandalia sunt caligæ, quia secundum Papiam sandalia sunt caligæ, vel calceamenta desuper corium non habentia. Ridiculosum igitur est valde, quod litteratus hoc neget, quod clamant lapides, et testantur. Interlineare autem quo dicitur super illo verbo : « Exemplum datur non sine calceamentis ambulandi, Angelo jubente, et Apostolo complente,» solvitur per principium interlinearis, ubi dicitur : « Caligæ sunt calceamenti genus, » et de illis intelligitur. Nec videtur authenticum, sed ponitur magistrale; vel spiritualiter intelligendum est, ut est illud ad Ephesios [1] : *Calceati pedes*, etc. Glossa [2] : « Hæc calceamenta virtutum debet habere prædicator, ne ille, qui prædicat, pede mentis terram tangat, id est, pro terrenis faciat. Hac significatione dicit Marcus Apostolos sandaliis calceari vel soleis, scilicet ut neque pes sit tectus, neque nudus ad terram. » Hic, ut cernis, manifeste dicit Glossa, et est Augustini, quid sunt sandalia, quia soleæ, et quod virtutum calceamentis debent veri apostoli calceari. Amplius, super illud Lucæ [3] : *Quando misi vos sine sacculo, et pera, et calceamentis*, etc., Glossa dicit sic [4] : « Non eadem vivendi regula persecutionis, quæ pacis tempore, discipulos informat. Missis quidem discipulis ad prædicandum, ne quid in via tollerent, præcipit; instante autem mortis articulo, et tota illa gente pastorem simul et gregem persequente, congruam tempori regulam decrevit, permittens ut tollant victui necessaria. » Ex hac Glossa patet, quod ad regulam apostolicam pertinet nihil in via tollere, et sine calceamentis incedere. Et licet persecutionis tempore aliquid iu via tollere permittatur, de calceamentis tamen comportandis etiam persecutionis tempore, nec textus innuit, nec glossa.

Ex prædictis testimoniis clarius innotescit, quid de Domini nostri Jesu Christi et suorum apostolorum, atque discipulorum calceamentis, juxta veritatem evangelicam, et sanctorum expositiones, docendum sit pariter et servandum. Sed his omnibus testificationibus firmissimis atque claris, sancti Evangelii sanctiones sunt incomparabiliter clariores. Scribitur enim in Matthæo [5] : *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam.* Item [6] : *Præcepit eis Dominus ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum, non peram, non panem, neque in zonis æs, sed calceatos sandaliis.* Item ait [7] : *Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta.* Quod autem Domini hæc verba, mandata non tantum spiritualiter, sed etiam ad litteram fuerint observata, patet ex auctoritatibus prædictis. Patet etiam ex picturis et cælaturis antiquissimis laicorum. Patet etiam ex ipsis sandaliis apostolorum, et Christi discipulorum, quæ usque in hodiernum diem in plerisque locis, ad hujus veritatis adstipulationem, et devotionem fidelium reservantur. Patet etiam ex Glossa *Marci* superius allegata. Patet etiam ibidem ex alia Glossa [8] : « Matthæus et Lucas memorant Dominum dixisse discipulis, ut nec virgam ferrent; Marcus, ne quid tollerent, nisi virgam tentum. Sed illi accipiunt realiter virgam; Marcus, per virgam, potestatem accipiendi necessaria a subditis. » Ergo sicut Matthæus et Lucas virgam realiter accipiunt, sic et calceamenta. Plato dicit, « duas summitates corporis non esse velandas, neque assuetam fieri mollitiem debere capitis et pedum : cum hæc habuerint firmitatem, cætera robustiora sunt. » Item Magister in *Historia*, qui dicit sic :« *Non portabitis calceamenta, neque virgam.* Secundum Marcum sandaliis, id est,

[1] *Ephes.*, VI, 16. — [2] Gloss., ex Bed. in hunc loc. — [3] *Luc.*, XXII, 41. — [4] Gloss., ex Bed. *in Luc.*, lib. VI, c. 92. — [5] *Matth.*, X, 9-10. — [6] *Marc.*, VI, 8-9. — [7] *Luc.*, X, 4. — [8] Gloss., ex Bed. *in Marc.*

soleis vel petonibus uti jussi sunt. » Item in libro Josue dicitur [1] : *Solve calceamentum tuum de pedibus tuis,* etc. Glossa : « Hi sunt pedes, quos lavit Jesus. » Non autem ignorat prudentia tua, Dominum Jesum non tantum pedes apostolorum spirituales, sed etiam corporales humiliter abluisse. Patet etiam postremo per gloriosum Christi signiferum Franciscum, qui Spiritu sancto revelante, juxta litteralem intellectum prædicti præcepti, ordinem suum et regulam instituit, *Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis* [2], et etiam servavit. Et juxta hunc intellectum per se ad providentiam signis præcedentibus confirmationem meruit obtinere. Cæterum, si præcepta evangelica de non portandis calceamentis spiritualiter tantum ab apostolis intellecta fuerunt et servata, ergo et illud quod ibidem inseritur [3] : *Gratis accepistis, gratis date;* et illud [3] : *Infirmos curate, mortuos suscitate;* et illud [4] : *Nolite possidere aurum, neque argentum,* etc. Quod quam perniciosum sit, et evangelicæ veritati adversum, tua peritia non ignorat. Ubi, quæso, esset illud Petri [5] : *Argentum et aurum non est mihi?* et illud [6] : *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri;* et illud [7] : *Dansque illi manum erexit eam,* in suscitatione Tabithæ? Hæc ergo si ab apostolis fuerunt intellecta ad litteram, et servata, ergo et illud de calceamentis ab apostolis non portandis, quæ prædictis sine medio connectuntur. Præterea Græci prædicantes Evangelium, quos cernunt pecuniam non accipere, nec calceatos incedere, sed sandaliis, vel soleis uti, *Apostolicos nuncupant,* et ut Christi discipulos venerantur. Monachi etiam Indiæ, sicut ille retulit mihi, qui vidit, calceamentis non utuntur, nudis pedibus incedentes. Hæc autem scripsi tuæ peritiæ, ut de cætero contra tot et tanta testimonia, Christum et ejus perfectissimos discipulos non infames, et evangelicæ veritatis regulam, ut lux clarissimam, expositione tua mystica non obscures. Nam secundum quamdam Glossam super *Matthæum* : « Pravus est auditor, qui manifesta vult obscure intelligi. » Innuit etiam Gregorius in *Moralibus,* in Proœmio [8], trifariæ scripturæ modum. Sunt enim quæ historice vel ad litteram intelligi nequeunt, ut illud Job [9] : *Suspendium elegit anima mea;* et illud [10] : *Pereat dies in qua natus sum.* Quædam historice, moraliter, et allegorice intelliguntur. Quædam, in quibus qui sensum litteræ negligit, oblatum veritatis sibi lumen abscondit. Certum est autem ex prædictis trium Evangelistarum sententias superius allegatas, non in primo genere, sed in secundo et tertio contineri. Cæterum, quod quatuor Evangelistæ, Joannis Baptistæ humilitatem admirabilem prædicantes, introducunt ipsum dicentem, quod non sit dignus solvere corrigiam calceamentorum Christi, sive ipsius calceamenta portare : quod spiritualiter intelligendum sit, ex glossis sanctorum annotatis ibidem clarius innotescit. Dicitur in Evangelio Joannis [11] : *Non sum dignus ut solvam ejus corrigiam calceamenti,* ubi Glossa : « Non ait : Non solvam; solvit enim, quando ipsum manifestavit, et de divinitate et humanitate ipsius multa aperuit; sed : *Non sum dignus,* scilicet ait, quia ad hoc agendum se indignum putavit. » Item in Lucæ Evangelio iterum dicitur [12] : *Non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus;* ubi ait Glossa [13] : « Non sum dignus mysterium solvere Incarnationis, vel nomen sponsi non mihi usurpo, nec sponsus credi, sed amicus sponsi volo. » Item Marcus [14] : *Non sum dignus procumbens solvere corrigiam calceamentorum ejus;* Hieronymus [15] : « Id est, Incarnationis mysterium, quando Verbum caro factum est. » Item

[1] *Jos.*, v, 16. — [2] Ex *Marc.*, xvi, 20. — [3] *Matth.*, x, 8. — [4] Ibid., 9. — [5] *Act.*, iii, 6. — [6] *Act.*, viii, 20. — [7] *Act.*, ix, 41. — [8] Greg., *Moral.*, epist. ad Leand., c. iii. — [9] *Job*, vii, 15. — [10] *Job*, iii, 2. — [11] *Joan.*, i, 27. — [12] *Luc.*, iii, 16. — [13] Gloss., ex Bed. *in Luc.*, et *in Joan.* — [14] *Marc.*, i, 7. — [15] Hieron.

Matthæus [1] : *Non sum dignus calceamenta ejus portare.* Glossa [2] : « Intendebat hic ostendere excellentiam Christi, et sui humilitatem. » Et in eadem Glossa exponitur allegorice ut prius. Forte autem Joannes Baptista in verbis propositis ad litteram intellectis non Christum calceatum dicere intendit, sed juxta prædictam Glossam *Intendebat*, etc., majestatem Christi magnificans, et suam humilitatem prædicans, usitatum modum loquendi tenuit, sicut de homine valde nobili non lavante manus suas posset dicere pauper humilis : Non sum dignus aquam effundere super manus ejus. Nisi forte quispiam verba proposita volens exponere, dicat, quod Christus eo tempore, quo Joannes Baptista sententias protulit ante dictas, nondum publice prædicabat, nondum regulam ediderat, nondum in deserto, exemplum dans pœnitentiæ, jejunaverat. Quod utique verum est. Et ideo vult dicere, quod calceamentis tunc temporis utebatur. Quod utique videtur a glossis omnibus, et sanctorum expositionibus alienum. Sive autem hoc fuerit, sive non, ex prædictis manifeste concluditur, quod, post institutionem apostolicæ regulæ, Christus suique discipuli sine calceamentis ad litteram incesserunt. Nam secundum Hieronymum [3] : « Christus non habuit, quod non habendum docuit, qui primo cœpit facere et docere. » Idcirco periculosum est valde, imo ridiculosum asserere aliter Christum, aliter apostolos vixisse, et Christum regulam non servasse, et apostolos aliud quam Christum habuisse perfectionis exemplum, cum discipulum esse perfectum, si sit sicut magister suus, et servum non esse Domino suo majorem, evangelica veritas contestetur, et ut simus imitatores Domini, sicut et ipse Christi, nos Paulus Apostolus exhortetur. Tu igitur, qui Evangelii doctor es et sectator, si hujus evangelicæ perfectionis apicem non attingis usu, attingas saltem affectu pio, affatu veridico, et catholico intellectu, et noli Evangelii candidissimam margaritam tortis expositionibus conculcare, noli contra evangelicorum pedum nuditatem pelles mortuas defensare. Si enim contra sententias Evangelii calceamenta defenderis, timendum est, ne duas tunicas, et cum pera pecuniam defendere contendas. Doceat ergo te unctio veritatem, ut si quid incautius Evangelium prædicasti, studeas revocare. Ne contemptum te reputes, quod in hac epistola tecum singulariter sim locutus : hoc enim mihi amor charitatis privatæ suasit, præsertim quia malui consuetudinem imitari Doctorum illustrium, et sanctorum, quam vulgarem facetiam populorum. Vale in Domino.

[1] *Matth.*, III, 11. — [2] Gloss. — [3] Hieron.

DE TRIBUS QUÆSTIONIBUS AD MAGISTRUM INNOMINATUM

EPISTOLA [1]

ARGUMENTUM

(*Ex edit. Vatic.*)

Apud Trithemium *De tribus quæstionibus* reperitur hoc Opusculum inscriptum, quia in eo tribus quæstionibus satisfacit circa tres articulos, de quibus magister innominatus dubitare se aiebat, nempe de paupertate, de labore manuum, et studio scholarium et magistrorum : in quibus tractandis ita se gerit Auctor, ut errore contra regulam eliminato, ipsam mirifice defendat : qua de causa, tractatus iste solet etiam *Defensorium Regulæ* inscribi.

Innominato Magistro frater Bonaventura, spiritum intelligentiæ veritatis exoptat. Proponis, charissime, ut tibi tres articuli de regula fratrum Minorum absolvantur, de quibus te ostendis pluribus rationibus dubitare, scilicet de paupertate, labore manuum, et studio scholarium et magistrorum. Cum enim regula dicat, quod fratres non recipiant pecuniam per se, vel per interpositam personam, et rursum nec locum, nec aliquam rem sibi approprient, videntur tibi fratres in hoc regulæ contraire, cum tibi videantur pecuniam per interpositam personam recipere, libros habere et domos, cum non possint harum rerum, quas habent, dominos assignare. In labore etiam manuum sibi injuncto, ut videtur, sub præcepto, culpabiles tibi videntur, cum nec laici laborent in operibus mechanicis, nec clerici manu propria in libris scribendis; quin potius cum magnis sumptibus faciunt eos scribi, ac si apud se haberent numismatum percussores. Postremo in studio, et magisterio, fratres condemnas, cum regula dicat, quod « non curent nescientes litteras, litteras discere ; » fratres plerumque tam clerici, quam magistri, qui etiam in hoc sæculo parum aut nihil de philosophia audierunt, student, recitant, scriptitant, imo quod pluris est, laniant, dissipant, ædificant. Nec videtur tantæ humilitatis professoribus posse competere nomen Magistri, cum hoc videatur Dominus in Evangelio Matthæi suis discipulis inhibere [2], quorum nos dicimur imitatores, tanquam professores Evangelii Jesu Christi. Hæc, ut asseris, tibi in corde de statu et salute fratrum scrupulum generant, et tuam conscientiam inquietant. Super hæc addis assertionem quorumdam, qui tibi nisi sunt hanc conscientiam de fratribus fabricare.

Intende igitur in ea quæ dicturus sum : dabit enim tibi Dominus, precibus gloriosæ Virginis, et B. Francisci, rectum in omnibus intellectum. Supponis, quod regula paupertatem præcipit, commendat laborem, vetat curiositatem : suppono et ego. Detestaris ob

[1] *Cf.* Edit. Argentin., an. 1495, 6, pars. II; edit. Vatic., an. 1596, tom. VII, pars IV, 384; edit. Ven., an. 1611, 13, tom. II; edit. Ven., an. 1754, tom. VII, 734. — [2] *Matth.*, XXIII, 10.

hoc receptiones pecuniarum, proprietates librorum ac donorum : vitupero et ego ; imo nos omnes persequimur fortiter, et culpamus. In hoc convenimus ; sed quod fratres tales credis, aut, si non credis, dubitas, in hoc penitus, dissentimus. Nec enim hoc credo, nec dubito, certum habens oppositum tanquam verum : non quia nullus in ordine talis sit, qui non possit culpari in aliquo prædictorum, cum nec in duodecim apostolis talis perfectio potuerit reperiri ; sed communitatem status, de qua et tu injungis, defensandam assumpsi. Vide igitur quid sentire debeas de receptione pecuniæ. Testificor coram Deo, quoniam veritatem sum expressurus secundum meam conscientiam, in omnibus quæ subjungam. Non credo te aliquatenus dubitare, quin pauperibus, quantumcumque extremam voverint paupertatem, liceat recipere eleemosynam, nisi velint se occidere : quod si nefas est, licet hoc fratribus, quod nullus sanæ mentis ignorat. Non est igitur contra eorum professionem, si quis dives homo hanc eis ministrat manu propria. Quod si noluerit, potest eis ministrare per manum servi sui. Quod si ille servus non possit, sed committat alii, quare non liceat per manum tertiam, non videtur ; quare etiam usque ad decimam manum non potest, non video. Quod si dives habens pecuniam, dat victum aut vestitum fratribus necessarium, nonne potest ipse manu sua emere? nonne potest ipse pecuniam pro emptione alii committere, et sic per multas manus in usus fratrum expendere, pro relevandis eorum necessitatibus, sine offensione fratrum? Quis sanæ mentis hoc dubitat, cum pecunia ita sit domini, cum committitur personæ intermediæ, ac si ipse dominus eam manu propria conservaret? Nisi forte quis ita desipiat, ut dicat, quod pecunia in manu servientis posita, transeat in ejus dominium, et desinat esse domini, quod penitus absurdum est. Quod si dicas, quod dominus simpliciter et absolute dare intendat fratribus, dico et ego, quod nullus sanæ mentis dare intendit fratribus, nisi prout competit regulæ et professioni eorum. Quis enim daret eleemosynam, ut eos faceret perdere vitam æternam ? Dat ergo eo modo, quo fratribus expedit, scilicet committendo alicui, qui per se eam dispenset in his rebus, quas fratribus licet accipere : et sic pecunia illa per quorumcumque manus transeat, nullo modo spectat ad fratres, quia semper est primi domini. Et est per hoc manifestum, quod nec per se, nec per interpositam personam eam recipiunt. Fateor coram Deo, ita esse verum in conscientiis fratrum. Quod si mihi forte non credis, tamen ipsi Domino Papæ, qui in utroque jure peritus, ordinis et perfectionis æmulator, qui, ut ipse testatur, in conditione regulæ B. Francisco astitit, et ejus plenum intellectum agnovit : qui requisitus a fratribus, dicit, quod « fratres volentibus sibi eleemosynas facere, possunt fidelem aliquem præsentare : qui taliter præsentatus non est eorum nuntius, sed illius potius cujus mandato solutionem facit, seu recipientis eamdem. » Hæc sunt verba ipsius. Quis ita desipit, ut si dicam alicui : Iste fideliter exequetur vel custodiet quod ei committes, quod propter hoc quidquid ille acceperit, fiat meum, cum etiam licet hæc verba non semper exprimantur, semper tamen habetur (*a*) in corde, et semper ab aliis credimus sic accipi ? Quis ergo tam improbus, ut impugnaret hanc veritatem, per tantorum virorum conscientiam sanam et discretam, per tantam rei evidentiam, et ut nihil desit, per Sedem Apostolicam confirmatam? Certus sum, quod talis (*b*) portabit judicium.

De libris et utensilibus quid sentiam, audi. Clamat regula expresse imponens fratribus officium prædicandi, quod non credo in aliqua alia regula reperiri. Si igitur prædicare non debent fabulas, sed verba divina ; et hæc scire non possunt, nisi legant ; nec legere, nisi habeant scripta ; planissimum est, quod de perfectione sic est habere libros, sicut est prædicare. Et sicut non obstat ordi-

(*a*) *Leg.* habentur. — (*b*) tale.

nis paupertati, habere Missalia ad cantandum missas, et Breviaria ad horas dicendas; sic non obstat et Biblias ad verba divina prædicanda. Licet igitur libros habere. Sed numquid regula sibi contraria est, quæ alibi mandat nihil habere? Absit hoc, ut in ea sit contrarietas aliqua, sicut nec falsitas, cum tota de fonte Evangelii sit extracta, sicut mihi, qui parum novi, facile esset ostendere. Dico ergo, quod fratribus horum concessus est usus, sed vetatur appropriatio. Nam non dicit regula : Fratres nihil habeant, nec aliqua re utantur, quod esset insanum; sed quod « nihil sibi approprient. » Cui igitur horum proprietas assignabitur? Sic respondeo ego, quod cujuscumque sit, non est mea, nec ordinis : et hoc mihi sufficit ad meæ conscientiæ puritatem. Ne tamen hominibus fugam parare videar, dico harum rerum mobilium gubernatori et protectori ordinis Cardinali potestatem, et auctoritatem, et providentiam a Domino Papa esse concessam. Sicut enim Dominus Papa ait, nec vendi debent mobilia, vel extra ordinem commutari quoquo modo, nisi Ecclesiæ Romanæ Cardinalis, qui fuerit ordinis Gubernator, super hoc auctoritatem præbuerit et assensum.

Sed dicis : Numquid qui Biblias dant fratribus, intendunt eas dare Papæ, aut Cardinali? Dico et ego : Numquid pater, qui dat Bibliam filio, intendit labefacere ordinem filii, et filium suum facere filium diaboli? Credo te dicere quod non. Dat igitur filio, intendens, quod ordinis paupertas sit penitus illibata, ac per hoc, ut ordo utatur, proprietas autem sit ejus, cujus decreverit pastor Ordinis et Ecclesiæ. An non credis, quod si pater non possit filio librum dare, nisi per manum alicujus, de quo præsumeret, quod non esset filii sui prædator, sed pastor, nonne daret? Utique daret, ut filio commodaret ad usum. Et in hoc melius provisum est Ordini, Domino faciente. Nam si librorum proprietas remaneret apud parentes, sic ministri non possent auferre fratribus libros, t essent quasi perpetui ad vitam. Nunc autem ordo nihil sibi appropriat in libris, dum ministri libros nec vendere, nec alienare auctoritate propria possunt, nec fratres subditi possunt, dum frequenter resignant, et eis pro voluntate ministrorum assignantur et auferuntur. Certus sum, quod hæc est conscientia fratrum.

Ut autem nihil remaneat, audi de domibus. Dico domos non esse fratrum. Sed si de solo quæris, dico quod dantium est et patronorum; si de ædificiis, pari ratione ædificantium, vel eorum quorum est solum : quia cedit solo unius, si unus ædificat; vel plurium, si plures. Mentior etenim, si non Dominus Papa dicit in regula : « Salvo locorum et domorum dominio illis, ad quos noscitur pertinere : » in *loco*, intelligens solum; in *domibus*, ædificia superaddita. Unde nec appropriamus nobis locum, cum dicamus esse illorum qui dant impensas, vel cedit solo; nec etiam usus appropriamus, nisi pro voluntate eorum, qui fratribus concedunt prædicta. Certus sum enim, quod hæc est conscientia fratrum. Non obstat, si aliquando vidisti contrarium, quod non credo, quia indiscretio unius non ad omnes debet, nec ad singulos retorqueri. Si dicis, nos tanquam advenas et peregrinos debere ire de domo in domum, parcat illi Deus, qui primo hanc stultitiam cogitavit. Nonne B. Franciscus ædificavit loca? Numquid tanquam peregrinus ibat quotidie unam dietam? Numquid B. Petrus, cum dicat in canonica sua [1] : *Obsecro vos tanquam advenas et peregrinos*, etc., voluit, quod omnes transirent de domo in domum? Cum enim dicat Ecclesiasticus [2] : *Vita nequam hospitari de domo in domum;* tam Petrus, quam Franciscus filiis et discipulis suis non sanctam vitam, sed nequam imposuissent, si secundum prædictum intellectum nos similes esse peregrinis mandarent. Sed hoc dictum intelligitur, ut non currat similitudo quatuor pedibus, sed ut domos, in quibus habitamus, parum diligamus, nec proprias reputemus, sicut pere-

[1] I *Petr.*, II, 11. — [2] *Eccli.*, XXIX, 31.

grinus, qui transit in patriam, domum non diligit in via tanquam propriam, sed utitur tanquam aliena. Qui aliter sapit, ipse sua insipientia manifestat, quod nihil omnino sapit. Quomodo ergo posset esse regimen et ordo prælatorum, qui ita districte manet in ordine B. Francisci, si omnes essent instabiles et vagabundi per orbem? Hoc vero sentit, qui nihil vidit de ordine.

Veniam ad laborem manuum, ubi taliter insistis, utrum sit consilium, vel præceptum? Ego autem dico, non intendere B. Franciscum manualem laborem, nec præcipere, nec consulere, nec monere; sed supposita admonitione Apostoli [1], fratribus nimis vel minus sollicitis ad laborem, dat formam laborandi. Quidam enim sic intendebant labori manuali, ut necaretur in eis devotio orationis. Quod quia periculosum erat, cum activa debeat deservire contemplativæ, dedit eis formam sanctissimus Pater, ut si laborarent qui laborare vellent, scirent et possent, ut sanctæ orationis et devotionis spiritum non extinguant. Hoc enim sequitur in textu regulæ immediate. Unde attende, quod non dicit : *præcipio,* vel *consulo* fratribus, quod laborent, sed *quibus dedit Dominus gratiam* : quod non solum includit potentiam, sed voluntatem laborandi; sicut si diceret : Fratribus quibus dedit Dominus gratiam lacrymandi, lacrymentur ita modeste, quod oculos non amittant; non præciperet lacrymari, sicut nunc intelligit. Ipse autem de labore manuum vim non faciebat, nisi propter otium declinandum : quia cum fuerit regulæ observator perfectissimus, non credo, quod unquam lucratus fuerit de labore manuum duodecim denarios, vel eorum valorem, sed potissime ad orationem monebat. Non enim volebat, quod illam extinguerent propter lucrum. Unde provincialibus ministris relinquitur, quod non permittant fratres suos otiosos. Ego una tecum, si qui tales sunt, judico arguendos, et verberibus puniendos, tanquam servos malos et pigros. Non tamen propter hoc tibi displiceat, quia satis ibi invenies copiam laborandi, tam in studio veritatis quam in exercitio humilitatis, pietatis, et cujuslibet alterius virtutis. Nam fratrum eleemosynas quærere, coquinam facere, infirmis servire, scutellas lavare, et in omnibus humilitatis exercitiis laborare, quæ dulciora fratribus sunt quam multa officia dignitatis.

Sed quid dicemus de ascendentibus ad cathedram, cum regula dicat, quod non curent nescientes litteras, litteras discere, etc., cum etiam Evangelium dicat, quod nolimus vocari magistri? Dico ergo, quod regula non vetat studium litteratis, sed illiteratis et laicis. Vult enim juxta Apostolum [2], quod *unusquisque in ea vocatione qua vocatus est, permaneat,* ut ad clericatum de laicatu nullus ascendat; nec vult quod clerici fiant laici, studium recusando : alioquin ipse transgressor fuisset, qui cum paucas litteras sciret, postmodum in litteris profecit in ordine, non solum orando, sed etiam legendo. Unde ut scias quantum sibi placuerit studium sanctæ Scripturæ, audivi ego a fratre, qui vidit, quod cum Novum Testamentum venisset ad manus suas, et plures fratres non possent simul habere, dividebat per folia, et singulis communicabat, ut omnes studerent, nec unus alterum impediret. Clericos etiam quos recipiebat ad ordinem, in summa reverentia habebat, et in morte mandavit fratribus, ut doctores sanctæ Scripturæ in summa reverentia haberent, tanquam illos a quibus reciperent verba vitæ. Unde cum nomen Doctoris veneraretur, intelligebat hoc Evangelium non vetuisse; alioquin Paulus Apostolus Evangelio contradiceret, qui se, prima epistola ad Timotheum [3], *magistrum gentium* vocat : quod majoris impudentiæ videtur, quam si ab aliis vocaretur. Dico ergo, quod secundum Evangelium pompa hujus nominis condemnanda est, et nullatus appetenda, sed officium assumendum. Quos enim magis decet Evangelium docere, quam qui

[1] II *Thess.*, III, 10. — [2] I *Cor.*, VII, 20. — [3] I *Tim.*, II, 7; II *Tim.*, I, 11.

Evangelium profitentur et servant? Nam cum dicat Evangelium [1] : *Qui fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum ;* quis sanæ mentis dicat, ut magister et frater Alexander dives debuerit prædicare, et docere : *Beati pauperes spiritu;* et pauper effectus, debuerit reticere? Certe, si fratres decet addiscere et ruminare, tanquam munda animalia, verba divina, et sibiipsis sufficiunt in docendo ; quis tam stultus est, ut dicat, quod doctrinam, quam eos decet facere et docere, debeant a non facientibus mendicare? Condemno igitur tecum in magisterio pompam, sed commendo officium. Damno fratrem Minorem pomposum, et dico eum magisterio penitus indignum ; sed commendo studiosum, credens quod nulli magis, quam tali, competat auctoritas docendi Evangelium Jesu Christi.

Restat igitur, ut de philosophantibus aliquid subjungamus. Audi, charissime, sicut in cæteris, sic et in hoc pariter concordemus. Fateor, displicent tibi curiositates : displicent et mihi, et displicent fratribus bonis, et displicent Deo et angelis suis. Nec defendo circa scripta puerilia mussitantes, sed detestor eos pariter tecum. Unde et tibi et mihi consulo, ut habeamus zelum secundum scientiam, ne detestemur plus quam oportet. Fortassis enim inter peccata minuta et venialia computandum est. Vix enim grana absque paleis colligi possunt, et verba divina sine verbis humanis. Hæc autem omnia separantur per zelum compunctionis et fletum devotionis, quæ faciunt triticum veritatis a verborum paleis separari. Et fortasse videntur aliqui curiosi, qui magis sunt studiosi. Si quis enim studeret in dictis hæreticorum, ut eorum sententias declinando magis intelligeret veritatem, nec curiosus, nec hæreticus, sed catholicus esset. Cum verba philosophorum aliquando plus valent ad intelligentiam veritatis, et errorum confutationes, non deviat a puritate in his aliquando studens, maxime cum multæ sint conclusiones fidei, quæ sine his terminari non possunt. Unde si velimus nimis stricte judicare, fortasse ipsos Sanctos, quod impium est, judicabimus curiosos. Nam nullus melius naturam temporis et materiæ describit, quam Augustinus inquirendo et disputando in libro *Confessionum*. Nullus melius exitus formarum, et propaginem rerum, quam ipse super *Genesim ad litteram*. Nullus melius quæstiones de anima et de Deo, quam ipse in libris *De Trinitate*. Nullus melius naturam creationis mundi, quam ipse in libris *De Civitate Dei*. Et, ut breviter dicam, pauca aut nulla ponunt magistri in libris suis, quin illa reperias in libris Augustini. Lege Augustinum *de Doctrina Christiana*, ubi ostendit quomodo non potest intelligi sancta Scriptura sine aliarum scientiarum peritia. Ostendit etiam, quod sicut filii Israel asportaverunt vasa Ægypti, sic doctores theologi doctrinam philosophiæ. Unde multa, quæ non didicimus per Philosophos de dictis philosophiæ, didicimus per Sanctos. Ac per hoc non debet tibi esse mirum, si minus fundati in scientia (*a*) intrantes, fiant (*b*) in ordine fundatiores. Sed esto, quod ista sint reprehensibilia et purganda, non propter hoc retraharis : quia nullus ad hoc compellitur ; sed is magis amatur, qui magis est talium aspernator. Nec prælati talia præcipiunt, sed permittunt. Nec propter tres vel quatuor vitiosos, debet magister contemnere innocentes. Et si aliqui abundent libris ad tempus, aliis plerisque multo plus indigentibus poterunt dispensari, cum multo plures egeant, quam abundent. Nec te moveat, quod fratres fuerunt in principio simplices et illitterati ; imo magis debet hoc in te fidem Ordinis confirmare. Fateor coram Deo, quod hoc est quod me fecit vitam B. Francisci eligere, quod non fuit per hominum prudentiam inventa, sed per Christum : et quia opera Christi non deficiunt, ostenditur hoc opus fuisse divinum, dum ad

[1] *Matth.*, v, 19.

(*a*) *Suppl.* in ordinem. — (*b*) *Cæt. edit.* fundati intrantes, fiant in scientia.

consortium virorum simplicium etiam sapientes non sunt dedignati descendere, attendentes illud Apostoli [5] : *Si quis est inter vos sapiens, stultus fiat, ut sit sapiens.* Rogo, charissime, ut non nimis abundes in sensu tuo, nec credas te prudentiorem nec meliorem omnibus, quos Deus ad statum istum vocavit; et si vocaverit te, non recuses. Vale in Domino.

[5] I *Cor.*, III, 18.

AD MINISTROS PROVINCIALES ET CUSTODES

EPISTOLA

DE REFORMANDIS FRATRIBUS SUI ORDINIS [1]

ARGUMENTUM

(Ex edit. Vatic.)

Hac Epistola causas exponit, ob quas Minorum Ordo suo tempore deformari videbatur. Monet itidem, ac præcipit Provincialibus Ministris, et Custodibus, ut iis causis per regulæ observantiam occurrant, pœnas illis, si secus fecerint, comminando.

In Christo sibi charissimis Ministris Provincialibus, et Custodibus universis, Frater Bonaventura Ordinis eorumdem Generalis Minister, et servus, Salutem et pacem, quæ exuperat omnem sensum.

Licet insufficientiam meam ad ferendum onus impositam cognoscerem manifeste, per debilitatem corporis, imperfectionem mentis, inexperientiam actionis, et repugnantiam voluntatis; quia tamen durum est contra stimulum calcitrare, tantæ congregationis, et summi Pontificis, ac per hoc et altissimi Dei voluntati pertinaciter resistendo, sarcinæ gravi et quasi importabili humeros supposui imbecilles, sperans de adjutorio virtutis Omnipotentis, et confidens de adminiculo vestræ sollicitudinis in idipsum. Nam etsi sit impossibile homini quantumcumque forti, industrio et experto, totam tanti oneris sarcinam suis humeris bajulare, si tamen divisa in partes, et humeris imposita diversorum viriliter a quolibet importetur, non est quantumcumque debili capiti, horrore quodam rei insolitæ, desperandum. Quoniam igitur de vestra præsumo industria, sollicitudine et zeli vivacitate, quod prompti sitis ad extirpanda mala, promovenda bona, refovenda debilia, et fortia conservanda, videns me speculatorem datum domui Israel, ne sanguis animarum de manibus meis requiratur, cogitavi quædam vobis breviter scribere, quæ verbo tenus, si in capitulo generali fuissem, libentius enodassem. Nunc autem quia pericula temporum urgent, et læsiones conscientiarum, necnon et scandala mundanorum, quibus cum ordo deberet esse sanctitatis totius speculum, in diversis orbis partibus in tædium vertitur, et contemptum : quæ mihi de consilio discretorum visa sunt corrigenda, nec penitus tacens, nec omnino exprimens, nec nova statuens, nec vincula superinducens, nec onera gravia alligans aliis, et imponens; sed tanquam annuntiator veritatis, breviter explico, videns illa nullatenus reticenda. Sane perquirenti mihi causas, cur splendor nostri Ordinis quodammodo obscuratur, Ordo exterius inficitur,

[1] *Cf.* Edit. Argentin., an. 1495, 21, pars. I; edit. Vatic., an. 1596, tom. VII, pars IV, 467; edit. Ven., an. 1611, 18, tom. I; edit. Ven., an. 1754, tom. V, 768.

et nitor conscientiarum interius defœdatur, occurrit negotiorum multiplicitas, qua pecunia, nostri Ordinis paupertati super omnia inimica, avide petitur, incaute recipitur, et incautius contrectatur. Occurrit quorumdam fratrum otiositas, quæ sentina est omnium vitiorum, qua plurimi consopiti, monstruosum quemdam statum inter contemplativam et activam eligentes, non tam carnaliter quam crudeliter sanguinem comedunt animarum. Occurrit evagatio plurimorum, qui propter solatium suorum corporum, gravando eos per quos transeunt, non exempla post se relinquunt vitæ, sed scandala potius animarum. Occurrit importuna petitio, qua omnes transeuntes per terras adeo abhorrent fratrum occursum, ut eis timeant, quasi prædonibus, obviare. Occurrit ædificiorum constructio sumptuosa et curiosa, quæ pacem fratrum inquietat, amicos gravat, et hominum perversis judiciis multipliciter nos exponit. Occurrit multiplicatio familiaritatum, quam regula nostra prohibet, ex qua suspiciones, infamationes et scandala plurima oriuntur. Occurrit improvida commissio officiorum, qua fratribus nondum usquequaque probatis, nec carne maceratis, nec spiritu roboratis, imponuntur officia vix portanda. Occurrit etiam sepulturarum et testamentorum avida quædam invasio, non sine magna turbatione cleri, et maxime sacerdotum. Occurrit mutatio locorum frequens et sumptuosa, cum quadam violentia, et perturbatione terrarum, cum nota inconstantiæ, non sine præjudicio paupertatis. Occurrit tandem sumptuositas expensarum. Nam cum fratres paucis nolint esse contenti, et charitas hominum refriguerit, facti sumus omnibus onerosi, magisque fiemus in posterum, nisi remedium celeriter apponatur. Licet autem plurimi reperiantur, qui non sunt culpabiles in aliquo prædictorum, tamen omnes involvit hæc maledictio, nisi a non facientibus, his qui faciunt resistatur; cum luce clarius omnia supradicta in maximum, et nullo modo dissimulandum vergant nostri Ordinis detrimentum, licet tepidis et indevotis, et secundum carnem sapientibus, considerantibus consuetudinem, et allegantibus multitudinem, quasi facilia et excusabilia, etiam irremediabilia videantur. Excitetur ergo cordis nostri devotio, et fervor ad zelum, et ejectis negotiatoribus de domo Patris cœlestis, fratres omnes ad orationis et devotionis studium accendatis, restringatis receptionem multitudinis, quia modis omnibus volo, quod constitutio de receptione stricte servetur. Pravas prædictorum vitiorum consuetudines resecetis, quia licet videatur fratribus grave, requirit tamen hoc perfectio professionis nostræ, requirit tribulationis incursus, requirit mundus. Clamat hoc beatus Franciscus, et sanguis Christi aspersus, et Dominus de excelsis. Otiosos stimuletis ad laborem, vagantes compescatis ad quietem, importune petentibus imponatis silentium, intentos exaltandis domibus profundius deprimatis, familiaritates quærentes arceatis ad solitudinem. Officia prædicationis et confessionis cum multo examine imponatis. Constitutionem de testamentis olim factam, et de novo de sepulturis, faciatis arctius observari. Locorum vero mutationem nullatenus concedatis alicui ante Capitulum generale. Nam de consilio discretorum, propter scandala vitanda juxta prædecessoris mei mandatum, hoc mihi reservo districte per obedientiam jubendo, ut nullus deinceps locum mutet sine mea licentia speciali. Discant etiam fratres modicis esse contenti, quia vehementer et sapientibus, et rationabiliter formidatur [1], quod oportebit eos modicis esse contentos, velint, nolint. Si igitur obedientes fueritis verbo per epistolam, et hoc per visitatores intellexero, quos volo super prædictis corrigendis, tam in capitibus, quam in membris diligentius vigilare, gratias agam omnium Conditori, et vobis. Quod si aliter, quod absit, acciderit; indubitanter sciatis, quod nullatenus patie-

[1] Locus corruptus.

tur conscientia mea, prædicta sub silentio pertransire. Licet enim non sit mei propositi novis vos vinculis innodare, oportet me tamen, conscientia compellente, totis viribus extirpationi intendere prædictorum, quatenus, vitatis scandalis, ut tenemur, regulæ quam vovimus, sine cujus observatione salvari non possumus, veritatem perspicaciter videamus, et impleamus professionem, et totis viribus puritatem custiodiamus, quæ impugnatur evidenter ex omnibus supradictis. Datum Parisiis, etc. Hanc autem litteram legi in singulis Conventibus vestræ Provinciæ faciatis.

AD QUEMDAM PROVINCIALEM MINISTRUM

EPISTOLA [1]

ARGUMENTUM

(*Ex edit. Vatic.*)

Hac epistola S. Bonaventura præcipit, ut fratres sui Ordinis caveant a frequentia discursuum, ab importunitate quæstuum, a sumptuositate ædificiorum, librorum, vestium, ac ciborum, a prædicatione contra prælatos coram laicis, et a litigiosa invasione sepulturarum et testamentorum.

In Christo sibi charissimo Fratri B. Saucelis Provinciæ Ministro, Frater Bonaventura Ordinis Fratrum Minorum Minister Generalis, et servus, Salutem et pacem in Domino sempiternam.

Quoniam ad hoc potissimum invigilare debet sollicita cura rectoris, ut in commisso grege meritum virtutis accrescat, claudatur via vitiis, et detur moribus disciplina, diligenti deliberatione præhabita, visum est tam mihi, quam diffinitoribus Capituli Generalis, ut Ministris singulis aliqua, ibidem examinata et discussa, litteratorie demandarem, ipsosque sollicitos redderem, ad eos potissimum abusus tollendos de medio, quibus sinceritas Religionis inficitur, perfectionis celsitudo deprimitur, et sanctitatis claritas offuscatur. Sane cum evangelici culminis observata perfectio, hactenus spectabiles et amabiles nos mundo reddiderit, omnique favore ac reverentia dignos, ecce jam nunc multitudine in proclivia tendente, et remissius agentibus his qui præsunt, vitiorum quædam sentes cernuntur succrescere, quæ dum sacrum hoc venerandumque collegium, despicabile et onerosum reddunt populis, convertunt in scandalum, quod cunctis esse debuerat in exemplum. Nam frequentia discursus, et importunitas quæstus, viles nos et graves efficiunt, pro eo videlicet, quod dum parvis nolumus esse contenti, et ædificia sumptuosa conamur erigere, vilia summo studio quæritantes, nobilia per incuriam perdimus, cum murorum curiosa constructio destructionem pariat animarum. Perhorreo quorumdam procacium audaciam, qua contra Patris nostri doctrinam coram laicis prædicando in Ecclesia contra prælatos, ipsorum acta suggillando consurgunt, nonnisi scandala, jurgia, et odia seminant, et non solum ipsorum, verum etiam Dei provocant iram, cum divina constet lege sancitum, ne quis maledicat surdo, nec ponat offendiculum coram cæco. Sed et sepulturarum ac testamentorum litigiosa et avida quædam invasio, cum exclusione illorum, ad quos animarum cura spectare dignoscitur, non modicum nos clero toti fecit exosos, sicut, experientia docente, percepimus, et ipse san-

[1] *Cf.* Edit. argentin. an. 1495, 20, pars 1; edit. Vatic. an. 1596, tom. VII, 466; edit. Venet. an. 1754, tom. V, 771.

ctissimus pater Pontifex summus dominus Clemens, fratres omnes ad cavendum hujusmodi, pia providentia, per me voluit commonere. Horum autem omnium hanc puto potissimam rationem et causam, quod ea, quæ provida cura, per totius Ordinis providentiam in Generali Capitulo statuuntur, parvipenduntur a fratribus, et habentur pro nihilo. Nec tamen transgressores hujusmodi, disciplina debita castigantur. Sicque fit divini permissione judicii, ut spernentes modica, in maxima decidant. Quia cum disciplina negligitur, insolentiæ crescunt, ac per hoc interior negligentia circa exercitationem virtutum, exterius procedit in scandalum per eorum patentem ruinam, qui stare videbantur in oculis aliorum. Ex quo fit, ut sanctæ Religionis splendor præfulgidus in pallorem degeneret, sanctitatis pulchritudo sordescat, bonæ opinionis odor computreat, et nomen Domini blasphemetur. Ne igitur sanguis animarum non solum nostræ sollicitudini commissarum, sed etiam omnium quæ ad lumen sanctæ Religionis per viam salutis incedunt, de nostris manibus requiratur, charitatis tuæ zelum, quantum possum, efficaciori mandato duxi præsentibus excitandum, adjurans te per aspersionem sanguinis Crucifixi, et per stigmata passionis ejus, quæ in sacro Patris nostri corpore indubitabili claritate fulserunt, ut, sicut Christi servus fidelis et prudens, ad præfatarum extirpationem pestium toto te animi vigore succingas, tota mentis attentione invigiles, totoque fervore spiritus succendaris. Et primum quidem ad sanctæ orationis studium, fratres tuæ curæ commissos efficaciter incitans, ad regulæ promissæ observantiam sinceram inducas·pariter et compellas, pestiferos et insolentes, nullius ferendo faciem, evellens et destruens, dissipans et disperdens, vel carcerali mancipando custodiæ, vel a communitate sacri collegii expellendo, juxta quod pietatis et justitiæ lex exposcit : ne dum crudeli misericordia uni membro putrido parcitur, in totius corporis sospitatem putrens corruptio diffundatur. Et quoniam paupertas est nostræ Religionis prærogativa sublimis, ne nobilis hæc margarita conculcanda porcis viliter exponatur, discursuum causam et quæstuum, sumptuositatem scilicet ædificiorum, librorumque, vestium, ac ciborum, sic studeas amputare, quod a professionis excellentia vitæ observantia non discordet. Fœdum est enim, profanumque mendacium summæ paupertatis voluntarium professorem se asserere, et rerum penuriam pati nolle, interius divitum instar affluere, et exterius more pauperum mendicare. Inhibeas etiam fratribus firmiter et districte, quia tam divino, quam canonico prohibetur imperio , ne prælatorum vitam coram populo carpant, sed potius reverentiam exhibeant, non tantum bonis et modestis, verum etiam dyscolis, quia etiam hoc exigit sacrum mysterium Christificæ unctionis. Mandes etiam fratribus universis, ut pacem clericorum omnium tam in testamentis, quam in sepulturis, quantum in eis est, sic studeant observare, ut nullam habeant contra nos occasionem justæ querelæ, simulque sæculo toti clarescat, quod non commoda rerum, sed lucra quærimus animarum. Denique quia his, et aliis deordinationibus innumeris, per statuta Ordinis via præcluditur, volo ut per loca fratrum ea sic diligenter conscribi, legi facias et servari, ut sicut professione virtutum præcipui credimur, nequaquam morum incompositione postremi merito censeamur. His igitur, charissime frater, tam efficaci studio non cesses intendere, quod Deus gratum habeat, ut ego tuæ obedientiæ promptitudinem, et sollicitudinis vigilantiam , zelumque Ordinis sacri, possim non immerito commendare. Et ut hoc melius fiat, volo ut præsens series omnibus fratribus tuæ provinciæ per te, vel per Custodes, quotiens opportunum fuerit, explicetur.

AD ABBATEM BEATÆ MARIÆ BLESENSIS

EPISTOLA [1]

Confirmat cessionem ipsi factam a Petro ministro provinciali.

Anno 1273. Ex cartario Burgimedii.

Venerabili et religioso viro domino abbati sanctæ Mariæ de Burgo medio Wesensis ordinis sancti Augustini, cæterisque canonicis conventus ejusdem, frater Bonaventura ordinis fratrum minorum generalis minister et servus, salutem et pacem in Domino sempiternam.

Desiderio multo desideravi, atque desidero quod omnis turbationis materia, propter quam de fratribus nostris Blesensibus visi estis hactenus conqueri, de medio, quantum possit secundum Deum fieri, tolleretur, essentque vobis fratres prædicti subjectibiles, quantum decet, omni humilitate, sicut olim, amicabiles et devoti : ut sic illibata omnino fraterna staret inter vos et illos charitas, et illa Christi pax quæ superat omnem sensum. Cupiens igitur et volens id facere, quoad possum, concessionem illam domorum, arearum et platearum, seu rerum quarumlibet aliarum, quas (*a*) frater Petrus nostri ordinis minister provincialis in Turonia cum beneplacito et assensu fratrum nostrorum conventus Blesensis vobis libere fecit, prout manifeste apparet in litteris præfati ministri provincialis, expressam de iis omnibus facientibus mentionem, approbo et confirmo, et prædicta omnia quæ dominus comes Blesensis, seu quisque alius nomine eleemosynæ fratribus contulit memoratis, volo et decerno quod habeatis et libere teneatis, vobisque assero quod nec ego per me faciam, nec per fratres nostros scienter fieri permittam aliquid contra concessionem prædictam, aut per quod dictarum (*b*) facta vobis concessio videatur quomodolibet impediri, et ut teneatis et indubitanter credatis quod vos tanquam patres, in Christo amicos et dominos, sicut decet, habere intendimus, et pacificationem perpetuam vobiscum desideramus, omnem assecurationem quam possum ex parte mea et fratrum facio vobis auctoritate præsentium super omnibus superius memoratis.

Datum Parisius (*c*) XIII Calendas Aprilis, anno Domini MCCLXXIII.

[1] *Cf. Thes. anecdot.* Martene et Durand, tom. I, Paris 1717, *Miscellan. Epist.* et *Diplom.*, col. 1138; edit. Venet an. 1754, tom. V, pag. 773.

(*a*) *Leg.* quam. — (*b*) *Suppl.* rerum. — (*c*) *Leg.* Parisiis.

AD FRATREM LAURENTIUM

IN ADMINISTRATIONE TUSCIÆ VISITATOREM PAUPERUM DOMINARUM

EPISTOLA [1]

ARGUMENTUM

(Ex *Annal. Minor.* Wadding, ad an. 1264, n. 3.)

Bonaventura juxta pactum cum Cardinale Protectore, et statutum a Pontifice circa controversiam (ad Clarissas spectantem), visitatores adhibuit Ordinis S. Claræ, permisitque ut Fratres solita exhiberent Sororibus charitatis obsequia, præmissis tamen cautionibus, et testimonio publici scribæ firmatis declarationibus, nihil horum exhiberi ex justitia, sed ex charitate. Hæc illius de hac re ad Tusciæ visitatorem Epistola.

In Christo sibi charissimo Fratri Laurentio, in administratione Tusciæ Visitatori pauperum Dominarum, F. Bonaventura Ord. Fr. Minorum generalis Minister et servus, salutem et pacem in Domino sempiternam.

Dignum est et consonum rationi, quod spiritualium Ordo virorum ad ea se promptum exhibeat, quæ divinum honorem respiciunt, animarum salutem procurant, naturali sunt consona pietati. Quia Ordo sanctæ Claræ venerabili patri nostro Joanni S. Nicolai in Carcere Diacono Cardinali per summum Pontificem est commissus, et quod idem Dominus sub spe adjutorii nostri Ordinis, et pro nostra pace et libertate servanda, eumdem in suam curam suscepit : conveniens est et decens, quod eidem Domino prompto animo assistamus. De tua itaque providentia et probitate confisus, de fratrum consilio discretorum mandamus tibi per obedientiam salutarem, quatenus visitationis officium circa monasteria Ordinis supradicti, intra administrationem Tusciæ constituta, quæ juxta formam inferius annotatam, libertatis nostræ instrumenta publica, sive patentes litteras dederunt, vel dederint, exequaris. Et quia opus istud ad salutem animarum respicit, pro quibus Jesus Christus sanguinem suum fudit, sic prudenter, sic modeste, sic juste, sic misericorditer, sic constanter, prædicti opus officii exequaris, quod laus sit Christo, extirpatio vitiorum, ædificatio virtutum, et devotarum consolatio animarum. Et ut prosecutioni hujus officii valeas attendere ut oportet, minister tuus teneatur tibi, præsentium jussione, de socio idoneo providere, et ad hoc ipsum Custos, in cujus custodia visitationem feceris, si socium tuum impediri contigerit, sit astrictus. Cum autem accesseris ad aliquod monasterium visitandum, in quo Fratres non resideant : Guardianus proximioris loci, vel ejus vicarius providere tibi de altero socio teneatur, et uterque istorum sociorum tibi specialiter assignatus ingredia-

Forma visitandarum Clarissarum.

[1] *Cf. Annal. Minor.* auct. Wadding, ad ann. 1264, n. 3.

tur tecum monasterium, cum pro visitationis officio fuerit opportunum. Forma autem super visitationis officio, quæ tibi transmittitur per dictum Dominum Cardinalem, tam quoad regulæ susceptionem, quam alia in ipsa contenta, diligenter observes, et efficaciter, secundum gratiam a Domino tibi datam, observare procures : cavens ab introductione Fratrum in ipsa monasteria, exceptis duobus te associantibus ad tuum officium exequendum, ab omni etiam acceptatione munusculorum, et a cæteris omnibus, quæ mali speciem possunt prætendere quoquo modo. Neque pro hujusmodi absolutione officii ad me venias, sed quam citius poteris, illud exequi studeas diligenter. Sic autem sollicite ac solemniter præmissis insistas, quod tuum officium esse possit in conspectu divinæ majestatis acceptum, ac fructuosum et consolatorium monasteriis memoratis, præfatoque Domino Cardinali, qui firmam gerit fiduciam, quod hujusmodi officium per te sollicite debeat exerceri : necnon et Ordini nostro, qui sibi ad supportandum hoc onus quod humeris suis imposuit, in hac parte voluit afferri juvamen, nihil ob tuum defectum quoad Deum vel homines valeat imputari : quin imo tam conscientia ipsius Domini Cardinalis, quam tua et Fratrum nostri Ordinis, qui sibi de speciali gratia in hoc humiliter condescendit, in tuto proinde conquiescat. Forma vero instrumenti publici, seu litterarum nostræ libertatis, hæc est. Forma cautionis exhibendæ.

Nos talis... Abbatissa, et sorores talis... monasterii, pro nobis et monasterio nostro dicimus, et confitemur, et etiam recognoscimus, quod Ordo Fratrum Minorum, vel Fratres ejusdem Ordinis nobis, seu monasterio, seu personis in eo degentibus, ad obsequialia monasterio exhibenda aliquatenus ex debito non tenentur. Et idcirco dicti Ordinis Fratribus præcavere volentes, ne per aliqua obsequia, vel ministeria, quæ nobis dicti Fratres de facto, seu liberalitate, vel mera gratia exhibebunt, ex quantacumque diuturnitate temporis possit eis præjudicium generari, promittimus tibi Fratri N. nomine Ordinis et Fratrum recipienti, et stipulanti, quod ministeria, vel obsequia ab eis taliter exhibenda, nullo unquam tempore, occasione procurationis hujus modi, ex debito non petemus, nec super eis movebimus contra eumdem Ordinem, vel Fratres ipsius Ordinis aliquam quæstionem. Et in hujusmodi rei testimonium, volumus fieri hoc publicum instrumentum, et sigilli conventus nostri munimine roborari.

Datum Assisii III. Non. Octobris anno Domini 1264, Pontificatus Domini Urbani IV, anno 3.

AD FRATRES TOLOSATES

COLLATIONES OCTO [1]

ARGUMENTUM

(*Ex edit. Vatic.*)

Hæ collationes, ut impressis hactenus Opusculis fertur, a S. Bonaventura habitæ sunt in conventu Tolosano, quibus ad virtutes Religiosorum statui maxime convenientes, fratres suos exhortatur.

COLLATIO PRIMA.

De Verbi incarnatione.

Vide, anima mea innovata, mirabilia veritatis. Hæc omnia videre possumus, quæ fecit junctura confœderans Deum et hominem in *verbo quod factum est, quod* fecit Deus, et *ostendit nobis* [2]. Primo vis videre æternitatem novam, quia qui Filius Dei est æternaliter, caro factus est temporaliter? Vide, anima mea : non poterat te redimere, nisi haberet pretium; nec debebat secundum legem, nisi esset propinquus. Homo propinquus erat; sed pretium non habebat. Deus pretium habebat; sed propinquus non erat. Non debebat nisi homo; non poterat nisi Deus. Factus est ergo Deus homo propinquus, et factus est noster Jesus *vir pretiosior auro, et homo mundo obrizo*, ut dicit Isaias [3]. Sacculum pecuniæ tulit secum, quia Deus homo in carne apparuit, et Verbum in carne quasi pecuniam in sacco abscondit, et hominem reum redemit.

Secundo admittit immensitas brevitatem, quia [4] *Verbum abbreviatum fecit Dominus super terram.* Verbum, inquam, divinitate immensum, est positione præsepii abbreviatum. Vide, anima mea, dulcia, mirabilia, et omnino tibi necessaria. Tua necessitas non minus, quam (*a*) Dei Filio supplebatur; sed tua possibilitas non capiebat immensum, et major erat necessitas, quam capacitas. Propter quod mirabilis dispensatio consilii charitatis divinæ providit, ut scilicet daret nobis Filium quo indigebamus, et parvulum quem capere poteramus. Ideoque [5] *parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis.*

Tertio admittit pulchritudo obscuritatem : quia quidquid jucunditatis habeo (*b*), si non possum videre, tam immensæ charitatis donum, quid mihi prodest? Unde in nostro Jesu operta (*c*) est illa facies, in quam [6] *desiderant angeli prospicere*, sacco mortalitatis nostræ : ut non solum in visibilem (*d*) cerneremus in visibili (*e*) specie, sed nobis similem amaremus in nostra carne. Unde in Apocalypsi dicitur [7] : *Factus est sol sicut saccus cilicinus.* Sol justitiæ Christus Deus noster, qui secundum Apostolum est [8] *splendor gloriæ, et figura substantiæ Patris.* Speciosior plane sole : super omnem dispositionem stellarum, *luci comparatus* [9], *invenitur prior*, et tamen propter nos factus est quasi saccus cilicinus propter asperitatem.

Quarto admittit celsitudo abjectionem, imperium servitutem, quando non ad me, sed infra me descendit, quando hodie jacuit ad pedes animalium ille, cujus gloriosi pedes vix erant accessibiles altissimis angelorum. Ecce ipse be-

[1] *Cf.* Edit. Argentin., an. 1495, part. II; edit. Vatic., an. 1596, tom. VII, pag. 565; edit. Venet., an. 1611, tom. II, pag. 29; edit. Lugd., an. 1647, tom. II, pag. 549; edit. Venet., an. 1756, tom. XIII, pag. 16. — [2] *Luc.*, II, 15. — [3] *Isa.*, XIII, 12. — [4] *Rom.*, IX, 28. — [5] *Isa.*, IX, 6. — [6] II *Petr.*, I, 22. — [7] *Apoc.*, VI, 2. — [8] *Hebr.*, I, 3. — [9] *Sap.*, VII, 29.

(*a*) *Hic deest aliquid, forsan* possibilitas a. — (*b*) *Leg.* habeat. — (*c*) *Cæt. edit.* aperta. — (*d*) *Item* visibilem. — (*e*) *Item* invisibili, *una voce.*

nedictus Deus omnia fecit ex parte sua, ut eum habeamus : fit homo, ut ei attineam : fit parvus, ut eum accipiam : fit visibilis, ut eum agnoscam : fit humilis, ut eum attingam.

Quinto fortitudo admisit infirmitatem, sapientia simplicitatem. Ego sum reus, et coram ejus sapientia venire erubesco. Ego adversarius, et ideo ab ejus potentia contremisco. Commissa mea, inquit, pavesco, et ante te erubesco. Ideo mira Dei benignitas, quæ semper magnificavit benefacere nobis, suam abscondit sapientiam in simplicitate, ne erubescam comparere; fortitudinem in infirmitate, ne pertimescam accedere. Ipse enim est, qui [1] *portat omnia verbo virtutis suæ.* Ipsum, inquam, tale Verbum factum est caro : et non solum homo passibilis, sed etiam in parvulitate mihi similis, et carne mortalis.

Sexto, justitia subiit reatum, quia ne dicas : Quid proderit accedere, nec negotium meum contingat complere? hæc autem est mea necessitas, quia conceptus sum in omni malo, et privatus omni bono propter culpam meam et debitam pœnam, et indigeo a malo relevari, et in omni bono restitui : et ideo stupendo consilio justitia subiit reatum, ut justificemur a malo; opulentia defectum, ut locupletemur in bono. *Eum* enim [2] *qui non noverat omnino peccatum,* scilicet innocentem Jesum, *qui* [3] *peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus,* [2] *fecit Deus peccatum pro nobis,* id est peccati nostri reatum sibi imposuit. [4] *Dominus posuit in eo iniquitates omnium nostrum,* [2] *ut efficeremur justitia Dei in illo.* O vere felicem necessitatem, quia ex quo Deus homo Jesus nostrum reatum assumpsit solvendum, vel necesse fuit Deum odire seipsum, quod est impossibile, vel reconciliari hominem reum, quod quidem est Deo acceptabile, et ab ipso intentum.

Septimo subiit opulentia egestatem, ut locupletemur in regno. [5] *Scitis gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam cum esset dives, propter nos egenus factus est, ut illius inopia divites essemus.* O quantum deberemus esse locupletati, quibus Deus tantum dedit, quod nudus et pauper remansit! Vide felicem necessitatem, in qua se posuit pro nobis, amore nostro ebrius, benedictus Jesus, quia necesse est hominem restitui in regnum, vel Jesum regem a regno exulare, postquam ipse nostram assumpsit inopiam, et [6] *simul in unum* conveniunt *dives et pauper.* Sic ergo, anima mea, tuus Jesus, Deus æternus, assumpsit novitatem, ut ei attineas; immensus brevitatem, ut eum accipias; pulchritudo obscuritatem, ut eum attingas; sapientissimus simplicitatem, ne erubescas; fortissimus infirmitatem, ne contremiscas; justissimus reatum, ut justificeris a malo; opulentissimus defectum, ut locupleteris in bono. Hæc Ubertinus.

COLLATIO II.

De timore Domini.

Aqua sapientiæ salutaris fons vitæ, et initium sapientiæ timor Domini est. Ait Bernardus [7] : « Optime refrigerans animam (*a*) noxiis desideriis æstuantem, jacula inimici potens extinguere. » [8] « In omnibus, et per omnia pietati proximorum timor Domini præferendus est. » [9] « Qui timorem Domini semper habet præ oculis, [10] *viæ ejus pulchræ, et omnes semitæ ejus pacificæ.* » [11] « Stat propositum Dei, stat sententia pacis super timentes eum, ipsorum dissimulans mala, et remunerans bona : ut miro modo eis (*b*) bona, (*c*) et mala cooperentur in bonum. » In veritate didici, nil tam efficax ad gratiam promerendam, retinendam, et recuperandam, quam si omni tempore coram Deo inveniaris non altum sapere, sed timere. Beatus es, si cor tuum triplici timore repleveris, ut timeas quidem pro accepta gratia, longe amplius pro amissa, longe plus pro recuperata. Time ergo cum arriserit gratia, time cum abierit, time cum denuo revertitur. Cum adest, time, ne indigne opereris ex ea. [12] Si recesserit, multo magis timendum, quia ubi tibi deficit gratia, ibi deficis et tu. Time ergo subtracta gratia, tanquam mox casurus. Time, quia reliquit te custodia tua. [13] Pro omni tempore time Deum, et ex omni corde tuo. Tunc demum si plene, si perfecte timueris, dabit tibi saporem charitatis (*d*). »

[1] *Hebr.*, I, 3. — [2] II *Cor.*, V, 21. — [3] I *Petr.*, II, 22. — [4] *Isa.*, LIII, 6. — [5] II *Cor.*, VIII, 9. — [6] *Psal.* XLVIII, 3. — [7] Bern., *in Evang. Dom.* I, *post octav. Epiph.*, serm. I, n. 4. — [8] Id., *in Annunt. B. Mar.*, serm. II, n. 3. — [9] Id., *de vol. nostr. volunt. Dei subjic., de divers.*, serm. XXVI, n. 4. — [10] *Prov.*, III, 17. — [11] Bern., *in Cant.*, serm. XXIII, n. 15. — [12] Ibid., serm. LIV, n. 9. — [13] Ibid., n. 10. — [14] Ibid., n. 12.

(*a*) *Ita Mabill., cæt. edit. add.* in omnibus. — (*b*) *Suppl.* non modo. — (*c*) *Suppl.* sed. — (*d*) *Mabill.* dabit caritas saporem aquis tuis.

COLLATIO III.

De obedientia.

Ut igitur obedientia religiosi Deo sit acceptabilis, ideo debet esse prompta sine dilatione, devota sine dedignatione, voluntaria sine contradictione, simplex sine discussione, perseverans sine cessatione, ordinata sine deviatione, jucunda sine turbatione, strenua sine pusillanimitate, et universalis sine exceptione. Qualiter nos audimus nostros superiores, taliter nostras exaudit Deus orationes. Hæc Augustinus. Ut autem melius valeas esse obediens, cogita semper quando vox præcipientis sonat in auribus tuis, quod vocem istam non tanquam ab homine audias, sed tanquam ab ipso Deo. Item non est obediens, sed negligens, qui secundum expectat mandatum. Item Bernardus [1] : « At parum est esse subjectum Deo, nisi sis omni creaturæ humanæ propter Deum : sive Abbati, tanquam præcellenti, sive Prioribus, tanquam ab eo constitutis. Ego plus dico, paribus subdere, subdere et minoribus. Et si vis in justitia esse perfectus, vade ad minorem, subdere inferiori, juniori te inclinato. » Nota. Climachus [2] : « Si quis erga patris subjectionem suam conscientiam ad summum possedit mundam (*a*), iste de cætero per singulos dies mortem quasi somnum, magis vero vitam expectans, non conturbatur, cognoscens in solido (*b*), quia non ipse in tempore separationis (*c*), sed qui præest, reddet rationem. » Idem infra : « Quando absente eo qui præest, vultum ipsius imaginamur, hunc nobis astare putantes, et omnem collocutionem, vel sermonem, vel cibum, vel aliud quippiam eum suspicamur odire in nobis, avertimus (*d*), tunc cognoscam, quia (*e*) legitimam obedientiam vere exequimur. »

COLLATIO IV.

De verecundia.

[3] « Nescio, an quidquam gratius verecundia ad ornatum in moribus hominum esse queat. Quam pulchra hæc, et quam splendida gemma in vita et vultu adolescentis! quam vera, et minime dubia bonæ nuntia spei, bonæ indolis est index! Virga disciplinæ est illi, qui pudendis affectibus imminens, lubricæ ætatis motus, actusque leves coerceat, reprimat insolentes. Quid ita turpiloquii, et omnis deinceps turpitudinis fugitans? Soror continentiæ est, indicium columbinæ simplicitatis, testis innocentiæ, lampas pudicæ mentis, jugiter lucens, et nihil in ea turpe vel indecorum residere attentat, quod non illico prodat. Illa expugnatrix malorum, et propugnatrix puritatis innatæ, specialis gloria conscientiæ est, famæ custos, vitæ decus, virtutis sedes, virtutum primitiæ, naturæ laus, et insigne totius honestatis. » Et infra [4] : Quid tam amicum verecundo animo, quam secretum? Sed quid tam proprium verecundiæ, quam proprias vitare laudes, vitare jactantiam? Quid tam indecorum, maxime adolescenti, quam ostentatio sanctitatis? »

COLLATIO V.

De taciturnitate.

[5] « Silentii amicus appropinquat Deo, et latenter colloquens, a Deo illuminatur. » Et infra [6] : « Sollicitus de exitu circumcidit sermonem, et qui luctum animæ possidet, quasi ignem avertit (*f*) multiloquium. » Hæc Climachus. Bernardus [7] : « Bonum silentium a jactantia, bonum a blasphemia, bonum a murmure et detractione. » Et infra : « Sileat a (*g*) nobis lingua maledica, lingua blasphema, lingua magniloqua, quoniam bonum est in hoc triplici silentio salutare Domini præstolari. [8] Ita tamen ab his taceas, ne omnino taceas, ne dederis silentium Deo. Loquere illi contra jactantiam in confessione, ut obtineas veniam de præterito. Loquere in gratiarum actione contra murmurationem, ut ampliorem invenias gratiam in præsenti. Loquere in oratione contra diffidentiam, ut consequaris gloriam in futuro. Confitere, inquam, præterita peccata, et pro præsentibus gratias age, et deinceps ora studiosius pro futuris, ut ne ipse quidem sileat a remissione, ab immissione, a promissione. » Item [9] : « Juge silentium, et ab omni strepitu sæcularium perpetua quies cogit cœlestia meditari. Porro con-

[1] Bern., *in Cant.*, serm. XLII, n. 9. — [2] Joan. Clim., *Scal. Parad.*, grad. IV, n. 57. — [3] Bern., *in Cant.*, serm. LXXXVI, n. 1. — [4] Ibid., n. 2. — [5] Joan. Clim., ubi sup., grad. XI, n. 3. — [6] Ibid., n. 4. — [7] Bern., *in Nativ. B. Mar., de Aquæductu*, n. 14. — [8] Ibid., n. 15. — [9] Bern., *ad Suger.*, epist. LXXVIII, n. 4.

(*a*) *Al.* Qui seipsum sincera et pura conscientia perfectissime religiosi patris obedientiæ subjecit. — (*b*) *Al.* certus. — (*c*) *Al.* in excessu vitæ. — (*d*) *Al.* peccare caverimus. — (*e*) *Cæt. edit.* qua. — (*f*) *Al.* refugit. — (*g*) *Mabill.* in.

tinentiæ labor, et rigor disciplinæ, psalmorum et hymnorum dulcedine relevantur. Pudor de præteritis, novæ conversationis temperat austeritatem. Venturi timor judicii pio cedit charitatis fraternæ exercitio. Tædium et acediam procul pellit sanctarum varietas observationum. » Item [1] : « Labor et latebræ, et voluntaria paupertas, hæc sunt monachorum insignia, hæc vitam solent nobilitare monasticam. »

COLLATIO VI.

De devotione.

[2] « Renuat consolari anima tua in alienis, si vis in Dei amore delectari. Delicata siquidem consolatio est, nec omnino tribuitur admittentibus alienam. » Et infra : « Cujus mens ad alienas inhiat consolationes, et non penitus renuit in caducis et transitoriis consolari, ipse sibi profecto subtrahit cœlestis gratiam consolationis. [3] Errat omnino, si quis cœlestem illam dulcedinem huic carni (*a*), divinum illud balsamum huic veneno, charismata illa spiritus misceri posse hujusmodi illecebris arbitratur. Non amat veritas angulos, in medio stat disciplina, omnium (*b*) studiis delectatur. » Item [4] : « Sancta anima, sola esto, ut soli illi serves teipsam, quem ex omnibus elegisti tibi. Fuge publicum, fuge domesticos, secede ab amicis et intimis, nihil tibi et turbis, nihil cum multitudine cæterorum. Ipsum obliviscere populum tuum, et domum patris tui, concupiscet Rex decorem tuum. Secede ergo, sed mente, non corpore, sed intentione, sed devotione, sed spiritu. » Et infra [5] : « Solus es, si communia non cogitas, si non affectas præsentia, si despicias quod multi suscipiunt (*c*), si fastidias quod omnes desiderant, si jurgia devitas (*d*), si damna non sentias, si non recorderis injuriam. [6] Cibus animæ gratia Dei, dulcissimus sane et omnem habens suavitatem, et delectamentum saporis, non modo delectat, sed reficit, et medetur. Quatuor sunt signa, quæ ostendunt præsentiam gratiæ Dei. In primis, si cor in se est pacatum, et quietum, quia in nulla re requiescit, et impletur cor, nisi in solo Deo, quamvis et cætera afficere quidem possunt, implere autem non possunt. Secundum, quando mens et animus ad devotionem inclinari se sentit. Tertium, in præsentia gratiæ, tunc plus solito facies hominis hilarescit, et benignam se ostendit. Quartum est fere idem, videlicet cum in motibus exterioribus plus homo est compositus atque ordinatus.

COLLATIO VII.

De diligentia.

[7] « Unum est quod multos a perfecta et ferventi emendatione retrahit : horror difficultatis, seu labor certaminis. Quoniam vero (*e*) illi maxime præ aliis in virtutibus proficiunt, qui ea, quæ sibi magis contraria et gravia sunt, virilius vincere nituntur : nam ubi (*f*) homo plus proficit, et gratiam ampliorem meretur, ibi (*g*) magis seipsum vincit, et in spiritu mortificat. [8] Duo specialiter ad magnam emendationem juvant, videlicet subtrahere se violenter, ad quod natura vitiose inclinatur, et ferventer instare pro bono, quo amplius quis indiget. [9] Quam nocivum est negligere vocationis suæ propositum, et ad non commissa sensum inclinare! [10] Religiosus qui se intente et devote in sanctissima vita et passione Domini exercet, omnia utilia et necessaria sibi abundanter ibi invenit; nec opus est, ut extra Jesum aliquid quærat. [11] Religiosus fervidus omnia bene portat, et capit, quæ illi jubentur. Religiosus negligens et tepidus habet tribulationem super tribulationem, et ex omni parte angustiam, quia interiori consolatione caret, exteriorem quærere prohibetur. Religiosus extra disciplinam vivens, gravi patet ruinæ. Qui laxiora quærit, et remissiora, semper in angustiis erit, » etc., ut patet in devoto libello *de Imitatione Domini nostri Jesu Christi.*

COLLATIO VIII.

De disciplina.

[12] « Primo omnium, jugo disciplinæ insolentia morum domanda est, quousque duris ac diutinis seniorum attrita legibus humilietur, et sanetur cervicosa voluntas, bonumque in se na-

[1] Bern., *ad Henric. Senon. Archiep.*, epist. XLII, sive *de Offic. Episcopor.*, c. IX, n. 37. — [2] Id., super *Qui habitat*, n. 2, et in Declam. super *Ecce nos*, circa fin. — [3] Id., *in Ascens. Dom.*, serm. V, n. 13. — [4] Id., *in Cant.*, serm. XL, n. 4. — [5] Ibid., n. 5. — [6] Id., *in Annunt. B. Mar.*, serm. III, n. 1. — [7] Hæc eadem habentur in libro I *de Imitat. Christi*, c. XXV, n. 3. — [8] Ibid., n. 4. — [9] Ibid., n. 5. — [10] Ibid., n. 6. — [11] Ibid., n. 7. — [12] Bern., *in Cant.*, serm. XXIII, n. 6.

(*a*) *Apud Bern., edit.* 1690, cineri. — (*b*) Stat, id est disciplina et vita communi, communibus. — (*c*) Suspiciunt. — (*d*) Devites. — (*e*) *Leg.* enim vero. — (*f*) *Leg.* ibi. — (*g*) *Leg.* ubi.

turæ, quod superbiendo amiserat, obediendo recipiat. » Et infra : « Accedit nimirum disciplinatis moribus bonum naturæ, quo redditur homo suavis et mitis, homo sine querela, neminem circumveniens, neminem concutiens, neminem lædens, nemini se superextollens, aut præferens. [1] O quam compositum reddit omnem corporis statum, nec non et mentis habitum, disciplina! Cervicem submittit, ponit supercilium, componit vultum, ligat oculos, cachinnos cohibet, stringit gulam, iram sedat, format incessum. » Nam de monachis ordinatis, et inordinatis, dicit abbas Pastor sic : « Qui querulosus est, monachus non est. Qui malitiam in corde tenuerit, monachus non est. Qui iracundus est, monachus non est. Qui elatus et verbosus est, monachus non est. Qui vere est monachus, semper est mansuetus, humilis, charitate plenus, et timorem Dei semper et ubique præ oculis habet, ut non peccet. » Item Joannes abbas montis Sinai dicit [2] : « Monachus est, qui solum quæ Dei sunt agit, cogitat, et loquitur, Christo unitus in omni tempore, loco, et negotio. Monachus est, violentia naturæ indesinens (*a*), et custodia sensuum indeficiens (*b*). Monachus est, sanctificatum corpus, expurgatum os, et illuminata mens. » Et infra [3] : « Et quis putas est fidelis et prudens monachus? Qui sub obedientia, subjectione, et labore doloreque calorem suum custodit inextinguibilem, et usque ad suum exitum ignem igni adjicere, et fervorem fervori, et amorem amori, et desiderium desiderio, et sollicitudinem sollicitudini quotidie non cessavit. » Unde et Bernardus : « Ille vere est monachus, qui devotionem tenet in choro, patientiam in capitulo, disciplinam in labore, meditationem in lectione, fervorem in oratione, castitatem in tentatione, tolerantiam in adversitate, humilitatem in prosperitate. »

[1] Bern., *ad Sophiam. virg.*, epist. CXIII, n. 5. — [2] Joan. Clim., *Scal. Parad.*, grad. I, n. 6. — [3] Ibid., n. 30, in fin.

(*a*) *Al.* violentus et assiduus naturæ domitor. — (*b*) *Al.* pervigil sensuum custos.

FINIS TOMI DECIMI QUARTI.

INDEX MATERIARUM QUÆ IN TOMO QUARTO DECIMO

OPERUM

SANCTI BONAVENTURÆ CONTINENTUR

Præfationis loco, ex Prodromo excerpta quædam. 1

SERMONES DE SANCTIS TOTIUS ANNI IN GENERE, SIVE IN COMMUNI.

1. De sanctis Apostolis serm. 1. *Species cœli, gloria stellarum.* 1
2. Serm. 2. *Stellæ manentes in ordine suo.* 4
3. Serm. 3. *Stellæ autem dederunt lumen in custodiis suis.* 6
4. Serm. 4. *Vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis.* 9
5. Serm. 5. *Beati oculi qui vident quæ vos videtis.* 11
6. Serm. 6. *Beati oculi qui vident quæ vos videtis.* 15
7. Serm. 7. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* 18
8. Serm. 8. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit.* 21
9. Serm. 9. *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem.* 24
10. Serm. 10. *Vos amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis.* 27
11. De sanctis Evangelistis serm. 1. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* 31
12. Serm. 2. *Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa.* 34
13. De uno Martyre serm. 1. *Magna est gloria ejus in Salutari tuo.* 36
14. Serm. 2. *Gloria et honore coronasti eum, Domine.* 39
15. Serm. 3. *Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit.* 41
16. Serm. 4. *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi.* 43
17. Serm. 5. *Fortitudo et decor indumentum ejus.* 45
18. De pluribus sanctis Martyribus serm. 1. *Sancti per fidem vicerunt regna.* 47
19. Serm. 2. *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam.* 51
20. Serm. 3. *Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra.* 53
21. Serm. 4. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam.* 55
22. Serm. 5. *Justi autem in perpetuum vivent.* 57
23. De uno sancto Confessore serm. 1. *Beatus vir qui suffert tentationem.* 61
24. Serm. 2. *Qui se humiliat, exaltabitur.* 65
25. Serm. 3. *Quanto major es, humilia te in omnibus.* 68
26. Serm. 4. *Deposuit potentes de sede.* 70
27. Serm. 5. *Orate pro invicem, ut salvemini.* 74
28. De pluribus sanctis Confessoribus serm. 1. *In omnibus divites facti estis in illo.* 77
29. Serm. 2. *Charitas benigna est.* 80
30. De uno sancto Doctore serm. 1. *Refulsit sol in clypeos aureos.* 83
31. Serm. 2. *Discite a me quia mitis sum et humilis corde.* 86
32. De una sancta Virgine serm. 1. *Veni de Libano, veni, coronaberis.* 91
33. Serm. 2. *In perpetuum coronata triumphat.* 93
34. Serm. 3. *Gaudeamus et exultemus, et demus gloriam ei.* 97
35. Serm. 4. *Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam.* 98
36. Serm. 5. *Diffusa est gratia in labiis tuis.* 101
37. De beata semperque virgine Maria serm. 1. *Suspice cælum, et numera stellas, si potes.* 106
38. serm. 2. *Ave, gratia plena, Dominus tecum.* 110
39. Serm. 3. *Ave, gratia plena.* 113
40. De sanctis Angelis serm. 1. *Misit Dominus angelum suum, et liberavit me.* 116
41. Serm. 2. *Angeli eorum semper vident faciem Patris.* 118
42. Serm. 3. *Qui facit angelos suos spiritus.* 120
43. Serm. 4. *Angelis suis mandavit de te.* 123
44. De Dedicatione Ecclesiæ serm. 1. *Sanctificavi domum hanc, quam ædificasti.* 214
45. Serm. 2. *Vidi civitatem sanctam Jerusalem novam.* 130
46. Serm. 3. *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.* 132
47. Serm. 4. *Domus mea, domus orationis vocabitur.* 136

DE QUINQUE FESTIVITATIBUS PUERI JESU. Argumentum. Præfatio. 139
Prima solemnitas. De conceptione pueri Jesu. 140
Secunda solemnitas. De nativitate pueri Jesu. 142
Tertia solemnitas. De impositione nominis pueri Jesu. 144
Quarta solemnitas. De magorum adoratione. 145
Quinta solemnitas. De præsentatione pueri Jesu in templum. 149

PASSIO CHRISTI BREVITER COLLECTA AD MODUM FASCICULORUM.— Argumentum.— Opus ipsum.
Primus fasciculus, dominica die, de oratione in horto et captione. 151
Fasciculus secundus, de illusione coram Anna et Caipha, et negatione Petri. — Fasciculus tertius, de coronatione et crucifixione. — Fasciculus quartus, de his quæ facta sunt dum Christus penderet in cruce, et de emissione spiritus. 152
Fasciculus quintus, de his quæ facta sunt, Christo pendente in cruce, post mortem. — Fasci-

culus sextus, de septem signaculis in passione Christi reseratis. — Fasciculus septimus, de resurrectione, ascensione, et missione Spiritus sancti. 153
De Passione Dominica officium.— Argumentum. — Ad Matutinum. 155
Ad Laudes. 156
Ad Primam. — Ad Tertiam. 157
Ad Sextam. — Ad Nonam. 158
Ad Vesperas. 159
Ad Completorium. 160
Philomela. — Argumentum. — Opus ipsum. 162
Opus contemplationis. — Argumentum. — Flores et fructus Arboris SS. Vitæ. Feria secunda. 167
Feria tertia. — Feria quarta. 168
Feria quinta. — Feria sexta. 169
Sabbato. 170
Dominica die. 171
Laudismus de Sancta Cruce. — Argumentum — Opus. 172
De septem verbis Domini in Cruce. — Argumentum. — Primum Verbum. — Secundum Verbum. 175
Tertium Verbum. — Quartum Verbum. 176
Quintum Verbum. — Sextum Verbum. — Septimum Verbum. 177
Corona Beatæ Mariæ Virginis. — Argumentum. — Opus. 179
Laus Beatæ Virginis Mariæ.— Argumentum. — Opus. 181
Figurata fuit 1. per fontem qui ascendebat de terra. — 2. Per lignum vitæ. — 3. Per paradisum. — 4. Per arcam Noe. — 5. Per arcum. 182
6. Per scalam quam Jacob in somnis vidit. — 7. Per Rubum, qui ardebat. — 8. Per vas in quo servatum fuit manna. 183
9. Per virgam Aaron. — 10. Per stellam et per virgam, de quibus prophetavit Balaam. — 11. Per concham Gedeonis. 184
12. Per domum Domini quam ædificavit Salomon. — 13. Per Abigail. — 14. Per Judith. 185
15. — Per Esther. 186
— 16. Per columbam. — 17. Per perticam quæ tulit serpentem æneum. — 18. Per portam clausam. — 19. Per mulierem quam vidit Joannes. 187
Psalterium minus B. Mariæ Virginis. — Argumentum. — Prima quinquagena. 189
Secunda quinquagena. 191
Tertia quinquagena. 193
Carmina super canticum Salve Regina. 196
Psalterium majus B. Mariæ Virginis. — Argumentum. — Præfatio. 199
Psalterium. 200
Cantica. — Canticum instar illius Isaiæ. — Canticum instar illius Annæ. — Canticum instar ilius Mariæ
Canticum instar illius Moysis. — Canticum instar illius trium puerorum. — Canticum instar illius Zachariæ. — Canticum instar illius qui attribuitur Ambrosio et Augustino. 221 222
Symbolum instar illius Athanasii. 223
Litaniæ. 224
Officium de Compassione B. Mariæ Virginis. — Argumentum. — Ad Matutinum. 226
Ad Laudes. 227
Ad Primam. 228
Ad Tertiam. — Ad Sextam. — Ad Nonam. 229
Ad Vesperas. 230
Ad Completorium. 231
Speculum B. Mariæ Virginis. — Argumentum. — Prologus. 232
Lectio I. Quod in Salutatione Angelica quinque sententiæ ordinantur, in quibus quinque dulcissimæ laudes B. Mariæ Virginis insinuantur. 233
Lect. II. Quod B. Virgo Maria libera fuit a triplici væ culpæ actualis, a triplici væ miseriæ originalis, et a triplici væ pœnæ gehennalis. 234
Lect. III. De significationibus nominis Mariæ; et quod B. Virgo mare amarum, Stella maris, Illuminatrix, et Domina convenientissime dicitur. 237
Lect. IV. Nomen Maria B. Virgini quam sit convenientissimum, et quod eadem omni vitio caruit, et omni virtute claruit. 241
Lect. V. Quod gratia B. Mariæ sit vera, immensa, multiplex, et utilis valde. 244
Lect. VI. Quod quadruplex gratia in B. Maria est consideranda, scilicet donorum, labiorum, privilegiorum, et præmiorum, et de eorum singulis. 247
Lect. VII. Quod novem sint plenitudines in Maria, quæ novem ordinum angelorum plenitudines repræsentant in gloria. 252
Lect. VIII. Quod Dominus, de quo dicitur Mariæ: *Dominus tecum*, generaliter est Dominus universalis omnium rerum, potentissimus, sapientissimus, opulentissimus, ac indeficientissimus, et cum eo B. Maria etiam talis. 256
Lect. IX. Quod Dominus, de quo dicitur Mariæ: *Dominus tecum*, specialiter est Dominus creaturæ rationalis, piissimus, justissimus, certissimus, ac nominatissimus, et talis etiam cum ipso B. Maria. 257
Lect. X. Quod Dominus, de quo dicitur Mariæ: *Dominus tecum*, tam singulariter est cum Maria, ut ipsa ejus sit filia nobilissima, mater dignissima, sponsa venustissima, et ancilla devotissima. 259
Lect. XI. Quod Maria propter se et propter nos convenientissime auroræ comparatur. 262
Lect. XII. Quomodo B. Maria sit virga, et virga florens. 266
Lect. XIII. Quomodo B. Maria comparetur reginæ, in palatium cum rege ingredienti. 270
Lect. XIV. Quod B. Maria sit benedicta ob plenitudinem gratiæ, ob celsitudinem prolis, ob multitudinem misericordiæ suæ, et ob magnitudinem gloriæ suæ. 272
Lect. XV. Quod Maria sit benedicta propter septem virtutes contra septem capitalia vitia. 277
Lect. XVI. Quis et qualis sit fructus ventris B. Mariæ. 281
Lect. XVII. Fructus ventris B. Mariæ quorum sit, et quibus debeatur. 285
Lect. XVIII. Fructus ventris B. Mariæ ad quos effectus sit necessarius, et de duodecim utilitatibus ejus. 288
Legenda S. Francisci. — Argumentum. — Prologus. 293
Cap. 1. De conversatione ejus in habitu sæculari. 295
Cap. 2. De perfecta conversione ejus ad Deum, et de reparatione trium ecclesiarum 297
Cap. 3. De institutione Religionis, et approbatione Regulæ. 300
Cap. 4. De profectu Ordinis sub manu ipsius, et confirmatione Regulæ prius approbatæ. 303
Cap. 5. De austeritate vitæ, et quomodo creaturæ præbebant ei solatium. 307

Cap. 6. De humilitate et obedientia, et de condescensionibus divinis sibi factis ad nutum. 311
Cap. 7. De amore paupertatis, et mira suppletione defectuum. 315
Cap. 8. De pietatis affectu, et quomodo ratione carentia videbantur ad ipsum affici. 319
Cap. 9. De fervore charitatis, et desiderio martyrii. 323
Cap. 10. De studio et virtute orationis. 326
Cap. 11. De intelligentia Scripturarum, et spiritu prophetiæ. 329
Cap. 12. De efficacia prædicandi, et gratia sanitatum. 333
Cap. 13. De stigmatibus sacris. 337
Cap. 14. De patientia ipsius, et transitu mortis. 341
Cap. 15. De canonizatione, et translatione ipsius. 343
Incipiunt quædam de miraculis ipsius post mortem ostensis. Et primo de virtute sacrorum stigmatum. 345
De mortuis suscitatis. 348
De his quos a mortis periculo liberavit. 350
De liberatis a naufragio. 353
De liberatis a vinculis et carceribus. 354
De liberatis a periculo partus. 356
De cæcis illuminatis. 357
De liberatis a diversis infirmitatibus. 358
De non observantibus festum, et non honorantibus Sanctum. 360
De quibusdam aliis miraculis diversorum generum. 361
De paupertate Christi contra magistrum guilelmum. — Argumentum. — Quæst. 1. Art. 1. De paupertate quantum ad abrenuntiationem. 364
Art. 2. De paupertate quantum ad mendicitatem. 374
Quæst. 2. Utrum pauperes validi, et maxime regulares, ad opera manualia universaliter sint astricti. 400
Apologia pauperum. — Argumentum. — Prologus. 410
Responsionis primæ cap. 1, in quo calumniatoris perversa intentio detegitur, veræ condescensionis Christi sublimis perfectio declaratur. 411
Cap. 2, in quo capitalis error circa notificationem perfectionis et imperfectionis eliditur, et veræ perfectionis exemplaritas, et differentia ipsius ad imperfectionem refertur. 416
Cap. 3, in quo evangelicæ perfectionis integritas panditur, ejusque status sublimis et gradus multiformis aperitur. 422
Responsionis secundæ cap. 1, in quo appetitus martyrii de se perfectus ostenditur, et contra fuga de se imperfecta monstratur. 431
Cap. 2, in quo abstinentiæ laus et perfectio declaratur, et ejusdem impugnatio calumniosa refellitur. 437
Cap. 3, in quo jejunii arctitudo ut consona perfectioni defenditur, et ejus multiplex commendatio subinfertur. 448
Responsionis tertiæ cap. 1, in quo voluntaria et penuriosa paupertas fundamentum evangelicæ perfectionis astruitur, et quæ huic videri possunt contraria, dissolvuntur. 454
Cap. 2, in quo possessionum leviticarum et ecclesiasticarum affluentia monstratur perfectioni paupertatis non esse contraria, sed et commendatio divitiarum ostenditur non esse secura. 470
Cap. 3, in quo abrenuntiationis ratio falsa eliditur, et penuriosæ paupertatis duodenaria prærogativa monstratur. 480
Responsionis quartæ cap. 1, in quo religiocarentium loculis ab errore defenditur, et verum jus possessionis ecclesiasticæ declaratur. 491
Cap. 2, in quo professio Fratrum Minorum veraciter carere ostenditur et appropriatione rerum immobilium, sive mobilium, et proprietate pecuniarum, tam in proprio, quam in communi. 498
Cap. 3, in quo evangelizantium pauperum fructificatio multiformis ostenditur, eorumque status a multiplicibus cavillationum versutiis defensatur. 505
Libellus apologeticus in eos qui ordini fratrum minorum adversantur. — Argumentum. — Quæstio adversariorum prima, cum responsione. 521
Quæst. 2. — Responsio. 524
Quæst. 3. — Responsio. 525
Quæst. 4. — Responsio. 526
Quæst. 5. — Responsio. 527
Quæst. 6. — Responsio. — Quæst. 7. 528
Responsio. — Quæst. 8. — Responsio. 529
Quæst. 9. — Responsio. 530
Quæst. 10. — Responsio. 531
Quæst. 11. — Responsio. — Quæst. 12. — Responsio. 532
Quæst. 13. — Responsio. 533
Quæst. 14. — Responsio. — Quæst. 15. — Responsio. — Quæst. 16. — Responsio. 534
Quæst. 17. — Responsio. — Quæst. 18. — Responsio. 536
Quest. 19. — Responsio. 537
Quæst. 20. — Responsio. 538
Quæst. 20. — Responsio. 538
Quæst. 21. — Responsio. 539
Quæst. 22. — Responsio. 540
Quare fratres minores prædicent et confessiones audiant. — Argumentum. — Opus ipsum. 543
Plenitudo potestatis Papæ triplex. — Ratio distinctionis ecclesiarum in plures diœceses. 543
Officium plebanorum quale sit. — Ad quid teneantur subditi plebanis suis. — Quibus de causis statutum sit, ut quilibet fidelis semel in anno proprio sacerdoti confiteatur peccata sua. — Proprius sacerdos quis. 544
Quemadmodum plebanus potest interdum vices suas alii committere, ita a fortiori summus Pontifex. — Ordo Fratrum Minorum in sublevamen oneris institutus, non in præjudicium plebanorum. 545
Prædicationis et confessionis præcipua necessitas. 546
Bonus plebanus quis sit. — Insufficiens plebanus quis. 547
Plebanus nullus quis. — An qui confessus est religioso, teneatur iterum confiteri plebano. 548
Causæ propter quas expedit religiosos habere copiam audiendi confessiones, et casus in quibus possunt eas audire. 549
Casus in quibus excommunicatio non ligat. 553
Forma petendi ab episcopo facultatem audiendi confessiones. 555
Expositio in regulam fratrum minorum. — Argumentum. — Confirmatio Regulæ. — Expositio confirmationis Regulæ. 556
Cap. 1. In nomine Domini incipit Regula, et vita Fratrum Minorum. — Expositio. 558
Cap. 2. De his qui volunt vitam istam accipere, et qualiter recipi debeant. — Expositio. 562
Cap. 3. De divino officio, et jejunio, et quomodo

Fratres debeant ire per mundum.— Expositio. 570
Cap. 4. Quod Fratres non recipiant pecuniam.— Expositio. 574
Cap. 5. De modo laborandi. — Expositio. 581
Cap. 6. Quod Fratres nihil sibi approprient, et de eleemosyna petenda, et de fratribus infirmis. — Expositio. 583
Cap. 7. De pœnitentia fratribus peccantibus imponenda. — Expositio. 588
Cap. 8. De electione generalis ministri hujus fraternitatis, et de capitulo Pentecostes. — Expositio. 589
De prædicatoribus. — Expositio. 590
Cap. 10. De admonitione et correctione Fratrum. — Expositio. 593
Cap. 11. Quod fratres non ingrediantur monasteria monacharum. — Expositio. 597
Cap. 12. De euntibus ad Saracenos et alios infideles. — Expositio. 598
Continuatio confirmationis Regulæ. — Expositio. 599
DETERMINATIONES QUÆSTIONUM CIRCA REGULAM S. FRANCISCI. — Argumentum. — Præfatio. 600
Quæstio 1. Cur, tot existentibus sanctis et approbatis ordinibus, novam regulam facere voluerit S. Franciscus. 601
Qæst. 2. Cur Fratres Minores populo prædicent, et confessiones audiant, cum animarum curam ordinarie non suscipiant. — Quæst. 3. Cur Fratres Minores litterarum studio vacent. 602
Quæst. 4. Cur Fratres Minores nihil habeant proprium, nec in speciali, nec in communi. 603
Quæst. 5. Cur Fratres Minores non degant in deserto.— Quæst. 6. Cur Fratres Minores habeant magnos conventus. 604
Quæst. 7. Cur Fratres Minores plura colligant, vel servent, quam sufficiant ad unius diei victum. — Quæst. 8. Quare plura nunc petant Fratres Minores, quam olim. 606
Quæst. 9. Quæ sit causa impatientiæ penuriæ in fine præcedentis quæstionis dictæ. 607
Quæst. 10. Cur non recipiantur omnes ad Ordinem. 608
Quæst. 11. Cur Fratres Minores non laborent manibus pro victu. — Quæst. 12. An de qualibet religione possit quis transire ad religionem S. Francisci. 609
Quæst. 13. An de religione S. Francisci, post factam in ea professionem, possit quis transire ad aliam. — Quæst. 14. An liceat Ordini Minorum ejicere aliquem pro demeritis, vel egresso pœnitenti et petenti, receptionem denuo denegare. 610
Quæst. 15. An omnes venientes ad religionem S. Francisci sint recipiendi. — Quæst. 16. Cur aliqui in religione sint moribus pravi. 612
Quæst. 17. Cur non omnes dyscoli e religione ejiciantur. — Quæst. 18. In quibus bona religio cognoscatur, et una melior altera judicetur. 613
Quæst. 19. Quas ob causas in vita religiosa Ordines deficiant, et in quibusdam cæremonialibus proficere videantur. 614
Quæst. 20. Quare inter religiosos aliquando dissensiones sint. — Quæst. 21. Religiosi quæ facta sua celare debeant. 616
Quæst. 22. Cur religiosi Ordinis S. Francisci ad mensas divitum accedant. 617
Quæst. 23. Quare religiosi plus honorent divites, quam pauperes. — Quæst. 24. Quomodo possint Fratres Minores domos, hortos, libros, etc., possidere. 618
Quæst. 25. An Fratres Minores transgrediantur regulam, cum pecunias, quæ sibi pro eleemosyna erogantur, per alios recipi et conservari faciant. 619
Quæst. 26. An Fratres Minores recipiant eleemosynam ab iis, qui injusta lucra sectantur. 620
Quæst. 27. Quare plures clerici religiosos odio habeant. 621
DE EO QUOD CHRISTUS, ET APOSTOLI, ET DISCIPULI EJUS DISCALCEATI INCESSERUNT, SIVE DE SANDALIIS APOSTOLORUM. — Argumentum. — Epistola, seu opus ipsum. 622
DE TRIBUS QUÆSTIONIBUS AD MAGISTRUM INNOMINATUM. — Argumentum. — Epistola, seu opus ipsum. 627
AD MINISTROS PROVINCIALES ET CUSTODES DE REFORMANDIS FRATRIBUS SUI ORDINIS. — Argumentum. — Epistola. 633
AD QUEMDAM PROVINCIALEM MINISTRUM. — Argumentum. — Epistola. 636
AD ABBATEM B. MARIÆ BLESENSIS. — EPISTOLA. 638
AD FRATREM LAURENTIUM, IN ADMINISTRATIONE TUSCIÆ VISITATOREM PAUPERUM DOMINARUM. — Argumentum. — Epistola. 639
AD FRATRES TOLOSATES COLLATIONES OCTO. — Argumentum.— Coll. 1. De Verbi incarnatione. 641
Coll. 2. De timore Domini. 642
Coll. 3. De obedientia. — Coll. 4. De verecundia. — Coll. 5. De taciturnitate. 643
Coll. 6. De devotione. — Coll. 7. De diligentia. — Coll. 8. De disciplina. 644

FINIS INDICIS TOMI DECIMI QUARTI.

VESONTIONE, — EX TYPIS OUTHENIN-CHALANDRE FILII.

CONCLUSIO ET EPILOGUS

MAGISTRI SENTENTIARUM

Hæc de pedibus sedentis super solium excelsum, quos Seraphim duabus alis velabant, scriptori, etsi non auditori, commemorasse sufficiat : qui a facie exorsus sedentis, per media ad pedes usque, via duce, perveni.

In ista parte circa litteram quæritur qualiter intelligitur illud verbum ultimum, *pedibus sedentis :* et primo quæritur, quis sit sedens, et quid solium, et quæ via.

Resp. Dicendum quod sedens iste (*a*) Deus est, sive Christus, qui requiescit in summa pace, quæ exuperat omnem sensum. Solium autem potest dici sancta Scriptura propter sui eminentiam ; etiam anima sancta, quæ dicitur sedes sapientiæ, aut certe gloriosissima Virgo Maria, in quam descendit ad habitandum Dominus ; vel etiam natura assumpta, in qua posuit tabernaculum suum. Facies autem hujus, est majestas divinitatis, quam videbimus, cum erimus gloriosi. Pedes vero, sive via, sunt opera finalia ; quæ sunt velata, sicut illa quæ pertinent ad finem mundi. Media vero inter Dei magnitudinem æternam, et nostram magnificationem futuram, sunt opus creationis, et redemptionis. Scripsit (*b*) igitur Magister a facie majestatis in primo [1], et decurrit per media in secundo et tertio, et terminavit in pedibus, sive in imis, in quarto. Isti autem pedes nunc sunt velati ; sed tunc discooperientur, quando facies manifestabitur : hoc autem erit, quando Deus ita erit conspicuus, ut videatur a singulis nobis in singulis nobis, videatur ab altero in altero, videatur in semetipso, videatur in creaturis omnibus, videatur etiam per corpora in omni corpore, quocumque fuerint spiritualis corporis oculi, acie perveniente, directi. Tunc videbimus, amabimus, laudabimus : tunc apparebit Christus vita nostra, et nos apparebimus cum ipso in gloria. Ad quam nos perducat Pontifex et Præcursor noster Jesus Christus Filius Dei, et beatæ Mariæ Dominæ et adjutricis nostræ, sua pia misericordia ; cui est benedictio, et claritas, et sapientia et gratiarum actio, honor, et virtus, et fortitudo per infinita sæcula sæculorum. Amen.

(*a*) *Cæt. edit.* sedes ista. — (*b*) *Leg.* Incœpit.

[1] *Subaud.* libro.

SANCTI BONAVENTURÆ IN SENTENTIARUM LIBROS COMMENTARIORUM FINIS.

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
59 ELMSLEY PLACE
TORONTO 5, CANADA.

1563 .